BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 D
28
GG
II
19.

Digitized by Google

CHRISTIANI WOLFII
JUS NATURÆ
METHODO SCIENTIFICA
PERTRACTATUM,

PARS QUARTA,

DE ACTIBUS AD ALIORUM UTILITATEM
TENDENTIBUS IN SPECIE,

UBI AGITUR

DE DONATIONIBUS,
ET DE CONTRACTIBUS TAM BENEFICIS,
QUAM ONEROSIS PRÆCIPUIS,

ET NUNC PRIMUM CUM

VIRI CL. DE VATTEL
ANIMADVERSIONIBUS,

EDITIO NOVISSIMA EMENDATIOR, ET AUCTIOR.

FRANCOFURTI, ET LIPSIÆ,
MDCCLXV.

ÆRE SOCIETATIS VENETÆ,
SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIIS.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi ac Dom. Dom.

FRIDERICO REGI BORUSSIÆ,

Marggravio Brandenburgenſi, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario & Principi Electori, ſupremo Sileſiæ Inferioris Duci, Principi Supremo Arauſionenſi, novi Caſtri & Valengiæ, nec non Comitatus Glacenſis Geldriæ, Magdeburgi, Cliviæ, Juliaci, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum & Megapolis, nec non Croſnæ Duci, Burggravio Norimbergenſi, Principi Halberſtadii, Mindæ, Camini, Vandalii, Suerini, Raceburgi, Oſtfriſiæ & Murſii, Comiti Hohenzolleræ, Ruppini, Marcæ, Ravensbergi, Hohenſteinii, Tecklenburgi, Suerini, Lingæ, Buræ & Leerdami, Domino Ravenſteinii Roſtochii, Stargardiæ, Lauenburgi, Butoviæ, Arlayæ & Bredæ &c. &c. &c.

REGI AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO.

REX AUGUSTE.

E*Quidem natura charitatis vinculo homines ſingulos tam arcte inter ſe conjunxit, ut ejus lege ſi uterentur, nemo alterum injuria afficeret, nemo quoque re aliena locupletari vellet; ſed unusquisque alteri tribueret ultro quod ſuum eſt; non tamen ea eſt generis humani felicitas, ut caperent omnes, quantum charitatis lege proſpectum ſit ſingulis, ac ne latum quidem, quod dicitur, unguem ab eadem recedere vellent. Quamobrem neceſſe eſt, ut, quod charitatis lege debetur, ad id ſeſe*

ſibi invicem obligent homines propria ſua voluntate atque adeo quod ultro præſtare debebant, nunc vel inviti ad idem præſtandum adigi poſſint. Regibus ideo ſeu populorum Rectoribus hoc datum eſt, ut curent, ne unus alterum lædat, & ut unusquisque alteri ſuum tribuat. Eo igitur fine poteſtate legislatoria inſtructi ſunt, ut prohibendo arceant injurias alteri inferendas & illatas vindicando impediant, quo minus eædem largius ac altius ſerpant, jubendo autem determinent, quomodo ex eo, quod lege charitatis debetur aut per eam licet, effici debeat jure coactivo debitum, vel illicitum ne quis impune poſſit legem charitatis pro lubitu ſuo violare, non ſine diſpendio tranquillitatis in civitate conſervandæ. Eorundem quoque eſt conſtituere judices ac magiſtratus, ut cauſa cognita ſecundum leges jus dicant & injuriam factam animadvertant, faciendam propulſent. In quarto hoc Juris naturæ Tomo, qui nunc in lucem publicam prodit, id potiſſimum ago, ut demonſtrem, quid juſtitiæ ac veritati conveniat in illis actibus, qui ad aliorum utilitatem tendunt, & quibus vel jura quædam in alios transferuntur, vel alii aliis perfecte ſibi invicem ſua voluntate obligantur. Cum REX SAPIENTISSIME, ſolium conſcenderes, MAJESTATI TUÆ placuit, præſtito homagio ad perpetuam rei memoriam in nummo propenſam tuam in ſubditos voluntatem his potiſſimum verbis, JUSTITIA ET VERITATE declarare, ut intelligeret orbis univerſus, TIBI omnium maxime curæ cordique futurum, ne jus ullius violetur, ſed ſuum cuique tribuatur, ac eo, quo excellis & alios ſuperas acumine, diſcreturum, quid veritati conveniat, ne aliunde, quam ex ea jus uniuscujusque metiatur. Hanc veritatem cum aperte ac ſine omni fuco loquatur æterna illa ac immutabilis naturæ lex, ex qua pro utilitate civitatis ſuæ jus civile efficere debent populorum Rectores & ad quam de jure, quo ci-

cives inter ſe uti debent, ſtatuturi decreta ſua exigere tenentur; MAJESTATI TUÆ probatum iri haud temere confido operam, quam in eo poſui, ut veritatem iſtam in profundo demerſam in apricum proferrem, ne opinionibus contrariis eorum, qui ſine luce videre volunt, perpetuis diſceptationum fluctibus immergatur. Cum Tomum tertium MAIESTATI TUÆ humillima mente offerrem, non modo, eodem vultu, REX AC DOMINE CLEMENTISSIME, eundem ſuſcepiſti, quo duos anteriores, hoc eſt, gratioſiſſimo; verum etiam iterato juſſiſti, ne in opere cœpto continuando, defatigari patiar induſtriam meam, ſed ut omni potius animi contentione pergam, donec conſummetur. Mihi adeo obedientiæ gloria relicta eſt, magnum ſane laboris præmium, ſi ſatis obedientem me probavero. Quamvis vero hæc ratio abunde ſufficiat, cur hunc quoque Tomum Juris Naturæ ad pedes MAJESTATIS TUÆ piiſſima mente deponam; ſunt tamen præterea rationes ſingulares, quæ hoc officium maxime urgent. Cum enim haud ita pridem Univerſitatis TUÆ, quæ Halæ floret, Cancellarius inter homines agere deſiiſſet; hoc munus, REX BENIGNISSIME, cum propenſiſſimæ voluntatis cum in me, tum in ſcientiam ſignificatione in me potiſſimum conferre voluiſti. Cum ad MAJESTATIS TUÆ in me benignitatem ac munificentiam (ſi arroganter dictum non ſit, quod verum dicitur & quod dici pietas jubet) Europa univerſa animum attendat; meo omnino deeſſem officio, niſi pro tanta beneficentia publice gratias agerem, ut perpetuum extaret tanti ſcientiarum propagandarum ſtudium ſingularibus decorandi præmiis exempli monumentum. Tibi, REX SAPIENTISSIME non ignotum, quod honos alat artem. Concepiſti adeo de me ſpem fore, ut hoc munus, quo & dignitatem

tem

tem augere, & fortunas meas amplificare voluiſti, mihi ſtimulus ſit ad alacriter continuandum opus, quod non infeliciter cœptum, de Naturæ ac Gentium Jure. Teſtis incorruptus atque integer ſit Tomus hic quartus Juris Naturæ, quanam animi contentione ſpes de me concepta ne falleret allaboraverim: quanam animi alacritate hunc laborem continuaturus ſim, teſtes ſint qui ſequentur, donec tandem opus ad umbilicum perducatur. Quod vero in votis eſt omnium ſubditorum, id quam maxime ego voveo: Servet Te *Deus,* REX POTENTISSIME, *& omnibus annuat cœptis.*

AUGUSTÆ MAJESTATI TUÆ

Subjectiſſimus & devinctiſſimus
CHRISTIANUS WOLFIUS.

PRÆ-

PRÆFATIO.

POſtquam in parte tertia Juris Naturæ luculenter demonſtravimus in genere, quomodo Jus & poſſeſſionem in alium transferamus & ad actus aliis utiles non obligemus, ut a nobis exigi poſſint, quos antea petere tantummodo licebat; in parte quarta, quæ nunc in publicum prodit, ad actus iſtos in ſpecie explicandos deſcendimus, qui ad aliorum utilitatem tendunt. Actus iſti cum vel in præſens abſolvantur, vel in futurum promineant; primo loco nobis agendum erat de his, qui in præſens abſolvuntur, deinde vero progrediendum erat ad eos, qui in futurum prominent. Actus illi, qui in præſens abſolvuntur, beneficia ſunt, quæ aliis tam dando gratis, quam faciendo exhibemus, & dationes gratuitæ donationes ſunt, quarum in numero etiam eleemoſynæ continentur. Quamobrem prima tractatio eſt de beneficiis, donationibus ac eleemoſynis. Actus mere benefici, qui in futurum prominent, ſunt promiſſiones liberales, de quibus jam actum fuit in parte tertia, cum de promiſſione ageremus, qua ſola homines ſeſe ſibi invicem ad dandum vel faciendum perfecte ob-

obligare poſſunt. Aſt de actibus obligatoriis, qui in futurum prominent, ſive fuerint benefici, ſive permutatorii, amplior dicendi campus ſeſe aperiebat. Veniunt autem hi actus vulgo contractuum & quaſi contractuum nomine. Quamobrem conſtitutum nobis erat agere de contractibus quoque & quaſi contractibus in præſenti Juris naturæ Tomo. Jus naturæ ignorat diſtinctionem contractuum in nominatos & innominatos, quod commentum eſſe Juris Romani dudum monuit *Grotius*. Nobis igitur propoſitum erat non minus de iis agere contractibus, quos nominatos vocant JCti Romani, quam quos iidem innominatos appellant. Enimvero quamvis nonniſi ad ea animum attendere voluerimus, quæ quotidiani fere ſunt uſus; fieri tamen haudquaquam potuit, ut omnia, quæ de contractibus notanda veniunt, hic tradi potuerint, ſed multa ad eos pertinentia una cum omni tractatione de quaſi contractibus in Tomum quintum rejicienda fuerunt. Quamobrem in præſenti opere agere non potuimus niſi quoad actus beneficos obligatorios de commodato, mutuo, depoſito, mandato, fidejuſſione & expromiſſione; quoad permutatorios vero de permutatione, contractu omnium antiquiſſimo & primo, quo rerum dominia in alios fuerunt translata, emtione venditione, & pactis eidem adjiciendis, locatione conductione, ſocida ſocietate & contractu fœnebri. Et quoniam contractus permutatorii, ex quibus tantundem recipiendum, quantum datur, niſi aliter conveniatur, ſupponunt pretia rerum, ad quæ rectius definienda pecunia inventa eſt; ideo quoque de pretio rerum & pecunia nobis agendum fuit. Ea autem hic nos tradidiſſe confidimus, quæ in omnibus iſtis contractibus ſufficiunt tum ad perſpiciendum, quid æquitati naturali & juſtitiæ externæ in ſtatu naturali conveniat, tum ad patefaciendum conſenſum ac diſſenſum Juris Romani vel civilis cum Jure naturæ, tum ad diſcernendum opiniones diſcordes interpretum illius Juris, ut pateat, quænam veritati conveniant, quænam ab ea recedant, tum ad affundendumlucem plenam Juri civili. Nemo autem expectet, ut omnia, quæ in præſenti Tomo de

dona-

donationibus & contractibus demonſtrantur, cum iis coincicidant, quæ in Jure Romano de iisdem præcipiuntur aut uſu fori introducta ſunt. Quamvis enim multa ſint a JCtis Romanis juri naturæ conformiter definita, & inter diſcordes Doctorum ſeu Interpretum illius Juris opiniones deprehendantur, quæ ad Jus naturæ accedunt; ſunt tamen etiam haud pauca, quæ a Jure naturæ recedunt, immo recedere ſubinde debent, prouti ſuo loco demonſtraturi ſumus. Ne ſomniando quidem Jurium vere peritus affirmaverit, Jus Romanum eſſe ipſum Jus naturæ. Si quis enim incogitans hoc aſſerere audeat; eum refutabit ipſe *Ulpianus* (a) qui: *Jus civile*, inquit: *eſt, quod neque in totum a naturali, vel gentium recedit, nec per omnia ei ſervit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi, jus proprium, id eſt, civile efficimus*. Quamvis itaque adeo inepta ſit legicreparum nonnullorum diſtinctio inter Jus naturæ philoſophicum & Juridicum, ut oleum ac operam perdere videatur, qui eam confutare velit; ſunt tamen nobis rationes non contemnendæ, de quibus omnino loqui nihil attinet, cur ſciolorum iſtorum imperitiam redarguamus, ut intelligatur, quantum diſtet argutator a juſto rerum æſtimatore. Sciolorum eſt quaſi ex tempore effutire, quod per ſe intelligere nequeunt, & fritinnientes in campo Juris cicadæ verba legum repetunt, ſed cum eorum vim ac poteſtatem non teneant, leges ipſas non ſciunt (b). Quando enim intellectus verborum quæſtio agitatur, extemplo attoniti hærent & quo ſe vertant neſciunt, niſi gannire malint, quam obmuteſcere, ac neſcio quid præſidii ſibi inveniſſe videantur in eo, quod dicit *Javolenus* (c) *Omnis definitio in Jure civili periculoſa eſt*. Nullus adeo dubito, qui diſtinctionem inter Jus naturæ philoſophicum & Juridicum crepant, eos non minus dare ſine mente ſonos, quam raucas cicadas cantilenam ſuam per diem integrum repetentes. Jus naturæ rationem ſufficientem in ipſa hominum rerumque natura atque eſſentia habet atque hac poſita ponitur. Et quema-

(a) l. 6. ff. de J. & J.
(b) l. 17. ff. de LL.
(c) l. 202. de div. reg. Jur.

madmodum eſſentiæ rerum immutabiles ſunt; ita Jus etiam naturæ immutabile eſt. Nec legicrepæ hoc ignorare poſſunt, cum ad ſacra Themidis accedentibus in limine ſtatim inculcatum ſit (a) *naturalia jura ſemper firma atque immutabilia permanere*, quamvis demonſtrationem non attigerint a ratione legis inquirenda adhorrentes, ut plus quam cœcam obedientiam præſtent *Neratio* (b), *rationes eorum, quæ conſtituuntur, inquiriri non opportere* pronuncianti: a quorum moribus procul abſuit *Manzius*, Juris civilis interpres eximius, qui, cum commentarium ratio-regularem in quatuor libros Inſtitutionum imperialium ederet, ipſi titulo hos verſiculos appoſuit:

Nil alii ſine lege volunt, & nil ſine texto,
Sed ſine legali nos ratione nihil.

Hoc immutabile Jus unum idemque eſt, ut ideo Imperator (c) dicat, *jus* iſtud, *quod naturalis quædam ratio inter omnes homines conſtituit, apud omnes populos peræque cuſtodiri*. Sive adeo doceatur ab eo, qui Philoſophus audit, ſive ab eo, qui Jure Conſultus appellatur, unum idemque erit, modo uterque idem ſciat: alias enim non minus verendum eſt, ne Jure Conſultus qui vocatur id, quod civile eſt, cum naturali confundens, Jure Conſultorum Romanorum placita, & quæ ab Imperatoribus Romanis conſtituta ſunt, atque Doctorum opiniones uſu fori probatas pro Jure naturæ incautis venditet; quam, ne, qui Philoſophus appellatur, opiniones ſuas pro æterno iſto ac immutabili Jure aliis obtrudat. Equidem concedo, quamvis utrique veritas cognita atque perſpecta ſit, in verbis tamen aliquem eſſe poſſe diſſenſum, ſiquidem Jure Conſultus utatur terminis in Jure civili receptis, philoſophus vero iisdem non utatur; propter terminorum tamen diverſitatem quod aliud ſit Jus naturæ philoſophicum, aliud juridicum ſi quis aſſerere velit, id æque ridiculum foret, ac ſi

(a) §. 11. I. de Jur. nat. gent. & civ.
(b) l. 21. ff. de LL.
(c) §. 1. I. de J. N. G. & C

ſi quis contenderet alium eſſe calculum fluxionum, alium vero calculum differentialem ac integralem, propterea quod Angli aliis utuntur ſignis, quam Germani & cum iis ceteræ nationes. Ecquis, queſo, dixerit re convenire non poſſe, qui verbis diſſentiunt? Ignoraret utique illud pervulgatum: *In verbis ſimus faciles, modo reipſa conveniamus*. Ultro præterea largior præſtare, ut in Jure naturæ eosdem retineamus terminos, qui in Jure civili recepti ſunt, inprimis eos, quos approbarunt Jure Conſulti Romani, præſertim ubi Jus naturæ tradendum iis, qui ad Jurisprudentiam civilem animum appellunt. Quamobrem & ipſi non modo terminis iſtis uſi ſumus, verum eosdem limatis definitionibus in noſtro ſyſtemate circumſcripſimus. Abſonum vero foret ſtatuere, quod, qui ad Jurisprudentiam civilem docendam ſe conferre noluit, adeo hoſpes eſſe debeat in omni Jure civili, ut ne quidem terminos in eo obvios perſpectos habeat, nec leges magis ſciat ac rectius, quam qui verba legum verbis Germanicis reddens ne nudam verſionem recitaſſe videatur, excerpta quædam ex obvio quodam commentario cupidæ legum juventuti dictitat. Quodſi quis Jus naturæ philoſophicum vocare velit, quod ex principiis philoſophicis demonſtratur, juridicum vero, quod rudimentis ex Jure civili depromtis maxima ex parte conſtat; is dudum reprehenſus eſt a *Cicerone*, quod ex duodecim Tabulis & edictis prætorum Juris artem haurire velit. Quamvis enim reipſa expertus ſum, quantum adjumenti afferat Jus Romanum ei, qui ſyſtema Juris naturæ condere aggreditur; cum tamen neceſſe ſit quod civile eſt a naturali ſeparari & ad naturale reduci, non minus didici, quantum hic cœcutire debeat, qui principiis philoſophicis deſtitutus, nec habitu ratiocinandi ſatis pollet. Ego itaque idoneum Juris Naturæ Doctorem non agnoſco, niſi qui idem ex intima philoſophia haurit, & quæ ſint hujus juris ex ipſis rerum notionibus demonſtrat. Quemadmodum itaque in Tomis anterioribus, quos de Jure naturæ in publicum emiſimus, hanc viam ingreſſi ſumus; ita eandem quoque calcamus in Tomo, qui nunc prodit, quarto, nec ab eadem ſemita deflectemus in reliquis, qui ſequen-

 tur

tur. Hoc nimirum pacto fore confidimus, ut Juri naturæ ſuus conſtet honos, & eam habeat utilitatem, quam habere debet. Si quis vero pueriliter dicat, Jus naturæ nulla indigere demonſtratione, quod ſit cordibus hominum inſtructum, adeoque hominibus omnibus per ſe notum eſſe debeat; is deridendus, ſi ſibi ſapere videtur, alias miſerandus, non reſutandus. Halæ d. 8. Aprilis 1744.

EX ACTIS ERUDITORUM LIPSIENSIUM

Anni 1745. *pag.* 413. *& ſeqq.*

Vidimus nuper Ill. Authorem in *Parte tertia* docuiſſe, quomodo jura ab uno in alterum transferantur, ac homines ad dandum & faciendum ſeſe ſibi invicem perfecte obligent, & de præſtationibus, ſive gratuitis, ſive mutuis inter ſe conveniant, ut perfecte debeantur. In *Parte* igitur *quarta* in ſpecie inquirit in ea, quæ dari ac fieri poſſunt, & ad quæ danda & facienda ex mutua conventione homines ſeſe ſibi invicem obligent.

Cap. I. Actus omnes aliis utiles in dando & faciendo conſiſtunt, & vel benefici ſunt, ex quibus unus tantummodo utilitatem percipit, vel permutatorii, quibus pars utraque ad aliquid dandum vel faciendum adſtringitur, ſeu res & facta invicem permutantur. Quemadmodum vero illi vel mere benefici ſunt, quibus nimirum nulla adhæret obligatio perfecta, vel benefici obligatorii, quibus mutua adhæret obligatio perfecta, ita permutatorii, aut diremtorii ſunt, qui ſeparatam utriuſque partis reſpiciunt utilitatem, præſtationibus peculiaribus obtinendam, vel communicatorii, in quibus per præſtationes communes intenditur quædam utilitas communis. In actibus diremtoriis, vel do ut des, vel do ut facias, vel facio ut des, vel facio ut facias, dari autem poſſunt res tam corporales quam incorporales, uſus rei tam nudus, quam cum fructu conjunctus, & pecuniæ, & in communicatoriis vel facta, vel res, ſive pecunia, vel hinc res, inde facta, communicantur; actus autem benefici obligatorii aut diſponunt de re ſine alienatione, aut de facto. Ex hac actuum humanorum differentia, tanquam fonte, manant omnes contractus, tam benefici, quam oneroſi. Quoniam vero actus mere benefici in præſens abſolvuntur, aut in futurum prominent; ideo in beneficia & promiſſiones liberales dividuntur. De his dictum abunde in *Parte tertia*; de illis itaque tantummodo verba facit Ill. Author. Naturalem itaque obligationem ad beneficia aliis adhibenda, & officia beneficiariorum, expendit, ubi & de animo grato, & de ingratitudine agitur. Enimvero dationes gratuitæ, ſpeciali nomine, donationes appellari ſolent, & ſi fiant ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem, eleemoſynæ nomine veniunt. Quamobrem Noſter prolixe agit de donationibus ac eleemoſynis, ac ideo etiam de liberalitate ac illiberalitate, de miſericordia & de immiſericordia. 2. Quoniam vero nemo tenetur alteri gratis dare, vel facere, ſi is viciſſim dare, vel facere poſſit, ac ideo actus permutatorios probat lex naturæ, facta autem ac res, tam corporales quam incorporales, non ſemper commode permutari poſſunt, ac difficulter in permutando obſervare datur æqualitatem, ut alter tantundem recipiat, quantum ipſe præſtat; ideo non modo neceſſe eſt, ut pretia rerum determinentur, verum etiam neceſſe fuit, ut pecunia inveniretur, tanquam menſura communis pretii omnium rerum & operarum. Noſter itaque, antequam ad contractus in ſpecie accedat, de pretio rerum definiendo, & de pecunia, ea demonſtrat, quæ juri naturæ conſentanea ſunt. Atque, hac data occaſione, agit de divitiis, reditibus, expenſis, egeſtate, paupertate, parſimonia, prodigalitate, continentia, avaritia, ſordibus, incuria. Jus nimirum naturæ continere debet theoriam Philoſophiæ moralis, ut ex eo intelligatur, quid virtutis ſit, quid vitii. 3. Hiſce præmiſſis ad contractus beneficos pedem promovet, in quorum numerum refert commodatum, mutuum, depoſitum, ſequeſtrum, mandatum, fidejuſſionem, & expromiſſionem. 4. Deinde vero contractus oneroſos præcipuos contemplatur, nimirum per-

permutationem, emtionem, venditionem, arrhæ dationem, addictionem in diem, legem commiſſoriam, pactum de retrahendo, pactum de retrovendendo & redimendo (ubi quoque agitur de commodo & de periculo rei emtæ, nec non de evictione,) locationem, conductionem, ſocidam, ſocietatem, contractum fœnebrem, ubi de uſuris & de anatociſmo agitur. Qui in jure civili verſati ſunt facile intelligent, quænam ſint ea, de quibus hic dicendum fuerat. Noſter enim demonſtrat quæ in contractibus tam beneficis quam oneroſis, præcipit jus naturæ, quemadmodum Doctores juris civilis inquirunt in placita Juriſconſultorum Romanorum. Non diffitetur Ill. Author, plurima de his contractibus tenenda, coincidere cum iis, quæ Juriſconſulti Romani tradiderunt, vel etiam Doctores addiderunt; propterea tamen ea non erant ſilentio prætereunda. Demonſtrandum nimirum erat, ea eſſe juris naturalis, ut ex collatione pateat, quinam ſit juris naturæ ac civilis conſenſus, quinam diſſenſus. Ceterum, cum legicrepæ nonnulli ineptam finxerint diſtinctionem inter jus naturæ philoſophicum & juridicum, ideo Noſter in Præfatione ob ſingulares, quæ ſibi ſint, rationes, eaſque non contemnendas illorum, quicumque ſunt inſcitiam redarguit. Naturalia jura, quæ imperata ſemper firma atque immutabilia permanere aſſerit, eadem manent, ſive a Philoſopho, ſive ab eo, qui Juriſconſultus audit, tradantur, modo uterque eadem ſciat; alias enim metuendum, ne quis Juriſconſultus vocatur, quod civile eſt, cum naturali confundat, Juriſconſultorum Romanorum placita, & quæ ab Imperatoribus Romanis conſtituta ſunt, atque Doctorum opiniones, uſu Fori probatas, pro jure naturæ incautis venditans, quam ne, qui Philoſophus dici amat, opiniones ſuas pro æterno iſto ac immutabili jure aliis obtrudat. Quamvis vero terminorum diverſitas nondum faciat realem differentiam inter jus naturæ philoſophicum & juridicum; Noſtro tamen conſultius videtur, ut in jus naturæ recipiantur termini, in jure civili recepti, inprimis ii, quos approbarunt Juriſconſulti Romani, ut facilius intelligatur ab iis, qui ad juriſprudentiam civilem animum appellunt. Quamvis vero probet, quod dictum recte a *Cicerone*, non ex duodecim Tabulis, & Edictis Prætorum, ſed penitus ex intima philoſophia, juris artem hauriendam eſſe; ultro tamen concedit Jus Romanum multum adjumenti afferre ei, qui Syſtema juris naturæ condere aggreditur, ac, ſe re ipſa hoc expertum, minime diffitetur. Cum tamen neceſſe ſit, quod civile eſt, a naturali ſeparari, & ad naturale reduci; ſe non minus didiciſſe obſervat, quantum hic cœcutire debeat, qui principiis philoſophicis deſtitutus eſt, nec habitu ratiocinandi ſatis pollet, ut adeo idoneum juris naturæ Doctorem non agnoſcat, niſi qui idem ex intima Philoſophia haurit ea, quæ ſint hujus juris, ex ipſis rerum notionibus demonſtrata, recenſis licet terminis, in jure civili receptis, & ad notiones determinatas reductis. Equidem conſtitutum ipſi erat in hac *Parte quarta* agere de contractibus omnibus uſitatis, immo etiam de quaſi contractibus; quoniam tamen tanta enaſcebatur dicendorum ſeges, ut uno Volumine omnia comprehendi minime poſſent, ideo magnam eorum partem, quæ de contractibus dicenda erant, in *Partem quintam* rejicere coactus fuit, prouti proxime videbimus.

QUÆ-

QUÆSTIONES
DE JURE NATURALI
CUM ANIMADVERSIONIBUS IN OPUS
CL. WOLFII
DE JURE NATURÆ
AUCTORE
DOM. DE WATTEL
Ex Gallico in Latinum converſæ.

CL. DE WATTEL
QUÆSTIONES
DE JURE NATURALI
ET ANIMADVERSIONES
IN CL. WOLFIUM
DE JURE NATURÆ
PARS QUARTA.

§. 39.

Beneficiarius amare debet benefactorem ob beneficia ſibi tributa.

DEmonſtratio propoſitionis hujus probat, tantum benefactorem natura ipſa ſuadente amari. Sed probandum erat, amandum eſſe propter beneficium. Probari autem poteſt ita: debemus actiones liberas conformare finibus naturæ, ideoque illas determinare per eaſdem rationes finales, quæ actiones naturales determinant. Amor autem eſt ſenſus, quem nobis natura indidit, erga quodcunque nobis eſt utile quotieſcunque ignotum non eſt, ut illud appeteremus. Debemus ergo ita ſumere bonum nobis factum, ut ejus auctorem amemus. *Benefactores amanai.*

Ecce rationem aliam magis ſpecioſam. Auxilio aliorum prorſus indigemus: ut illud obtineamus oportet nos reddere gratos alios, ideſt benefactores amare; ingrati enim odioſi ſunt.

§. 45. *Beneficiarius obligatur ad gratias benefactori agendas.*

De gratiarum actione. Nimis hoc minutum videtur; Propoſitio vero non ſatis probata. *Grati eſſe debemus*, inquit Auctor; *ſed benefactor hanc voluntatem cognoſcere nequit; niſi illam teſtemur; ergo debemus agere gratias*. Probandum erat, gratum animum agnoſcendum a benefactore; quod facile non erat: aliquando enim non modo non neceſſarium, ſed etiam abſurdum eſt voluntatem hanc teſtari. Non ſemel autem contingit, ut factis non verbis ſignificanda ſit.

§. 350. *Pecunia, qua extimatur pretium rerum, quæ iis utendo fruendo non conſumuntur, accenſenda pecuniæ ſuperfluæ.*

De ſuperfluo. Propoſitio hæc videtur ſane nova & peregrina, nec uſum habere ullum. Num domus meæ, etſi ſimplicis & modeſtæ pretium inter ſupervacanea recenſendum? Quis hoc affirmet? & abſurdum quidem eſſe ex Auctore ipſo demonſtro. *Si quis*, (inquit §. 347.) *pecuniam habet, qua non utitur ad comparandas res, quibus vitam commodam jucundam & decoram agat, hæc pecunia ipſi eſt ſuperflua.* Quoties ergo pecuniam conſumo in acquirenda domo commoda & jucunda, hæc mihi ſuperflua non eſt. Item agros poſſideo & prata; non ea diripio ut vivam, ſed utor fructibus ejus: ergo, inquit Auctor, eorum valor eſt *ſuperfluus*, quia non cònſumis. Minime vero; nam ſine fundis hiſce, ideoque ſine valore ipſorum fructus conſequi non poſſum, quibus ſingulis annis indigeo ut vivam. Bonorum omnium uſus naturalis eſt, ut mihi tota vita inſerviant; quare fundi, quorum fructus annuus mihi alimento eſt non ſunt ex *ſuperfluis*. Propoſitio 347. afficere nequit niſi proventus, aut pecuniam incluſam in arca, non fundos. Si urges ſimplicem uſufructum indigentiæ meæ ſufficere, ideoque pretium proprietatis eſſe mihi ſupervacaneum; reſpondeo, hoc eſſe cavillari: uſus enim naturalis & communis proprietatis fundi eſt uſus proventuum ipſius; neque proventus certus eſt, niſi res ſit in poteſtate: ex quo conficitur, defendi non poſſe proprietatem eſſe quid ſuperfluum.

§. 482. *In commodato pactio hæc, ne dolus præſtetur valida non eſt.* Et in demonſtratione: *Legi naturali repugnat ita conveniri, ut commodatario liceat ſcienti ac volenti rem deſtruere, vel deteriorem reddere, nec de reſarciendo damno teneatur, conſequenter ne dolus præſtetur.*

Utrum liceat permittere ut quis rem commodatam perdat. Non intelligo, cur hæc pactio legi naturali repugnet, ſaltem aliquando quoniam rem meam perdere aut relinquere poſſum, quoties ita judico, ita permittere poſſum alicui, ut pro lubitu re mea ipſi commodata utatur & abutatur, eique reſtitutionem remittere, ſi deſtruat; revera eſt hæc do-

ſonatio cum conditione quadam, ubi nihil detego abſurdi. Exempli cauſa commodo viatori rem aliquam pro vi pretii; permittoque, ut, ſi moleſta ſit, illam projiciat: quid hic legem naturalem lædit?

§. 493. *Si duobus, vel pluribus, eadem res commodatur, unuſquiſque obligatur ad eam reſtituendam: ſinguli autem culpam præſtare tenentur, niſi aliter convenerit, ut ſcilicet ſinguli teneantur in ſolidum.*

Propoſitio hæc vera eſt, niſi exceptio hæc *niſi aliter convenerit*, intelligatur de pacto explicito: hæc enim conditio tacita ſubeſt, fluitque ex natura commodati. Ut recte judicari poſſit in hac aut illa occaſione, ubi ſimplex commodatum factum eſt pluribus ſine pacto, diſtinguere oportet circumſtantias. Si librum ex. gr. commodavi pluribus, ut quiſque ſeorſum unus poſt alium uteretur, commodatum hoc generale refert commodata plura, quot nempe ſunt commodatarii; ita ut ſi liber pereat in manibus primi, ipſi uni commodatus videatur; ſi perit in manibus ſecundi, primus reſtituiſſe videatur, alteri autem de integro commodatus; conſenſu enim meo venit in ejus manum. At ſi commodatarii ſocietatem quandam contraxerint ut ſimul utantur re commodata, præſumi debet dominus in communi commodaſſe ita, ut in ſolidum tenerentur ſolvere, ſi forte alicujus culpa periret. *De re pluribus commodata.*

§. 497. *Commodatum tacitam hanc habet conditionem, niſi interea propriis uſibus res fuerit neceſſaria.*

Propoſitio hæc generatim veriſſima eſt. Nihilominus judicio meo exceptionem patitur: nam quoties rem commodo, cujus uſus intermitti nequit ſine damno ejus qui illa utitur, videtur dominus obſtringi eam non repetere niſi uſu perfecto. Ex. grat. Fornicem commodas pro chimica operatione quæ dies octo durare debet; neque intercipi poteſt ſine totius operis jactura. Jam obligaris mihi fornicem relinquere totos hoſce octo dies, ſi opus cœptum eſt, neque repetere potes etiamſi eo inopinato indigeres. Cenſeris enim tacite conditioni huic conſenſiſſe. Sed ſi dum fornicem commodas, uſum & mentem meam ignorabas, reddere debeo petenti ſtatim aut damnum dilationis compenſare. Nihilominus ſi fornicis privatio domino grave damnum eſſet allatura, dum commodatarium levi damno afficeret; hic fornicem reſtituere deberet, quia diteſcere non debet alterius damno, præcipue hominis benefacientis: præſertim cum dominus nunquam potuerit habere mentem periculum hoc ſubeundi, etſi lucrum non curare potuerit. Statuendum videtur oportere explorare, quid uterque facturus, & dicturus fuiſſet, ſi eventus omnes prævidiſſent. *Conditio tacita commodati ad uſum.*

§. 552. *Si ſumma pecuniæ mutuo datur expreſſo monetæ genere, eadem ſumma reſtituenda eſt in eodem monetæ genere juxta bonitatem extrinſecam, & intrinſecam, quam tempore contractus habebat.*

Contradictio propoſitionum de reſtitutione ſummæ in ſpecie monetæ.

Propoſitio hæc manifeſte pugnat cum 558. quæ eſt hujuſmodi: *Si ſumma pecuniæ mutuo data fuerit, expreſſo monetæ genere, ac interea bonitas extrinſeca, ſalva intrinſeca, fuerit aucta; debitor eandem ſummam reſtituens incrementum detrahere debet; ſin illa fuerit diminuta, defectum ſupplere debet*. Eadem eſt quæſtio; judicium contrarium. Hæc repugnantia augetur per verba adnotationis §. 552. *Et hoc demum pacto perinde eſt, ac ſi pecuniam mutuo non dediſſes, ſed ea in ciſta repoſita penes te manſiſſet, quemadmodum requirit mutuum*. Conferantur hæc cum verbis in adnotatione §. 558. *Hoc enim pacto creditor conſervat eandem pecuniæ ſummam, in eodem genere monetæ, ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quod intendit qui mutuo dat ſummam expreſſo genere monetæ*. Cæterum poſtremam hanc ſententiam ut juſtam probo. Quæ eſt §. 552. hic non congruit: ſed tantum cum ſpecies monetæ mutuo data eſt (quod Wolfius appellat *genus pecuniæ mutuo dare*) non autem ſumma in genere. Verum hodie in contractibus prævertitur omnis lis, expreſſo genere monetæ ac pretio: *ſolvam ducatos centum* libb. 6 : 4.

§. 591. *Si deponens rem cuſtodiendam, committit homini negligenti, quem negligentem eſſe novit, vel noſſe poterat, & res depoſita negligentia depoſitarii, vel perit, vel deterioratur; damnum inter deponentem, & depoſitarium dividendum, in ratione culpæ utriuſque.*

De depoſito apud negligentem.

Comparatio depoſiti cum commodato, quam affert Auctor, recta non videtur. Commodatarius enim de damno tenetur, quia in ejus gratiam & utilitatem res commodata eſt. In depoſito autem beneficium contractus ſolum deponentem afficit: Major eſt hujus culpa, quam qui commodat, ſi contrahit cum negligente, quem novit, cui credere non debebat: videtur hoc eſſe ipſi inſidiari, & periculum creare ſine ulla ipſius utilitate. Quidquid ergo jus externum cogat depoſitarium ſolvere pro jactura depoſiti, jus internum deponentem obſtringit depoſitario compenſare damnum, quod ipſi culpa ſua creavit.

§. 713. Quoniam mandatum facti turpis nullam producit obligationem; *ex mandato turpi nec mandatarius mandanti, nec mandans mandatario ad quicquam tenetur*; conſequenter . . . . *Si mandatarius mandatum non adimplet, mandanti non tenetur ad id quod intereſt mandatum adimpletum non fuiſſe, &, ſi adimplet, mandator eidem non tenetur*

ad

ad impenſas reſtituendas, damnumque quod incurrit occaſione mandati reſarciendum, ſeu eum indemnem præſtare non obligatur.

Verum hoc de contractu ipſo, qui neutrum obligat. Sed animadvertas velim, mandantem teneri alio nomine reſarcire damnum mandatarii, quem impulit ad turpe facinus, quod impenſas & alia damna peperit: lex conſcientiæ jubet hominem hunc nimis facilem indemnem præſtari. Nihilominus juſtæ ſunt civiles leges, quæ utrumque jure damnant & puniunt, nullam actionem mandatario relinquunt, quippe indigno, oportet autem homines arcere ab hujuſmodi mandatis recipiendis. *Utrum mandatum facti turpis obliget.*

§. 729. *Si quis per epiſtolam tibi mandat, tu vero non reſpondes, mandatum contrahitur.*

Auctor ita propoſitionem hanc probat: „ Cum per litteras mandatum „ accipis, ſi illud recuſas, reſpondere „ debes te recuſare. Si ergo ſiles, „ cum ſilere non debeas, ſilentio con„ ſenſum tuum ſignificas". Sed illud erat oſtendendum, debere me reſponſo ſignificare negationem; ita quidem, ſi cui jure parere debeo: tunc enim, ſi quid obſtat ne mandatum exſequar, ſignificare debeo: ſi enim ſileo, judicare merito debet, me obtemperaturum. Alias multo magis veroſimile videtur & æquum credere, eum qui mandatum ſuſcipit, epiſtolæ reſponſurum. Cum me nihil obſtringat ad mandatum ſuſcipiendum, quomodo ſilentium meum poteſt conſenſum meum ſignificare? quid homini vel ignoto, vel importuno, aliquando indigno, reſpondeam? Tantum ergo abeſt, ut ſilentium conſenſum arguat, ut potius repugnantiæ indicium eſſe poſſit. *Utrum, qui ſilet accepta mandati epiſtola, acceptare judicandus.*

Quoad Auctoris demonſtrationem, animadverti poteſt, ſilentium hoc non eſſe argumentum idoneum, ut quis conſenſum alterius præſumat, niſi forte manifeſtare teneatur diſſenſum ſuum. Aliter enim, etiamſi poſſit ac debeat etiam eloqui, cur aſſentientem potius quam diſſentientem dicas? Aliquem rogo ex. gr. utrum mihi equum vendere velit. Silet: ſilentium hoc nonne illum alienum potius, quam conſentientem teſtatur? At ſi inquis: *adſum contractum inchoatum abſoluturus ecce triginta aureos pro equo tuo*; aureos numero, equum abduco; ſilet; conſentit.

§. 817. *Si plures fidejuſſores ſimul promittunt, ita ut ſinguli teneri velint creditori in ſolidum; creditor eligere poteſt eum, a quo debitum exigat, quando principalis ſolvens nequit; unius ſolutione liberantur omnes, ceteri autem eidem ad nihil tenentur.*

Propoſitio vera eſt; ſed ideo, quia cum plures fidejuſſores in ſolidum promittunt, quiſque ſeorſum de toto ſpondet. Creditor ergo quemlibet ex illis conveniri poteſt, ceteri liberantur. Quoad demonſtrationem vide Animadverſiones meas §. 697. P. III. *De caſu plurium Fidejuſſorum.*

§. 1044. *Vitia rei, quæ in oculos non incurrunt vel aliunde nota non ſunt, emptori indicare tenetur venditor.*

An venditor teneatur indicare vitia rei viſibilia.

Recte; ſed quod addit Auctor n. 2. *nec venditor vitia rei, quæ in oculos incurrunt, emptori indicare tenetur.* Non eſt juſtum, niſi jure externo, & in vitio parvi momenti. Jus externum non tribuit poteſtatem emptori reclamandi, ne multiplicentur difficultates in negotiationibus quod commercium turbaret, & quia emptor ſeipſum culpare debet, ſi nimis incautus fuit. De vitio, inquam, parvi momenti intelligendus eſt Auctor in adnotat. cum ait, vitium viſibile præſumi ab emptore perſpectum. Nihilominus jure interno & conſcientiæ debet emptor vitia omnia indicare in re, quam vendit ſi vera & graviora ſunt. Imo jus ipſum externum ſi vitium grave eſt & rem fere inutilem reddit, poteſtatem tribuit emptori reclamandi; neque enim præſumi poteſt fuiſſe empturus, ſi vitium cognoviſſet. Ex. c. emptam capſulam fiſſura latente vitiatam reddere poſſum mercatori & illum cogere ut recipiat, modo oſtendam, illam fractam fuiſſe, antequam emerem.

§. 1095. *Si legi commiſſoriæ certus dies non fuit adjectus; naturaliter, vel ex poſtfacto adjiciendus, vel ſi de eo conveniri nequit, emptor ad ſolvendum pretium compellendus.*

De lege commiſſoria.

Nonne potius dicendum, venditionem fieri nullam, ex quo venditor pretium poſtulat emptor recuſat? Nam ſi ſtipulor contractum, fore nullum, niſi ſolvas, neque tempus præſcribitur, videtur hoc indicare, ſe ſolvere debere cum poſtulo, alioquin contractum fore nullum.

§. 1121. *Si contra pactum de retrovendendo res vendatur, venditio quidem valida manet, venditori tamen primo tenetur ſecundus ad id quod intereſt &c.*

De venditione facta contra jus retrovenditionis.

Huic judicio conſentire nequeo. *Emptor*, ait auctor, *promiſit venditori primo, ſe rem ei iterum venditurum, ſi eam redimere voluerit, non vero ſibi ademit jus eam alteri vendendi.* Hoc nequaquam concedo; neque enim emptor jus habebat rem alteri vendendi, niſi *ſalvo jure venditoris primi.* Neque res ei vendita fuit niſi ſub hac conditione, neque dominium plenum in rem habet durante pacto redemptionis, quod venditori primo invito eripi nequit. Mecum ſentit Auctor in propoſitione ſequente §. 1122. *Si pacto de retrovendendo adjiciatur pactum, ne liceat emptori quamdiu pactum de retrovendendo ſubſiſtit alii vendere rem, niſi ſalvo jure ſuo, vel prorſus non vendere; ſine conſenſu venditoris primi eam vendere nequit. Quod ſi vendiderit, venditori primo ſalvum manet jus ſuum redimendi.* Non erat opus diſtinguere. Obligatio eſt eadem, tacita in §. 1121. explicita §. 1122. nam in primo extat pluſquam ſimplex promiſſio, nempe reſervatio ex parte

ven-

venditoris, obligatio ex parte emptoris, quæ hujus proprietatem circumſcribunt. Si pactum retrovendendi eſſet adjectum extra contractum ipſum venditionis, aut poſtea adjectum, conſiderari poſſet ut ſimplex promiſſio; tunc autem ſententia auctoris vera eſſet.

§. 1152. *Si duæ res alternative vendantur, & emptor in mora fuerit, ne optio fiat; a die moræ periculum ad ipſum pertinet.*

Cui periculum, ſi emptor eſt in mora optionis.

Pro dimidio tantum harum duarum rerum videtur emptori periculum tribuendum. Si enim optaviſſet tempore præſcripto, rei alterius periculum ſpectabat ad venditorem. Sin dicas, fortaſſe eum venditurum fuiſſe tertio cuidam rem quæ remanebat, videndum, an emptoris mora revera impedimento fuerit. Quid? Nonne etiam reſponderi poteſt, venditorem libere vendere potuiſſe utramque rem, ex quo emptor ſuam eligere neglexit?

Hujuſmodi quæſtiones generatim judicari nequeunt: penſandæ circumſtantiæ peculiares, quæ judicia prorſus oppoſita aliquando poſtulant. Extra controverſiam eſt, damnum reparandum quod culpa propria illatum eſt. Nec difficile cognoſcere uter in culpa ſit; ſed difficilius decernere, quantum hæc culpa contulerit in damnum.

§. 1226. *Si conductori rem ſimilem & æque commodam præſtat locator, abſque ullo ipſius ſumptu; rem vendere, vel propriis uſibus neceſſariam illi adimere poteſt.*

An res locata vendi poſſit æquali ſubſtituta.

Veriſſimum eſt, conductorem recipere debere rem æquivalentem. Quiſque enim tenetur aliorum bonum promovere, quantum poteſt ſine proprio damno; ſed cogi poſſe a locatore dubito; quia ex auctoris principiis cuique concedenda eſt libertas judicandi quid ipſi conveniat. Si loco rei locatæ rem aliam exhibes, ipſe judicare debeo utrum permutatio hæc mihi conveniat, an damnoſa ſit; non potes ergo me cogere ut accipiam.

§. 1242. *Si locatio facta fuit ad tempus definitum, & conductor locatore non contradicente, ultra illud tempus re utatur; relocatio in modum anteriorem facta tacite intelligitur.*

Quomodo locatio tacite renovetur.

Hæc ſententia juſta eſt in omnibus partibus, excepto tempore. Æquius eſſe videtur, conductorem pretium ſolvere debere pro rata temporis, ſi res eſt ejus naturæ, ut ad quodlibet tempus locari poſſit. Si locator in tempus indefinitum non conſentiat, tempus ipſe præfiniat. Si agatur de fundo qui fructus affert, locatio cenſetur renovata in annum, quia talis eſt natura hujuſmodi locationum. Tetigi hoc argumentum ad §. 823. Part. III.

§. 1276. *Si operi, quod alteri locaſti, vel cœpto, vel jam confecto caſus quidam ſine omni culpa conductoris operis accidat: damnum tuum eſt: ſi vero vitio operis contingit damnum, conductor operis reſarcire tenetur.*

Niſi addatur conditio hæc: quod *opus ſit ex materia tua*, propoſitio hæc manifeſte pugnat cum §. 1268. ubi Auctor in Adnot. ait: *ſi aurifaber tibi facere debeat annulum ex auro ſuo, & eidem includere gemmam ſuam; hæc vero in ipſo actu incluſionis vitio materiæ frangatur; damnum utique fabri eſt;* nec tu pro operis fruſtraneis mercedem ullam ipſi ſolvere teneris. Ex ipſa demonſtratione patet Auctorem loqui de artifice a me conducto, ut pro me opus efficeret; atque ita ſententia juſta eſſet. Sed hic dicendum erat, *operas conducere*, non *opus locare*; quod aliud ſignificat: atque hæc phraſis potius congruebat exemplo aurifabri in adnot. §. 1068.

Quoties opificem conduco, ille non te-

tenetur niſi de culpa ſua, nomine meo operatur; quæque accidunt operi, ad me ſpectant.

Quod ſi opus aliquod loco, multa conſideranda ſunt, ut conſtet, cui damna contingentia conveniant. *Florentinus* & *Javolenus* a Wolfio laudati, judicare videntur ſecundum jus naturæ. Nam in contractu de toto opere, nihil opifici debeo, niſi opus perfectum exhibeat, hac enim conditione promiſi. At in contractu de opere in partes diſtributo, cum partes effectas ſemel probavi, cenſeor recepiſſe, debeoque pretium. Antequam approbem, cenſeri non poſſum recepiſſe, neque debere pretium ſi pereant niſi forte *in mora* deprehendar. Ex. c. in Inſula deſerta fabrum lignarium invenio cum famulis ſuis; contractum cum ipſo ineo, ut navigium mihi conſtruat pretio pacto. Si fulmen navigium comburat, antequam perfectum fuerit, ac traditum; jactura ad fabrum ſpectat. Quod ſi in eadem inſula ei præceperim elaborandos centum malos, pacto pretio pro ſingulis, inſpectore meo nomine ibi relicto; ſolvere debeo pretium omnium malorum, quos inſpector probaverit, etiamſi caſu pereant, antequam omnes centum confecti fuerint.

Si quis artifex domi meæ opus conficit, aut ædibus adnexum, aut fundo aptatum, damnum fortuitum in me unum cadit; quia opus meum eſt, meque ſpectat in toto progreſſu ſuo; *res autem perit domino*. Sin artifex domi ſuæ, aut alibi, vel etiam in cubiculo meo ipſi ad hunc uſum commodato, conficit opus avulſum, quod tradere mihi debet perfectum cum ſit; ex. gr. aurifaber, cui vas metallicum mandaverim; damnum fortuitum ipſum totum tangit ſi materiam propriam elaborat; pro operis autem ſolius damnum, ſi materia eſt mea; quia ſemper *res perit domino*.

Ad hujuſmodi quæſtiones ſolvendas, regulam ſuppeditat §. 1278. Explorandum, utrum quæſtio redigatur ad contractum emti venditi, an locati: ibi enim fortuita artificem afficiunt, donec opus tradiderit.

§. 1416. *Si quis pecuniæ ſuæ uſu vix tantundem lucrari poteſt quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit: uſuræ illicitæ ſunt.* §. 1417. *Si quis uſuris maxime indigeat, pecuniæ ſuæ uſum concedere non debet ei qui eadem vix tantundem lucrari poteſt, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit.*

An liceat pecuniam tradere pauperi qui pecunia mutua parum lucrari poteſt.

Ex his multa incomoda conſequerentur; pauperes enim omni auxilio deſtituerentur. Videtur potius curandum, ut concilientur officia erga ſe, & in humanitatem. Judicari nequit, ſpectato ſolo jure naturæ, non licere uſuram recipere pecuniæ pauperi traditæ, qui eadem id tantum lucrari poteſt, quod ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit ex. c. ſunt mihi mille argentei nummi, ex quibus quinquaginta annuos lucrari volo, quibus revera indigeo ut vivam. Judicio tuo non licet mihi illos tradere alicui, ut mihi quinquaginta ſolvat dum ipſe iis lucraretur centum, quibus indiget ut vivat. Curnam? poſtquam enim mihi cenſum quinquaginta ſolvit, nonne adhuc reliquos habet quinquaginta, quos ſine pecunia mea non habuiſſet? Fingamus hominem hunc pecunia dupla lucrum duplum facturum. Ergo alter ipſi alios mille tribuat eodem pacto. Ducentos lucrabitur in annum, atque ita centum pro ſe ſervabit; ipſe vitæ ſuæ conſulet, noſque lucrum juſtum conſequemur. Quis actionem hanc audeat damnare, conſulto naturæ lumine? Ergo propoſ. 1416. conſtare nequit, niſi fingamus, hominem majorem pecuniam, quam ipſi ſuppeditare poſſum, negotiari non poſſe, aut ab altero accipere poſſe ſine cenſu. Tunc, ſi pecunia mea indigeo, divitibus curam relinquam mutui dandi ſine cenſu; nam dives proculdubio debet indigentibus opitulari.

JURIS

JURIS NATURÆ

PARS QUARTA.

De Actibus ad aliorum utilitatem tendentibus in ſpecie, ubi de donationibus, contractibus & quaſi contractibus.

CAPUT PRIMUM.

De Actibus mere beneficis, qui in præſens abſolvuntur, ubi etiam de Donationibus.

§. 1.

OMnes actus aliis utiles vel in dando, vel in faciendo conſiſtunt. Introductis enim rerum dominiis, homo non habet, quod ſuum eſt, niſi res tam corporales, quam incorporales, quæ ſunt in dominio ipſius (§. 216. *part.* 2. *Jur. nat.*), & actiones liberas, quæ rebus in dominio ipſius exiſtentibus æquipollent (§. 436. *part.* 2. *Jur. nat.*). Nullus itaque concipi poteſt actus humanus, quo alterius utilitatem promovere poſſit, niſi ut in alterum vel dominium rei cujuſdam ſuæ ſive corporalis, ſive incorporalis transferat, conſequenter aliquid det (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), aut ut in gratiam alterius quid faciat. Quamobrem actus omnes aliis utiles vel in dando, vel in faciendo conſiſtunt. *Quales ſint actus aliis utiles.*

Oſtendimus hominem alteri ſeſe obligare non poſſe niſi ad dandum, vel faciendum eodem modo (§. 358. *part.* 3. *Jur. natur.*). Sive igitur actus quidam in præſens abſolvatur, ſive ad eundem te obliges ut in futurum promineat; aut is in dando, aut in faciendo conſiſtere debet.

§. 2.

Actus ſimplices ſunt, qui reſolvi nequeunt in plures, quorum unus abſque altero, vel ceteris eſſe poteſt. *Compoſiti* vero ſunt, qui in plures reſolvi poſſunt, quorum unusquiſque per ſe ſubſiſtere poteſt. *Actus ſimplices & compoſiti.*

Ex. gr. Si rem tuam alteri juſto pretio vendis, actus ſimplex eſt: eſt etiam actus ſimplex, ſi alteri rem quandam dones. Enimvero ſi ſciens rem minore pretio vendis, partem ejus remittendo: actus compoſitus eſt ex venditione & donatione. *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 12. §. 1. & ſeqq. actus humanos aliis utiles accurate a ſe invicem diſtinguit, quem adeo ſequimur, niſi quod definitiones addamus ab eo prætermiſſas.

§. 3.

Actus beneficus quinam ſit.

Actus beneficus eſt actus ſimplex, ex quo unus tantummodo percipit utilitatem quandam, alter vero nihil viciſſim recipit.

Ex. gr. Si tibi concedo uſum rei meæ ad certum tempus, actus hic beneficus eſt. Tu enim ex eo ſolus percipis utilitatem, ego autem nihil viciſſim recipio. Similiter ſi tibi dono nummum aureum, tuum ſolum eſt lucrum; ego autem inde nihil lucror.

§. 4.

Actus mere beneficus quinam.

Actus mere beneficus eſt, cui nulla adhæret obligatio perfecta.

Ex. gr. Donatio eſt actus mere beneficus. Etenim ſi tibi nummum aureum dono, tu mihi ad nihil præſtandum perfecte obligaris, actu abſoluto: neque enim mihi competit jus aliquod te ad quidpiam faciendum compellendi, quia tibi nummum iſtum dedi.

§. 5.

Actus beneficus obligatorius.

Actus beneficus obligatorius eſt, cui mutua adhæret obligatio perfecta.

Ex. gr. Si tibi concedo uſum rei meæ ad certum tempus, ego obligatus ſum ad permittendum, ut res iſta tamdiu ſit in poteſtate tua, quamdiu eam tibi utendam dedi; tu vero mihi obligatus es finito uſu ad eam integram & incorruptam reſtituendum, ut alia jam taceamus ſuo loco uberius demonſtranda. Quamobrem commodatum eſt actus beneficus obligatorius.

§. 6.

Actus permutatorius.

Actus permutatorius eſt actus ſimplex, quo utraque pars ad onus quoddam, ſeu aliquid dandum, vel faciendum adſtringitur. *In actibus* adeo *permutatoriis res & facta invicem permutantur.*

Ex. gr. Emtio venditio eſt actus permutatorius: venditor enim obligatur ad tradendam rem emtam; emtor vero ad ſolvendum pretium.

§. 7.

Actus diremtorius quinam ſit.

Actus diremtorius eſt actus permutatorius, qui ſeparatam utriusque partis reſpicit utilitatem præſtationibus peculiaribus obtinendam. Quoniam itaque eodem adimpleto unuſquiſque eam conſecutus eſt utilitatem, quam præſtatione alterius obtinendam intenderat; *actu diremtorio adimpleto nihil amplius negotii inter contrahentes reliquum eſt.*

Ex. gr. Actus diremtorius eſt emtio venditio. Aliud enim eſt commodum emtoris, aliud venditoris. Emtor vult habere rem; venditor pecuniam. Adimpletur contractus, ubi emtor pretium ſolvit; venditor rem tradit, ut de ea pro arbitrio ſuo diſponere poſſit emtor. Quodſi utrumque fuerit factum, nihil amplius negotii eſt emtori cum venditore.

§. 8.

§. 8.

Actus communicatorius eſt actus permutatorius, in quo per præſtationes communes intenditur communis quædam utilitas. Quoniam adeo actus hic adimpletur, dum ſinguli contrahentes præſtant id, ad quod præſtandum tenentur; *adimpletio actus communicatorii in eo conſiſtit, ut inter contrahentes intercedat aliquod negotium.* *Actus communicatorius quinam ſit.*

Ex. gr. Actus communicatorius eſt ſocietas, qua unus pecuniam, alter operam confert ad commune lucrum obtinendum. Quamdiu hæc durat; aliquod negotium inter ſocios intercedit: quod ſuo loco diſtinctius explicabitur.

§. 9.

In actibus diremtoriis vel do ut des, vel do ut facias, ſeu facio ut des, vel facio ut facias. Omnes enim actus aliis utiles vel in dando, vel in faciendo conſiſtunt (§. 1.). Quamobrem cum actus diremtorii ſint permutatorii (§. 7.), in his autem utraque pars ad aliquid dandum, vel faciendum obligatur (§. 6.); in actibus diremtoriis quoque pars utraque aliquid alteri dare, vel facere tenetur. Et quia in his actibus ſeparata ſpectatur utilitas præſtationibus peculiaribus obtinenda (§. 7.); pars una præſtat, quod debet, ut viciſſim alter præſtet, quod ipſe debet. Quamobrem cum præſtationes omnes in dando, vel faciendo conſiſtant (§. 80. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter aut pars utraque aliquid dare, vel facere, aut una dare, altera facere debeat; in actibus diremtoriis, vel do ut des, vel do ut facias, ſeu facio ut des, vel denique facio ut facias. *Differentia actuum diremtoriorum.*

Non habent homines niſi res ſive corporales, ſive incorporales, aut facta, quæ invicem permutare poſſunt. Quando igitur alteri gratis dare, vel facere non vis, aut res cum re, aut factum cum facto, aut res cum facto permutari debet. Atque adeo contractus do ut facias & facio ut des non parit differentiam, cum ex eo unus ad dandum, alter ad faciendum ſit obligatus, cum in ceteris pars utraque ad dandum, vel ad faciendum obligetur. Quodſi dicas ſi do ut facias, dans ſum autor contractus; ſi facio ut des, faciens ſum ejuſdem autor; hæc differentia hic attendenda non eſt, cum nullum producat effectum juris, obligationibus ac juribus ex contractu prognatis in utroque caſu manentibus iiſdem, ut adeo perinde ſit, ſive dans, ſive faciens ſit autor contractus, quemadmodum perinde eſt in contractu emtionis venditionis, ſive emtor, ſive venditor contractus autor ſit.

§. 10.

Dari poteſt res tam corporalis, quam incorporalis, uſus rei tam nudus, quam cum fructu conjunctus, & pecunia. Dare enim eſt dominium rei ſuæ transferre in alterum (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum res ſint vel corporales, vel incorporales (§. 496. 497. *part. 1. Jur. nat.*) & res etiam incorporales in dominio ſint (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*); tam res corporales, quam incorporales dari poſſunt. *Quod erat primum.* *Quænam dari poſſint*

Jam vero dominium comprehendit jus utendi & fruendi (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter tam uſus nudus, quam cum fructu conjunctus ſpectari poteſt tanquam res, quæ eſt in dominio tuo. Quamobrem cum res quælibet tam corporalis, quam incorporalis dari poſſit *per demonſtrata:* uſus etiam rei tam nudus, quam cum fructu conjunctus dari poteſt. *Quod erat ſecundum.*

Denique rerum pretia definiuntur pecunia, quemadmodum deinceps oſtendemus, & hinc tanquam in vulgus notum ſumi poteſt, ut adeo ſit res corporalis, quæ vice rerum omnium aliarum tam corporalium, qum incorporalium fungitur. Cum adeo ſit res corporalis, quæ in dominio perinde eſt ac res cor-

porales ceteræ; res autem corporales dari poſſint *per demonſtrata* ; pecunia etiam dari poteſt. *Quod erat tertium*.

Qui alteri dat uſum rei nudum, eidem revera concedit jus utendi re ſua, & qui dat uſum rei cum fructu conjunctum, eidem concedit jus re ſua utendi & fruendi, adeoque in utroque caſu dat rem incorporalem. Pecunia vero cum res corporalis ſit, quæ hunc habet uſum, ut pretia aliarum rerum eadem definiantur, adeoque res quæcunque aliæ ſive corporales, ſive incorporales pro eadem comparari poſſint; pecuniam dare eſt rem corporalem dare. Dare igitur rem includit dationem uſus tam nudi quam cum fructu conjuncti, atque pecuniæ. Hic tamen conſultius eſt dationem rei, uſus & pecuniæ, tanquam diverſas dationis ſpecies ſpectari. Quando vero hic rem ſimpliciter dicimus, tam corporalem, quam incorporalem intelligimus. Similiter quando ſimpliciter dicimus uſum, tam nudum, quam cum fructu conjunctum intelligimus. Ita enim ſuadet brevitatis loquendi ſtudium.

§. 11.

Quot modis detur, ut des.

Quoniam dari poteſt res tam corporalis quam incorporalis, uſus rei tam nudus, quam cum fructu conjunctus & pecunia (§. 10.); *ſi do ut des, aut do rem pro re, aut uſum rei pro uſu rei, aut pecuniam pro pecunia, aut rem pro uſu rei, aut rem pro pecunia, aut uſum rei pro pecunia.*

Hinc determinantur diverſæ ſpecies actus diremtorii do ut des; de quibus in ſequentibus diſtinctius dicetur.

§. 12.

Quot modis facias, ut detur.

Eodem modo intelligitur: *ſi facio, ut des, me facere, ut des vel rem, vel pecuniam, vel uſum rei.*

Quoniam actus diremtorius do ut facias non differt ab actu facio ut des (*not.* §. 9.); nec opus eſt hic diſtingui tanquam actus peculiares, quibus do vel rem, vel pecuniam, vel uſum rei, ut facias.

§. 13.

Communicatio factorum & pecuniæ.

Facta & res ſive pecuniam inter ſe communicare dicuntur, qui eandem conferunt ad communem quandam utilitatem: ut adeo *facti & rei ſeu pecuniæ communicatio* ſit ejuſdem ad communem utilitatem collatio.

Ex. gr. Si in ſocietate negotiatoria unus conferat operam, alter pecuniam; ſocii operam & pecuniam inter ſe communicare dicuntur, quia præſtatio unius reſpicit non modo utilitatem propriam, verum etiam utilitatem alterius; nempe utrique communem, ut adeo opera pariter & pecunia fiat communis, non maneat uni propria.

§. 14.

Actuum communicatorium diverſitas.

In actibus communicatoriis vel facta, vel res ſive pecunia, vel hinc res, inde facta communicantur. Etenim in actibus communicatoriis per præſtationes communes intenditur communis quædam utilitas (§. 8.), adeoque contrahentes vel quid faciunt, vel quid dant, vel unus facit, alter dat communis utilitatis obtinendæ gratia (§. 80. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque facta & res ſive pecunia communicantur, quando ad communem quandam utilitatem conferuntur (§. 13.); in actibus communicatoriis vel facta, vel res, ſive pecunia, vel hinc res, inde facta communicantur.

Habemus adeo principium, quo actus communicatorii a ſe invicem diſcernuntur, eorumque diverſæ ſpecies determinantur; prouti ex ſequentibus conſtabit luculentius.

§. 15.

§. 15.

Actus benefici obligatorii aut diſponunt de re ſine alienatione, aut de facto. Et- enim omnes actus aliis utiles vel in dando, vel in faciendo conſiſtunt (§. 1.). Quamobrem benefici etiam obligatorii aut in dando, aut in faciendo conſiſtere debent. Enimvero ex actu benefico unus tantummodo percipit utilitatem, alter vero nihil viciſſim recipit (§. 3.) & mere benefico nulla adhæret obligatio perfecta (§. 4.). Quamobrem res ipſa dari nequit actu, qui mere beneficus non eſt, conſequenter qui obligatorius eſt (§. 5.). Quoniam itaque uſus etiam rei dari poteſt (§. 10.) & quando hic datur, res non alienatur (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*); actus beneficus obligatorius de re aliter diſponere nequit, quam ſine alienatione, hoc eſt, nonniſi de uſu rei. Patet itaque actus beneficos obligatorios diſponere de re ſine alienatione, aut de facto quodam. *Actuum beneficorum obligatoriorum differentia.*

Ex. gr. In commodato uſus rei gratis conceditur commodatario: quem actum obligatorium beneficum eſſe ſupra annotavimus (*not.* §. 5.). In eo igitur diſponitur de re ſine alienatione. Enimvero in depoſito, quem itidem actum beneficum obligatorium eſſe ſuo loco oſtendetur, diſponitur de opera in re cuſtodienda præſtanda, adeoque de facto quodam.

§. 16.

Actus mere beneficus aut in præſens abſolvitur, aut in futurum prominet. Actus enim beneficus omnis cum unius ſaltem reſpiciat utilitatem (§. 3.), idemque vel in dando, vel in faciendo conſiſtat (§. 1.); aut alteri ſtatim aliquid damus, vel in commodum ipſius facimus, aut ad id dandum, vel faciendum nos obligamus. Quoniam itaque ex actu mere benefico nulla naſcitur obligatio perfecta (§. 4.); ſi alteri ſtatim quid damus, vel in ejus commodum facimus, nihil inde viciſſim recepturi, actus mere beneficus in præſens abſolvitur. Quodſi vero ad actum mere beneficum nos alteri obligemus, conſequenter eundem promittamus (§. 393. *part.* 3. *Jur. natur.*), cum quod promittitur ſit dandum, vel faciendum (§. 430. 431. *part.* 3. *Jur. nat.*), actus mere beneficus in futurum prominet. Atque adeo patet, actus mere beneficos aut in præſens abſolvi, aut in futurum prominere. *Actuum mere beneficorum differentia.*

De promiſſionibus cum prolixe admodum egerimus in parte tertia Juris naturæ c. 4. quæ de actibus mere beneficis in futurum prominentibus, tanquam promiſſionibus dandi & faciendi, tenenda ſunt, ibidem jam demonſtravimus. Quamobrem hic loci tantummodo nobis agendum de iis, qui in præſens abſolvuntur. Quamvis enim *Grotius* lib. 2. c. 12. §. 2. hoſce actus ex Jure naturæ proſcribere videatur: id tamen minime obſtat, quo minus de iis hic agamus. Etenim *Grotius* de Jure potiſſimum perfecto agit, omiſſis iis, quæ ad officia humanitatis unice ſpectant; conſequenter cum actus mere benefici, qui in præſens abſolvuntur, nullam pariant obligationem perfectam, qua pars una alteri tenetur, adeoque nullum habeant effectum juris, quæ de iis traderet non habebat. Enimvero cum nos Juri naturæ omnem ſuam tribuamus latitudinem, quam habet, ipſum vero hoc Jus etiam regat actus mere beneficos, qui in præſens abſolvuntur; a nobis etiam demonſtranda veniunt, quæ legi naturæ circa iſtos actus conveniunt.

§. 17.

Actus mere beneficus, qui in præſens abſolvitur, dicitur *Beneficium*: quando enim in futurum prominet, promiſſio benefica, ſive liberalis eſt. Quoniam itaque actus omnes aliis utiles tam in dando, quam in faciendo conſiſtunt (§. 1.); *beneficia* quoque *tam in dando, quam in faciendo conſiſtunt.* *Beneficium quid ſit.*

Ex. gr. Do tibi decem aureos ut nihil viciſſim mihi des, vel facias: erit datio beneficium. Similiter deſcribo tibi aliquod MSC. ut tu viciſſim nihil mihi des, vel facias; factum hoc etiam beneficium erit. Commendo te Patrono, ut muneri publico præficiaris; erit hæc commen-

mendatio beneficium. Averto a te periculum, quod tibi imminebat, nec ſine ope mea evitare poteras: averſio periculi beneficium erit. *Seneca*, qui prolixe de beneficiis commentatus eſt, lib. 1. c. 6. de Benef. definit beneficium, quod ſit *benevola actio tribuens gaudium, cupienſque tribuendo in id, quod facit, prona & ſponte ſua parata.* Enimvero definitio hæc manca eſt, cum per hoc quod gaudium tribuat & tribuendo cupiat, non ſatis diſtinguatur actus, qui ad beneficium referendus, ab actibus aliis. Sane differentia beneficii ab aliis actibus hoc potiſſimum diſtinguitur, quod pro eo, quod das vel facis, nihil viciſſim recipis, nec alterum velis ad quid tibi eſſe obligatum, atque adeo actus ſit mere beneficus (§. 4.). Gaudium vero ex beneficio conſequitur, nec propterea actus aliquis beneficium eſſe deſinit, quia gaudium non conſequitur. Equidem non ignoro, vi hujus definitionis multos actus in numerum beneficiorum referendos eſſe, qui vulgo pro beneficiis non habentur; non tamen hinc ſequitur, definitionem eſſe latiorem ſuo definito. Beneficium enim non ideo eſſe deſinit, quod ab accipiente non agnoſcatur, cujus notionem confuſam præconceptæ quædam opiniones obnubilant. Sufficit non alia adeſſe in iis actibus, qui beneficia dicuntur ab omnibus, ob quæ pro talibus habentur, quam quæ in definitione noſtra adſunt.

§. 18.

Gratis dare vel facere quid ſit.

Gratis dare vel facere dicitur, qui pro eo, quod facit, vel dat, ab altero nihil viciſſim recipit. Hinc *gratuitum* dicitur quod gratis præſtatur. Quoniam ex actu benefico unus tantummodo percipit utilitatem quandam, alter vero nihil viciſſim recipit (§. 3.); *actus* quoque benefici a nonnullis *gratuiti* appellari ſolent.

§. 19.

Beneficia eſſe gratuita.

Beneficia dantur gratis. Sunt enim actus benefici & tam in dando, quam faciendo conſiſtunt (§. 17.), conſequenter qui beneficium dat, pro eo, quod facit, vel dat ab altero nihil viciſſim recipit (§. 3.). Sed gratis dat vel facit, qui pro eo, quod facit, vel dat, ab altero nihil viciſſim recipit (§. 10.). Beneficia itaque gratis dantur.

Cum beneficio adeo non conſiſtit animus lucrandi. Qui alteri dat, vel facit eo animo, ut plura & majora ab eo recipiat, utut norit eundem ſibi ad dandum vel faciendum ſuo actu non fuiſſe obligatum: is beneficium dare non dicendus eſt, ſed dicendum potius eum ſibi conciliare ſtudere alterius amorem, ut ab eodem beneficia accipiat. Aliud omnino eſt dare beneficium; aliud eſt beneficii conſequendi gratia aliquid facere: ſit ita quod ſpes fallere poſſit, neque enim ſemper homines utuntur medio, quo finem intentum certo conſequuntur. Manet actus tuus, quo lucrandi animo quid præſtatur, medium parandi beneficium, utut ſpe tua excidas.

§. 20.

Benefactor & Beneficiarius quinam dicatur.

Benefactor dicitur, qui beneficium dat: *Beneficiarius* autem, qui beneficium accipit. Quoniam beneficium tam in dando, quam in faciendo conſiſtit (§. 17.) & gratis datur (§. 19.); *qui alteri gratis dat vel facit, quod utile eidem eſt, benefactor eſt.*

Nimirum hic nobis non ſermo eſt niſi de actibus ad aliorum utilitatem tendentibus. Unde & beneficia non intelliguntur niſi de iſtiuſmodi actibus. Quæ enim homini utilia non ſunt, ſed talia, ut nullum prorſus uſum habere poſſint; ea nec beneficiorum materiam præbent. Dico materiam, neque enim quæ dantur, aut quæ ex facto ſuperſunt, pro beneficiis habenda. Ex. gr. Do tibi decem aureos: non decem aurei, quos accipis, beneficium ſunt; ſed actus dationis gratuitus, qui proficiſcitur ex animo benevolo.

§. 21.

Beneficiorum materia.

Omnis actus, quo ad alterius bona quæcunque, ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ, quid gratis conferimus, vel malum quoddam animi, corporis ac fortunæ

ab altero avertimus, beneficium eſt. Omne enim beneficium eſt actus beneficus (§. 17.), conſequenter alteri utilis (§. 3.). Quamobrem cum actiones aliorum nobis non ſint utiles, niſi quatenus vel ad bonum quoddam animi, corporis aut fortunæ quid conferunt, aut malum quoddam avertunt, hominibus non appetentibus niſi bonum (§. 904. *Pſych. empir.*), nec averſantibus niſi malum (§. 907. *Pſych. empir.*); beneficia conſiſtere debent in iis actibus, quibus ad bona animi, corporis aut fortunæ aliorum quidpiam conferimus, vel mala ab iiſdem avertimus. Enimvero dantur gratis (§. 18.). Quamobrem omnis actus, quo ad bona alterius quæcunque, ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ, gratis quid conferimus, aut mala iiſdem oppoſita ab eo avertimus, beneficium eſt.

n Habemus hic omnem beneficiorum materiam, ut adeo in quocunque caſu beneficia agnoſci haud ſit difficile, modo bona apparentia a veris diſcernere noveris, ne pro benefactore habeas ſeductorem: id quod haud raro accidere ſolet.

§. 22.

Ad generalia principia revocatur.

Quoniam illud bonum eſt, quod nos ſtatumque noſtrum perficit (§. 554. *Pſych. empir.*), malum vero, quod nos & ſtatum noſtrum imperfectiorem reddit (§. 565. *Pſych. empir.*), actus vero omnis beneficium eſt, quo ad alterius bonum quodcunque gratis quid confertur, vel malum quodcunque ab altero gratis depellitur (§. 21.); *actus omnis beneficium eſt, quo perfectionem alterius ac ſtatus ejuſdem quomodocunque gratis promovemus, aut imperfectionem præcavemus.*

Ut naturalis obligatio beneficia in alios conferendi pateat; conſultum fuit notionem beneficii ad notiones generales revocari, prouti mox clarius eluceſcet. Immo hæc reductio hunc etiam habet uſum, ut beneficiorum rationem omnem intimius perſpiciamus & quid de iis ex vero dicatur dijudicetur. Ex. grat. *Seneca* (*not.* §. 17.) beneficium appellat actionem benevolam, quæ tribuit gaudium capitque tribuendo. Ex vero dici, quod tribuat gaudium & tribuendo capiat, ex notionibus, ad quas beneficium revocavimus, generalibus ſtatim patet. Etenim beneficio aut noſtra ſtatuſque noſtri promovetur perfectio, aut avertitur a nobis imperfectio quædam. In caſu priori habemus ſenſum perfectionis, adeoque voluptas in nobis excitatur (§. 511. *Pſychol. empir.*), in cujus prædominio gaudium conſiſtit (§. 614. *Pſych. empir.*). In poſteriori nos à malo liberatos intuemur, conſequenter gaudium denuo oritur (§. 855. 856. *Pſychol. empir.*). Hoc pacto beneficium tribuit gaudium. Enimvero cum agentis intentio non alia ſit, quam ut perfectio alterius promoveatur, aut imperfectio quædam præcaveatur; ideo actui benefactoris etiam ineſt cupiditas gaudii beneficiarii (§. 810. *Pſych. empir.*). Vides, quomodo mea mihi proſint ad aliena intelligenda, quemadmodum alias me monuiſſe memini, quod mea mihi profuerint ad dicta *Confucii* intelligenda, ut in iis deprehenderim, quæ nemo alius ante pervidere poterat, & quod eadem profuerint ad ea, quæ a *Leibnitio* ænigmatice dicta videbantur, clariſſime inſpicienda. Si quis noſtris eodem modo uti voluerit, is non ſine utilitate, nec ſine jucunditate verſabitur in lectione autorum veterum, ut ſapientiæ antiquæ acquirat pleniorem notitiam. Niſi enim luce notionum diſtinctarum colluſtrentur dicta veterum, eorum mentem ut rite, immo intime perſpicias, fieri haud quaquam poteſt. Quodſi quis opus de verborum ſignificatu in Jure Romano, quale adhuc deſiderari diximus (*not* §. 795. *part.* 3. *Jur. natur.*), immo Theſaurum linguæ Latinæ, in quo omnium vocabulorum & dictionum ſignificatus ad notiones diſtinctas atque determinatas revocandus, conſcribere vellet; is noſtris perſpicillis eodem modo uti poterat ad aliena pervidenda, ut de genuino ſignificatu nullum reſtet dubium detracto eo, quod inconſtantia loquendi ſubinde adjecit, vel immutavit.

§. 23.

Naturalis beneficia obligatio.

Naturaliter homines ſibi invicem obligantur ad beneficia mutua, quantum in poteſtate eſt. Etenim naturaliter obligamur ad omnem faciendum uſum facultatum noſtrarum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum hominum aliorum & ad arcendum omnem imperfectionem ab eorum anima, & corpore & ſtatu requiritur, quatenus id abſque neglectu officii erga ſeipſum fieri poteſt (§. 609. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter ad perfectionem aliorum ac ſtatus eorundem promovendam, imperfectionem autem arcendam conferre debemus,

quan-

quantum in poteſtate noſtra eſt (§. 175. *part.* 1. *Jur. nat.*). Et quoniam lex naturæ ſimpliciter hoc præcipit, non ſub conditione aliquid pro eo ab altero viciſſim recipiendi, gratis vero præſtatur id, pro quo ab altero nihil viciſſim recipis (§. 18.); ſtudium promovendi aliorum perfectionem ac præcavendi im. perfectionem gratuitum eſſe debet. Enimvero actus omnis beneficium eſt, quo perfectio alterius ac ſtatus ejuſdem quomodocunque gratis promovetur, aut imperfectio præcavetur (§. 22.). Atque adeo patet, naturaliter homines ſibi invicem obligari ad beneficia mutua, quantum in poteſtate eſt.

Natura res omnes communes ſunt (§. 29. *p.* 2. *Jur. nat.*), & eorum uſus proportionatur uniuſcujuſque indigentiæ (§. 33 *part.* 2. *Jur natur.*). Et quemadmodum in communione primæva omnibus laborandum communis utilitatis gratia (§. 41 *part.* 2. *Jur. nat.*); ita etiam facta hominum utilia communia ſunt & debentur quæcunque a quocunque indigenti iiſdem. Nihil adeo natura conſtituit mercenarii, ſed omnes actus hominum aliis utiles fecit gratuitos, ſeu mere beneficos, conſequenter nonniſi ad mutua beneficia ſibi invicem obligavit, quantum nimirum in poteſtate uniuſcujuſque eſt. Status adeo originarius nonniſi mutuis beneficiis ſubſiſtere poterat ac debebat, in quo ſola charitas regebat omnes hominum actiones reſpectu aliorum.

§. 24.

Qualia ſint beneficia in communione primæva. *In communione primæva non datur beneficium, niſi quod in faciendo conſiſtit.* In eadem enim nemini præter uſum rerum corporalium neceſſarium jus quoddam competere poteſt (§. 21. *part.* 2. *Jur. nat.*), & uſus hic unicuique patet, prout cuique opus eſt (§. 27. *part.* 2 *Jur. nat.*). Quamobrem nullum tibi competit jus in re aliqua, quod in alterum transferre poſſes, conſequenter nil habes, quod dare potes (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque beneficia tam in dando, quam in faciendo conſiſtunt (§. 17.); in communione primæva non datur beneficium, niſi quod in faciendo conſiſtit.

Non eſt, quod excipias, dari etiam poſſe nudum rei uſum (§. 10.) conſequenter cum uſus rerum corporalium homini competat in communione primæva (§. 21. *part.* 2 *Jur. natur.*), beneficia in eadem quoque conſiſtere poſſe in dando uſu rei: etenim uſus hic unicuique natura competit, non demum dandus.

§. 25.

Beneficia num ſint debita. *Beneficia ex parte benefactoris ſunt naturaliter debita.* Etenim benefactor naturaliter obligatur ad beneficium dandum, quando in poteſtate ipſius eſt (§. 23.). Enimvero ad quod naturaliter obligamur, id naturaliter debitum eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem beneficia naturaliter debita ſunt ex parte benefactoris.

Quia beneficia dantur gratis (§. 19.), multi in ea ſunt opinione, quaſi beneficia non debeant aliis, ſed quod libertimæ voluntatis ſit, utrum beneficium in alium conferre velint, nec ne. Sed quam a veritate aliena ſit hæc opinio, ex demonſtratione præſente liquet; quantum vero obſtet virtuti, ſuo patebit loco.

§. 26.

Quale ſit debitum benefactoris quale jus beneficiarii. Quoniam quod naturaliter debetur, id nonniſi imperfecte debetur (§. 402. *part.* 3. *Jur. nat.*), *beneficia* autem a benefactore naturaliter debentur (§. 25.); eadem quoque *a benefactore nonniſi imperfecte debentur*, conſequenter cum ad imperfecte debitum nonniſi jus imperfectum competat (§. 401.), *beneficiario ad beneficium nonniſi jus imperfectum competit.*

§. 27.

§. 27.

An ad beneficium dandum quis cogi poſſit.

Quoniam beneficiario ad beneficium nonniſi jus imperfectum competit (§. 26.), jus vero imperfectum non continet jus cogendi alterum, ubi obligationi, quæ eidem reſpondet, ſatisfacere noluerit (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *Beneficiario non competit jus cogendi benefactorem ad beneficium dandum*, ſeu *ad dandum beneficium nemo cogi poteſt.*

Equidem nemo eſt, qui non agnoſcat ad dandum beneficium neminem cogi poſſe; non tamen quilibet rationem perſpicit, cur coactioni non ſit locus. Plerique exiſtimant, quia beneficia dantur gratis, ideo liberum eſſe unicuique, num dare velit, an nolit, conſequenter eum non poſſe cogi. Sed hunc errorem jam ante notavimus (*not.* §. 25.), etſi alio fine. Perfecte etiam deberi poſſunt, quæ gratis dantur, nimirum ex pacto, quod ſint promiſſa.

§. 28.

An denegatio beneficii ferenda.

Quoniam ad dandum beneficium nemo cogi poteſt (§. 27.); *ſi beneficium tibi denegatur, hoc ferendum eſt.*

Nimirum vi libertatis naturalis benefactoris arbitrio relinquendum, utrum dare velit, an nolit (§. 156. *part.* 1. *Jur. natur.*), nec is rationem reddere tenetur beneficiario, cur deneget.

§. 29.

A cujuſnam arbitrio dependeant beneficia.

Similiter quia ad dandum beneficium nemo cogi poteſt (§. 27.); *benefactor beneficia dat ſua ſponte, & ipſius arbitrio vi libertatis naturalis relinquendum, cuinam beneficium dare velit.*

Hæc quidem obtinent jure externo, quod ex jure libertatis naturalis originem ſuam deducit (§. 395. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem benefactor non ſemper recte dat beneficium; ſed fieri poteſt, ut dando peccet, etiamſi hoc faciat impune (§. 418. *p.* 3. *Jur. nat.*). Haud raro itaque beneficia dantur indignis, denegantur dignis, ut alii eadem mereantur, alii accipiant. Interna autem juſtitia exigit, ut dentur dignis, nec denegentur niſi indignis, & in diſpenſandis beneficiis rite perpendantur merita: quod quomodo fiat, ex iis intelligitur, quæ ſequuntur.

§. 30.

Quibuſnam debeantur beneficia.

Beneficium merentur, qui eodem indigent, aut ipſi acquirere non valent, quæ dat, nec facere poſſunt, quæ facit benefactor. Etenim beneficium meretur, cui jus imperfectum ad hoc competit (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quale beneficiario competere conſtat (§. 26.). Enimvero naturaliter nemo habet jus petendi ab altero, ut ea ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui conferat, quæ ipſemet facere poteſt (§. 233. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec quiſquam ad ea conferenda alteri obligatur (§. 232. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter cum beneficium conſiſtat in actu, quo perfectionem alterius & ſtatus ejuſdem promovemus, aut imperfectionem præcavemus (§. 22.), nemini jus eſt ad beneficium, qui ipſemet acquirere valet, quod dare debet alter, vel facere poteſt, quod alter facere debet. Beneficium igitur non merentur, niſi qui ipſi acquirere non valent, quæ dat benefactor, nec facere poſſunt, quæ facit ille, adeoque eodem indigent.

Indigentia meritum generale eſt; quod ſpectatur in diſpenſandis beneficiis, idque naturale, quo ipſa natura hominem beneficio dignum efficit. Quamobrem in numerum beneficiorum non refertur, quod datur iis, qui dant nobis; & qui eodem, quod datur, non indigent; veluti ſi ad convivium invites eos, qui te invitant, & quorum cibo ac potu tu minime indiges,

ges, cum ipſemet habeas; unde vivas, habent etiam illi, unde vivant. Datur vero etiam meritum ſpeciale, ob quod unus in diſpenſandis beneficiis alteri præferendus, de quo porro nobis diſpiciendum. Ceterum in æſtimanda indigentia nihil difficultatis ſupererit, ſiquidem ea diſtinguere valeas, quæ in poteſtate tua ſunt, ab iis, quæ in eadem non ſunt, (§. 175. *part.* 1. *Jur nat.*) ac ipſum actum, in quo conſiſtit beneficium, probe expendas, ut conſtet ad quod bonum animi, corporis vel fortunæ conſequendum faciat, vel ad quod malum avertendum tendat (§. 21.). Niſi hoc obſervaveris, haud raro continget, ut beneficio eum non indigere exiſtimes, qui eodem maxime indiget. Non confundenda eſt indigentia cum paupertate, de qua deinceps dicturi ſumus: non repugnat eſſe divitem, immo divitiis affluere, & indigere beneficio pauperrimi homunculi. Pauperrimus haud raro maximum beneficium conferre poteſt in ditiſſimum.

§. 31.

Gratitudo quid ſit. *Gratitudo* ſive ***gratus animus*** eſt dilectio benefactoris ob beneficia in nos collata. Quamobrem cum dilectio conſiſtat in conſtante ac perpetua voluntate felicitatem alterius promovendi, hoc eſt, omni ſtudio id agendi, ut alter ſit felix, & cavendi, ne fiat infelix (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*); *Gratitudo* etiam ***eſt conſtans ac perpetua voluntas beneficiarii omni ſtudio id agendi, ut benefactor ſit felix, ac cavendi, ne fiat infelix***, conſequenter ***ſi in beneficiarii poteſtate non eſt poſitum, ut aliquid ad felicitatem benefactoris conferat, aut ut avertat id, quod infelicem reddere poſſit, felicitatem ejus ſaltem cupit ac ne infelix fiat optat.***

In Pſychologia empirica (§ 784.) gratitudinem ſeu animum gratum definivimus per amorem benefactoris ob beneficia. Ibi vero gratitudinem conſideravimus tanquam affectum, prouti eſt in appetitu ſenſitivo; hic autem eandem ſpectamus tanquam virtutem, prouti eſt in appetitu rationali, ſeu actus quidam voluntatis. Affectus autem cum virtute ſociatur, quatenus appetitus ſenſitivus cum rationali conſentit. Quamobrem homo gratus cupit & vult felicitatem benefactoris: fugit & non vult infelicitatem ejusdem. Gratitudo igitur cum potiſſimum ſpectetur in voluntate ac noluntate & iiſdem conſentientibus appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva; gratus quoque eſſe poteſt pauperrimus, qui nil habet, quod pro beneficio accepto rependat. Sed de talibus uberius dicendum in Philoſophia morali.

§. 32.

Beneficium reddere quid ſit. ***Beneficium reddere*** dicitur, qui beneficium tribuit ei, a quo accepit, propterea quod ſibi beneficium tribuit.

Aliud eſt tribuere beneficium eo animo, ut ab alio viciſſim beneficium accipias, ſeu ſpe majoris obtinendi: aliud vero reddere beneficium. Hæc duo minime confundenda, ſed a ſe invicem probe diſtinguenda ſunt. Illud enim naturæ beneficii repugnat; hoc minime. Illud vitii, hoc virtutis eſt.

§. 33.

Effectus beneficii. ***Beneficia voluptatem creant, immo gaudium tribuunt accipienti.*** Etenim cum beneficium omne conſiſtat in actu, qui tendit ad perfectionem alterius aut ſtatus ejuſdem, ſive eandem promovendo, ſive imperfectionem arcendo (§. 22.); qui beneficium, quod accipit, agnoſcit, is conſcius ſibi eſt perfectionis cujuſdam ſuæ. Quamobrem cum ex eo voluptas oriatur, quod nobis conſcii ſimus perfectionis cujuſdam noſtræ (§. 511. *Pſych. Empir.*), & in prædominio voluptatis conſiſtat gaudium (§. 614. *Pſych. Empir.*); beneficia voluptatem creant, immo gaudium tribuunt accipienti.

Hinc *Seneca* beneficium definit, quemadmodum ſupra monuimus, per actionem benevolam gaudium tribuentem. Hic enim effectus beneficii eſt: qui ubi ceſſat, id non inde eſt, quod beneficium voluptatem creare, vel gaudium tribuere nequeat, ſed quod beneficiarius non attendat animum ad beneficium, ut idem agnoſcat. Nullus notatur defectus in beneficio, qui impotentia creandi voluptatem dici poſſet; ſed defectus unice eſt in beneficiario, perinde ac ſi ſemen fecundum committatur ſolo arido, ut vegetare non poſſit.

§. 34.

§. 34.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam beneficia voluptatem creant (§. 33.), quicquid vero voluptatem veram homini creat, id ad felicitatem ejus quidpiam confert (§. 638. *Pſych. Empir.*); *Beneficia ad aliorum felicitatem quidpiam conferunt.*

Non eſt, quod dubium moveat, nos ad beneficia voluptatem creantia, vel gaudium tribuentia applicare, quæ de vera voluptate demonſtrata ſunt. Quando enim de voluptate ſimpliciter loquimur, nonniſi veram intelligimus. Immo qui ad demonſtrationem præcedentem animum attendit (§. 33.), & naturam beneficii probe perſpectam habet (§. 17. 22.); is abunde convincetur, beneficium non eſſe niſi quod veram creet voluptatem, non apparentem.

§. 35.

Quo animo beneficia danda.

Benefactor intendere debet felicitatem ac voluptatem, immo gaudium alterius. Etenim cum homo quilibet ex felicitate alterius cujuſcunque voluptatem percipere debeat (§. 616. *part. 1. Jur. nat.*), benefactor etiam ex felicitate beneficiarii voluptatem percipere debet. Quamobrem cum beneficia ad aliorum felicitatem quid conferant (§. 34.); ex ea etiam voluptatem percipere, adeoque beneficium quod tribuit alteri, tanquam ſibi bonum repræſentare debet (§. 558. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque beneficium tribuere vult, quod felicitatem alterius promoveat (§. 591. *Pſych. empir.*); felicitatem alterius eodem promovere intendit (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque adeo patet benefactorem intendere felicitatem alterius. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam felicitas ſine voluptate, vel etiam gaudio (§. 614. *Pſych. empir.*), non ſubſiſtit (§. 636. *Pſych empir.*), benefactor autem intendere debet felicitatem beneficiarii *per demonſtrata*; idem etiam intendere debet voluptatem, immo gaudium alterius. *Quod erat alterum.*

Videmus itaque, quomodo beneficium ſit actio capiens gaudium tribuendo, quemadmodum loquitur *Seneca* (*not.* §. 17.). Benefactor enim novit, aut noſſe debet, beneficium voluptatem creare, ſeu gaudium tribuere (§. 33.). Cum itaque animus ejus paratus ſit ad voluptatem ex alterius voluptate percipiendam, ideo beneficium alteri tribuit, ut voluptatem creet, vel gaudium tribuat. Atque adeo patet, cur nihil viciſſim recipere velit pro eo, quod dat, vel facit: abunde enim ipſi ſufficit, quod gaudeat, propterea quod ſe gaudio perfuſurum exiſtimet alterum. Non loquor niſi experta iis, quibus rectus eſt animæ facultatum uſus: ſi cui paradoxa ea videantur, is hinc intelligat, ſe rectum facultatum animæ uſum nondum fuiſſe conſecutum, nec morum adhuc depoſuiſſe feritatem, immanitate cum humanitate permutata. Lex naturæ urget rectum facultatum animæ uſum (§. 189. *p. 1. Phil. pract. univ.*); neque adeo ad humanitatem, ſed immanitatem refert, quod facultatum abuſui, vel non uſui tribuendum. Ferini mores ſunt, non humani, qui ab abuſu & non uſu proficiſcuntur; humani non ſunt, niſi qui recto uſui debentur. Quodſi eam operam impenderemus Philoſophiæ excolendæ, quam numeris ac figuris cognoſcendis impendere ſolent, qui in iis omnem ætatem conſumunt, ac conſeneſcunt: multa paterent, quæ abdita ſunt, & ad felicitatem hominis requiruntur, & experta luce ſua radiarent, quæ pro paradoxis nunc habentur a pleriſque.

§. 36.

Fons beneficiorum.

Qui alterum amat, ejus animus diſpoſitus eſt ad beneficia ipſi tribuenda. Qui enim alterum amat, ex ejus voluptate voluptatem percipit (§. 640. *Pſych. empir.*), eamque appetit (§. 650. *Pſych. empir.*). Animus igitur ejus diſpoſitus eſt ad faciendum ea, quæ alteri voluptatem creant. Quamobrem cum beneficia voluptatem creent beneficiario (§. 35.); qui alterum amat, ejus animus diſpoſitus eſt ad beneficia ipſi tribuenda.

Videmus adeo, ex quonam fonte proficiſcantur beneficia, ſi rite ſeſe habeant omnia. Proficiſcuntur nimirum ex amore, & ſi actus benefici aliunde, quam ex hoc fonte manent, utut

nihil

nihil deeſſe videatur ex parte accipientis, cur beneficia dici non poſſint, ex parte tamen dantis vix beneficii nomen merentur, cum deſit intentio, quam benefactor habere debet (§.35.): quod ut evidentius pateat, ſequentem adhuc addere lubet propoſitionem, quæ excipit corollarium præſenti ſubjunctum.

§. 37.

Qualem erga alios animum habere debeamus. Quoniam qui alterum amat, ejus animus diſpoſitus eſt ad beneficia eidem tribuenda (§. 36.), unuſquiſque autem alterum quemcunque amare debet tanquam ſeipſum (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*); *uniuſcujuſque animus diſpoſitus eſſe debet ad beneficia alteri cuicunque tribuenda*.

Videmus adeo obligationem ad benefaciendum aliis naſci ex obligatione amandi alios, conſequenter hinc etiam patet homines ad mutua beneficia ſibi invicem naturaliter obligari: id quod jam ſupra aliter oſtendimus (§. 23.).

§. 38.

An in benefactore requiratur animus erga beneficiarium. *Benefactor amat beneficiarium*. Intendit enim beneficium tribuendo voluptatem, immo gaudium beneficiarii (§. 35.) appetit adeoque voluptatem, immo gaudium ipſius. Enimvero qui voluptatem alterius, adeoque etiam gaudium (§. 614. *Pſych. empir.*), appetit, eundem amat (§. 650. *Pſych. empir.*). Benefactor itaque amat beneficiarium.

Sine amore benefactoris non concipi poteſt beneficium, quod legi naturæ probatur, quippe quæ exigit intentionem voluptatem creandi, vel gaudium tribuendi beneficiario (§. 35.). Sine ea igitur concipere non licet benefactorem, niſi lege naturæ repugnante. Immo eandem quoque adeſſe probat experientia, ubi animum benefaciendi, qui a beneficio abeſſe nequit in actione ſincera, non tantum modo ſimulamus. Qui animum benefaciendi ſimulat, amorem quoque ſimulat, quo beneficiarium proſequitur, & hunc amare videri vult.

§. 39.

Benefactor amandus. *Beneficiarius amare debet benefactorem ob beneficia ſibi tributa*. Cum beneficiarius a benefactore beneficium accipiat (§. 20.), adeoque bonum aliquod ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ (§. 21. *h.* & §. 756. *p. 1. Jur. nat.*), ex bono autem, quando cognoſcitur, voluptas percipitur (§. 558. *Pſych. empir.*); ex beneficio etiam voluptas percipiatur neceſſe eſt, modo agnoſcatur. Quamobrem cum nobis placeat id, ex quo voluptatem percipimus (§. 542. *Pſych. empir.*), quin placeat beneficium, conſequenter actus benefactoris (§. 17.), dubitandum non eſt. Enimvero quando in altero obſervamus, quod nobis placet, amor oritur (§. 645. *Pſych. empir.*). Ergo etiam amore perfunditur beneficiarius ob beneficium a benefactore ſibi tributum. Quoniam itaque naturaliter obligamur ad mutua beneficia (§. 23.); naturaliter quoque obligamur ad amandum benefactorem ob beneficia præſtita, conſequenter beneficiarius amare debet benefactorem ob beneficia ſibi tributa.

Hominem quemcunque alterum amare debemus tanquam noſmetipſos (§ 619. *part. 1. Jur. natur.*). Quamobrem cum benefactorem etiam amare debeamus ob beneficia in nos collata; duplici vinculo ad eum amandum adſtringimur. Non eſt, quod miremur, nos beneficiis adſtringi ad amandum benefactorem, ad quem amandum jam obligamur tanquam noſmetipſos, etiamſi nihil beneficii ab eo acceperimus. Neque enim notioni obligationis repugnat, ut eadem ex pluribus a ſe invicem diverſis rationibus derivetur (§. 118. *p. 1 Phil. pract. univ.*). Vidimus quoque Deum amandum eſſe ſupra omnia non attenta ipſius bonitate (§. 1172. *p. 1. Jur. natur.*), & hoc tamen non obſtante amandum etiam eſſe, quia bonus in nos eſt (§. 1173. *p. 1. Jur. nat.*), adeoque ob beneficia, quæ nobis tribuit (§. 699 *part 1. Theol nat.* & §. 21. h.).

§. 40.

§. 40.

Quoniam beneficiarius amare debet benefactorem ob beneficia ſibi tributa (§. 39.), qui vero alterum amat, ejus animus diſpoſitus eſt ad beneficia ipſi tribuenda (§. 36.); *beneficiarii animus diſpoſitus eſſe debet ad beneficia benefactori tribuenda ob beneficia ſibi ab ipſo tributa.* Quamobrem cum beneficium reddat, qui beneficium ei tribuit, a quo accepit, propterea quod ſibi beneficia tribuit (§. 35.); *beneficiarius habere debet animum beneficia reddendi.* *Qualis eſſe debeat animus beneficiarii erga benefactorem.*

Videmus adeo benefactorem naturaliter ſibi obligare beneficiarium ad beneficia ſibi reddenda, ſiquidem in poteſtate ejus poſitum fuerit: neque enim ad impoſſibile ulla datur obligatio (§. 209. *part. 1. Phil. pract univ.*). Non tamen ideo beneficiendo intendit, ut beneficium ſibi reddatur, cum alias actus, in quo beneficium conſiſtit, non maneret gratuitus, conſequenter naturam beneficii exueret (§. 19.). Hoc demum faceret, ſi promittendo ſibi adſtringeret beneficiarium ad reddendum (§ 363. *p. 3. Jur. nat*): quo facto actus, qui beneficus eſſe debebat, degeneraret in oneroſum, ſeu contractum do ut des, vel do ut facias, vel facio ut des, aut facio ut facias (§. 9.).

§. 41.

Beneficiarius obligatur ad beneficium reddendum occaſione oblata. Habere enim debet animum beneficia reddendi (§. 40.). Enimvero qui animum habet beneficia reddendi, is quoque oblata occaſione beneficium reddit, cum ſemper paratus ſit ad reddendum. Quamobrem beneficiarius obligatur ad beneficium reddendum occaſione oblata. *Obligatio reddendi beneficium.*

Obligatur ad beneficium tribuendum alteri, etiamſi nullum ab eo acceperit (§. 23.). Quamobrem ſi offeratur occaſio beneficium reddendi, cum jam duplex id urgeat obligatio, eam ambabus quaſi manibus amplecti debet, ne quod ei defuerit reprehendi poſſit.

§. 42.

Qui beneficia reddit, aut reddendi animum habet, is gratus eſt, ſeu animum gratum habet. Etenim qui beneficia reddit, beneficia tribuit benefactori ob beneficia ſibi ab eo tributa (§. 32.), conſequenter ſi reddendi animum habet, voluntatem habet ob beneficia præſtita beneficia reddendi, adeoque cum beneficia ad aliorum felicitatem quidpiam conferant (§. 34.), voluntas ipſi eſt omni ſtudio id agendi, ut benefactor ſit felix, ac cavendi, ne fiat infelix. Enimvero qui iſtiuſmodi voluntatem habet, is animum gratum habet, ſeu gratus eſt (§. 31.). Quamobrem qui beneficia reddit, aut reddendi animum habet, is gratus eſt, ſeu gratum animum habet. *Quinam gratus ſit.*

§. 43.

Beneficiarius gratum habere debet animum erga benefactorem. Obligatur enim ad beneficium oblata occaſione reddendum (§. 41.), & animum habere debet beneficium reddendi (§ 40.). Enimvero qui beneficia reddit, aut reddendi animum habet, is gratum habet animum erga benefactorem (§. 42.). Ergo beneficiarius gratum habere debet animum erga benefactorem. *Obligatio ad gratitudinem.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Beneficiarius amare debet benefactorem ob beneficia præſtita (§. 39.), conſequenter cum appetitus rationalis cum ſenſitivo conſentire debeat (§. 204. *part. 1. Jur. nat.*), eum quoque diligere debet (§. 617. *part. 1. Jur. nat.* & §. 633. *Pſych. empir.*). Quoniam dilectio benefactoris ob beneficia in nos collata gratitudo, ſeu gratus animus eſt (§. 31.); beneficiarius gratum habere debet animum erga benefactorem.

Non

Non hinc inferre licet, beneficium non eſſe actum mere beneficum, ſed cum obligatione, quia parit obligationem ad animum gratum exhibendum. Ut enim actus beneficus ſit obligatorius, neceſſe eſt, ut eodem contrahatur obligatio perfecta: ſed obligatio beneficiarii ad animum gratum imperfecta eſt, nec ei reſpondet jus perfectum, ut is ad gratitudinem compelli poſſit.

§. 44.

Gratiarum actio quid ſit.

Gratias agere dicitur is, qui verbis vel factis animum gratum ſignificat.

Gratiarum adeo actio conſiſtit in actione externa, cum gratitudo tanquam virtus ſit habitus voluntatis & actibus internis potiſſimum conſtet; utut externus internos conſentientes exigat: id quod in omni virtute obtinet.

§. 45.

Obligatio ad gratiarum actionem.

Beneficiarius obligatur ad gratias benefactori agendas. Animum enim gratum habere debet beneficiarius (§. 43.). Quoniam itaque eum perſpicere nequit benefactor, niſi verbis, vel factis ſignificetur, quod per ſe patet; ideo neceſſe eſt, ut verbis & factis eundem ſignificet. Quamobrem cum gratias agat, qui verbis & factis ſignificat animum gratum (§. 44.); beneficiarius obligatur ad gratias benefactori agendas.

Non ſufficit animum gratum ſignificare verbis; ſed dictis addendum etiam factum, ut de illorum conſtet veritate. Qui dicit ſe habere animum gratum, is confitetur ſibi eſſe voluntatem conſtantem ac perpetuam omni ſtudio id agendi, ut benefactor ſit felix, ac cavendi, ne fiat infelix (§. 31). Quodſi ergo data occaſione ad felicitatem alterius quomodocunque quid conferendi deſit factum; falſum eſt tibi eſſe iſtam voluntatem, conſequenter animum gratum non eſſe omiſſione facti declaras. Vides adeo, quomodo tam factis, quam verbis declarari debeat animus gratus, nec a verbis facta abeſſe poſſint. Verbis nimirum declaratur animus gratus, quando non datur occaſio beneficium reddendi: aſt quamprimum hæc ſeſe offert, beneficia ſunt reddenda, adeoque voluntas declaranda factis, ne deſit dictis veritas (§. 159 *part. 3. Jur. nat.* & §. 41.).

§. 46.

Ingratitudo quid ſit.

Ingratus dicitur, qui benefactorem ob beneficia ſibi tributa non diligit, immo iis non obſtantibus prorſus odit. *Ingratitudo* igitur vitium eſt, quo benefactorem ob beneficia nobis tributa non diligimus, immo hiſce non obſtantibus prorſus odimus.

Cum odium oriatur, quando quid in altero obſervamus, quod nobis diſplicet (§. 677. *Pſychol. empir.*), fieri autem non poſſit, ut nobis diſpliceat beneficia ab altero nobis tribui, niſi adſit odium aliunde genitum, beneficia per ſe, modo agnoſcantur, odium gignere nequeunt. Quamobrem ingratitudo conſiſtere nequit in odio benefactoris, ſed fieri tantummodo poteſt, ut alia de cauſa odio proſequamur benefactorem, non obſtantibus beneficiis. Opponitur ingratitudo gratitudini. Quoniam itaque gratitudo conſiſtit in dilectione benefactoris ob beneficia nobis tributa (§ 31.); ingratitudo autem in odio conſiſtere nequeat, ſed eidem ſaltem ſociari poſſit *per demonſtrata*; ea nonniſi in defectu dilectionis conſiſtere debet, adeoque in defectu voluntatis id agendi, ut benefactor ſit felix, ac cavendi, ne fiat infelix.

§. 47.

Ingratitudo num prohibita.

Ingratitudo lege naturali prohibita. Gratitudo enim lege naturali præcepta (§. 43.). Quamobrem cum ingratitudo contrarietur gratitudini (§. 31. 46.), lex autem præceptiva ſimul ſit prohibitiva contrarii (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*); ingratitudo lege naturali prohibita.

Patet itaque eam recte definiri per vitium (§. 322. *p. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 48.

Donatio, donum vel munus quid ſit.

Donare alteri dicimur rem, quam ipſi gratis damus. Et *Donatio* eſt actus mere beneficus, quo alteri rem quandam damus. Ipſa vero res, quæ alteri gratis datur, *Donum* vocatur, vel *Munus*.

Equidem *Donatus* obſervat, donum proprie eſſe, quod datur diis: munus quod hominibus. Enimvero differentia hæc, præſertim in Jure, non attenditur. Sane *Labeo* l. 194 ff. de V. S. munus a dono diſtinguit tanquam ſpeciem a genere, ita ut munus ſit donum cum cauſa, ut puta natalicium, nuptalicium. Sed cum nec hæc differentia adeo ſcrupuloſe obſervetur, nulla videtur ratio, cur nos eandem teneamus, præſertim ſine ulla neceſſitate urgente.

§. 49.

Quænam donari poſſint.

Quoniam res tam corporales quam incorporales dari poſſunt (§. 10.), corporales vero vel mobiles, vel immobiles ſunt (§. 148. 149. *p. 2. Jur. nat.*), donantur vero res quæcunque (§. 48.); *dono dari poſſunt tam res corporales, cum immobiles, tum mobiles*, adeoque etiam *ſe moventes* (§. 236. *part. 2. Jur. nat.*), *quam incorporales*.

Poſſum tibi donare vas argenteum, vel nummum aureum, rem corporalem mobilem; poſſum donare equum, vel pavonem, rem ſe moventem; poſſum donare hortum, vel agrum, rem immobilem; poſſum denique donare jus venandi, quod mihi competit in certo diſtrictu, rem incorporalem.

§. 50.

Donator & donatarius quinam dicatur.

Qui donum dat, dicitur *Donans* vel *Donator*: qui accipit, *Donatarius*.

Etſi adeo quod hominibus datur proprie munus dicatur, (*not.* §. 48.); nulla tamen proſtant nomina, quibus munus dantem & accipientem ſignificare valeamus, quam donans & donatarius, ut ideo nonniſi hæc in Jure ſint recepta, ac propterea quoque quod datur donum appelletur.

§. 51.

Eleemoſyna quid ſit.

Quod datur ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem *Eleemoſyna* dicitur. Cum adeo *eleemoſyna* ſit *plerumque* parvum donum (§. 48.); erit eadem *munuſculum*. Quamobrem etiam *munuſculum* dici poterat, non tamen ſatis apte.

Eleemoſyna terminus eccleſiaſticus eſt: quoniam vero commodum deficit vocabulum latinum, cum munuſcula etiam alio fine dari poſſint; ideo conſultius eſt eodem vocabulo uti. Sed demus exemplum. Titius non habet unde famem expleat. Das ipſi fruſtum panis, vel aliquot obolos: fruſtum panis & pauci oboli dicuntur eleemoſyna. Das operario præter mercedem fruſtum panis, vel puero cuidam aliquot obolos ad emenda ceraſa; fruſtum panis & pauci oboli non amplius ſunt eleemoſyna, ſunt tamen munuſculum.

§. 52.

Mendicitas quid ſit.

Mendicitas eſt tanta rerum inopia, ut deſint, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit. Hinc *Mendicus* dicitur, qui tanta rerum inopia laborat, ut deſint ea, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit.

Ita mendicus eſt, cui deſunt, quæ ad famem explendam faciunt, & quæ corporis nuditatem tegunt, aut quæ ad ſanandum vulnus vel corpus ægrotum ſanitati reſtituendum requiruntur. Ea enim exigit vitæ neceſſitas, ſine quibus illa tolerari nequit.

§. 53.

§. 53.

Mendicare quid ſit. *Mendicare* dicitur, qui eleemoſynam petit.

Mendicus nimirum eſt, qui tanta rerum inopia laborat, ut deſint ea, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit (§. 52.). Quoniam itaque eleemoſynæ dantur ad hanc neceſſitatem ſublevandam (§. 51.), qui eas petit ab aliis mendicare dicitur. Hinc etiam Religioſi, qui mendicato cibo paſcuntur & mendicato veſtitu utuntur, mendicantes appellantur. Etſi autem eleemoſynæ ſint munuſculum ſeu parvum donum (§. 51.), non tamen hinc ſequitur, religioſis mendicantibus parce eſſe dandum a ditioribus, non ſolum quod ſingulis paucum datur, dum univerſis datur multum, quando nimirum quod datur inter multos diſtribuendum: verum etiam quod eleemoſyna æſtimanda ex indigentia mendicantis & facultatibus dantis. Sane ſi homini egeno des veſtem ad nuditatem corporis tegendam, non propterea eleemoſyna eſſe deſinit, quod obolorum aliquot pretio emi minime poſſit. Qui multa habet, pauca dat, dum multum dat, quemadmodum ex adverſo multum dat, qui cum pauca habeat, pauca dat.

§. 54.

Res, quæ donantur, immo in genere quæ dantur tradendæ. *Res, quæ dono datur, immo in genere, quæ datur, etiam tradenda.* Quando enim datur, dominium transfertur in donatarium (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), quod cum in alterum accipientem tranſeat ſola domini voluntate (§. 13. *part.* 3. *Jur. nat.*), donata erit, quamprimum donatario acceptanti voluntatem donandi ſufficienter declaravit donans. Enimvero cum ſine poſſeſſione nobis non competat potentia phyſica de ea diſponendi pro arbitrio noſtro (§. 461. 463. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter dominii exercitium (§. 649. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), traditione vero poſſeſſio transferatur (§. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*); res quæ dono datur, etiam tradenda.

Dum dominium transfertur facultas moralis acquiritur de re pro arbitrio ſuo diſponendi, dum vero transfertur poſſeſſio, facultas phyſica acquiritur de eadem pro arbitrio ſuo diſponendi. Si res uſui eſſe debet, ut nimirum jure eadem uti poſſis, & moralis, & phyſica de eadem diſponendi requiritur facultas, conſequenter dominium & poſſeſſio ſimul. Quod igitur datur, etiam tradendum.

§. 55.

Traditio quando tacite promittatur. Quoniam res, *quæ donatur*, etiam tradenda (§. 54.); *ſi non ſtatim traditur, dum datur*, ut traditio & datio unico quaſi abſolvantur actu, *traditio tacite promiſſa intelligitur* (§. 431. *part.* 3. *Jur. nat.*). Immo *idem valet in genere de re quomodocunque data*. Per ſe autem patet, *traditionem* quoque *expreſſe promitti poſſe*.

Hinc & Doctores civilis Juris recte docent, traditionem in donatione vel ſtatim fieri, vel promitti. Ex demonſtratione autem patet, non neceſſariam eſſe promiſſionem expreſſam, cum tacite ſemper intelligatur, niſi adſint rationes ſingulares, ob quas expreſſa opus eſt. Hinc etiam in ſermone communi datio comprehendit traditionem, quæ etiam Jure Romano plerumque ad translationem dominii requiritur.

§. 56.

Quænam beneficia ſint donationes & eleemoſynæ largitiones. *Beneficia, quæ in dando conſiſtunt, donatio aut eleemoſynæ largitio ſunt.* Etenim beneficia tribuuntur gratis (§. 19.) &, ſi in dando conſiſtunt, aut res corporalis, aut incorporalis datur (§. 10.), cumque etiam ſit tradenda (§. 55.), beneficium vero in præſens abſolvatur (§. 17.), ſtatim datur. Enimvero actus, quo res ſive corporalis, ſive incorporalis datur ſtatimque traditur, donatio eſt (§. 48. 49. 55.), & ſi datur ad ſublevandam vitæ neceſſitatem eleemoſyna (§. 51.). Beneficia igitur, quæ in dando conſiſtunt, donatio aut eleemoſynæ largitio ſunt.

Vi-

Videmus adeo beneficia latius patere donationibus & eleemoſynarum largitione, cum etiam in faciendo conſiſtant. Dantur tamen etiam facta eleemoſynis æquiparanda, prouti mox oſtendemus.

§. 57.

Eleemoſynarum largitio beneficium eſt. Etenim eleemoſynæ dantur ad ſublevandam vitæ neceſſitatem (§. 51.), adeoque gratis dantur ſtatimque traduntur, cum ſine traditione non ſublevetur vitæ neceſſitas (§. 24. *part.* 3. *Jur. nat.*). Eſt adeo eleemoſynarum actus mere beneficus (§. 3. 4.), qui in præſens abſolvitur. Quamobrem cum actus mere beneficus, qui in præſens abſolvitur, beneficium ſit (§. 17.); eleemoſynarum largitio beneficium eſt. *An largitio eleemoſynarum beneficium ſit.*

Eleemoſynas dari gratis, nemo eſt qui in dubium revocare auſit. Dantur enim ad ſublevandam vitæ extremam neceſſitatem, conſequenter iis, a quibus viciſſim nihil recipere potes, nec debes.

§. 58.

Ad donationem requiritur acceptatio. Etenim ſi tibi rem dono, eam tibi gratis do (§. 48.), conſequenter dominium ejus in te transfero (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero ad actualem dominii translationem requiritur acceptatio (§. 7. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam ad donationem requiritur acceptatio. *An donatio valeat ſine acceptatione.*

Patet adeo, donationem non eſſe validam, antequam acceptatur.

§. 59.

Donatio ſtatim abſolvitur, quamprimum donans animum donandi de præſenti & donatarius animum acceptandi ſufficienter declarat. Etenim quando donans animum donandi de præſenti declarat, ſe alteri quid gratis dare ſufficienter indicat (§. 48.), conſequenter ſe dominium rei cujuſdam ſuæ in alterum transferre (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero quamprimum dominus ſufficienter ſignificat, ſe dominium rei ſuæ in alterum transferre, accipiens nuda voluntate ipſius efficitur dominus rei corporalis, vel incorporalis, cujus dominium transfertur (§. 13. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem quamprimum donans animum donandi de præſenti & donatarius animum acceptandi ſufficienter declarat; dominus rei donatæ ſtatim efficitur donatarius, conſequenter donatio ſtatim abſolvitur. *Quando donatio abſolvatur.*

Actu donandi non aliud intenditur, quam ut donatarius rei donatæ fiat dominus. Quamobrem dubitari nequit, donationem ſtatim eſſe abſolutam, quamprimum res, quæ erat donantis, fit donatarii.

§. 60.

Quoniam donatio ſtatim abſolvitur, quamprimum donans animum donandi de præſenti & donatarius animum acceptandi ſufficienter declarat (§. 59.), conſequenter res, quæ erat donantis, fit donatarii, prouti ex demonſtratione præcedente clarius intelligitur; *ſi res donata non ſtatim traditur, res donatarii eſt penes donantem*, conſequenter *ſi rem tradendam urget donatarius* (§. 54.), *rem ſuam petit non vero donantem ad adimplendam donationem compellit.* *Effectus donationis, ſi res non ſtatim traditur.*

Naturalem hanc æquitatem ſecutus Imperator §. 2. I. de Donat utut communiter in Jure Romano dominium nonniſi traditione transferatur. Perfici enim vult donationes ſimplices inter vivos, de quibus hic ſermo eſt, cum donator ſuam voluntatem ſcriptis, aut ſine ſcriptis manifeſtaverit, & eas in ſe habere neceſſitatem traditionis.

§. 61.

An donatio in præſens abſolvatur. *Donatio eſt actus, qui in præſens abſolvitur.* Quamprimum donans animum donandi de præſenti & donatarius animum acceptandi ſufficienter declarat, donatio ſtatim abſolvitur (§. 59.). Quodſi res ſtatim tradatur, quemadmodum tradenda eſt (§. 54.); nemo eſt, qui dubitet, donationem eſſe actum, qui in præſens abſolvitur. Quodſi non ſtatim tradatur, traditio tacite promiſſa intelligitur (§. 55.), adeoque tradendi neceſſitatem in ſe habet (§. 431. *part. 3. Jur. nat.*), & res tanquam donatarii propria tantummodo manet penes donantem (§. 60.). Quamobrem nec hoc obſtat, quin donatio ſit actus, qui in præſens abſolvitur. Quoniam itaque res donata aut ſtatim traditur, aut non traditur (§. 54. *Ontol.*), donatio vero in utroque caſu in præſens abſolvitur *per demonſtrata*; ideo ſimpliciter patet, donationem eſſe actum, qui in præſens abſolvitur.

§. 62.

Quomodo voluntas declaretur, ſi donatio promittitur. *Donans animum donandi de futuro declarat, ſi donatio promittitur.* Etenim ſi donatio promittitur, donans tantummodo indicat ſe alteri quid donare velle ac in eum transfert jus a ſe exigendi ut donet (§. 361. *part. 3. Jur. nat.*), & tantummodo ſeſe obligat donatario ad donandum, non vero actu ſtatim donat (§. 363. *part. 3 Jur. nat.*). Donans igitur animum donandi de futuro declarat, ſi donatio promittitur.

Animus donandi de præſenti verbis de præſenti declaratur, veluti dono tibi hortum meum, vel dono veſtem meam. At animus donandi de futuro verbis etiam de futuro declaratur, veluti donabo tibi hortum meum, vel donabo tibi veſtem meam, item volo tibi donare hortum meum, vel veſtem meam. Quando enim dico, me hoc donare velle, tantummodo ſignifico, quid facere decreverim, conſequenter quid facturus ſim, non vero quid nunc faciam.

§. 63.

Qualis actus ſit promiſſio donationis & promiſſio ſimpliciter. Quoniam donans animum donandi de futuro declarat, ſi donationem promittit (§. 62.); *promiſſio donationis eſt actus, qui in futurum prominet.* Et eodem modo patet, *promiſſionem in genere eſſe actum, qui in futurum prominet.* Oſtenditur etiam hoc modo. Promiſſione acquiritur jus ad rem (§. 784. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter etiam donatarius promiſſione donationis acquirit nonniſi jus ad rem, adeoque nec promiſſarius, nec donatarius habet adhuc jus in re (§. 778. 781. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam itaque tam promiſſarius in re promiſſa, quam donatarius in re donanda nondum dominium habet (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter id demum transferendum, tam promiſſio ſimpliciter, quam promiſſio donationis eſt actus, qui in futurum prominet.

Patet adeo quænam differentia intercedat, ſi donatione facta traditio tantummodo differtur, vel promittitur, & ſi ipſa donatio promittitur. In caſu enim priori acquiritur jus in re, ſive dominium, in poſteriori jus ad rem. In illo donans obligatur ad rem tradendam; in hoc ad rem dandam & tradendam. In illo res donata eſt donatarii, etſi adhuc ſit penes donantem: in hoc res donanda debetur donatario, & manet adhuc in dominio donantis.

§. 64.

Promiſſio donationis ſpecies pro- *Promiſſio donationis eſt promiſſio liberalis aliquid dandi.* Qui enim tibi aliquid donare promittit, is tibi gratis rem dare promittit (§. 48.), conſequenter ita ut pro eo, quod dat, nihil viciſſim recipiat a te (§. 18.), adeoque tu ad nihil viciſ-

viciſſim dandum te obliges. Quoniam itaque promiſſio mere liberalis eſt, quando promiſſarius ad nihil viciſſim dandum ſe obligat (§. 713. *part.* 3. *Jur nat.*); promiſſio donationis eſt promiſſio liberalis aliquid dandi. *miſſionis liberalis.*

Promiſſio alia dandi, alia faciendi eſt, cum promiſſor promiſſario ſeſe obligare non poſſit niſi ad dandum vel faciendum (§. 357. *part.* 3. *Jur. nat*). Promiſſio itaque donationis eſt ſpecies promiſſionis liberalis. Quamobrem cum de promiſſione prolixe admodum egerimus *cap.* 4. *part.* 3. *Jur. nat.*) non opus eſt, ut de promiſſione donationis multa dicamus: quæ enim in ampla theoria promiſſionis demonſtrata ſunt, ad eam facile applicantur.

§. 65.

Donatio num ſit beneficium.

Donatio beneficium eſt. Donatio enim eſt actus mere beneficus (§. 48.) & in præſens abſolvitur (§. 61.). Sed actus mere beneficus, qui in præſens abſolvitur, beneficium eſt (§. 17.). Donatio igitur beneficium eſt.

Non licet propoſitionem invertere. Quoniam enim beneficia tam in dando, quam faciendo (§. 17.), donationes autem in dando tantummodo conſiſtunt (§. 48.); donationes beneficiorum quædam ſunt ſpecies.

§. 66.

An promiſſio donationis ſit beneficium.

Quoniam donatio beneficium eſt (§. 65.); *promiſſio donationis promiſſio beneficii eſt*.

Nimirum quando promiſſio donationis adimpletur, tum demum donatio fit, adeoque beneficium tribuitur. Ipſa igitur promiſſio beneficium nondum dici poteſt. Aliud nimirum eſt promittere, aliud tribuere beneficium. Nec obſtat, quod promiſſor donationis perfecte obligetur ad donandum donatario (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter huic competat jus ipſum ad donandum compellendi (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quo minus promiſſio donationis promiſſio beneficii dicatur: obligatio enim non per ſe ineſt actui donandi, ſed ei aliunde advenit, nimirum ex promiſſione, quæ actum in ſe mere voluntarium efficit neceſſarium. Nec proprie dici poteſt, quod donans cogatur ad donandum; ſed potius ad adimplendum promiſſionem. Quatenus vero promiſſio adimpleri nequit ſine donatione; neceſſitatem in actum donandi infert promiſſionis adimpletio. Ex eo, quod neceſſe ſit adimpleri promiſſionem (§. 431. *part.* 3. *Jur. natur.*), ſequitur neceſſe eſſe, ut dones: ipſe autem actus donationis manet in ſe, qualis eſt.

§. 67.

In quantum facta conveniant cum donationibus & eleemoſynis.

Introductis rerum dominiis facta gratuita donationibus & quæ fiunt ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem eleemoſynis æquipollent. Introductis enim rerum dominiis facere perinde eſt ac dare (§. 122. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter gratis facere perinde eſt ac gratis dare. Sed qui rem alteri gratis dat, eandem donat (§. 48.). Quamobrem introductis rerum dominiis facta gratuita æquipollent donationibus. *Quod erat unum*.

Quodſi res detur ad ſublevandam vitæ extremam neceſſitatem, eleemoſyna eſt (§. 51.). Quamobrem quod facis alteri ad ſublevandam vitæ extremam neceſſitatem eleemoſynæ æquipollet *per demonſtrata*. *Quod erat alterum*.

Lucem his affundunt non modo, quæ alibi demonſtravimus, quod actiones hominis quæcunque, conſequenter facta, æquiparentur rebus, quæ ſunt in dominio ipſius (§. 436. *p.* 2. *Jur. nat.*), verum etiam ea, quæ de factorum æſtimatione deinceps demonſtraturi ſumus. Sane qui gratis facit, tantundem dediſſe intelligitur, quanti æſtimatur factum ipſius: perinde nimirum eſt ac ſi dediſſet tantum pecuniæ, quanta erat opus, ut alius pro ea idem faceret. Ex. grat. ſi duos florenos dare debes, ut alius idem faciat, quod ego facio gratis; duos florenos tibi donare cenſendus ſum. Si quis operam gratis dat ægroto non habenti, ut pro ea mercedem ſolvat, tantam dediſſe intelligitur eleemoſynam, quanta foret merces pro opera iſta præ-

præſtanda, ſi conduceretur. Ideo eleemoſynis accenſetur, ſi Medicus pauperes ægrotantes gratis inviſit & conſilio ſuo iiſdem præſto eſt. Similiter ad eleemoſynas referri debet, ſi Profeſſor ſtudioſos pauperes lectionibus ſuis gratis intereſſe ſinit: quodſi vero idem permittat alii, qui minerval ſolvere poteſt, hoc ipſum ei donaſſe dicendus.

§. 68.

Qualis ſit donatio conditionata re ſtatim tradita. *Si donatio ſub conditione fiat & res donata ſtatim tradatur; conditione non exiſtente, donatio revocabiliter facta intelligitur.* Qui enim ſub conditione quid donat & rem donatam ſtatim tradit; is ipſo facto declarat, ſe tibi rem gratis dare (§. 48.), conſequenter ejus dominium in te transferre (§. 675. *p.* 2. *Jur. nat.*), ut eam tanquam tuam poſſideas (§. 124. *part.* 2. & §. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*), ſed ut maneat tua conditione extante, ubi vero ea non extiterit, dominio te rurſus excludat. Quoniam itaque translatio dominii revocabiliter fit, quando idem in alterum transfers ea lege, ut tibi integrum ſit eodem rurſus alterum excludere (§. 16. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi donatio ſub conditione fiat & res donata ſtatim tradatur; donatio revocabiliter facta intelligitur.

Ex. gr. Filius meus peregre abeſt per plures annos, ut ignorem, utrum adhuc ſit in vivis, nec ne. Ego tibi dono hortum meum ſub hac conditione, ſi filius meus mortuus ſit, eumque tibi ſtatim trado. Hortus tuus eſt, eumque poſſides. Quodſi certior reddor, filium meum mortuum eſſe; hortus manet tuus: aſt ubi is redit, tuus eſſe deſinit, iterumque fit meus. Donatio igitur hoc in caſu revocabiliter facta. Similiter dono tibi tres modios frumenti ſub hac conditione, ſi larga fuerit meſſis. Frumentum, quod ſtatim traditur, tuum eſt, idemque conſumere potes. Enimvero ubi meſſis larga non fuerit, ſed tenuis admodum, illud reddendum, donatione, dum revocatur, in mutuum quaſi tranſeunte, prouti ex infra demonſtrandis patebit.

§. 69.

Qualis eadem ſit re non tradita. *Si donatio ſub conditione fiat, res tamen non tradatur; traditio ſub eadem conditione promiſſa & conditione non exiſtente donatio revocabiliter facta intelligitur.* Quod donatio ſub conditione facta revocabiliter facta intelligatur conditione non exiſtente, eodem fere modo patet, quo id in propoſitione præcedente oſtendimus. *Quod erat unum.*

Si vero res donata non ſtatim traditur, traditio tacite promiſſa intelligitur (§. 54.). Quamobrem cum donatio fiat ſub conditione *per hypoth.* adeoque conditione non exiſtente revocari poſſit *vi num.* 1. conſequenter tradenda non ſit; non alio fine non tradita videtur, quam quod ante certus fieri velit donans, num conditio extitura ſit, ſub qua donatio facta. Quamobrem traditio ſub eadem conditione promiſſa intelligitur, ſub qua donatio facta. *Quod erat alterum.*

Promiſſio etiam traditionis expreſſe fieri poteſt ſub hac conditione, ſub qua fit donatio, tumque per ſe patet, quod hic demonſtratur in caſu dubio, ubi quæritur, quid de traditione præſumendum ſit in donatione conditionata ſine traditione facta. Ratio nimirum aliqua adeſſe debet, cur res donata non ſtatim tradatur. Quamobrem cum eam offerat ipſa donatio, de ea, non de alia cogitaſſe præſumitur donans, ut adeo idem expreſſe moneri non opus viſum fuerit.

§. 70.

Quando donans uſum rei reſervare intelligitur. *Si donatione facta traditio in diem promittitur, vel ſub conditione promiſſa intelligitur; donans uſum rei tamdiu ſibi reſervare præſumitur, donec dies venerit, vel conditio extiterit.* Si enim traditio in diem promittitur, vel ſub conditione promiſſa intelligitur, non ante eam tradi neceſſe eſt, quam dies venerit, aut conditio extiterit (§. 501. 468. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero antequam res traditur,

tur, donatario non competit potentia phyſica de re donata pro arbitrio ſuo diſponendi (§. 24. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter eadem utendi, adeoque donans non vult ut eadem utatur, vel fruatur, antequam dies venerit, vel conditio extiterit. Quoniam igitur non promiſit, ſe interea re ſua uti nolle, conſequenter ad non utendum donatario ſeſe non obligavit (§. 365. *p.* 3. *Jur. nat.*); uſum tam nudum, quam cum fructu conjunctum ſibi reſervaſſe præſumitur. Atque adeo patet, ſi donatione facta traditio in diem promittitur, vel ſub conditione promiſſa intelligitur, donantem ſibi tamdiu uſum rei reſervare, donec dies venerit, vel conditio extiterit.

Poteſt ſibi expreſſe reſervare uſum rei donatæ donans tam nudum, quam cum fructu conjunctum, quamdiu voluerit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 48. *h*). Quamobrem ubi ipſo facto declarat, donatarium re aliquamdiu uti nondum debere, & ipſe adhuc eandem poſſidet, ut uti poſſit; uſum ſibi reſervare recte intelligitur. Sine in donationibus hoc tanto facilius præſumitur, quod ſint actus mere benefici (§. 48.), ut donatarius pro eo, quod accipit, ad nihil viciſſim præſtandum obligetur (§. 4.). Conſiderandum præterea, quod donationem ſaltem promittere potuiſſet: quo in caſu cum dominio etiam uſus tam nudus, quam cum fructu conjunctus ipſi integer manſiſſet. Quamobrem præſumtio omnino fieri debet in favorem donantis. Et quomodo promiſſio in diem fit, ipſa promiſſionis in diem factæ ratio non alia eſſe videtur quam uſus reſervatio, niſi aliæ manifeſtæ in contrarium proſtent.

§. 71.

Quid juris quoad donationem ſub modo factam.

Si donatio fit ſub modo, modus adimplendus; quodſi is non adimpleatur, donum aut ejus æſtimatio reſtitui debet. Etenim ſi donatio fit ſub modo, gratis quid datur eum in finem, ut donatarius quid facere, vel præſtare poſſit (§. 557. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 48. *b.*). Enimvero ſi quid datur ob certum finem, ſcilicet ut hoc facias, vel præſtes, tu ad hoc faciendum, vel præſtandum obligaris, &, niſi feceris, quod datum reſtituere teneris (§. 556. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi donatio fiat ſub modo, modus adimplendus (§. 558. *part.* 3. *Jur. nat.*), & res, quæ donata fuit, conſequenter donum (§. 48.), vel ſi hoc fieri non poſſit, ejus æſtimatio, modo non adimpleto, reſtitui debet.

Ex gr. Dono tibi centum aureos, ut Doctor fias. Quodſi non fias, centum aurei ſunt reſtituendi. Equidem donatio ſub modo facta communiter nonniſi improprie donatio vocari dicitur; non tamen modus repugnat beneficio, adeoque nec donationi (§. 65.) per ſe, niſi quando accedit onus: quo in caſu actus fit compoſitus, quemadmodum mox oſtendetur. Si tibi dono centum aureos, eos tibi do gratis: ſi dono eum in finem, ut Doctor fias; ſtatus tui perfectionem gratis promovendi mihi animus eſt, & beneficium adeo, quod tibi confertur, proprie eſt actus, quo perfectio ſtatus tui promovetur (§. 22.). Non ergo datio centum aureorum, ut doctor fias, beneficii naturam mutat, quod non alio fine dentur, quam ut Doctor fias: beneficium autem in præſenti caſu non intelligitur, niſi per actum, quo ad gradum Doctoris obtinendum dantur ſumtus. Neque etiam propterea datio centum aureorum fit actus obligatorius, quod impendendi iidem ſint ad gradum Doctoris obtinendum, cum ſic impendendi, non aliter, neceſſitas ſit inter determinationes eſſentiales actus, ſine qua is ſubſiſtere nequit, nec beneficium accepiſſe dicendus es, niſi quatenus ſic, non aliter impenduntur. Quodſi ergo Doctor non fias, donatio non ſubſiſtit, deficiente requiſito eſſentiali actus particularis, adeoque nec centum iſti aurei tui ſunt, ſed mei, reſtituendi mihi non ex cauſa donationis, ſed ex principio generali (§. 467. *p.* 2. *Jur. natur.*). Obligatio igitur reſtitutionis non naſcitur ex actu donationis, ſed ex eo, quod donatio non facta intelligatur. Aliter ſe res habet in commodato, ubi ex actu ſubſiſtente naſcitur obligatio reſtituendi.

§. 72.

Qualis ſit actus, ſi donationi onus adjiciatur.

Si donationi adjicitur onus (quod minus eſſe debere dono, per ſe intelligitur); ***actus fit compoſitus ex donatione & actu permutatorio.*** Quodſi enim donationi adjicitur onus, quod ſit minus re donata, non ea tota gratis datur, ſed pro ejus parte viciſſim quid præſtandum donanti (§. 585. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 18.).

Quo-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Quoniam itaque actus, quo quid gratis datur, donatio eſt (§. 48.), actus vero, quo utraque pars ad aliquid præſtandum adſtringitur, permutatorius; ſi donationi adjicitur onus, actus fit compoſitus ex donatione & actu permutatorio.

Hic adeo actus nonniſi improprie aut, ſi mavis, abuſive per inconſtantiam loquendi, donatio dicitur. Ex. grat. dono tibi agrum meum, ſed ſub onere me per tres menſes in ædibus tuis alendi; vel dono tibi decem millia aureorum, ut mihi ad dies vitæ alimenta præbeas. Actus hic compoſitus eſt ex donatione & actu permutatorio do ut des, nec proprie dicitur donatio ſimpliciter; dici tamen poteſt donatio ſub onere facta, quatenus ſic intelligitur actus compoſitus ex donatione & actu permutatorio, ſeu in ſpecie diremtorio (§. 7.). Solent equidem etiam hujus generis donationes referri ad donationem ſub modo in l. 1. C. de Donation. quæ ſub modo &c. Sed parum accurate, ac præter neceſſitatem. Conſultius enim eſt onus diſtinguere a modo, quemadmodum fecimus (§. 557. 585. *part 3 Jur. nat.*), & ubi modus onus continet, eum ad onus potius, quam ad modum referre. Obtinet autem caſus poſterior, quando certo reſpectu id, ſub quo donatio fit, dici poteſt modus, certo autem reſpectu onus. Exemplo eſſe poteſt caſus Codicis *l. cit* quem modo allegavimus. Si tibi dono 10000 aureos, ut alimenta mihi præbeas: pecunia hæc donatur eum in finem, ut mihi alimenta præbeas, & hoc reſpectu id dici poteſt modus, ſub quo fit donatio (§ 557 *part. 3 Jur. nat.*); quatenus vero donatur ſub hac conditione, ut tu viciſſim mihi quid præſtes, nimirum ut des alimenta, onus recte vocatur (§ 587 *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam tamen modus in ſe ſpectatus non mutat naturam donationis (*not. §. 71.*), aſt ſi onus continet, partem ejus in actum permutatorium vertit; conſultius omnino eſt, ut qui certo reſpectu modus dici poterat, ob onus tamen, quod continet, ſeu in quo conſiſtit adimpletio ejus, ad onus referatur. Hoc nimirum pacto quæ a ſe invicem vi notionum diſtinctarum ſeparanda ſunt, nunquam confunduntur, nec inconſtantia loquendi ullam inducit improprietatem in loquendo.

§. 73.

An ad donandum quis cogi poſſit.

Nemini natura competit jus alterum ad donandum cogendi, ſeu nemo ad donandum cogi poteſt. Etenim natura beneficiario non competit jus cogendi benefactorem ad beneficium dandum, ſeu nemo ad dandum beneficium cogi poteſt (§. 27.). Enimvero donatio beneficium eſt (§. 65.). Ergo nemini natura competit jus alterum ad donandum cogendi, ſeu nemo ad donandum cogi poteſt.

Hinc *Struvius* donationem inter vivos definiturus ad eam requirit, quod fieri debeat nullo jure cogente (§. 3. tit. 10. l. 2. Juriſpr. R. G. F. Quod etſi verum ſit, non tamen neceſſe eſt, ut definitioni inferatur, cum quod gratis datur nulla ſuppoſita obligatione contracta detur nullo jure cogente, quemadmodum ex demonſtratis liquet. Quando donatio promittitur, accurate loquendo donans tanquam promiſſor cogi poteſt ad adimplendam promiſſionem, quia promiſſa ſunt ſervanda (§. 431. *p. 3. Jur. natur.*) & promiſſario ad id, quod promiſſum eſt, jus perfectum competit (§. 364 *part. 3. Jur. nat.*), quod jus cogendi in ſe continet. Coactio igitur locum habet, quatenus quod dandum ſpectatur tanquam promiſſum, non quatenus ſpectatur tanquam donum, poſtquam donator actum liberrimæ voluntatis, ſi jus externum ſpectes, fecit neceſſarium libera ſua voluntate, ut, quod antea, non debebatur, niſi forſan imperfecte (§. 402 *part. 3 Jur. nat.*), nunc debeatur perfecte (§. 403. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 74.

An ad dandum eleemoſynam quis cogi poſſit.

Quoniam eleemoſynæ ſunt munuſcula (§. 51.), conſequenter quod mendico datur, eidem donatur (§. 48.); *nemini natura competit jus ad dandum eleemoſynam alterum cogendi* (§. 73.).

Cum eleemoſynarum largitio beneficium ſit (§. 57); propoſitio præſens independenter a præcedente eodem modo demonſtratur, quo præcedens. Immo niſi donationem & eleemoſynæ largitionem ad beneficium reducere volueris, eadem principia de donatione & eleemoſynarum largitione demonſtrari poſſunt, quæ de beneficiis evicimus (§. 25. 26), ac inde eodem modo infertur, donatario non competere jus donantem cogendi ad donandum, nec mendico ad eleemoſynam dandam, quemadmodum ſupra intulimus jus iſtiuſmodi non competere beneficiario (§. 27.). Quamvis vero in ſyſtemate non probentur iſtiuſmodi ambages, niſi finis ſecundarii obtinendi gratia ſubinde iiſdem conceditur locus; quando tamen extra ſyſtema de donationibus & eleemoſynis verba facienda ſunt, non inutiliter ad primos ſuos fontes reducuntur,

tur, quæ brevitatis cauſa ad propiora principia reducta fuerunt: id quod inprimis in praxi morali haud raro utiliter fit, immo fieri debet, & in genere hic notandum eſt, ut in aliis caſibus ſimilibus uſui eſſe poſſit. Quodſi quis totum ſyſtema animo bene comprehenderit, talia ſua ſponte eidem ſuccurrent, quando iiſdem habuerit opus.

§. 75.

Identitas dationis, & adimpletionis promiſſionis dandi.

Datio & adimpletio promiſſionis dandi ſunt unus idemque actus. Quando enim promiſſio adimpletur, ſeu promiſſum ſervatur, promiſſor dat, quod ſe daturum eſſe dixit (§. 430. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque adimpletio promiſſionis dandi in datione præſenti conſiſtit. Datio itaque & adimpletio promiſſionis dandi ſunt unus idemque actus.

Ex. gr. Si tibi do centum aureos, eorum dominium in te transfero (§. 675 *p. 2. Jur. nat.*). Quando tibi centum aureos promiſi, & promiſſionem adimpleo; tibi ſimiliter centum aureos do (§. 430. *part. 3 Jur. nat.*), adeoque eorum dominium in te transfero (§. 675. *p. 3. Jur. nat.*). Uterque igitur actus in translatione præſenti dominii centum aureorum conſiſtit. Statim igitur dare & adimplere promiſſionem dandi centum aureos unum idemque eſt.

§. 76.

An promiſſio quicquam mutet in actu dandi.

Quoniam datio & adimpletio promiſſionis dandi unus idemque actus eſt (§. 75.); *datio per hoc non mutatur, quod promittitur & quæ promiſſa erat actus futurus, quando promiſſio adimpletur, fit actus præſens.*

Actus, qui promittitur, futurus eſt. Actus autem futurus & præſens nonniſi tempore differunt, quod ipſum actum non afficit, ſed eum tantummodo differt. Idem ergo agi poteſt, ſive ſtatim agatur, ſive demum tempore quodam elapſo. Abunde hoc docet exemplum, quod modo dedimus (*not.* §. 75.).

§. 77.

Identitas donationis & adimpletionis promiſſionis dandi.

Quia donatio datio eſt (§. 48.), datio autem & promiſſionis dandi adimpletio unus actus ſunt (§. 75.); *donatio etiam & adimpletio promiſſionis donandi unus idemque actus ſunt, nec donatio per hoc mutatur, quod promittatur* (§. 76.).

Promiſſio cum inducat perfectam obligationem (§. 363. *part. 3 Jur. natur.*); actus poſſibilis cauſatur futuritionem, ipſum autem actum eſſe ſinit, qualis in ſe eſt. Futuritio abit in præſentiam, quamprimum promiſſio adimpletur, tuncque perinde eſt, ac ſi actus non fuiſſet promiſſus, ſed in præſens abſolvitur, quomodo ſe habuiſſet, ſi ſtatim eo momento, quo promittebatur, abſolutus fuiſſet. Quodſi hæc applicare libuerit ad propoſitionem præſentem, ex omni luce radiabit, quæ eodem affundi poteſt.

§. 78.

Quomodo principia de promiſſione applicanda ad donationem.

Cum donatio & adimpletio promiſſionis donandi unus idemque actus ſint, nec in ipſo actu donandi quicquam per hoc mutetur, quod promittitur (§. 77.); *Quæ de promiſſione qua adimplenda in genere demonſtrata ſunt* cap. 4. part. 3. Jur. nat. paſſim; *ea etiam de donatione intelligenda ſunt.*

Habes hic principium heuriſticum definiendi caſus particulares, qui circa donationem occurrunt, ut adeo non opus ſit ſingulos ſigillatim perſequi, cum non alia re opus ſit, quam ut ad donationem applicentur, quæ de promiſſione, quatenus adimplenda, ſeu de ejus adimpletione demonſtrata fuerunt. Ex. gr. Si conditio poteſtativa ex parte promiſſarii non fuerit perſonalis, promiſſarius eam per alium adimplere poteſt, ut ſcilicet actus adimplendi promiſſionem ſubſiſtat (552. *part. 3 Juris nat.*). *Quodſi ergo quid donatur ſub conditione poteſtativa, nec ea perſonalis fuerit; donatio ſubſiſtit, etiamſi conditio adimpleatur per alium.*

§. 79.

§. 79.

Quando donatio vitietur, ut non ſubſiſtat.

Similiter quia donatio & adimpletio promiſſionis donandi unus idemque actus eſt (§. 77.); *qui valide promittere nequeunt, nec valide donare poſſunt.*

Quemadmodum itaque demonſtravimus in parte tertia Juris naturæ, quaſdam perſonas valide promittere non poſſe, eodem fere modo oſtendi etiam poteſt, eaſdem donare non poſſe, ſiquidem per modum corollarii id inferre non lubet.

§. 80.

Quando donatio vitietur, ut non ſubſiſtat.

Eandem ob rationem *donationem vitiat, quod vitiat promiſſionem* (§. 77.), conſequenter *quando hæc ſubſiſtere nequit, nec illa ſubſiſtere poteſt*, & ex adverſo *quod non vitiat promiſſionem, nec vitiare poteſt donationem.*

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, de præſenti etiam tenenda ſunt.

§. 81.

Donationes quorumnam non valeant; quamdonam tamen validæ.

Quoniam valide donare nequeunt, qui valide promittere non poſſunt (§. 79.), valide autem promittere nequeunt furioſi durante furore, amentes & infantes (§. 449. *part.* 3. *Jur. nat.*), amore inſano laborantes, ii, quos ebrietas uſu rationis privavit, & delirantes (§. 452. 453. 457. *part.* 3. *Jur. nat.*) neque etiam valet promiſſio ex melancholia profecta (§. 460. *part.* 3. *Jur. nat.*); ideo *non valide donare poſſunt furioſi durante furore, amentes & infantes, amore inſano laborantes, ſumme ebrii, quos uſu rationis privavit ebrietas, & delirantes, neque etiam valet donatio ex melancholia profecta.* Sed quia tamen promiſſio furioſi in lucidis intervallis facta (§. 451. *part.* 3. *Jur. nat.*), item facta ab ebrio, quamdiu rationis uſus adhuc integer, vel quando ab ebrio facta, a ſobrio renovatur, aut melancholicorum promiſſio ex melancholia non profecta valet (§. 454. 456. 461. *part.* 3. *Jur. nat.*); *donatio* etiam *furioſi in lucidis intervallis facta, item facta ab ebrio, quamdiu rationis uſus adhuc integer, vel quando ab ebrio facta a ſobrio renovatur, aut melancholicorum donatio ex melancholia non profecta valida eſt.*

Illationes hæ fiunt, quemadmodum jam monuimus (*not.* §. 79.) brevitatis cauſa. Quoniam vero veritas magis eluceſcit, ubi demonſtrationes particulares traduntur; pauca quædam adhuc monenda ſunt. Nimirum ſingulæ demonſtrationes, quas de promiſſionibus dedimus, ad donationem nullo negotio transferuntur. Etenim iſtæ deducuntur ex hoc principio, quod promiſſio fieri debeat animo deliberato, qui in eos non cadit, quorum promiſſionem validam eſſe non poſſe oſtendimus. Enimvero cum homo nihil agere debeat abſque animo deliberato (§. 390. *p.* 3 *Jur. nat.*), nec donatio fieri debet abſque animo deliberato, quemadmodum inde intulimus promiſſionem (§. 391. *p* 3. *Jur nat.*) atque promiſſi acceptationem abſque eo fieri non debere (§ 292. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi de donatione ante promiſſionem agere libuiſſet, poteramus hanc ad illam revocare vi identitatis actus donandi, & promiſſionem adimplendi (§. 75.), demonſtratis ante de donatione, quæ de promiſſione demonſtrata fuerunt. Immo poteramus in genere demonſtrare de datione, quæ de promiſſione demonſtrata ſunt, & ea deinde transferre ad donationem & promiſſionem, quia donatio (§. 48.) & adimpletio promiſſionis dandi datio eſt (§. 430. *part.* 3. *Jur nat.*). Hæc in eorum gratiam obſervamus, quibus uſus rectus methodi curæ cordique eſt omni animi contentione a nobis inculcandus, cum is inter præcipuos fructus ex lectione operum noſtrorum percipiendos referri debeat: neque enim ſine eo ad certam rerum cognitionem pertingere datur.

§. 82.

Quando appetitus ſen-

Quoniam promiſſio naturaliter valida non eſt, ſi quis naturali quodam affectuum impetu abreptus promiſerit (§. 459. *part.* 3. *Jur. nat.*); eodem modo infertur,

fertur, *donationem naturaliter non valere, ſi quis naturali quodam affectuum impetu abreptus donaverit.* *ſtitivus invalidet donationem.*

Quæ de promiſſione in hypotheſi propoſitionis præſentis facta annotavimus (*not.* §. 459. *p.* 3. *Jur. nat.*); ea huc relegenda ſunt, nequicquam dubii circa propoſitionem præſentem ſuperſit.

§. 83.

Similiter quoniam donationem vitiat, ut ea ſubſiſtere non poſſit, quod vitiat promiſſionem, ut hæc ſubſiſtere nequeat (§. 80.), promiſſio vero invalida eſt, ſi error det cauſam promiſſo (§. 569. *part.* 3. *Jur. nat.*), aut ſi vel metu fuerit extorta (§. 576. *part.* 3. *Jur. nat.*); *invalida* quoque *erit donatio*, *adeoque revocari poteſt* (§. 87.), *ſi error det cauſam donationi, vel donatio metu aut vi extorquetur*. Cumque invalida etiam ſit promiſſio, ſi quomodocunque efficis, ut alius metu incuſſo me permoveat ad tibi aliquid promittendum, vel tu quomodocunque ad metum mihi incuſſum concurris (§. 579. 580. *part.* 3. *Jur. nat.*); *donatio* non minus *invalida eſt, ſi tu quomodocunque efficis, ut alius metu incuſſo me permoveat ad tibi donandum, vel tu quomodocunque ad metum mihi incuſſum concurris.* *Error & metus quando vitiet donationem, quando non.*

§. 84.

Ex adverſo cum promiſſio valida ſit, ſi error non dederit cauſam promiſſo (§. 570. *part.* 3. *Jur. nat.*), aut pro ea ſaltem parte valeat, cui cauſam non dedit (§. 572. *part.* 3. *Jur. nat.*), ſimiliter tota valeat, ſi metu ab alio incuſſo permotus tibi rei iſtius minime conſcio quid promittam (§. 577. *part.* 3. *Jur. nat.*) quod vero promiſſionem non vitiat, idem nec donationem vitiare poſſit (§. 80.); *donatio* itidem *valida eſſe debet, ſi error non dederit cauſam eidem, aut ſaltem pro ea parte, cui cauſam non dedit, vel etiam ſi metu ab alio incuſſo permotus tibi rei iſtius minime conſcio quid donem.* *Quando non.*

Puto ex hiſce ſatis conſtare, quomodo ad donationem applicentur ea, quæ de promiſſione demonſtrata fuerunt.

§. 85.

Quia donatio & adimpletio promiſſionis dandi unus idemque actus eſt (§. 77.); *quando & quomodo promiſſio, quæ erat invalida, convaleſcit, tunc etiam & eodem modo donatio convaleſcit, quæ ante erat invalida*, conſequenter *ſi donatio erit invalida, re tamen cognita, verbis vel factis declaret donans ſe eam validam eſſe velle, eadem convaleſcit* (§. 589. 590. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quando & quomodo donatio convaleſcat.*

§. 86.

Quoniam promiſſio non habere debet cauſam expreſſam, ut ſit valida (§. 594. *part.* 3. *Jur. nat.*), ob eandem rationem intelligitur, *quod nec donatio habere debeat cauſam expreſſam, ut ſit valida.* *An donatio habere debeat cauſam expreſſam.*

Quæ de promiſſione annotavimus (*not.* §. *cit.*), eadem de donatione tenenda.

§. 87.

Revocatio donationis quid ſit. *Donatio revocari* dicitur, quando donans declarat, donationem pro non facta haberi debere, conſequenter *ſi res donata jam fuerit tradita, eam ſibi vult reddi, aut, ſi nondum tradita fuerit, eam tradere ſe nolle indicat.*

Quando promiſſio revocatur, promiſſor declarat ſeſe ex promiſſo teneri nolle (§. 595. p. 3. *Jur. nat.*), ut adeo actus futurus fieri non debeat. Enimvero quoniam donatio in præſens abſolvitur (§. 61.), & ex parte donantis abſolutus intelligitur, quamprimum donans animum donandi de præſenti declarat (§. 59.), ut non demum naſcatur obligatio dandi; ideo definitio revocationis promiſſi non commode applicatur ad donationem, niſi facta immutatione, quam differentia inter actum præſentem ac futurum exigit. Quemadmodum itaque revocando promiſſionem actus futurus declaratur pro non futuro, ita actus præteritus ſeu jam factus revocando donationem declarari debet pro non facto. Quodſi ergo res jam fuerit tradita, per ſe ſequitur, eam eſſe reddendam, ſi actus donationis pro nullo haberi debet, nec eam eſſe tradendam, ſi nondum tradita fuerit, cum non tradenda, niſi quia donata (§. 54.).

§. 88.

Revocatio promiſſionis quid ſit. *Promiſſio* etiam *quod revocetur* dici poteſt, quando promiſſor declarat promiſſionem pro non facta haberi debere, unde conſequitur, *promiſſorem promiſſario ex promiſſo teneri nolle, ſi promiſſionem revocet.*

Quodſi hoc modo revocationem promiſſionis definire malueris eandem ad donationem quoque applicare licebit, ut hanc peculiariter definiri non ſit opus.

§. 89.

Quid donationem efficiat irrevocabilem. *Donatio revocari poteſt, antequam acceptetur; facta autem acceptatione revocari nequit.* Ad donationem enim requiritur acceptatio (§. 58.), ita ut ex utraque parte abſoluta non ſit, antequam acceptetur. Quoniam itaque donatione transfertur dominium rei donatæ in donatarium (§. 48. *h.* & §. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi donator animum donandi mutet ante acceptationem, adeoque declaret, donationem pro non facta haberi debere; nullum donatario jus aufertur. Quamobrem cum unicuique permittendum ſit, ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu nil agit contra jus alterius (§. 377. *part.* 3. *Jur. nat.*); donatio revocari poteſt, antequam acceptetur (§. 87.). *Quod erat unum.*

Enimvero donatio ex utraque parte ſtatim abſolvitur, quamprimum donans animum donandi de præſenti & donatarius animum acceptandi ſufficienter declarat (§. 59.), conſequenter dominium rei donatæ tranſit in donatarium (§. 48. *h.* & §. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque nemini invito jus ſuum auferri poteſt (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); donans non amplius habet jus mutandi voluntatem ſuam, conſequenter declarare nequit donationem pro non facta haberi debere. Quamobrem cum donatio revocetur, quando donans declarat, donationem pro non facta habendam eſſe (§. 87.); facta acceptatione donatio revocari nequit. *Quod erat alterum.*

Idem demonſtravimus de promiſſione (§. 596. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero cum demonſtratio de promiſſione data commode applicari nequeat ad donationem; propoſitionem præſentem demonſtratione peculiari muniri conſultius viſum fuit.

§. 90.

An donatio conditionata revocari poſſit. *Donatio conditionata revocari nequit, antequam certum eſt conditionem non extare.* Quando enim donans donatario ſub conditione quid donat, voluntatem ſuam ita declarat, ut res, quam ipſi gratis dat (§. 48.), maneat ipſius, ſiquidem con-

ditio

ditio extet, ea autem iterum fiat ſua, ſi non extet (§. 462. 463. *part.* 3. *Jur. nat.*). Antequam igitur certum eſt, conditionem non extare; declarare nequit, quod rem donatam iterum velit eſſe ſuam, conſequenter donationem pro non facta haberi debere. Quamobrem cum donatio revocetur, ſi donans declarat, donationem pro non facta haberi debere (§. 87.); antequam certum ſit non extare conditionem, donatio revocari nequit.

Nimirum ſi res quædam tibi ſub certa quadam conditione donatur, dominium in ea acquiris vel perpetuum, ſiquidem conditio extet, vel tamdiu duraturum, donec ea extet, quemadmodum ex demonſtratione patet. Hoc jus tibi invito auferri nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Auferretur autem, ſiquidem donatio revocaretur, antequam certum ſit, conditionem non extare (§. 87.). Antequam igitur certum ſit hanc non extare, eam revocare non licet. In ſuperioribus propoſitionem præſentem revera jam aliter demonſtravimus (§. 68.): donatio enim revocabiliter facta continet jus eam revocandi. Non tamen inconſultum duximus ipſum revocationis actum hic definire, & ex hac definitione, qua etiam in aliis habemus opus, demonſtrare, quandonam eidem ſit locus, quando non ſit.

§. 91.

Donatarius obligatur ad gratias agendum donanti. Donatio enim beneficium eſt (§. 65.), conſequenter donans benefactor, donatarius beneficiarius eſt (§. 20. 50.). Sed beneficiarius obligatur ad gratias agendum benefactori (§. 45.). Ergo etiam donatarius obligatur ad agendum gratias donanti. *Obligatio donatarii ad agendum gratias.*

§. 92.

Quoniam donatarius obligatur ad gratias agendum donanti (§. 91.), gratias vero agit, ſi verbis & factis animum gratum ſignificat (§. 44.); *donatarius obligatur ad gratum animum ſignificandum donanti tam verbis, quam factis.* *Obligatio donatarii ad gratum animum donanti ſignificandum.*

Nimirum verbis ſignificari debet ſtatim, verbis autem & factis ſimul, quoties hoc faciendi occaſio offertur. Gratiarum adeo actio non eſt actus, qui in præſens abſolvitur, ſed qui in futurum etiam prominet, toties iterandus, quoties iterandi occaſio offertur. Tempus nimirum non delere debet memoriam beneficii, nec duratio gratiarum actionis æſtimanda ex magnitudine doni, quemadmodum vulgo perſuaſum eſt hominibus.

§. 93.

Donatarius animum gratum habere debet erga donantem: ingratitudo autem lege naturali prohibita. Donatio enim beneficium (§. 65.), adeoque donans benefactor, donatarius beneficiarius eſt (§. 20. 50.). Quoniam itaque beneficiarius animum gratum habere debet erga benefactorem (§. 43.), ingratitudo vero lege naturali prohibita eſt (§. 47.); donatarius etiam animum gratum habere debet erga donantem & ingratitudo erga ipſum prohibita eadem lege naturali. *Gratitudo pro dono accepto præcepta, ingratitudo prohibita.*

Gratitudo conſtantem & perpetuam requirit voluntatem (§. 31.), adeoque nunquam expirat, quamdiu vivis. Perpetua igitur eſſe debet doni accepti memoria, quemadmodum jam monuimus (*not.* §. 92.).

§. 94.

Benefactor non habet jus beneficiarium ad gratitudinem compellendi. Etenim beneficia dantur gratis (§. 19.), adeoque non eo animo, ut viciſſim aliquid recipias (§. 18.), conſequenter nec ſub hac conditione, ut beneficiarius ſeſe tibi obliget ad felicitatem tuam data occaſione promovendam. Quamobrem nec dantur beneficia ſub hac conditione, ut beneficiarius ad gratitudinem ſeſe tibi perfecte *An benefactori ſit jus compellendi beneficiarium ad gratitudinem.*

 fecte

fecte obliget adeoque ad ſatisfaciendum obligationi naturalis (§. 43.), ſed hoc ipſius libertati relinquis, adeoque tibi ferendum, ſi eidem non ſatisfaciat. Tibi igitur jus beneficiarium ad gratitudinem compellendi minime competit (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Gratitudo requirit conſtantem ac perpetuam voluntatem felicitatem benefactoris pro virili promovendi (§. 31.). Voluntas autem cogi cum non poſſit (§. 927. *Pſych. empir.*), nec ad gratitudinem quis cogi poteſt. Ut autem quis compellatur ad actum externum, qui ex gratitudine proficiſci debet, id beneficio, quod gratis datur (§. 19.), repugnat (§. 18.). Immo benefactores ſibi cavent, qui hoc nomen tuentur, ne pro beneficiis viciſſim quid recipiant, non alio fine, quam ne ſtudium benefaciendi videatur mercenarium, adeoque beneficium naturam mutet, abunde contenti, quod beneficiarius animum gratum declarare velit.

§. 95.

An donanti tale competat. Quoniam donatio beneficium eſt (§. 65.); *donanti* etiam *nullum competit jus donatarium ad gratitudinem compellendi*.

Cum dona dentur gratis (§. 48.); eodem prorſus modo demonſtrari poterat, donanti non competere jus donatarium ad gratitudinem compellendi, quo idem de benefactore oſtendimus (§. 94.).

§. 96.

An donatio propter ingratitudinem revocari poſſit. *Donatio propter ingratitudinem naturaliter revocari non poteſt*. Donatori enim nullum competit jus donatarium ad gratitudinem compellendi (§. 95.), conſequenter ſi ingratus is fuerit, nec declarare poteſt, donationem pro non facta haberi debere. Quamobrem cum donatio revocetur, quando donans declarat donationem pro non facta habendam eſſe (§. 87.); donatio propter ingratitudinem revocari naturaliter non poteſt.

Idem per indirectum oſtenditur hoc modo. Pone donatori eſſe jus revocandi donationem propter ingratitudinem. Cum donatio revocetur, quando donans declarat donationem pro non facta habendam eſſe (§. 87.); eidem competere debet jus donationem pro non facta declarandi, ſi quidem donatarius ingratus fuerit. Quoniam igitur hoc pacto compellere vult donatarium ad gratitudinem, ipſi competere debet jus donatarium ad gratitudinem compellendi (§. 156. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Quod utique abſurdum (§. 95.).

Quodſi donatio propter ingratitudinem revocari poſſet, dona darentur ſub hac conditione, ut reſtitui deberent, niſi donatarius fuerit gratus. Nemo autem eſt qui neſciat, dona ſub hac conditione non dari, immo nec ſub eadem acceptari. Si darentur ſub hac conditione, revocatio pœna foret ingratitudinis (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qualis adjici poteſt promiſſioni (§ 606. *p. 3. Jur. nat.*). Enimvero quemadmodum pœna promiſſioni tacite adjecta intelligi nequit; ita nec conditio donationi tacite adjecta intelligitur (§ 75.). Immo ſi per conventionem pœna revocationis adjiceretur, non ſimplex amplius foret donatio, ſed ea in pactum quoddam degeneraret (§. 788. *p. 3. Jur. natur.*). Nimirum donatarius perfecte ſeſe ſibi obligare deberet promittendo ad rem donatam reſtituendum, niſi gratus fuerit (§. 363. *part. 3. Jur. natur.*). Puerorum hæc eſt perſuaſio quaſi donationem revocare poſſint, ſi donatarius faciat, quæ diſplicent, aut facere nolit, quæ ipſi volunt fieri, ſed quia putant, rei donatæ dominium adhuc penes ſe manere: unde etiam donationem revocant, ſi ejus pœnitet. Sed notiones puerorum non conſtituunt jus naturæ. Equidem non ignoro lege civili ob ingratitudinem aliquibus in caſibus donationem revocari poſſe l. 1. 10. C. de revocat. donat. Sed hæc revocatio ſancita eſt in pœnam ingratitudinis: quod cur fieri poſſit lege civili ſuo loco patebit.

§. 97.

Quænam res donari poſſit. *Rem alienam alteri donare non poſſumus*, ſeu, *res, quam alteri donamus, noſtra eſſe debet*. Donator enim rem dat donatario (§. 48.). Sed nemo alteri rem alienam dare poteſt (§. 677. *part. 2. Jur. nat.*). Ergo nemo etiam alteri rem alienam

donare

donare poteſt, conſequenter res, quam donamus, noſtra eſſe debet (§. 124. 146. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 98.

An rem donatam, ſed nondum traditam alienare liceat.

Si rem donatam non ſtatim tradis, eam alii donare, vel alio quocunque modo alienare non licet. Quodſi enim res donata non ſtatim traditur, res donatarii eſt penes donantem (§. 60.), conſequenter ea non amplius tua eſt, ſed aliena (§. 124. 146. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero rem alienam alteri donare non potes (§. 97.), nec quocunque modo eam alienare vales (§. 667. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi rem donatam non ſtatim tradis, eam alii donare, vel alio quocunque modo alienare non licet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si rem donatam, adeoque acceptatam (§. 58.), ſed nondum traditam *per hypoth.* alii dones, vel alio quocunque modo alienes, conſequenter dominium transferas (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*); donationem pro non facta ipſo facto declaras, adeoqne revocas (§. 87.). Enimvero facta acceptatione donatio revocari nequit (§. 89.). Ergo ſi rem donatam non ſtatim tradis, eam alii donare, vel alio quocunque modo alienare non licet.

§. 99.

An jam traditam alienare liceat.

Rem mihi donatam & traditam poſthac alii donare, vel alio quocunque modo alienare non potes. Patet hoc per demonſtrationem alteram propoſitionis præcedentis, quam ſubſiſtere evidens eſt, etiamſi non ſumatur rem donatam nondum fuiſſe traditam.

Differt caſus propoſitionis præſentis a caſu præcedentis in eo, quod in poſteriori res adhuc ſit in poteſtate tua, adeoque tibi adhuc competat potentia phyſica diſponendi de re donata pro arbitrio tuo (§. 24 *part.* 3. *Jur. nat*), quam non amplius habes in priori. Quamobrem facilius contingit, ut, quod jure facere non potes, facere audeas, quia phyſice poſſibile ut facias. In hypotheſi autem propoſitionis præſentis aut donatio expreſſe revocanda foret, quæ tamen revocatio non valeret (§. 89.), aut dolis efficiendum erat, ut tuam veniret in poteſtatem, niſi alio forſan modo in eandem veniſſet. Dari autem motiva rem donatam alii donandi, vel alio quodam modo alienandi facile oſtendi poterat; ſed de iis dicere in præſenti non eſt opus, cum caſus poſſibilitatis nemo facile in dubium revocaverit.

§. 100.

An rem uni jam datam alteri dare liceat.

Immo in genere *rem mihi datam denuo alii dare non potes*, ſeu *res ſemel alienata non denuo alienari poteſt.* Quando enim rem mihi das, ſeu rem ſemel alienas; dominium ejus in me (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſeu in alium transfers (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter ea deſinit eſſe tua (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat*), & fit aliena (§. 146. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero nemo alteri rem alienam dare (§. 677. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſeu eam alienare poteſt (§. 667. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo rem mihi datam denuo alii dare non potes, ſeu res ſemel alienata non denuo alienari poteſt.

Principio hoc generali utemur inferius in demonſtrandis aliis & ex eodem inferre quoque poteramus duas propoſitiones præcedentes, niſi demonſtratio particularis clarior viſa fuiſſet. Ob uſum itaque ſecuturum illud hic demonſtrari non inconſultum duximus.

§. 101.

Quomodo intelligenda

Si rem alteri donas, quæ tua non eſt, ſed quæ tua fieri poteſt, aut quam tuam fieri poſſe putas, quia tua fieri poteſt, aut tuam fieri poſſe putas; donationem pro-

mittere

ſit donatio rei nondum ſuæ. *mittere intelligeris*. Quoniam enim nemo donare alteri poteſt rem, quæ ſua non eſt (§. 97.); ſi dicis, te alteri eam donare, donatio nondum facta. Quoniam vero noſti rem tuam fieri poſſe, aut ſaltem putas eam fieri poſſe tuam, eandem ſpectas tanquam rem, quæ a te donari poterit, conſequenter verbis de præſenti revera declaras animum de futuro, adeoque perinde eſt ac ſi diceres, te alteri rem iſtam donare velle ac in ipſum transferre jus donationem exigendi. Donatio igitur promiſſa intelligitur, ſi rem alteri donas, quæ tua non eſt, ſed quæ tua fieri poteſt, aut quam tuam fieri poſſe putas (§. 361. *part. 3. Jur. nat.*).

Cum donatio ſtatim abſolvatur, quamprimum donans animum donandi de præſenti declarat & donatarius donationem acceptat (§. 59.), promiſſio autem donationis adimplenda ſit (§. 431. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter donatio actu fieri debeat (§. 430. *p. 3. Jur. nat.*); inter donationem & promiſſionem donationis non alia intercedit differentia, quam quod illa ſit actus præſens, donatio autem promiſſa actus futurus. Quamobrem quando verbis quidem de præſenti declaras animum de futuro, dum dicis te donare revera dicis te donationem promittere.

§. 102.

Donationis hujus effectus. Quoniam donatio promiſſa intelligitur, ſi rem alteri donas, quæ tua non eſt, ſed quæ tua fieri poteſt, aut quam tuam fieri poſſe putas (§. 101.), quando vero rem promittis, quæ tua non eſt, tua tamen fieri poteſt, ad dandam operam obligaris, ut tua fiat, & promiſſio valida eſt (§. 657. *part. 3. Jur. nat.*), & quando tuam fieri poſſe putas, ad tantundem alteri obligaris, quantum impendendum erat, ut tua fieret, ſiquidem tua fieri nequeat (§. 658. *part. 3. Jur. nat.*); *ſi rem alteri donas, quæ tua non eſt, ſed quæ tua fieri poteſt, aut quam tuam fieri poſſe putas, in caſu priori obligaris ad dandum operam, ut tua fiat & donatio ſubſiſtit, in poſteriori autem ad tantundem teneris donatario, quantum impendendum erat, ut tua fieret, ſiquidem tua fieri nequit.*

Actus donationis in ſe nihil vitii habet, adeoque ſubſiſtere debet eo modo, quo ſubſiſtere poteſt, nec ulla ratio eſt, cur nihil actum dici poſſit aut debeat. Quamobrem cum ſubſiſtere queat per modum promiſſionis rei nondum tuæ; ſed quæ tua fieri poteſt, aut quam tuam fieri poſſe putas; quin donatio de tali promiſſione accipienda ſit non eſt quod dubitemus.

§. 103.

Quid juris, ſi eadem res bis donetur. *Si quis rem tibi donatam, ſed nondum traditam, denuo donet alteri, eamque tradit; donatio prior ſubſiſtit, tibique competit jus eam vindicandi, vel donantem ad æſtimationem præſtandam adigendi.* Etenim rem tibi donatam, ſed nondum traditam donans non denuo alteri donare poteſt (§. 98.). Quodſi ergo hoc faciat, cum & donatio, & rei donatæ traditio nullo jure fuerit facta, donatio ſubſiſtere nequit. Subſiſtit igitur donatio prior. *Quod erat unum.*

Quoniam res tibi donata, ſed nondum tradita, tua eſt (§. 60.), tibi autem competit jus rem tuam vindicandi adverſus quemlibet poſſeſſorem, aut quemcunque alium, qui eandem in poteſtate ſua habet (§. 544. *part. 2. Jur. nat.*); tibi etiam competit jus rem donatam vindicandi, ſi nondum traditam denuo alii donaverit donans eamque tradiderit. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum res donata ſit tradenda (§. 54.); donatario competit jus ad traditionem donantem adigendi (§. 236. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo eam tradere non poſſit, quod eam alii dederit *per hypoth.* minus habes, quam habere debebas, propterea quod is obligationi ſuæ ſatisfacere noluit. Tenetur igitur tibi ad id, quod intereſt (§. 626. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque te reſtituere in eum ſtatum, quo perinde eſt, ac ſi rem tibi donatam alii non dediſſet (§. 625. *p. 3. Jur. nat.*); conſequenter neceſſe eſt ut æſtimationem præſtet. Tibi adeo competit jus donantem ad æſtimationem rei donatæ præſtandam adigendi, ſi tibi nondum traditam alii dederit. *Quod erat tertium.*

Tui

Tui igitur arbitrii eſt, utrum in caſu propoſitionis præſentis rem a poſſeſſore vindicare, an a donante præſtationem æſtimationis exigere velis, prouti alterutrum vel commodius viſum fuerit, vel alia quacunque de cauſa magis arriſerit.

§. 104.

Temere donandum non eſt. Temere enim nil faciendum (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo nec temere donandum. *Temeraria donatio jure interno illicita.*

Obligationem hanc internam a temeraria donatione abſtinendi vulgo agnoſcunt homines, dum eam reprehendunt, non probant. Contra eam qui agit peccat (§. 440. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 105.

De temeritate donationis judicandum eſt donanti, non donatario. Oſtenditur eodem modo, quo alias demonſtravimus, num promiſſor omnia probe expenderit, quæ ipſi expendenda ſunt, de eo non ſtatuendum eſſe promiſſario (§. 422. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Cujuſnam ſit judicium de temeritate donandi.*

Donatarius nimirum præſumit donationem non fieri temerarie, niſi manifeſto contrarium appareat. Et hæc præſumtio ſufficit ad liberandam conſcientiam propriam in donatione acceptanda. Naturaliter quilibet conſcientiæ ſuæ arbiter eſt (§. 157. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 106.

Si temeritas donatoris fuerit manifeſta, donatarius donationem acceptare non debet, & ubi poſt acceptationem ea ipſi demum innoteſcit, donum quod acceptum reſtituendum, niſi interſit donatum eſſe. Oſtenditur eodem modo, quo idem de temeritate promiſſoris demonſtravimus (§. 773. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam donatio & adimpletio promiſſionis donandi unus idemque actus eſt (§. 77.); præſens propoſitio per modum corollarii inferri poterat ex iis, quæ de temeritate promittendi demonſtrata ſunt. *Officium donatarii circa donationes temerarias.*

Quænam donationes ſint temerariæ, per definitionem facti temerarii patet (§. 277. *part.* 3. *Jur. nat.*), modo animum attendas ad circumſtantias, præſertim ad perſonam tam donantis, quam donatarii & quantitatem doni. Uſui hic ſunt, quæ præcipit lex naturæ circa donationes, ne a rectitudine deficiat actus (§. 159. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), mox diſtinctius exponenda.

§. 107.

Donatio temeraria valida eſt. Etenim cum donatio ſit datio rei ſuæ (§. 48. 97.), temeraria vero obligationi naturali repugnet (§. 104.); donatio temeraria ad abuſum rerum ſuarum referenda (§. 168. *part.* 2. *Jur. nat.*). Etſi autem abuſus rerum ſuarum lege naturali ſit prohibitus (§. 170. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque in ſe illicitus (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); natura tamen nemo alteri rationem reddere tenetur, quomodo re ſua utatur, nec ulli jus eſt abuſum rerum impediendi, quamdiu qui rebus abutitur nil facit contra jus alterius (§. 169. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem etſi temeraria donatio in ſe illicita ſit *per demonſtrata*; natura tamen nemo rationem reddere tenetur alteri, cur donet, nec ulli jus eſt temerariam donationem impediendi, quamdiu donatio non ſit contra jus alterius. Patet itaque donationem temerariam validam eſſe. *Donatio temeraria num valeat.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Cum de temeritate donationis judicandum non ſit donatario (§. 105.); nec is inquirere tenetur, utrum temeraria ſit donatio, nec ne, antequam eandem acceptet. Quamobrem quia donatio valida ſit, quamprimum acceptata (§. 59.); etiamſi temeraria fuerit, poſt acceptationem valida eſt. Patet adeo donationem temerariam validam eſſe.

Non

Non eſt quod objicias; ſi temeritas donandi manifeſta ſit, donationem a donatario non eſſe acceptandam, &, ubi poſt acceptationem illa demum innoteſcit, quod temere donatum, eſſe reſtituendum (§. 106.); hæc enim obligatio interna eſt, nec officit validitati actus quoad jus externum. Quemadmodum enim in omnibus actibus humanis, qui aliorum utilitatem reſpiciunt, obligatio externa ab interna probe diſtinguenda (§. 656. 657. *p.* 1. *Jur. nat.*); ita hoc diſcrimen etiam obſervandum in donationibus. Quoniam vero jus externum derivatur ex jure libertatis naturalis (§. 398. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſuo loco patebit, propoſitionem præſentem minime obſtare, quo minus temeritas donandi lege civili coerceri poſſit.

§. 108.

An donatio & ejus acceptatio requirat animum deliberatum.

Nemo donare debet abſque animo deliberato, nec donatio acceptanda abſque animo deliberato. Homo enim nil agere debet abſque animo deliberato (§. 390. *part.* 3 *Jur. nat.*). Ergo nec donare quid debet, nec donationem acceptare abſque animo deliberato.

Patet idem etiam hoc modo. Promiſſio fieri non debet abſque animo deliberato (§. 391. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec abſque eo acceptanda promiſſio (§. 932. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque promiſſionis donandi adimpletio & donatio unus idemque actus ſunt (§. 77.); nec donatio & ejus acceptatio abſque animo deliberato fieri debet.

Demonſtrationem poſteriorem addere lubet, ut appareat, quæ de animo deliberato promiſſoris & promiſſarii demonſtrata ſunt in parte tertia, de animo deliberato donantis & acceptantis etiam valere.

§. 109.

An donare liceat rem, qua ipſimet indigemus.

Nemo alteri donare debet rem, qua ipſemet indiget, ſeu donatio rei, qua ipſemet indiges, naturaliter illicita. Quoniam enim uſus rerum neceſſarius ad hoc requiritur, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus (§. 12. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi re quadam indiges, ſine ea obligationi cuidam naturali ſatisfacere nequis. Quodſi ergo eandem alteri dones, cum dominium ejus in eum transferas (§. 48.), adeoque uſu ejuſdem te prives (§. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*), obligationi cuidam naturali jam ſatisfacere non potes, cui tamen ſatisfacere potuiſſes. Quamobrem cum nemo ſeipſum ab obligatione ſua liberare poſſit (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*); nemo etiam alteri donare debet rem, qua ipſemet indiget, ſeu donatio rei, qua ipſemet indiget, naturaliter illicita.

In eo jam ſumus, ut demonſtremus, quænam obſervanda ſint donanti, ne donando peccet, conſequenter quando donatio ad abuſum dominii referenda, quem naturaliter prohibitum eſſe conſtat (§. 170. *part.* 2. *Jur. nat.*), etſi ipſa lex naturæ indulgeat impunitatem eodem abutendi (§. 421. *part.* 3. *Jur nat.*), quatenus ſcilicet neminem facit arbitrum conſcientiæ alterius (§. 418. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 157. *part.* 1. *Jur. nat.*). Nec eſt, quod excipias, alterum, cui rem iſtam donas, eadem etiam indigere. Tum enim colliditur officium erga teipſum cum officio erga alium (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter te ipſum eidem præferre debes (§. 229. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*).

§. 110.

Quando id magis reprehendatur.

Quoniam nemo alteri donare debet rem, qua ipſemet indiget (§. 109.); *multo minus donare debemus alteri rem, qua ipſimet indigemus, alter vero minime indiget.*

Ex. gr. Ponamus te habere librum, quo maxime indiges, ſed qui raro haberi poteſt. Ponamus alterum eum a te petere, quia rarus eſt, etſi nulli uſui eidem ſit. Quodſi eundem ipſi donares; adeoque te privares uſu rei, qua in acquirenda ſcientia, ad quam acquirendam obligaris (§. 241. *p.* 1. *Jur. nat.*), opus habes; jure interno hoc pro illicito declarandum. Fieri equi-

equidem poteſt, ut ex colliſione officiorum erga teipſum oriatur exceptio; ſed ea ex principiis exceptionum in dato caſu particulari facile definienda; quem in finem ſequentem ſubnectere lubet propoſitionem.

§. 111.

Quomodo facienda exceptio in colliſione officiorum erga alios.

Si duo officia erga ſeipſum colliduntur, illud vincit, ad quod major eſt obligatio. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo demonſtravimus, idem obtinere in colliſione duorum officiorum erga alios (§. 230. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Ad quænam major ſit obligatio, ex ſpeciali tractatione facile innoteſcit. Noſtrum jam non eſt longa digreſſione hic inculcare, quæ proprie hujus loci non ſunt. Et quamvis amplum condimus ſyſtema hujus juris; nemo tamen ſibi perſuadeat, quaſi ea tradere nobis videamur, quæ ſola ſufficiant: quin potius multa iiſque abſtruſiora aliis in poſterum indaganda relinquimus, qui eodem tramite progredi voluerint, nobiſque ſufficit tradidiſſe principia, quibus opus habent, ut longius progredi poſſint. Quodſi philoſophiæ practicæ, cujus pars eſt jus naturæ, excolendæ eam operam impenderent excelſa ingenia, quam in Geometria conſumunt; non minus præclaris inventis ſcientiam locupletare poterant, quam Geometræ eandem ditant.

§. 112.

Donationes vitæ commoditatem & jucunditatem reſpicientes quando legi naturæ conformes.

Si cui non deſint ea, quæ ad vitæ neceſſitatem neceſſaria, deſint tamen, quæ ad vitæ commoditatem ac jucunditatem faciunt, fuerit autem is meliori fortuna dignus, ei donare, quæ ad vitæ commoditatem vel jucunditatem faciunt, legi naturæ conſentaneum. Quicquid enim facere potes, ut alii vitam commode ac jucunde tranſigant, ad hoc faciendum obligaris (§. 645. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi cui equidem non deſint ea, quæ ad vitæ neceſſitatem neceſſaria, deſint tamen, quæ ad vitæ commoditatem ac jucunditatem faciunt, fuerit autem is meliori fortuna dignus; quando ei donas, quæ ad vitæ commoditatem vel jucunditatem faciunt, utique facis, quod legi naturæ conſentaneum.

Conveniunt iſtiuſmodi donationes amori, quo alios tanquam noſmetipſos proſequi debemus (§. 619. *part.* 1. *Jur. natur.*) Qui enim alterum amat, is eidem voluptatem creare ſtudet (§. 652. *Pſychol. empir.*): quod fieri, ſi quid ei largiatur, quod ad vitæ commoditatem vel jucunditatem facit, cum ei deſit, nemo eſt, qui dubitet. Sane qui alios amat tanquam ſeipſum; is omnes vitam commode ac jucunde tranſigere vellet, præſertim eos, qui meliori fortuna digni ſunt, nec ſua culpa iis carent, quæ ad vitæ commoditatem ac jucunditatem faciunt. Amor igitur ſtimulus eſt, ut hanc voluntatem iis ſaltem ipſo facto ſignificet, ubi in poteſtate ſua id fuerit.

§. 113.

Donatio ad promovendum propoſitum præclare quid præſtandi factum legi naturæ conveniat.

Si cui fuerint vires & animus in uſum generis humani præclare quid præſtandi, deſint tamen ſumtus ad inſtitutum exequendum requiſiti; donationibus idem promovere legi naturæ conſentaneum. Quilibet enim obligatur ad faciendum omnem facultatum ſuarum uſum, qui ad ſervandam legem naturæ, conſequenter ad promovendum commune bonum (§. 221. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 554. *Pſych. empir.*), requiritur (§. 172. *part.* 1. *Jur. nat.*), & cui amplior eſt facultatum ac virium uſus, is ad plura præſtanda obligatur (§. 177. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſique dentur ad perfectionem hominis ſtatuſque ejuſdem promovendam neceſſaria, quæ non in omnium poteſtate ſunt, ad ea conſequenda obligantur ii, quorum in poteſtate iſta ſunt (§. 184. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque lex naturæ dat nobis jus ad ea omnia, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); cui ſunt vires & animus in uſum generis humani præclare quid præſtandi, ei etiam dat jus ad ſumtus, ſine quibus propoſitum exequi non poteſt, conſequenter cum dominiis introductis iidem ipſi deſint *per hyp.* alii ad eos ſuppeditandos obligantur, qui dare valent (§. 124. 127. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum donet, qui gratis dat (§. 48.), ſi cui fuerint

vires & animus in uſum generis humani præclare quid præſtandi, deſint tamen ſumtus ad inſtitutum exequendum requiſiti; donationibus idem promovere tenentur, qui poſſunt, conſequenter donationes hunc in finem factæ legi naturæ conſentaneæ ſunt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Homines per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligantur ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui, conſequenter commune bonum (§. 554. *Pſych. Empir.*), promovendum conjunctis viribus (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo uni fuerint vires ac animus in uſum generis humani præclare quid præſtandi, deſint tamen ſumtus ad hoc exequendum requiſiti, ſint vero alii, qui eosdem ſuppeditare valent *per hypoth.* hi ſuppeditare ſumtus, illi operam impendere debent, ut in utilitatem generis humani præclare quid præſtetur. Quamobrem cum dono det ſumtus, qui eos gratis ſuppeditat (§. 48.); ſi cui fuerint vires & animus in uſum generis humani præclare quid præſtandi, deſint tamen ſumtus ad propoſitum ſuum exequendum requiſiti, donationibus idem promovere legi naturæ conſentaneum.

Obligatio hæc naturalis vulgo parum agnoſcitur. Quamobrem vix quicquam datur, quod rarius iſtiuſmodi donationibus, quæ tamen utilitate ſua ceteris longe præſtant. Sed nondum eſt ea generis humani felicitas, ut ad communem felicitatem promovendam unuſquiſque lubentiſſime ac flagrantiſſime conferat; quod in poteſtate ipſius eſt. Immo optanda magis, quam ſperanda videtur ob rationes, quas hic recenſere & prolixum nimis, & ab inſtituto præſenti alienum foret.

§. 114.

Dona ſunt medium declarandi animum gratum.

Donis benefactori declarare poſſumus animum gratum. Cum enim donationes beneficium ſint (§. 65.), beneficia autem voluptatem creent, immo gaudium tribuant accipienti (§. 33.); donationes etiam donatario voluptatem creant, immo gaudium tribuunt, conſequenter ad felicitatem ejus quidpiam conferunt (§. 638. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum animus gratus conſiſtat in conſtante ac perpetua voluntate omni ſtudio id agendi, ut benefactor ſit felix (§. 31.); quin donis eidem declaretur animus gratus dubitandum non eſt.

Propoſitionis præſentis veritatem facile agnoſcunt omnes, ut ſine probatione eam admittant. Non tamen ideo ſuperflua videri debet demonſtratio, cum per eam diſtincte cognoſcatur, cur dona loquantur animum gratum.

§. 115.

Donationes gratitudinis cauſa factæ num l. nat. conveniant.

Quoniam donis declarare poſſumus animum gratum (§. 114.); beneficiarius autem obligatur ad gratias benefactori agendas (§. 45.), conſequenter ad animum gratum etiam factis ſignificandum (§. 44.); *donationes animi grati declarandi cauſa factæ legi naturali conveniunt.*

Hanc obligationem naturalem agnoſcunt homines, modo gratum erga benefactorem habeant animum. Hinc donationes hujus generis non infrequentes ſunt, ſit ita quod ſubinde actui interno adhæreat aliquid vitioſi: id quod etiam actibus aliis accidere ſolet. Illa enim actuum rectitudo, quam urget lex naturæ (§. 189. p. 1. *Phil. pract. univ.*), ardua eſt, nec ubivis obvia, ubi actus externi legi naturæ conveniunt, nec ab internis prorſus diſſentiunt.

§. 116.

Donationes ſunt medium ſignificandi amorem.

Donis alteri declarare poſſumus amorem noſtrum. Cum enim donatio beneficium ſit (§. 65.), benefactor vero intendere debeat voluptatem, immo gaudium alterius (§. 35.); donans quoque voluptatem, immo gaudium donatarii intende-

re

re debet. Quamobrem cum alterum amet, qui voluptatem ipſius, conſequenter etiam gaudium (§. 614. *Pſych. empir.*), appetit (§. 650. *Pſych. empir.*); quin donis alteri declarare poſſimus amorem noſtrum, dubitandum non eſt.

Ipſa experientia loquitur donationes proficiſci ſolere ex amore, niſi quis ſuam donando intendat utilitatem. Quamobrem vix aliquem fore puto, qui de veritate propoſitionis præſentis dubitet, etiamſi demonſtrationis vim minime percipiat: immo potius haud paucos fore dubito, qui exiſtimaturi ſunt poſſe propoſitionem præſentem ſumi abſque demonſtratione, immo ſumi debere.

§. 117.

Donationes amoris declarandi cauſa factæ num l. n. conveniant.

Quoniam donis alteri declarare poſſumus amorem noſtrum (§. 116.), unuſquiſque autem alterum quemcunque amare debet tanquam ſeipſum (§. 619. *p.* 1. *Jur. nat.*); *donationes amoris declarandi cauſa factæ legi naturæ conveniunt.*

Datur etiam amor illicitus, ſi alterum amamus ob finem illicitum, vel quod nobis in eo placent, quæ diſplicere debebant. Quodſi hujus amoris ſignificandi cauſa donatio fiat, eam illicitam eſſe nemo non agnoſcit, non quod amoris ſignificandi cauſa donatio fieri minime debeat, ſed quod ea profluat ex fonte impuro, & labem contrahat ab eo, quod vitioſum eſt in amore. Cum in demonſtratione ſumatur amor, qui lege naturali præcipitur; ipſa quoque propoſitio ad alium non extendenda.

§. 118.

Donationes ſunt medium ſignificandæ exiſtimationis.

Donis declarare poſſumus exiſtimationem aliorum. Donis enim declarare poſſumus amorem noſtrum erga alios (§. 116.). Cum amor oriatur, ſi quid in altero obſervemus, qnod nobis placet (§. 645. *Pſych. empir.*), conſequenter ex quo voluptatem percipimus (§. 542. *Pſych. empir.*), adeoque perfectionem quandam (§. 511. *Pſych. empir.*), iiſdem etiam ſignificare poſſumus noſtrum de perfectione alterius judicium. Quoniam itaque in hoc judicio exiſtimatio conſiſtit (§. 538. *part.* 1. *Jur. nat.*); donis quoque exiſtimationem aliorum declarare poſſumus.

Vulgo hoc agnoſcitur: neque enim infrequens eſt, ut donis aliis ſignificemus, quanti eos æſtimemus. Immo nec infrequens eſt, ut dona ab aliis accepta interpretemur tanquam ſignum exiſtimationis.

§. 119.

An donationes ſignificandæ exiſtimationis cauſa factæ l. n. conveniant.

Quoniam donis declarare poſſumus exiſtimationem aliorum (§. 118.), unuſquiſque autem alterum tanti exiſtimare debet, quanti meretur (§. 647. *part.* 1. *Jur. nat.*); *donationes, quæ exiſtimationis ſignificandæ cauſa fiunt, legi naturæ conveniunt.*

Fieri equidem poteſt, ut donatio, qua exiſtimatio ſignificatur, aliunde vitium trahat, ſed hoc in præſenti non attenditur. Et quoniam unumquemque tanti exiſtimare debemus, quanti meretur (§. 647. *p.* 1. *Jur. natur.*), in definiendo dono habenda etiam ratio eſt meriti. Enimvero ea in præſenti non attendimus, ubi tantummodo docemus, quo animo fieri debeant donationes, ut ſint legi naturæ conſentaneæ. Alia enim quæſtio eſt, quomodo definienda ſit quantitas, quomodo determinandum genus doni. Quodſi enim de donatione in caſu particulari ferendum judicium, ad multa principia recurrendum, ne ulla ex parte a rectitudine ea deficiat.

§. 120.

Dona eſſe medium conciliandi amoris & favoris.

Donis aliorum favorem & amorem nobis conciliare poſſumus. Donationes cum ſint beneficia (§. 65.); eædem voluptatem creant, immo gaudium tribuunt accipienti (§. 33.), conſequenter placent (§. 542. *Pſych. empir.*). Quoniam adeo

amor oritur, ſi, quod in altero obſervamus, nobis placet (§. 645. *Pſych. empir.*); quin dona aliorum amorem nobis concilient dubitandum non eſt. *Quod erat unum.*

Quodſi donum accipiens donationem conſideret tanquam actum ſibi conciliandi amorem alterius, citra relationem ad ſe; exinde colligit morem alterius donis ſibi aliorum amorem conciliandi (§. 687. 826. *p. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum donatio placeat *per demonſtrata*; placere etiam debet mos alterius amorem donis ſibi conciliandi, adeoque acceptus ſit neceſſe eſt. Enimvero cum amor alterius ob mores nobis acceptos ſit favor (§. 791. *Pſych. emp.*); quin donis, quibus aliorum amorem nobis conciliamus *per demonſtrata*, etiam eorundem favorem nobis conciliemus, itidem dubitare non poſſumus. *Quod erat alterum.*

In demonſtratione uti tantummodo potuimus principiis generalibus, cum in genere demonſtranda fuerit propoſitio. In caſibus autem particularibus dantur rationes adhuc aliæ, cur donationes placeant & non minus favorem, quam amorem concilient, prouti circumſtantiæ tum ex parte donantis, tum ex parte donatarii differunt. Aſt prolixum nimis foret, ſi caſus particulares ad propoſitiones determinatas revocare vellemus, quæ uſum magis habent in Philoſophia morali, quam in Jure naturæ, ubi ſufficit in genere conſtare, quod hypotheſis donationum favoris & amoris conciliandi gratia factarum non ſit impoſſibilis: neque enim alio fine propoſitionem præſentem ſequenti præmittimus.

§. 121.

Donationes amoris ac favoris conciliandi cauſa factæ num l. n. conveniant.

Donationes amoris & favoris aliorum, quorum ope indigemus, ſibi conciliandi cauſa factæ legi naturæ conveniunt. Etenim qui nos amat, is voluptatem nobis creare, tædium vero a nobis avertere ſtudet (§. 652. *Pſych. empir.*), conſequenter ad felicitatem ipſius confert, quod conferre poteſt (§. 638. *Pſych. empir.*), & quod eidem adverſum, removere conatur (§. 639. *Pſych. empir.*). Et qui nobis favet, is in promovenda felicitate nos aliis præfert (§. 793. *Pſych. empir.*). Enimvero operam dare tenemur, ut ſimus felices, cavere autem nobis, ne ſimus infelices (§. 280. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nobis aliorum amorem ac favorem conciliare tenemur, quorum ope indigemus. Quoniam itaque donis & amorem & favorem aliorum nobis conciliare poſſumus (§. 120.); evidens eſt, donationes amoris & favoris aliorum, quorum ope indigemus, ſibi conciliandi cauſa factas legi naturæ convenire.

Patet ex demonſtratione præſenti, *nos obligari ad eorum amorem ac favorem nobis conciliandum, quorum ope indigemus*: id quod hic notandum eſſe duximus, ut eodem principio uti liceat in demonſtrandis aliis, ſiquidem eodem opus habuerimus. Solent homines aliorum amorem ac favorem donis aucupari, quando eorundem ope indigent: quod in ſe nihil vitii habere ex demonſtratione præſenti intelligitur, quamvis non negemus poſſe actum in ſe licitum per circumſtantias ſingulares illicitum reddi, quemadmodum etiam actibus aliis accidit. Sed de his alio loco dicemus. Animo hic recolenda, quæ paulo ante annotavimus de donationibus in caſibus particularibus rite dijudicandis (*not.* §. 120.).

§. 122.

Donationes in ſe num ſint licitæ.

Donationes in ſe illicitæ non ſunt. Ponamus donationes omnes in ſe illicitas eſſe. Quoniam ad id omittendum obligamur, conſequenter idem lege naturali prohibetur (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quod in ſe illicitum eſt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); donationes omnes lege naturali prohibitæ, adeoque nullo in caſu eidem conſentaneæ ſunt: quod abſurdum (§. 112. 113. 115. 117. 119. 121.).

Directe etiam oſtenditur hoc modo. Donationes beneficia ſunt (§. 65.). Quamobrem cum homines ſibi invicem obligentur ad beneficia mutua, quantum in poteſtate eſt (§. 23.); ad donationes etiam ſibi invicem tenentur, quantum

in poteſtate eſt, conſequenter eædem prohibitæ non ſunt (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque nec in ſe illicitæ eſſe poſſunt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Nimirum donationes, quemadmodum beneficia cetera, non præcipiuntur, niſi quatenus in poteſtate noſtra ſunt non modo phyſice, verum etiam moraliter, conſequenter cum in datione conſiſtant (§. 48.), quantum permittit rectus dominii uſus. Jure autem externo; cum domini ſit diſponere pro arbitrio de re ſua (§. 118. *part.* 2. *Jur nat.*), licita ſunt (§. 170. *part.* 1. *Philoſ pract. univerſ.*).

§. 123.

An donationes ob finem illicitum licitæ.

Quoniam donationes in ſe illicitæ quidem non ſunt (§. 122.), medio tamen licito non uti licet ad malum finem conſequendum (§. 256. *part.* 3. *Jur. nat.*); *donis* quoque *non uti licet ad malum finem conſequendum*, adeoque *donationes mali finis conſequendi gratia factæ illicitæ ſunt*.

Principium hoc ampliſſimi uſus eſt in moralitate donationum dijudicanda. Cum enim donationes in ſe ſpectatæ illicitæ non ſint, nec tamen jure interno etiam licitæ dici poſſint, actiones autem temerariæ, quæ nullo fine fiunt (§. 277. *part.* 3. *Jur. nat.*), ſimpliciter damnentur (§. 278 *p* 3. *Jur. nat.*); in donationibus finis ſemper habendа ratio eſt, etſi is ſolus ad definiendam moralitatem donationum minime ſufficiat.

§. 124.

Principium generale de donationibus licitis.

Donationes, quæ faciunt ad ſatisfaciendum officio cuidam erga nos, vel alios, vel etiam erga Deum, licitæ ſunt. Quoniam enim officia ſunt actiones juxta legem naturæ determinatæ (§. 225. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quæ faciunt ad ſatisfaciendum officio cuidam erga nos, vel alios, vel etiam erga Deum, ea faciunt ad ſatisfaciendum obligationi naturali (§. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Cum ergo lex naturæ det nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ea etiam dat nobis jus ad donationes, quæ faciunt ad ſatisfaciendum officio cuidam erga nos, vel alios, vel etiam erga Deum, conſequenter donationes, quæ faciunt ad ſatisfaciendum officio cuidam erga nos, vel alios, vel etiam erga Deum, licitæ ſunt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Quodſi ergo tibi perſpecta fuerint officia erga teipſum, erga alios & erga Deum, & ex circumſtantiis caſus dati appareat, ſi cuidam eorum ſatisfacere velis, opus eſſe ut alteri quidpiam dones, haud difficulter definies per principium præſens moralitatem donationis. Poſſunt caſus particulares, quos dedimus ante, ad principium hoc generale revocari: non tamen hoc modo demonſtrationes evadunt iis, quas dedimus, breviores, cum demonſtrandum ante ſit donationem facere ad ſatisfaciendum officio cuidam erga nos, vel alios, vel etiam erga Deum, quam vi propoſitionis præcedentis inferri queat, quod ſint licitæ, adeoque juri naturæ convenient. Qui in methodo demonſtrativa nondum ſatis verſati per ſaltum ratiocinari ſolent, iis multa facilia videntur, quæ non ſunt, ſiquidem rigorem demonſtrandi deſideraveris.

§. 125.

Principium univerſale de donationibus illicitis.

Donationes illicitæ ſunt, quæ officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios, vel etiam erga Deum repugnant. Quoniam enim officia hæc omnia ſunt actiones juxta legem naturæ determinatæ (§. 225. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ſi hæ fuerint poſitivæ, ad eas committendas, ſi negativæ, ad eas omittendas obligamur (§. 131. 163. 164. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quando ergo donatio aliqua repugnat officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios, vel erga Deum, ſi ea fiat, actionem quandam una committere debemus, quam omittere tenebamur, vel omittere debemus, ad quam committendam obligati ſumus. Quamobrem vi legis natu-

naturæ etiam donationes iſtas omittere tenemur, conſequenter eædem illicitæ ſunt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Quodſi ergo tibi perſpecta fuerint officia cum erga ſeipſum & erga alios, tum etiam erga Deum, & ubi donandi occaſio ſeſe offert, circumſtantiæ caſus dati loquuntur, quod contra officium aliquod vel quid committendum, vel omittendum fuerit, moralitatem donationis vi principii præſentis facile definies. Huc trahi poteſt caſus donationis rei, qua ipſemet indiges (§. 109.), præſertim ſi donatarius eadem minus indigeat (§. 110.). Ceterum quæ ad propoſitionem præcedentem de ejus uſu, ſeu applicatione annotavimus, ea etiam de applicatione principii præſentis notanda ſunt. Notandum vero præterea in utroque caſu, ut applicatio rite fiat ac ſine difficultate, probe perpendendas eſſe omnes circumſtantias tum ex parte tui, tum ex parte donatarii, ac inprimis cur dones: finis enim donationis magnum momentum habet in moralitate ejus definienda. Sed de hiſce apertius dicendum erit in Philoſophia morali, in qua ea demonſtranda, quæ ad praxin officiorum & rectum juris noſtri uſum ſpectant.

§. 126.

Quænam donationes ad uſum, quænam ad abuſum dominii pertineant.

Donationes licitæ, quæ ad uſum dominii pertinent; illicitæ quæ ad ejus abuſum referendæ. Quoniam donatio datio (§. 48.), adeoque dominii translatio eſt (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), dominus vero re ſua non aliter uti debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167. *part.* 2. *Jur. nat.*); nec donationes locum habent, niſi quando eas obligatio quædam naturalis exigit, cui in dato caſu ſatisfaciendum, & in hoc caſu ad uſum dominii pertinent. Atque adeo patet, donationes non eſſe licitas, niſi quando ad uſum dominii pertinent. *Quod erat unum.*

Ex adverſo quoniam re ſua abutitur, qui quid facit, quod obligationi cuidam naturali conſequenter officio cuidam (§. 225. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), repugnat (§. 168. *part.* 2. *Jur. nat.*); donatione quoque abutitur, quando donans facit, quæ officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios, vel etiam erga Deum repugnant. Atque adeo evidens eſt donationes eſſe illicitas, quæ ad abuſum dominii pertinent. *Quod erat alterum.*

Ex hoc principio deduci poterant, quæ de moralitate donationum eorundemque validitate quoad jus externum tenenda ſunt: id quod facile perſpiciet, qui ad notionem uſus & abuſus dominii animum advertit (§. 167. & ſeqq. *p.* 2. *Jur. nat.*). Sed ut facilior evadat principii uſus, ſequentia adhuc addere lubet.

§. 127.

Principium generale definiendi donationes licitas.

Quoniam donationes licitæ quæ ad uſum dominii pertinent (§. 126.), dominus vero re ſua non aliter uti debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167. *part.* 2. *Jur. nat.*); *donationes licitæ tendunt ad ſatisfaciendum obligationi cuidam naturali*, ſeu, quod perinde eſt, *donationes eo fine fiunt, ut obligationi cuidam naturali ſatisfiat, quando licitæ ſunt.*

Convertit hoc principium illud, quod paulo ante (§. 124.) demonſtravimus.

§. 128.

Principium generale definiendi donationes illicitas.

Similiter quoniam donationes illicitæ ad abuſum dominii referendæ (§. 126.), abuſus vero dominii lege naturali prohibitus (§. 170. *part.* 2. *Jur. nat.*) & re ſua abutitur, qui eodem uſurus quid facit, quod obligationi cuidam naturali repugnat (§. 168. *part.* 2. *Jur. nat.*); *donationes illicitæ contrariantur obligationi cuidam naturali*, ſeu, quod perinde eſt, *donans quid facit, quod obligationi cuidam naturali repugnat, quando donatio illicita eſt.*

Convertit hoc principium illud, quod paulo ante (§. 125.) demonſtravimus, etſi incautis videri poſſit idem cum illo vi notionis officii (§. 224. & ſeqq. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*): id quod etiam de principio generali definiendi donationes licitas (§. 127.) valet.

§. 129.

§. 129.

Principium definiendi validitatem donationum illicitarum.

Quoniam nemini jus eſt abuſum rerum impediendi, quamdiu qui rebus ſuis abutitur nil facit contra jus alterius (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*); donationes autem illicitæ ad abuſum dominii referendæ (§. 126.), *nemini* quoque *jus eſt impediendi donationes illicitas, quamdiu donans nil facit, quod eſt contra jus alterius*, conſequenter *donationes illicitæ validæ ſunt*, ſeu *jure externo*, quale eſt dominii translatio (§. 657. *part. 1. Jur. nat.*), *ſubſiſtunt, quamdiu non contra jus alterius fiunt*.

Veritatem hujus principii agnoverunt JCti Romani, agnovit etiam *Grotius*: ſed non opus eſſe exiſtimamus, ut de re ſatis nota plura dicamus.

§. 130.

Jus donantis externum illimitatum.

A domini unice voluntate pendet, utrum alicui quid donare velit, an nolit, & quomodo ſeu qua lege donare velit. Donatio enim datio (§. 48.), conſequenter dominii translatio eſt (§. 675. *part. 2. Jur nat.*). Enimvero a domini unice voluntate pendet, in quem dominium rei ſuæ transferre velit, nec ne (§. 12. *p.* 3. *Jur. nat.*), immo quomodo transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo ab ejus etiam voluntate pendet, utrum alicui quid donare velit, an nolit, & quomodo ſeu qua lege donare velit.

Videmus adeo jus donantis externum, ſi in ſe ſpectetur, eſſe prorſus illimitatum: id quod etiam vulgo agnoſcitur, cum ipſa dominii notio hoc inſinuet (§. 118. *part 2. Jur. natur.*). Aberrant autem, qui jus externum cum interno confundunt, quorum hoc ab obligatione quadam naturali deſcendit (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), nec niſi hujus adimplendæ gratia a lege naturæ tribuitur (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), illud autem ex libertate naturali, omni homini competente (§. 146. *part. 1. Jur. natur.*), tanquam fonte ſuo profluit (§. 398. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quæ enim vi libertatis naturalis fiunt, non in univerſum licita ſunt (§. 157. *p.* 1. *Jur. nat*), libertate naturali obligationem naturalem minime tollente (§. 159. *p* 1. *Jur. nat.*), utut impunitatem agenti tribuente (§. 420. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 131.

Jus donantis internum quomodo limitetur.

Dominus obligatur ad eum faciendum juris donandi uſum, quem officia exigunt. Homo enim obligatur ad eum faciendum juris ſui uſum, quem officia exigunt (§. 60. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum jus donandi domino competens (§. 130.) ſit jus homini competens; dominus quoque obligatur ad eum faciendum juris donandi uſum, quem officia exigunt.

Equidem quod hic demonſtratur jam ex anterioribus ſatis manifeſtum eſt (§. 124. 127.); non tamen inconſultum fuit propoſitionem præſentem ſubjungere præcedenti, ut dilucidius conſtet, quomodo jus donandi, quod illimitatum eſt, ſi jus externum ſpectes, limitetur, quatenus internum reſpicis, adeoque differentia inter jus donandi externum atque internum intimius perſpiciatur, ac evidentius appareat, quomodo omnia in Jure naturæ inter ſe cohæreant. In Matheſi non infrequens eſt, ut una eademque veritas pluribus modis demonſtretur: idem autem multo magis admittendum in Jure naturæ & veritatibus omnibus moralibus; ubi plurimæ dantur rationes, cur appetitus ſenſitivus haud raro nitatur adverſus evidentiam, adeoque una demonſtratio facilius extorqueat aſſenſum, quam altera, illo licet renitente, præſertim cum non facile ſit veritatum moralium nexum intime perſpicere ac appetitus in aſſenſum influxum cohibere.

§. 132.

Pactum donationi num adjici poſſit.

Donator donationi pactum quodcunque licitum adjicere poteſt. Ab ipſius enim voluntate unice pendet, quomodo ſeu qua lege donare velit (§. 130.), conſequenter etiam quodnam pactum donationi adjicere velit. Quamobrem donatio-

ni

ni pactum quodcunque licitum adjicere poteſt, cum illicita ſint prohibita (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Donator dat gratis accipere volenti (§ 48. 58.). Quamobrem ex parte ipſius tanto minus iniqua dici poteſt voluntas pacti adjiciendi. Quodſi autem hoc diſplicet donatario, liberum ipſi eſt donationem non acceptare. Pacto itaque adjecto nil committitur, de quo conqueri jure poſſit donatarius, quippe qui nullum jus habet donatorem ad donandum compellendi (§. 73.).

§. 133.

Pactum de non alienando donationi adjectum.

Quoniam pacta quæcunque donationi adjici poſſunt a donatore (§. 132.); *donatio etiam fieri poteſt ſub pacto non alienandi rem donatam.*

Ex. gr. dono tibi hortum, vel agrum meum, ſed ea lege, ne a te & ſucceſſoribus tuis alienetur. Hic dominium, quod in te transfero, reſtringitur auferendo jus alienandi domino competens (§. 665. *part.* 2. *Jur. nat.*), & quando tu donationem acceptas, revera promittis te hortum, vel agrum, quem tibi dono, alienare nolle, conſequenter ad non alienandum te obligas. Donans adeo paciſcor jus privativum, nimirum jus non alienandi. Non mihi reſervo hoc jus, neque in totum, neque ex parte, ut ad alienationem requiratur conſenſus meus: ſed idem prorſus extingui volo, ita ut res ſua natura alienabilis efficiatur inalienabilis, ſalvo ceteroquin omni jure reliquo, quod dominium continet. Quoniam dominus jure dominii de re ſua pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§. 118 *part.* 2. *Jur. nat.*), nec jura particularia, quæ jus dominii continet, ita inter ſe cohæreant, ut a ſe invicem divelli non poſſint; abſurdum non eſt, ut voluntate domini res quædam ſua efficiatur inalienabilis, adeoque jus non alienandi eidem inhæreat, nec niſi cum eo ad alium ſucceſſorem tranſeat. Nihil difficultatis occurrit, ſi jus externum ſpectes. Poſſunt vero etiam ſubeſſe rationes, quæ jure interno licitam efficiunt domini rem ſuam inalienabilem efficiendi voluntatem: id quod in caſu particulari facile patet, modo eas ad officiorum normam exigas. Etenim *quod officiis convenit*, id lege naturali prohibitum non eſt (§. 224. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque nec illicitum, conſequenter *licitum* (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quemadmodum ex adverſo *illicitum* intelligitur, *quod officio cuidam repugnat* (§§. *cit.*). Videmus adeo, quam ſit neceſſe, ut in Jure Naturæ etiam tradantur officia, etſi ea virtutis ſint. Etenim ſubinde etiam in demonſtrando jure externo ad ea recurrendum, nec abſque jure interno, quod ſine officiis non intelligitur, penitus perſpicitur jus externum: id quod ex noſtris demonſtrationibus, quas paſſim damus, abunde patet. Etſi autem jus internum cum externo conſtanter conjungamus, non tamen ideo dici poteſt, quod illud cum hoc confundamus: internum enim cum externo confundit, qui utrumque pro uno eodemque venditat, nec unum ab altero diſtinguit, non vero qui utrumque ſimul inculcat.

§. 134.

Pactum de revocanda donatione eidem adjectum.

Similiter quoniam *donatio fieri poteſt* ſub pacto quocunque (§. 132.); eadem etiam fieri poteſt *ſub* hoc *pacto, ut tibi, quamdiu vivis, reſerves jus donationem revocandi, quandocunque viſum fuerit, nec ea niſi morte tua efficiatur irrevocabilis, vel etiam ut revocari poſſit ob cauſam quandam expreſſam, ſive res donata ſtatim tradatur, ſive ad certum tempus differatur.*

Ex. gr. ob cauſam expreſſam revocari poteſt donatio, ſi ſuperveniant liberi, quibus tempore donationis cares, vel ſi uxorem ducas, quando cælebs donas, vel ſi conditio quædam, ob quam donas, non extiterit, aut ſi donator quid fecerit, vel non fecerit.

§. 135.

Pactum de jure ad præſtationem quandam donatarium aut ejus ſucceſſorem compellendi.

Ex eadem ratione *donatio fieri poteſt ſub pacto, ut tibi vel ſucceſſoribus tuis, aut iis, quorum intereſt, ne quid fiat, vel ut quid fiat, competat jus donatarium vel rei donatæ poſſeſſorem compellendi ad aliquid faciendum, aut prohibendi ne faciat, vel, ſi factum fuerit, actum irritum reddendi, ſeu reſcindendi.*

Ex. grat. Dono tibi agrum meum ſub hoc pacto, ut quotannis ſtudioſo cuidam Matheſeos

des

des decem thaleros ad emendos libros mathematicos, & volo hoc onus perpetuo inhærere agro. Reſervo mihi vel ſucceſſoribus meis, aut perſonæ alii cuidam, veluti Profeſſori Matheſeos in aliqua Univerſitate jus te aut poſſeſſorem agri iſtius compellendi ad dandum iſtos decem thaleros quotannis, niſi hoc fiat, ac prohibendi, ne dentur alii, quam ſtudioſo Matheſeos, nec alium in finem, quam ad emendos libros mathematicos. In hypotheſi propoſitionis præſentis donatio irrevocabilis eſt, nec facto donatarii aut ſucceſſoris ejus fit irrita. In genere autem apparet omne jus, quod rei donatæ perpetuo quaſi inhæret, ſeu quo eadem afficitur, æſtimandum eſſe ex pacto donationi adjecto. Neque adeo opus eſt, ut ad particularia deſcendamus, cum principia generalia, quæ hic tradimus, abunde ſufficiant ad caſus particulares definiendos. Prudentiæ vero donatoris eſt, ut in pacto adjecto mentem ſuam ſatis explicet, ne diſceptationibus locum faciat, nonniſi interpretationibus ac præſumtionibus terminandis.

§. 136.

Donatio conditionata, ſub modo vel onere aut ex certa cauſa facta.

Ex eadem ratione *donatio fieri poteſt ſub conditione, ſub modo & ſub onere, item ex certa cauſa, veluti ob bene merita, vel virgini extraneæ pro dote.*

Suppoſuimus in anterioribus, donationem fieri poſſe ſub conditione, ſub modo & ſub onere (§. 68 69. 71. 72.). Hic vero id oſtendendum erat, ne ſumſiſſe videamur, quod moraliter impoſſibile. Ceterum quid ſit donatio ſub conditione, ſub modo, ſub onere facta, ex iis intelligitur (§. 77.), quæ de promiſſione conditionata atque pura (§ 462. *part. 3. Jur. nat.*), & de promiſſione ſub modo (§. 557. *p. 3. Jur. nat.*) ac ſub onere facta diximus (§. 585. *p. 3. Jur. nat.*). Unde ſimul intelligitur, quandonam donatio dicatur pura, quandonam conditionalis, quando dicenda ſit modalis, quando onéroſa. Notandum vero hic eſt, quod de differentia donationis ſub modo & onere facta ſupra annotavimus (*not. §. 72.*), immo & quod (*ibidem*) in ſpecie de donatione ſub onere facta monuimus.

§. 137.

Pacta donationi adjecta num ſint ſervanda.

Pacta donationi adjecta ſunt ſervanda. Licite enim adjiciuntur donationi (§. 132.). Quamobrem cum pacta ſint ſervanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); nulla quoque ratio eſt, cur pacta donationi adjecta ſervanda non ſint. Servandum igitur eſt pactum quodcunque donationi adjectum.

Nimirum quando donatarius donationem ſub pacto factam acceptat, in ea, quæ pactum continet, conſentit (§ 2. *part. 3. Jur. nat.* & §. 658. *p. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter promittendo ſe obligat, quod pacto ſtare velit (§. 393. 788. *part. 3. Jur. nat.*). Non alio animo donatio fit, niſi ut pacto ſtetur: in donatione autem ſequenda voluntas donatoris (§. 130.). Non urgemus hic conſenſum Doctorum, quem videre licet apud Cardinalem *Tuſchum* Pract. concl. Jur. Tom. 1. concl. 642. Nimis enim prolixum foret, ſi ubivis annotare vellemus, quandonam Juris civilis ac canonici Doctores, vel etiam JCti Romani æquitatem naturalem ſequantur.

§. 138.

An pœna donationi adjici poſſit.

Quoniam pacta ſunt ſervanda (§. 137.), adeoque donatarius faciat, vel non faciat neceſſe eſt, quod vi pacti facere, aut non facere debet (§. 430. *part. 3. Jur. nat.* & §. 77. *h.*), pœna autem motivum eſt faciendi, vel non faciendi (§. 287. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *donator* quoque *in pacto donationi adjecto cum donatario convenire poteſt, ut pœnæ loco quid det, ſiquidem non fecerit, quod facere debebat, vel fecerit, quod non facere debebat, vi pacti.*

Ex. gr. dono tibi centum aureos, ut Doctor fias, ſed ea lege, ut, niſi Doctor factus fueris, quinquaginta aureos des Hoſpitali S. *Hieronymi*. Vi pacti donationi adjecti Doctor fieri debes & facta eſt donatio ſub modo: qui ubi adimpletus non fuit, quinquaginta aurei Hoſpitali S. *Hieronymi* dandi ſunt pœna, quam continet pactum. Nemo non videt, pœnam non alio fine adjici, quam ut tanto certior ſis pecuniam donatam ad eum finem impendi, in quem datur. Nec minus patet, donationem ſubſiſtere, quæ modo non adimpleto ſubſiſtere non poterat (§. 71.), & quæ ſub modo facta videbatur, mutari in conditionatam disjunctivam, cum perinde ſit ac ſi dice-

dicerem : dono tibi centum aureos , ſi Doctor fias ; aſt dono tibi quinquaginta aureos & totidem dono Hoſpitali S. *Hieronymi* , ſi Doctor non fias . Pœna adeo adjecta donatio modalis mutat ſpeciem. Simile exemplum eſt, ſi tibi dono quingentos aureos, ut ſtudio Theologiæ operam naves , ſed ſub hac clauſula pœnali ut trecentos des Titio ſtudio huic ſe mancipanti , ſi tu ſtudium Juris , vel Medicinæ amplectaris. Forſan non deerunt aliqui , quibus donationi parum convenire pœnam adjectam exiſtimaturi ſunt, cum donatio beneficium ſit (§. 65.) , beneficiarium vero punire velle abſonum videatur. Enimvero hi erunt , qui ex notionibus confuſis de re per tranſennam conſpecta judicant. Quodſi vero ex notionibus diſtinctis nobiſcum ratiocinentur, nebulæ , quæ mentem obfuſcant, protinus diſpellentur , & modo ad exempla , quæ dedimus , animum advertant, haud obſcure intelligent , adjectionem pœnæ in donatione ſub pacto factam nihil alere abſurdi , nec donationem pœnalem inter chimeras eſſe referendam.

§. 139.

Quando revocatio donationis tacite reſervetur.

Qui alteri quid donat, quia moriturus eſt, tacite ſibi reſervat jus revocandi donationem ante mortem, quando viſum fuerit. Quoniam poſt mortem nulla re amplius indigemus, ſi quid alteri donamus, quia morituri ſumus ; id ideo fieri intelligitur, quia re iſta non amplius indigemus, conſequenter donatio fieri intelligitur ſub tacita hac conditione, niſi re iſta ante mortem ipſimet indigeamus. Quamobrem cum conditionata promiſſio pro non facta habenda , quamprimum certum eſt deficere conditionem (§. 534. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec donatio ſubſiſtere poteſt, quæ ideo facta, quia moriturus es , ubi ante mortem re donata ipſemet indiges (§. 78.), conſequenter quia donatio revocatur , quando donator declarat, donationem pro non facta haberi debere (§. 87.) , qui alteri quid donat, quia moriturus eſt, tacite ſibi reſervat jus revocandi donationem ante mortem, ſiquidem eadem ipſemet indigeat. Enimvero vi libertatis naturalis donatori permittendum, ut de propria indigentia ſuum ſequatur judicium (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ergo qui alteri quid donat, quia moriturus eſt , tacite ſibi reſervat jus revocandi donationem ante mortem , quando ſibi viſum fuerit.

Notandum hic eſt *indigentiam æſtimari ex neceſſitate ſatisfaciendi obligationi ſuæ naturali* , quemadmodum jam alias inſinuavimus (§. 33. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem tanto minus dubitari poteſt, donanti ideo , quia moriturus eſt, permittendum eſſe, ut donandi voluntatem mutet, quamdiu vixerit. De indigentia enim propria judicare is nequit niſi ex circumſtantiis præſentibus . Quoniam vero dies mortis incerta eſt , nec caſus futuros homini prævidere licet; nemo quoque novit, annon emergere poſſit caſus, antequam moriatur, quo de indigentia propria aliter ſit judicandum, quam vi circumſtantiarum præſentium . Quamobrem cum naturaliter homini competat jus mutandi voluntatem , quando mutata fertur in melius (§. 374. *part.* 3. *Jur. natur.*) ; qui donat ea de cauſa, quod moriturus ſit, ſeu intuitu mortis, jus iſtud ſibi reſervare videtur . Quodſi enim hoc ſibi reſervare nollet , donaret ſimpliciter , nulla mortis mentione facta , cum donationem ſubſiſtere vellet vi circumſtantiarum præſentium. De animo igitur mortis intuitu donantis aliter judicari nequit , quam quod tacite ſibi reſervet jus donationem ante mortem revocandi . Et quoniam adeo donator in donatarium nonniſi jus revocabile transfert, ipſi quoque permittendum eſt , ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu vixerit (§. 377. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 140.

Donatio mortis cauſa quænam ſit.

Donatio mortis cauſa dicitur donatio ideo facta , quia moriturus es, conſequenter vel cum expreſſa, vel cum tacita reſervatione donationem ante mortem revocandi, quando viſum fuerit (§. 139.).

Hinc *Marcianus* l. 1. ff. de mort. cauſa donat. & capion. mortis cauſa donationem eſſe dicit , cum quis magis habere ſe vult, quam eum, cui donat, magisque eum, cui donat , quam hæredem ſuum . Nemo enim eſt , qui non videat , verbis cum quis magis ſe habere vult , quam eum, cui donat , indigitari , donationem mortis cauſa fieri ſub tacita hac conditione ; niſi ipſe re donata ante mortem indiguerit , conſequenter cum reſervatione juris eam ante mortem revocandi , ſi de propria indigentia aliter poſthac ob circumſtantias minime prævisas judicaverit, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis liquet . Cur vero mortis

cauſa

cauſa donans eum, cui donat, habere magis velit, quam hæredem ſuum, deinceps oſtendetur. Hinc Imperator §. 1. I. de donat. donationem mortis cauſa factam explicat, cum quis ita donat, ut, ſi quid humanitus ei contigiſſet, haberet is, qui accepit, ſin autem ſupervixiſſet, is, qui donavit, recipiat, vel ſi eum donationis pœnituiſſet, aut prior deceſſerit is, cui donatum ſit. Sed noſtrum eſt oſtendere, quænam ex donatione mortis cauſa deducantur, cum ea ſint juris naturalis. Cum his ſi deinde conferantur, quæ de donatione mortis cauſa tradit Jus Romanum; unicuique facile conſtabit, quantus ſit hujus juris cum jure naturæ conſenſus, vel diſſenſus.

§. 141.

Quonam mortis cauſa donatio fieri poſſit. Quoniam mortis cauſa donans ideo donat, quia moriturus eſt (§. 140.), nos vero aliquando morituros eſſe, certum eſt, etſi incerta ſit dies mortis; *mortis cauſa donare poteſt non modo, qui infirma valetudine utitur, aut is, cui periculum mortis imminere videtur, verum etiam qui integra adhuc valetudine utitur.*

Nemo hominum ullo tempore a periculo mortis immunis prorſus eſt, licet dentur cauſæ, ob quas idem magis metuimus, quam abſque illis. Quamobrem qui mortis cauſa quid facere vult, prudenter facit, ſi de eo ſtatuit, quando adhuc ſanus eſt, utut ignoret, utrum propinquæ mortis periculum adſit, nec ne. Dari autem cauſas, quæ propinquæ mortis periculum loquuntur, nemini ignotum eſt, veluti cum in morbo periculoſo quis conſtituitur, vel periculoſam navigationem, aut iter infectum feris, latronibus, inimicis, hoſtibuſve ingreditur, aut in militiam proficiſcitur, aut ætate feſſus, quemadmodum jam notarunt JCti Romani l. 3. & ſeqq. ff. de mort. cauſa donat. & cap. Abunde igitur patet, ſi cui animus eſt, ut alter poſt mortem ſuam habeat rem quandam, eum donare poſſe, etiamſi nulla ipſi adhuc ratio eſſe videatur, cur ſibi a morte metuat. Ne tamen temere quis donet (§. 104.), cum ſub circumſtantiis futuris temerarium fieri poſſit, quod ſub præſentibus non eſt; reſervatione juris mutandi voluntatem, conſequenter donationem revocandi, quando aliter viſum fuerit, opus eſt: ita nimirum & donatario, & donanti conſulitur. Etenim nec huic ullo modo nocet, ſi tempeſtive ſignificet ſuam donandi voluntatem; nec illi periculum eſt amittendi beneficium, quod in ipſum conferre voluerat donator, morte autem præventus non contulerat.

§. 142.

An donatio mortis cauſa ſit juris naturalis. Quoniam donatio mortis cauſa revocari poteſt, quamdiu vixeris (§. 141.), donatio autem fieri poteſt ſub hac lege, ut tibi reſerves jus eam revocandi, quando viſum fuerit (§. 134.); *donatio mortis cauſa eſt juris naturalis.*

Etſi hic oſtendatur donationem mortis cauſa eſſe juris naturalis; non tamen propterea omnia juris naturalis ſunt, quæ Jus Romanum de hac donatione ſancivit.

§. 143.

Quomodo efficiatur irrevocabilis. Similiter quia *donatio mortis cauſa* ante mortem revocari poteſt, quamdiu vixeris (§. 141.); ea *nonniſi morte donatoris efficitur irrevocabilis, adeoque ſubſiſtit.*

Nimirum donator vult, ſe mortuo rem manere tuam, etſi ſibi reſervet jus donationem revocandi ante mortem. Hoc igitur ſi factum non fuerit, revocatio fieri poſt mortem minime poteſt, atque adeo donatio morte donatoris efficitur irrevocabilis.

§. 144.

Quando res mortis cauſa donata ſit tradenda. Quoniam qui mortis cauſa donat ante mortem donationem revocare poteſt, quandocunque viſum fuerit (§. 141.); neceſſe non eſt, ut res donata ſtatim tradatur, conſequenter *rem mortis cauſa donatam ſtatim tradendi nulla datur obligatio* (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque *in arbitrio ejus, qui mortis cauſa donat, poſitum eſt, utrum rem donatam ſtatim ſeu ante mortem tradere velit, nec ne.* Cum vero poſt mortem donatoris donatio ſubſiſtat, nec revocari amplius poſſit

 (§. 143.),

143.), res donata autem tradenda ſit, donatione nimirum ſubſiſtente (§. 54.); *quod mortis cauſa donatum poſt mortem donatoris tradendum.*

Julianus l. 2. ff. de mort. cauſa don. tres conſtituit ſpecies donationum mortis cauſa, nimirum unam, cum quis nullo præſentis periculi metu, ſed ſola cogitatione mortalitatis donat; aliam cum quis imminente periculo commotus ita donat, ut ſtatim fiat accipientis; tertiam denique, ſi quis periculo motus non ſic det, ut ſtatim faciat accipientis, ſed tum demum, cum mors fuerit inſecuta. Enimvero quis non videt fieri etiam poſſe, ut ſola mortalitatis cogitatione donans rem donatam ſtatim tradat, conſequenter nonniſi duas ſpecies donationum mortis cauſa conſtituendas eſſe, niſi præter utilitatem quatuor conſtituere malis. Non tamen ideo reprehendimus *Julianum* in Jure civili tres harum donationum ſpecies facientem. Quoniam enim nemo facile negaverit, raro admodum contingere ut mortalitatis cogitatione donans rem ſtatim tradat, ex his autem, quæ forte uno aliquo caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur l. 4. ff. de LL. neceſſe non erat, ut *Julianus* ſpeciem donationum mortis cauſa faceret, quando quod mortalitatis ſola cogitatione donatur ſta im ſeu ante mortem traditur. Aliter ſeſe res habet in Jure naturæ, ubi omnes caſus poſſibiles ſunt diſtinguendi, ſive fuerint rariores, ſive frequentiores. Æquitatis eſt nemini imputare errores, quamdiu ſententia defendi poteſt.

§. 145.

Quando mortis cauſa quis donaſſe non præſumatur. Quoniam mortis cauſa donatio ſine reſervatione juris eam ante mortem revocandi, quando ita viſum fuerit, non concipitur (§. 141.); *ſi quis moriens, vel etiam periculo imminente commotus, aut ſola mortalitatis cogitatione donat abſque reſervatione juris revocandi, ſeu irrevocabiliter donat, is cauſa mortis minime donat*, conſequenter *ſi quis moriens vel in periculo mortis imminente conſtitutus, ſed nulla mortis mentione facta, donat, mortis cauſa non donaſſe præſumitur, niſi rationes probabiles admodum in contrarium proſtent.*

Poſſibilitas caſuum donationis pendet a motivis: unice enim a donatoris voluntate pendet, num & qua lege donare velit (§. 130.), voluntas autem non determinatur niſi per motiva (§. 889. *Pſych. empir.*), quæ nomine *cauſæ impulſivæ* vulgo inſigniuntur a Scholaſticis. Enimvero cum vi libertatis naturalis unicuique permittendum ſit, ut in determinandis actionibus ſuis, conſequenter in determinanda voluntate, a qua actiones liberæ dependent (§. 12. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſuum ſequatur judicium, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), nec ulli hominum rationem reddere tenetur ſuarum actionum (§. 158. *part. 1. Jur. natur.*), conſequenter nec cur ita voluntatem ſuam determinet; *motiva agendi in jure externo non attendenda*. Quando itaque mortis aut mortalitatis cogitatione donans ideo donat, quia ſe mori, vel moriturum eſſe aut mori poſſe putat; nondum tamen hinc ſequitur, quod mortis cauſa donet, propterea quod mortis cogitatio tantummodo influit in motivum voluntatis donandi. Mortis enim cauſa donat, qui perpendit, ſe poſt mortem re, quam donat, non indigere, adeoque eam vult eſſe alterius, vel morte inſecuta, vel ſub hac conditione aut expreſſa, aut tacita, niſi ipſemet eadem, antequam moriatur, indigeat: neque enim alia de cauſa a donatione mortis cauſa revocatio donationis inſeparabilis. Aſt qui mortem cogitans donat, non vero mortis cauſa, is tantummodo vult, ut rem quandam a ſe habeat donatarius, ſi mortuus fuerit, vel forſan moriatur. Donat igitur ſimpliciter, neque adeo ſibi reſervat jus donationem revocandi, ſiquidem non moriatur, quemadmodum putabat, aut ſi forſan emergat ante mortem caſus, quo ipſemet re donata indigeret. Ex. gr. ſi quis dicat, quando moriturus ſum, nihil ex his terris mecum ablaturus. Dono igitur tibi, ut quid a me habeas, vel ut beneficium in te collatum etiam mortui memoriam conſervet; is cogitatione mortalitatis donat, non tamen mortis cauſa. Vult enim rem eſſe accipientis ante mortem, nec ſub conditione mortis aut proprie indigentiæ ante eandem, adeoque nihil eſt, quod donationem revocabilem efficiat. Similiter ſi quis morbo gravi ac ancipite laborans ſimpliciter dicat: dono tibi annulum hunc, vel accipe hunc annulum tanquam ſignum mei in te amoris, etſi donet, propterea quod ſe moriturum exiſtimat, adeoque cogitatione mortis, non tamen ideo mortis cauſa donat ex eadem, quam modo diximus, ratione. Nihil hic difficultatis ſupereſt, modo ad definitionem animum attendas, ut conſideres, utrum donans cogitatione mortis aut mortalitatis expreſſe ſibi reſervaverit jus donationem revocandi, aut ex ejus verbis hæc reſervatio colligatur (§. 140.).

§. 146.

§. 146.

Si quis donat ſub hac conditione, ut non accipias niſi poſt mortem ſuam, cum traditionem tantummodo differat, non vero animum revocandi donationem ante mortem, ſi ſibi ita viſum fuerit, declaret, mortis autem cauſa donatio facta non intelligatur niſi cum reſervatione juris eam, ſi ita viſum fuerit, ante mortem revocandi (§. 140.); *is mortis cauſa non donat.*

An mortis cauſa donatio ſit, ſi traditio poſt mortem differatur.

Nimirum qui ita donat, irrevocabile in te ſtatim transfert dominium, nec propterea donat, quia moriturus eſt, ſed tantummodo vult rem, quam donat, poſſidere uſque ad mortem ſuam (§. 23. 32. *part.* 3. *Jur. nat.*): aſt qui mortis cauſa donat, eandem rem vult eſſe tuam, niſi ipſe, ſi non moriatur, vel ante mortem ſuam eadem adhuc indigeat, ac ideo nonniſi revocabile dominium in te transfert (§. 140.). Aliud nimirum eſt datio, qua dominium transfertur (§. 675. *part.* 3. *Jur. nat.*), & aliud eſt translatio dominii revocabilis pro ſuo arbitrio, aliud dominii irrevocabilis translatio. Conditio in caſu præſenti non reſpicit dationem, in qua donatio conſiſtit (§. 48.), ſed traditionem, quæ donationem ſupponit, aut cum ea conjungitur (§. 54.).

§. 147.

Si quis donat ſub hac conditione, ut, ſi moriatur, res donata maneat donatarii, ſi vero valetudini reſtituatur, aut periculum mortis evadat, eandem recipiat, is mortis cauſa donat, cum donet quia moriturus eſt, ſed ſibi reſervet expreſſe jus revocandi donationem ante mortem, nimirum ſi aliquo tempore, quo ſe moriturum, vel mori poſſe ſuſpicatur, non fuerit mortuus (§. 141.).

An mortis cauſa donet, qui ſub conditione mortis, quam ſuſpicatur, donat.

Donat nimirum ſub conditione mortis, qua non ſecuta donatio evaneſcit (§. 534. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ipſa autem donatio cum revocatione certo caſu jam contineat (§. 87.); dubium non eſt ullum, quin donator jus revocandi donationem, ſiquidem non moriatur, ſibi reſervaverit. Ad hunc caſum potiſſimum reſpiciunt Juris Romani interpretes, quando ad donationem mortis cauſa factam requirunt, ut fiat in eventum mortis, propterea quod ejus diſertam mentionem facit Imperator, dum donationem mortis cauſa explicat §. 1. I. de donat. Quoniam tamen adhuc dantur caſus alii, qui mortalitatis cogitationem tantummodo ſupponunt; ideo verba in eventum mortis latiori ſignificatu accipienda, ut in eventum mortis dare idem ſignificet, ac dominium ante mortem ſemper revocabile transferre, nimirum ut poſt mortem res maneat apud donatarium, ante mortem autem recipere poſſit eandem donator, quando ipſi viſum fuerit.

§. 148.

Si quis mortis cauſa non donat, ſed irrevocabiliter, *inter vivos donari* dicitur. Unde *donatio inter vivos* eſt, qua quis irrevocabiliter donat, conſequenter *qui inter vivos donat, rem ſtatim vult fieri donatarii, nec ullo caſu ad ſe reverti.* Dicitur etiam *ſimpliciter donare*, qui inter vivos donat. Unde donatio inter vivos intelligitur, quando de donatione ſimpliciter ſermo fit, niſi res ipſa loquatur, intelligendam eſſe donationem omnem, ſeu hoc expreſſe dicatur.

Donatio inter vivos quænam ſit.

Si quis mortis cauſa donat & rem ſtatim tradit, eam quoque ſtatim fieri vult donatarii, non tamen vult eandem manere donatarii, ubi caſus emergit, in quo ipſemet eadem indiget, vel quo donationem revocari conſultum judicat, adeoque deeſt voluntas, ne ullo caſu ad ſe revertatur. Quamobrem donatio mortis cauſa a donatione inter vivos in eo potiſſimum differt, quod hæc ſit irrevocabilis, illa minime, & quod hæc ſit ſtatim irrevocabilis, illa demum morte donatoris irrevocabilis fiat.

§. 149.

§. 149.

Donatio quænam in ſe invalida.

Donatio omnis, tum quæ mortis cauſa, quam quæ inter vivos fit, invalida eſt, ſi fuerit contra jus alterius, & ex parte invalida eſt, ſi ex parte contra jus alterius ſit. Etenim nemo quicquam vi libertatis naturalis facere poteſt, quod eſt contra jus alterius (§. 156 *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem etſi a voluntate donatoris unice pendeat, utrum donare velit, nec ne, & qua lege donare velit (§. 130.), conſequenter num mortis cauſa, an inter vivos donare malit (§. 148.); donare tamen in neutro caſu debet, quando donatio eſt contra jus alterius. Quamobrem invalida eſt donatio omnis, ſive mortis cauſa, ſive inter vivos facta, quæ fuerit contra jus alterius, & ſi pro parte contra jus alterius fuerit, pro ea parte invalida eſt.

Brevius ita oſtenditur. Nemo quicquam facere debet, quod eſt contra jus alterius (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo nec donare debet, quando donatio eſt contra jus alterius. Quodſi ergo donatio ſive mortis cauſa, ſive ſimpliciter ſeu inter vivos facta fuerit contra jus alterius, ea invalida eſſe debet, &, ſi pro parte contra jus alterius fuerit, pro ea parte invalida eſt.

Nimirum qui quid facit contra jus alterius; eum lædit (§. 910. *p. 1. Jur. natur.*), adeoque etiam donator lædit eum, contra cujus jus facta donatio. Quoniam itaque nemo lædendus (§. 695. *part. 1. Jur. nat.*); donatio quoque contra jus alterius quomodocunque facta ſubſiſtere nequit. Quodſi vero tantummodo pro parte facta contra jus alterius, ratio nulla eſt, cur non pro ea parte ſubſiſtere poſſit, pro qua nihil fit contra jus alterius, conſequenter pro ea parte valida eſſe debet. Repugnat igitur donatio contra jus alterius facta principio legis naturalis, quod nemo ſit lædendus: quod inter principia Juris etiam civilis refert Imperator §. 3. Inſtit. de J. & J. Ceterum ex propoſitione præſente patet ratio non unius legis de donationibus.

§. 150.

Quantum ſit jus donatarii.

Donatarius omnis non plus juris habet, quam in eum transferre voluit donator. Etenim a voluntate donatoris unice pendet, quodnam jus transferre voluerit in donatarium (§. 130.). Quoniam itaque acceptatione non plus juris acquirere potes, quam transferens in te transferre vult (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); nec donatarius ullus plus juris habere poteſt, quam in eum transferre voluit donator.

Nulla igitur donatario injuria fit, ſi donator jure ſuo utitur, quod in donatarium non tranſtulit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque ſibi reſervavit.

§. 151.

Quando donatio mortis cauſa evaneſcat.

Si mortis cauſa donans donet ſub hac conditione, ut, ſi moriatur, res maneat donatarii, ſi vero valetudini reſtituatur, aut periculum mortis evadat, eandem recipiat; ſuperato morbo, vel periculo mortis, donatio evaneſcit. Etenim donatarius non plus juris habet, quam in eum transferre voluit donator (§. 150.). Quodſi ergo donator voluit, ut morbo vel periculo mortis ſuperato, rem donatam recipiat, nec ea maneat donatarii, niſi ubi mortuus fuerit; nec ea hujus eſſe poteſt, ſi donator valetudini reſtituatur, aut periculum mortis evadat, ſed quando hoc contingit, res ſtatim iterum fit donatoris, conſequenter donatio, qua dominium in donatarium translatum fuerat (§. 48. *h.* & 675. *p. 2. Jur. nat.*), ipſo jure evaneſcit.

Nimirum in hypotheſi propoſitionis præſentis jus donatarii ſtatim evaneſcere voluit donator, ſiquidem convaleſcat, vel periculum mortis evadat. Quamobrem id quoque morbo vel periculo mortis ſuperato evaneſcere debet.

§. 152.

§. 152.

Caſus ſpecialis.

Quoniam mortis periculum evaneſcit, ſi *iter periculoſum initurus, aut in militiam profecturus, propoſitum mutet*; mutato propoſito *donatio ſub hac conditione facta, ut periculo mortis ſuperato rem donatam recipiat donator, evaneſcit* (§. 151.).

§. 153.

Obligatio donatarii & jus donatoris in utroque caſu.

Quoniam *donatio* evaneſcit, *ſi facta fuerit ſub hac conditione, ut, ſi moriatur donator, res maneat donatarii, ſi vero valetudini reſtituatur, aut periculum mortis evadat, & donator reconvaleſcat, vel mortis periculum evadat, aut iter periculoſum ineundi, vel in militiam eundi propoſitum mutet* (§. 151. 152.); in eadem hypotheſi *donator ad rem tradendam obligatur donatario, &, ubi tradita fuerit, hic eam reſtituere tenetur, donatori autem competit jus eam vindicandi* (§. 467. 544. *par. 2. Jur. nat.*).

Nimirum ſi res non ſtatim tradatur, ſub hac conditione promiſſa intelligitur, ſi donator moriatur (§. 69.). Quamprimum itaque morbum ſuperavit, aut a periculo mortis liber exiſtit, promiſſio pro non facta habenda (§. 534. *p. 3. Jur. nat.*); conſequenter nec donator ad tradendum donatario ullo modo obligatur (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*). Ceterum per ſe patet, quæ de mutato propoſito iter periculoſum ingrediendi, vel in militiam eundi diximus, ea intelligi in genere de omni caſu alio, quo quis facere conſtituerat, unde mortis periculum ipſi imminere poterat, veluti ſi quis pugnæ ſingulari ſe committere, aut peſte vel alio morbo maligno laborantibus aſſiſtere debet.

§. 154.

Quomodo donatio mortis cauſa ipſo facto revocetur.

Si res mortis cauſa donata a donatore alienetur, ipſo facto donationem is revocaſſe intelligitur. Quoniam enim nemo præter dominum rem alienare poteſt (§. 667. *part. 2. Jur. nat.*); ſi donator rem mortis cauſa donatam alienet, ipſo facto declarat, quod velit eſſe dominus rei iſtius, conſequenter cum donatione facta fuerit donatarii (§. 60.), hanc pro non facta declarat. Enimvero qui declarat, donationem pro non facta habendam eſſe, eam revocat (§. 87.). Quamobrem ſi donator rem mortis cauſa donatam alienet, ipſo facto donationem revocare intelligitur.

Quoniam non minus factis, quam verbis voluntatem noſtram declarare poſſumus, revocatio donationis vero in declaratione voluntatis de donatione pro non facta habenda conſiſtit (§. 87.); perinde quoque eſt ſive verbis, ſive facto revocetur donatio. Revocatur autem facto, quod nonniſi domino licitum, quale eſt alienatio (§ 667. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 155.

Reſervatio juris alienandi in donatione mortis cauſa.

Quoniam ſi res mortis cauſa donata a donatore alienetur, donatio ipſo facto revocatur (§. 154.), mortis cauſa autem *donanti* competit jus donationem ante mortem revocandi, quando viſum fuerit (§. 140.); eidem quoque *competit jus rem mortis cauſa donatam alienandi ante mortem, ſiquidem ita viſum fuerit.*

Cum alienatione rei donatæ donatio ipſo facto revocetur (§. 154.), *mortis* autem *cauſa donans* jus donationem revocandi ante mortem, ſi ita viſum fuerit, ſibi reſervet (§. 140.); *jus* quoque *alienandi ſibi reſervat*, conſequenter quando eam alienat, hoc facit jure ſuo, nec quicquam committit, quod ſit contra jus donatarii, utpote qui ferre debet, ut donatio revocetur (§. 150.). Secus ſe res habet in donatione inter vivos, ſeu ſimplici, utpote qua res ſtatim ita efficitur donatarii, ut nullo caſu ad donatorem reverti poſſit (§. 148.). Quodſi er-

go

go rem donatam alienare vellet, hoc non ſuccederet, ſive ea tradita fuerit, ſive nondum tradita, quemadmodum ſupra jam demonſtravimus (§. 98. 99.). Non reſervatur in donatione inter vivos jus donationem revocandi (§. 148.), adeoque nec jus alienandi rem donatam (§. 154).

§. 156.

Donatio ſub conditione quæ poſt mortem donantis exiſtere poteſt, quænam ſit.

Si donator ſibi reſervat jus donationem revocandi ſub conditione, quæ etiam poſt mortem ejus exiſtere poteſt; donatio poſt mortem ejus adhuc revocabilis & inter vivos facta intelligitur. Quando enim donator ſibi reſervat jus donationem revocandi ſub certa conditione, utique vult donationem pro non facta habendam eſſe conditione non exiſtente (§. 87.). Quamobrem cum in donatione ſequenda ſit voluntas donantis (§. 130.), quandocunque certum eſt conditionem non exiſtere, ſive hoc ante mortem, ſive poſt mortem donatoris fiat, donatio pro non facta haberi poteſt. Eſt igitur poſt mortem etiam donatoris adhuc revocabilis (§. 77.). *Quod erat unum.*

Enimvero donatio, quæ morte donantis non fit irrevocabilis, mortis cauſa donatio non eſt (§. 143.) adeoque donatio inter vivos (§. 148.). Patet igitur, ſi donator ſibi reſervet jus donationem revocandi ſub conditione, quæ etiam poſt mortem ejus exiſtere poteſt, eam eſſe donationem inter vivos. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Dono tibi Bibliothecam meam mathematicam ſub ea conditione, ut donatio revocari poſſit, ſi filius meus ſtudio Matheſeos incumbere voluerit. Quodſi ego moriar, antequam certum ſit, utrum filius meus Matheſi ſit operam daturus, nec ne, me autem mortuo ad eam animum appellit, donatio recte revocabitur. Caſus ſimilis eſt, ſi tibi dono agrum meum ſub hac conditione, ut donatio revocari poſſit, ſi filius cælebs moriatur, is autem me mortuo uxorem ducat. Donationem iſtiuſmodi eſſe donationem inter vivos, inde etiam patet, quod donans nullam faciat mortis mentionem, nec intuitu mortis donaſſe ullo modo præſumi poſſit (§. 140.). Eſt autem donatio conditionata, qualem ſimpliciter, ſeu inter vivos (§. 148.), fieri poſſe conſtat (§. 136.). Differentia enim donationis inter vivos & mortis cauſa factæ in eo conſiſtit, quod hæc ante mortem nonniſi revocari poſſit (§. 140.), morte autem donantis efficiatur irrevocabilis (§. 143.), illa autem in ſe irrevocabilis ſit, niſi fiat ſub quadam conditione, quæ non exiſtens eam efficit revocabilem, aut re vera nullam, independenter a morte donantis. Aliud nimirum eſt ſibi reſervare jus donationem revocandi ante mortem, ſi ita viſum fuerit; aliud ſibi reſervare jus donationem revocandi ſub conditione quadam expreſſa, ſive ea poſt mortem, ſive ante mortem exiterit.

§. 157.

Quando donatio ſub conditione expreſſa revocabilis ſit donatio mortis cauſa.

Si donator ſibi reſervat jus donationem revocandi ſub conditione, quæ poſt mortem ipſius exiſtere nequit; donatio morte ejus efficitur irrevocabilis, & mortis cauſa facta intelligitur. Etenim ſi donator ſibi reſervat jus donationem revocandi ſub conditione, quæ poſt mortem ejus exiſtere nequit, ut poſt mortem ſuam maneat donatarii voluiſſe intelligitur, conſequenter ut ſe mortuo ſubſiſtat, adeoque irrevocabilis ſit (§. 87.). Morte igitur donantis efficitur irrevocabilis. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque donatio mortis cauſa eſt, quando donator ſibi reſervat jus donationem revocandi ante mortem, morte autem ipſius irrevocabilis efficitur (§. 140. 143.); donatio ita facta, ut ſub ea conditione revocari poſſit, quæ poſt mortem donantis exiſtere nequit, donatio mortis cauſa eſt. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Dono tibi hortum meum ſub hac conditione, ut donationem revocare poſſum, ſi ab amicitia defeceris. Evidens eſt conditionem, ſub qua donatio revocabilis, poſt mortem exiſtere non poſſe, adeoque eam morte donantis effici irrevocabilem. Donatio hæc mortis cauſa facta intelligitur. Sane qui ita donat, omnino vult, donatarium ſecum amicitiam colere debere, donec moriatur, & poſt mortem ſuam rem manere donatarii, adeoque cogitatione ac intuitu mortis fit, etſi non expreſſe fiat ejus mentio, ſed tacite ſaltem. Neque enim obſtat, quod ſola pœnitentia ante mortem revocari nequeat donatio: ſufficit enim, quod revocari poſſit, quando viſum fuerit donanti, nimirum ſi exiſtat conditio, ſub qua eam revocabilem eſſe voluit,

luit. Etſi enim donanti mortis cauſa ſimpliciter competat jus revocandi donationem ante mortem (§. 140.), hoc ipſum tamen jus pro arbitrio ſuo limitare, & ad certum caſum reſtringere poteſt (§. 130.).

§. 158.

An donatio ſubſiſtat donatario præmortuo.

Si donatarius præmoriatur, donatio inter vivos ſubſiſtit; minime autem donatio mortis cauſa. Etenim ſi donatio facta inter vivos, donator nullo caſu rem ad ſe vult reverti (§. 148.), conſequenter nec morte donatarii. Quamobrem ea ſubſiſtit, etiamſi donatarius præmoriatur. *Quod erat unum.*

Quodſi donatio mortis cauſa facta, donans eam revocare poteſt, quamdiu ipſe vivit (§. 140.), conſequenter etiam donatario præmortuo. Quamobrem ſi mortuo donatario donans vel verbis, vel facto revocet donationem, nullum eſt dubium, quin ea minime ſubſiſtat. Quoniam vero qui alteri quid donat, beneficium in eum confert (§. 65.), adeoque voluptatem ac gaudium ejus, cui donat, intendit (§. 35.), ac a voluntate donantis unice pendet, cuinam donare velit (§. 130.); qui revocabiliter donat, non intelligitur velle, ut alius præter donatarium rem a ſe habeat, conſequenter in caſu dubio nonniſi donatario bene velle præſumitur. In caſu igitur dubio donationem non ſubſiſtere debere, donatario præmortuo, præſumendum. Patet itaque donationem mortis cauſa donatario præmortuo non ſubſiſtere, etiamſi nec verbis, nec factis ea revocetur a donante. Quamobrem donatio mortis cauſa donatario præmortuo prorſus non ſubſiſtit.

Non eſt, quod dicas, ex eadem ratione præſumendum eſſe, quod nec donatio inter vivos ſubſiſtere debeat, donatario præmortuo. Donatione enim inter vivos in eum transfertur jus irrevocabile, quod donans nullo jure ipſi adimere poteſt (§. 336. *part.* 1. *Jur nat.*). Cum itaque expreſſa revocatio locum non habeat, immo nulla (§. 87.), nec præſumtæ locus eſſe poteſt. Et quamvis donatarius præmoriatur, re nondum tradita; res tamen, quam dono accepit, jam ſua eſt, & tanquam donatario propria eſt penes donantem (§. 60.), quæ ad donantem nullo caſu reverti poteſt (§. 148.). Diſpar omnino ratio eſt donationis inter vivos & donationis inter mortuos. Quodſi donator perſonam inter vivos reſpicere tantummodo voluiſſet, non donare potuiſſet irrevocabiliter, ut ſtatim ipſi libera fuiſſet de re donata tanquam ſua diſponendi poteſtas, quam infert dominium nullo modo reſtrictum (§. 118. *p.* 2. *Jur. nat.*).

§. 159.

Donatio quomodo fieri poſſit.

Donatio fieri poteſt & verbis, & per nuncium, & per epiſtolas. Quoniam enim donatio a donantis unice voluntate pendet (§. 130.); neceſſe eſt ut donans donandi voluntatem donatario declaret. Quoniam itaque alteri voluntatem noſtram ſignificare poſſumus non minus per nuncium & epiſtolas, quam verbis; donatio quoque fieri poteſt & verbis, & per nuncium, & per epiſtolas.

Valet hoc in omni caſu, ſive res ſtatim tradatur, ſive traditio differatur, & quacunque lege donetur, ſeu quodcunque pactum donationi adjiciatur. Sane perinde eſt, ſive rem mobilem alteri tradens dicas, te eam ipſi donare, ſive eam mittas & per nuncium, aut per epiſtolam ſignifices, te eam ipſi donare. Similiter ſi dones rem ſive mobilem, ſive immobilem, non tamen ſtatim tradis, tam dicere potes, te eam rem ipſi donare, quam per nuncium aut epiſtolam ſignificare, quod dones. Validitas donationis pendet a voluntate tua ſufficienter indicata, quamprimum acceptatio a donatario facta (§. 59.), non a verbis tuis vel ore prolatis, aut ſcriptis, aut a verbis nuncii juſſu tuo ab eodem prolatis. Nil igitur refert, quomodo voluntas donantis donatario innoteſcat, modo innoteſcat.

§. 160.

Cuinam donari poſſit.

Quoniam donatio fieri poteſt non minus verbis ore prolatis, quam per nuncium, aut epiſtolam (§. 159.), donator vero voluntatem ſuam verbis ſignifica-

re poteſt præſenti, per nuncium & epiſtolam abſenti, quod per ſe patet; *donatio fieri poteſt & a præſente præſenti, & ab abſente abſenti.*

§. 161.

An donatio in ſcripturam redigenda.

Donatio valet, etiamſi in ſcripturam non redigatur. Donatio enim ſtatim abſolvitur, quamprimum donans animum donandi de præſenti & donatarius animum acceptandi ſufficienter declarat (§. 59.). Quamobrem neceſſe non eſt, ut in ſcripturam redigatur. Valet igitur donatio, etiamſi in ſcripturam non redigatur.

Si validitas donationis valorem ſuum a ſcriptura haberet, nulla ſubſiſtere poſſet niſi in ſcripturam redacta &, antequam hoc fieret, ſemper revocabilis foret: quod quam ſit a veritate alienum, nemo non intelligit.

§. 162.

Cur donatio in ſcripturam rediga-tur.

Donatio in ſcripturam redigenda, ut quod facta ſit & qua lege facta ſit, ſeu quod ipſi adjectum fuerit pactum, probari poſſit, aut eodem fine coram teſtibus fieri debet. Etenim ſi donatio in dubium vocetur, aut ſi controverſia oriatur de lege, ſub qua facta, vel pacto eidem adjecto; in caſu priori probandum eſt, donationem eſſe factam, in poſteriori autem probandum, qua lege fuerit facta, aut quodnam pactum eidem fuerit adjectum. Quamobrem cum per teſtes, qui ex ore donatoris auribus ſuis perceperunt eum tibi donaſſe & ſub qua lege vel pacto donaverit, vel per ſcripturam, in quam donatio relata, probari poſſit, & quod donatum ſit, & ſub qua lege, aut ſub quo pacto donatum ſit, donatio in ſcripturam redigenda, ut, quod facta ſit & qua lege facta ſit, ſeu quod pactum fuerit eidem adjectum, probari poſſit, vel eodem fine coram teſtibus fieri debet.

Videmus adeo probationis ſaltem gratia donationem in ſcripturam eſſe redigendam, adeoque ut hoc fiat, inprimis conſultum eſt, ſi res donata non ſtatim tradatur, ſed traditio differatur, aut ſi certa quadam lege donetur, ac ſi mortis cauſa donatio ſit, quæ revocabilis manet ante mortem (§. 140.), poſt eandem vero irrevocabilis efficitur (§. 143.).

§. 163.

Quomodo perficiatur actus omnis aliis utilis.

Omnis actus aliis utilis mutuo conſenſu perficitur. Etenim omnes actus aliis utiles vel in dando, vel in faciendo conſiſtunt (§. 1.). Quamobrem qui agit, quod alteri utile, aut ſtatim quid dat, vel facit, aut ad dandum vel faciendum alteri ſe obligat, ut ſcilicet dare, vel facere teneatur (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ*), conſequenter ſe daturum, vel facturum promittit (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Datio translatio dominii eſt (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nuda domini voluntate ſufficienter declarata dominium transferatur in accipientem (§. 13. *part.* 3. *Jur. natur.*), accipiens vero ſufficienter declarat ſe velle, ut alter det, quod dare vult (§. 2. *part.* 3. *Jur. natur.*); datio mutuo conſenſu perficitur (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Et quoniam introductis dominiis facere ac dare idem eſt (§. 122 *part.* 3. *Jur. nat.*); actus quoque faciendi mutuo conſenſu perficiatur neceſſe eſt. Similiter cum qui dare, vel facere promittit, alteri ad faciendum, vel dandum ſe obligat (§. 363. *p.* 3. *Jur. nat.*); ad dandum vero, vel faciendum nemo ſeſe alteri perfecte obligare poſſit niſi mutuo conſenſu (§. 357. *part.* 3. *Jur. nat.*); promiſſio etiam de dando vel faciendo facta mutuo conſenſu perficitur. Patet itaque actum omnem aliis utilem mutuo conſenſu perfici.

Oſtenditur etiam hoc modo. Homines naturaliter ſibi invicem obligantur ad dandum & faciendum, prouti unusquiſque indiget re, vel opera alterius (§.

124.

124. *part.* 3. *Jur. nat.*), obligatio vero hæc nonniſi imperfecta eſt (§. 354. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter nemo alterum ad dandum, vel faciendum nolentem compellere poteſt (§. 238. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quando igitur vis, alterum dare, vel facere, neceſſe eſt, ut ipſe etiam velit. Similiter ſi tibi dare, vel facere volo, tuo judicio permittendum, utrum velis, an nolis me tibi dare, vel facere (§. 156. *p.* 1. *Jur. nat.*). In utroque igitur caſu actus dandi, vel faciendi perfici nequit, niſi mutuo conſenſu ſufficienter declarato (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum actus omnis aliis utilis vel in dando, vel in faciendo conſiſtat (§. 1.); omnis actus aliis utilis mutuo conſenſu perficitur.

Quodſi ſyſtema integrum Juris naturæ proſtabit, immo alii plures adhuc caſus particulares eodem modo demonſtraverint, quo nos ea demonſtramus, quæ proponimus, multa iſtiuſmodi principia generalia, immo hiſce adhuc generaliora invenire dabitur, ad quæ cetera per modum corollariorum revocabuntur: quod proderit ad doctrinam Juris Naturæ facilius memoria retinendam, etſi propterea non ſuperfluæ exiſtimari debeant demonſtrationes particulares, cum non modo plus habeant claritatis, qualis præſertim in veritatibus ad Philoſophiam practicam ſpectantibus requiritur, ut aſſenſus extorqueatur, verum etiam veritates particulares ad univerſales manu ducant multoque facilius ſit has invenire, ubi illæ fuerint detectæ, quam his ignoratis, immo ſubinde circa univerſales ceſpitabit, qui particulares nondum comprehendit. Eadem de cauſa in Algebra, quam tyronum gratia conſcripſimus, eorum utilitati unice conſulturi, ſolutiones particulares prætulimus generalibus, quas facile dare poteramus, ſi noſtri potius, quam ipſorum rationem habere voluiſſemus. Meum non eſt ad oſtentationem ſcribere; ſed dociles ad ſolidam rerum cognitionem perducere, qui non mihi vivo, ſed aliis. Experientia quoque docet, me finem mihi propoſitum hactenus fuiſſe conſecutum.

§. 164.

Si donatio per epiſtolam fiat, & in epiſtola acceptetur, valida eſt. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo demonſtravimus, promiſſionem in literis factam & in literis acceptatam validam eſſe (§. 711. *part.* 3. *Jur. nat.*). *An donatio in literis facta valida ſit.*

§. 165.

Immo in genere *omnis actus aliis utilis validus, mutuo conſenſu per literas declarato.* Etenim omnis actus aliis utilis mutuo conſenſu perficitur (§. 163.). Quamobrem cum perinde ſit, utrum verbis ore prolatis, an ſcriptis conſenſus declaretur; omnis actus aliis utilis validus eſſe debet, mutuo conſenſu per literas declarato. *An omnis actus aliis utilis per epiſtolas perfici poſſit.*

Hinc inferri poterat per modum corollarii propoſitio non minus præcedens, quam altera de validitate promiſſionis in literis facta & acceptata (§. 711. *part.* 3. *Jur. nat.*). Immo patet ad multos actus alios propoſitionem præſentem extendi.

§. 166.

Omnis actus aliis utilis validus, mutuo conſenſu ab uno per epiſtolam, ab altero viva voce declarato. Patet eodem prorſus modo, quo propoſitio præcedens. *Item ſi unus per epiſtolam, alter viva voce conſenſum declaret.*

Nihil nimirum refert, num alter ex intervallo conſenſum ſuum declaret, modo donec hoc fiat, qui prior eandem declaravit, ſententiam ſuam non mutet, quod ipſi permittendum, quamdiu alter conſenſum ſuum nondum declaravit (§. 377. 357. *part.* 3. *Jur. natur.*).

§. 167.

Quoniam actus aliis utilis omnis validus, ſi mutuus conſenſus ab altero viva voce, ab altero autem per epiſtolam declaretur (§. 166.), donatio autem actus aliis utilis eſt (§. 48. *t.*); *donatio* etiam *valida, ſi donator animum donan-* *Idem valet de donatione.*

 di

di de præſenti viva voce declaret, donatarius autem per epiſtolam eandem acceptet & contra.

Fieri etiam poteſt ut donatarius donum petat viva voce, & donator per epiſtolam donandi animum declaret, vel in donationem conſentiat, vel ut petitio fiat per literas, donatio vero viva voce. Caſus enim hi omnes ſub principio generali continentur (§.166.).

§. 168.

In quibuſnam actibus acceptatio præſumatur.

In omni actu mere liberali ſeu benefico acceptatio præſumitur, ſi nullæ proſtent rationes in contrarium. Si enim actus mere liberalis, ſeu beneficus, ex eo unus tantummodo utilitatem percipit, alter vero viciſſim nihil recipit (§. 3.), conſequenter cum omnis actus aliis utilis vel in dando, vel in faciendo conſiſtat (§. 1.), alter rem, quam ipſi te dare velle dicis, gratis accipit, aut quod te ipſi facere velle ais, gratis facis (§. 18.). Unde porro eodem modo infertur, in omni actu mere liberali, ſeu benefico, acceptationem præſumi, ſi nullæ proſtent rationes in contrarium, quo idem de promiſſione mere liberali evicimus (§. 714. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 169.

Quando acceptatio in donatione præſumatur.

Quoniam donatio actus mere beneficus (§. 48.), ſi nempe ſine ullo onere aut pacto adjecto fiat, quemadmodum ſupponitur, quando donationis ſimpliciter mentio fit; *in donatione ſine ullo onere, aut pacto adjecto facta, acceptatio præſumitur, ſi nullæ proſtent rationes in contrarium.*

Fortior eſt præſumtio, ſi adſint rationes, quæ pro acceptatione militant: id quod nemo in dubium vocabit, qui & præſumtionis (§. 244. *part.* 2. *Juris nat.*) & probabilitatis notionem diſtinctam habuerit (§. 578. *Log.*).

§. 170.

Num acceptatio innoteſcere debeat donatori, ut valeat donatio.

Si donator velit, ut valeat donatio, ſi acceptetur; ea ſtatim valet, quamprimum acceptata fuit, quamvis acceptatio nondum innotuerit donatori: aſt ſi donator velit, donationem non valere, niſi quando acceptatam intellexerit; non ante ea valet, quam acceptatio ipſi innotuerit. In caſu dubio prius ſemper præſumitur. Quoniam enim a donantis unice voluntate pendet, ſub qua lege donare velit (§. 130.); dubium non eſt, quin etiam donare poſſit ſub hac lege, ne valeat donatio, niſi quando intellexerit acceptatam. Quamobrem cum acceptatione donatarius non plus juris ab altero acquirere poſſit, quam in eum transferre voluit donator (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi donator velit, ut valeat donatio, quamprimum acceptetur, ea ſtatim valet, quamprimum acceptata fuit, quamvis donatori non innotuerit acceptatio, quodſi vero idem nolit, donationem pro valida haberi, antequam acceptatam intellexerit, nec ea ante valet, quam acceptatio donatori innotuerit. *Quod erat primum & ſecundum.*

Enimvero quoniam donator vult, ut donatio acceptetur, alias enim non donaret; ſi nullo modo patet, cur voluerit, ne ante valeat donatio, quam acceptatio ipſi innotuerit, velle utique intelligitur, ut donatio, quæ in ſe ſtatim abſolvitur, quamprimum donans animum donandi de præſenti & donatarius animum acceptandi ſufficienter declarat (§. 59.), ſtatim valeat, quamprimum acceptata fuit, quamvis acceptatio nondum innotuerit donatori. In caſu itaque dubio ſemper præſumitur. *Quod erat tertium.*

Idem oſtendimus de promiſſione (§. 715. *p.* 3. *Jur. nat.*), unde inferri poterat per modum corollarii pars prima & ſecunda propoſitionis præſentis vi identitatis donationis & adimpletionis promiſſionis donandi (§. 77.). Quoniam tamen nonnullis illatio obſcurior videri poterat, conſultius

ſultius viſum eſt propoſitionem præſentem independenter a promiſſione demonſtrari. Ceterum quod de præſumtione voluntatis donatoris quoad validitatem donationis hic addidimus, idem quoque de voluntate promiſſoris, ut valeat promiſſio, intelligendum, quippe quod eodem modo infertur (§. 362. 265. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 171.

Si donator velit, ut valeat donatio, ſi acceptata fuerit, ac interea moriatur, antequam acceptatio ipſi innotuerit; donatio valet. Quodſi vero donator velit, donationem non ante validam eſſe, quam ubi acceptatam intellexerit, ac interea moriatur, antequam acceptatio ipſi innotuerit, donatio non valet. Idem etiam obtinet, ſi donator moriatur, antequam donatio acceptata fuerit, niſi contrarium ſe velle ſufficienter indicaverit, aut adſint rationes, ob quas id voluiſſe præſumitur. *Quando morte donatoris donatio non fiat valida.* Etenim ſi donator velit, ut valeat donatio, quamprimum acceptata fuerit, eadem valet, etiamſi acceptatio ipſi non innotuerit (§. 170.). Quamobrem ſi moriatur donator, antequam ipſi innoteſcere potuerit, donationem fuiſſe acceptatam, cum facta acceptatione donatore adhuc vivo donatio fuerit abſoluta (§. 59.), adeoque res donatarii jam ſit penes donatorem morientem (§. 60.); mors ejus minime obſtat, quo minus valeat donatio. Valet itaque, ſi donator velit, ut valeat, ſi acceptata fuerit, ac interea moriatur, antequam acceptatio, ipſo nimirum adhuc vivo facta, eidem innoteſcere potuerit. *Quod erat primum.*

Quodſi donator velit, donationem non ante validam eſſe, quam ubi acceptatam intellexerit, non ante valet, quam ubi acceptatio ipſi innotuerit (§. 170.). Quamobrem ſi moriatur, antequam acceptatam intellexerit, ut valida fiat, impoſſibile eſt. Quodſi ergo donator moriatur, antequam donationem acceptatam intellexerit, donatio ſub hac conditione facta, ne ante valeat, quam acceptatio donanti innotuerit, non valet. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam donatio non ante valida, quam ubi acceptata fuerit (§. 58.), ſi donator moriatur ante acceptationem, res donanda adhuc morientis eſt. Quamobrem cum mortuus nullius rei dominium in alterum transferre poſſit; nec fieri poteſt, ut idem a mortuo acquirat donatarius. Quodſi ergo donator moriatur, antequam acceptata fuerit donatio, ea valere nequit. *Quod erat tertium.*

Enimvero ſi donator expreſſe voluerit, donationem valere, etiamſi poſt mortem ſuam eam demum acceptari contingat, cum in donatione ſequenda ſit voluntas donantis (§. 130.), quin in hoc caſu valeat donatio, etiamſi ante acceptationem mori contingat donatorem, dubitandum non eſt. *Quod erat quartum.*

Denique cum voluntas præſumta æquipolleat expreſſæ, quamdiu contrarium probari nequit (§. 247. *part.* 2. *Jur. nat.*), quando autem donator expreſſe vult, donationem valere debere, etiamſi eam ſe mortuo demum acceptari contingat, eadem poſt mortem ipſius demum acceptata valeat, *per demonſtrata num.* 4. ſi fuerint rationes, ob quas voluiſſe præſumitur donator, ut donatio ſit valida, etiamſi ſe mortuo demum eam acceptari contingat, valere utique eadem debet. *Quod erat quintum.*

Primum, ſecundum & tertium demonſtravimus etiam de promiſſione (§. 716. *p.* 3. *Jur. nat.*); ſed tertium & quartum de eadem etiam verum eſt, cum a promittentis unice voluntate pendeat, ſub qua lege promittere velit (§. 361. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*). Nimirum ſi donator velit, ut valeat donatio, etiamſi ſe mortuo eam demum acceptari contingat, ſub hac conditione facta intelligitur, ut valeat, ſi acceptetur ſive ſe vivo, ſive ſe mortuo. Quamobrem conditio, ſub qua donatio facta, exiſtit, etiamſi demum poſt mortem donatoris acceptetur, cum donator hoc in caſu jus revocandi donationem ante acceptationem ſibi ademerit (§. 87). Nullum adeo dubium eſſe poteſt, quin ſubſiſtat, acceptatione poſt mortem demum donatoris facta. Et idem demonſtratum de promiſſione (§ 717. *p.* 3. *Jur. nat.*): relegenda hic ſunt, quæ de eadem annotavimus (*loc. cit.*).

§. 172.

§. 172.

Quid præſumendum, ſi donans moriatur, antequam donationem acceptatam intellexerit.

Quoniam donatio valet, etiamſi donator moriatur, antequam eam acceptatam intellexerit, ſi facta ſub hac conditione, ut valeat, ſi acceptetur (§. 171.), in caſu autem dubio ſub hae conditione facta intelligitur (§. 170.); *in caſu dubio donatio valet, etiamſi donator moriatur, antequam eam acceptatam intellexerit.*

Nimirum in ſe validitas donationis dependet ab acceptatione, minime autem ab acceptationis notitia (§. 59.). Quamobrem ordinarium non eſt, ut demum valeat, ubi donator donationem acceptatam intellexerit, ſed neceſſe eſt, ut hanc legem dictitet donator (§. 130.). Ordinarium adeo præſumitur, & ideo in caſu dubio ſubſiſtere donatio intelligitur, etiamſi donatori morte prævento acceptatio innoteſcere non potuerit.

§. 173.

Quando acceptatio in actibus utilibus præſumatur.

In omni actu mere benefico acceptatio præſumitur, ſi nullæ proſtent rationes in contrarium; in oneroſo non item, niſi adfuerint rationes in contrarium evidentes. Quoniam ex actu mere benefico unus tantummodo percipit utilitatem quandam, alter vero nihil viciſſim recipit (§. 3.), nec ulla eidem adhæret obligatio perfecta (§. 4.); ſecus vero ſe res habet in actu oneroſo (§. 513. *part.* 3. *Jur. nat.*), & actu benefico obligatorio (§. 5.); hinc porro eodem modo infertur, in actu omni mere benefico acceptationem præſumi, ſi nullæ proſtent rationes in contrarium, in oneroſo non item, niſi adfuerint rationes evidentes in contrarium, quo idem de promiſſione mere liberali & oneroſa oſtendimus (§. 714. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Nimirum promiſſio mere liberalis, ſeu benefica, actus mere beneficus eſt, & promiſſio non mere liberalis, ſeu oneroſa eſt actus vel beneficus obligatorius, vel oneroſus, cum definitio promiſſionis mere liberalis & oneroſæ non differat a definitione actus mere liberalis & oneroſi, vel benefici obligatorii, quatenus ea vel mere liberalis, vel oneroſa eſt (§. 713. *part.* 3. *Jur. nat.*), definitione nimirum actus mere benefici & oneroſi ſeu obligatorii in genere ad promiſſionem applicata. Quod adeo demonſtratum fuit de promiſſione in ſpecie (§. 714. *part.* 3. *Jur. nat.*), re vera oſtenditur vi definitionis actus mere benefici & oneroſi in genere.

§. 174.

Quando hoc fiat in donatione.

Quoniam donatio ſine pacto adjecto, aut ſub nulla lege facta, actus mere beneficus eſt (§. 48.), in oneroſum vero ex parte degenerat, ſi pactum quoddam eidem accedat, aut ſi ſub certa quadam lege fiat, ut hinc naſcatur aliqua accipientis obligatio, quemadmodum ex anterioribus intelligitur, in omni autem actu mere benefico acceptatio præſumitur, ſi nullæ proſtent rationes in contrarium, in oneroſo non item, niſi adfuerint rationes evidentes in contrarium (§. 173); *in donatione ſimpliciter facta acceptatio præſumitur, in ea autem, quæ pactum adjectum habet, ſeu ſub certa lege fit, non item, niſi proſtent rationes evidentes in contrarium.*

Uſus eſt hujus principii in præſumendo, quando dubium, utrum donator voluerit donationem valere, quamprimum acceptata fuerit, an vero eam tunc demum valere maluerit, ubi acceptatam intellexerit, quemadmodum idem jam oſtendimus de promiſſione (§. 718. & *ſeqq. part.* 3. *Jur. nat.*), ut adeo de promiſſione demonſtrata etiam ad donationem ſint transferenda. Uſus etiam in aliis. Nemo autem miretur promiſſionem, & donationem in adeo multis convenire: ſunt enim actus, qui nonniſi tempore differunt; cum, quod donator ſtatim dat (§. 59.), id promiſſor ſe daturum declaret & ad dandum ſe obliget (§. 361. 363. *p* 3 *Jur. nat.*). Quamdiu adeo nulla differentia hinc oritur, utrum actus dandi in præſens abſolvatur, an in futurum promineat; promiſſio & donatio habentur pro uno actu, & quod de uno horum actuum demonſtratur de utroque valet, immo in genere ex notionibus generalibus utrique convenientibus demonſtrari poteſt, & ad utrumque applicari, quod in genere demonſtratum.

Patent

Patent ſingula ; quæ diximus , ex tractatione noſtra , & talia ſubinde non utiliter a nobis moneri exiſtimamus , ut aliorum excitemus attentionem , quibus ars inveniendi curæ cordique eſt , quam certis legibus adſtringere necdum vacat , nec utiliter fieri poteſt , quamdiu opus , quod aggreſſi ſumus , non fuerit abſolutum.

§. 175.

An mortuo tabellario acceptatio donationis per epiſtolam facta valeat, alio eam deferente.

Si tabellarius moritur & alius epiſtolam, in qua fit donatio, ad donatarium perfert; donatio valide acceptatur, nec, ſi inter vivos facta, revocari poteſt. Acceptationem eſſe validam in hypotheſi propoſitionis præſentis eodem modo patet, quo idem in eadem hypotheſi de promiſſione oſtendimus (§. 732. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam donatio inter vivos facta poſt acceptationem revocari nequit (§. 89. 148.); acceptatio autem valet, ſi tabellarius moritur & alius epiſtolam, in qua fit donatio, ad donatarium perfert *per demonſtrata*; donatio valide acceptatur, nec, ſi inter vivos facta, revocari poteſt. *Quod erat alterum.*

Animo hic recolenda ſunt, quæ de caſu promiſſionis per epiſtolam factæ & mortuo tabellario acceptatæ annotavimus (*not.* §. 732. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 176.

An donatio revocari poſſit epiſtola ad donatarium nondum perlata.

Donatio revocari poteſt, antequam epiſtola, in qua fit, ad donatarium perferatur. Antequam enim epiſtola, in qua animum donandi declarat donator, ad donatarium perfertur, donatio utpote nondum facta acceptari nequit, quod per ſe patet. Quoniam itaque donatio revocari poteſt, quamdiu acceptata non eſt (§. 89.); donatio quoque revocari poteſt, antequam epiſtola, in qua fit, ad donatarium perfertur.

Non eſt quod excipias, donatorem in epiſtola animum donandi jam declaraſſe, adeoque cum eandem ſcriberet ex parte ipſius donationem jam fuiſſe perfectam, conſequenter validitatem donationis non amplius a voluntate donantis, ſed donatarii pendere, qui num eandem acceptaturus ſit expectandum eſſe. Si donationis acceptatio præſumatur (§. 174.), illam pro acceptata tamdiu habendam eſſe, donec contrarium conſtiterit (§. 247. *part.* 2. *Jur nat.*). Etenim hoc dubium nullum eſſe patet ex demonſtratione de donatione ante acceptationem revocabili (§. 89.). Objectio nimirum contrariatur juri mutandi voluntatem unicuique naturaliter competenti, quamdiu mutatio non fit contra jus alterius (§. 377. *part.* 3. *Jur. natur.*), quemadmodum ex illius demonſtratione patet. Ante acceptationem donatario jus nullum quæſitum, quod eidem auferretur (§. 58.). Ante acceptationem adeo nulla ei fit revocando donationem injuria (§. 859. *p.* 1. *Jur. nat.*). Nec obſtat, donatarium, ſi præſens fuiſſet, cum epiſtolam ſcriberet donator, ut animum donandi viva voce eidem declarare potuiſſet, donationem ſtatim acceptaturum fuiſſe, neque adeo moram, quam cauſatur abſentia donatoris, eidem imputandam eſſe (§. 640. *p* 3. *Jur. nat.*): neque enim hoc tollit jus donatoris, nec donatario quicquam juris confert, quippe cum jus omne, quod ex donatione habere poteſt, non niſi acceptatione acquirere valeat (§ 58. 130). Neque etiam eſt ut dicas donationem pro tacite acceptata habendam eſſe, quamprimum epiſtola ſcripta & tabellario tradita fuit. Tacita enim acceptatio abſolvitur voluntate tacita (§. 8. *p.* 3. *Jur. nat.*), adeoque ſupponit actum quendam, ſive poſitivum, ſive negativum donatarii agere, adeoque acceptare valentis (§. 3. *part.* 3. *Jur. nat.*), qualem hic non adeſſe nemo non videt.

§. 177.

Etiam mortuo tabellario.

Quoniam *donatio* revocari poteſt, antequam epiſtola ad donatarium defertur (§. 176.); ea etiam *mortuo tabellario revocari poteſt, antequam epiſtola ab alio ad donatarium perferatur.*

Tabellarius ad ipſum actum donationis perficiendum nihil confert, quippe cujus validitas a voluntate donantis, & donatarii tota pendet (§. 130.), voluntas autem donantis donatario ſignificatur non per tabellarium, ſed per epiſtolam. In toto adeo negotio tabellarii nulla habe-

habetur ratio; cum perinde ſit per quemnam voluntas donantis donatario innoteſcat in epiſtola declarata; modo ex epiſtola eidem innoteſcat, quippe quæ continet verba donantis donationem ſignificantia; nec is alia voluntatis ſuæ ſigna elegit. Ex his autem ſolis colligitur, quidnam contra eum pro vero habendum (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 178.

Numvaleat acceptatio donationis facta, antequam epiſtolam acceperis.

Si ex relatione alterius tibi innotuerit donatio per epiſtolam facta, & tu, antequam eandem acceperis, donationem acceptes; acceptatio non valet, conſequenter ea non obſtante revocari adhuc poteſt donatio, epiſtola ad te jam perlata, ſi in illa acquieſcas, nec eam renoves. Etenim cum donator velit epiſtolam eſſe interpretem animi ſui ſeu voluntatis, a qua unice pendet, utrum tibi quid donare velit, nec ne, & quomodo, ſeu ſub qua lege donare velit (§. 130.), adeoque contra eum pro vero haberi nequit, niſi quod verbis in epiſtola ſcriptis continetur (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*); donator animum ſuum donandi tibi non ante declaraſſe intelligitur, quam lecta epiſtola, conſequenter dici nequit, hoc fuiſſe factum, ſi ex relatione alterius argumentum epiſtolæ tibi innotuerit. Quamobrem cum donatio nondum facta acceptari nequeat (§. 2. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec valida eſſe poteſt acceptatio facta, antequam epiſtolam ipſam acceperis, etſi tibi ex relatione alterius innotuerit ejus argumentum, conſequenter cum ante acceptationem revocari poſſit donatio (§. 89.), nec obſtare poteſt acceptatio iſta, quo minus revocetur. *Quod erat primum & ſecundum.*

Quoniam acceptatio ante epiſtolam acceptam facta nulla eſt *per demonſtrata*; ſi eadem accepta in iſta acquieſcas, perinde omnino eſt, ac ſi donatio nondum acceptata fuiſſet. Quamobrem cum ante acceptationem revocari poſſit donatio (§. 89.), revocari ea adhuc poterit, ſi in acceptatione ante epiſtolam facta acquieſcas. *Quod erat tertium.*

Denique ſi epiſtola accepta acceptationem, antequam illam accepiſſes, factam renoves, hoc eſt, denuo eandem acceptes, acceptatio prior in actu donationis non attendenda *per demonſtrata* poſteriorem in ſe validam (§. 59.) invalidam efficere nequit. Manet igitur valida. *Quod erat quartum.*

Nimirum quod non recte feceras, nunc recte facis, ac perinde eſt, ac ſi ante epiſtolam nulla facta fuiſſet acceptatio. Poteramus equidem quæ hic demonſtrantur vi identitatis actus donandi & adimpletionis promiſſionis donandi (§. 78.) inferre ex iis, quæ de promiſſione in hypotheſi ſimili demonſtravimus (§. 735. 739. *part.* 3. *Jur. nat.*); cum tamen idem clarius pateat per demonſtrationem particularem, quam dedimus, conſultius viſum fuit eam hic apponere.

§. 179.

Quid ſtatuendum, ſi per epiſtolam roganti donatio fiat.

Si a me petieris, ut tibi quid donem, & ego in literis reſpondeo me tibi donare; donatio valida eſt, etiamſi literæ demum poſt mortem meam ad te perferantur: revocari tamen poteſt, quamdiu epiſtola ad te non perlata fuerit. Etenim ſi tu a me petis, ut tibi quid donem, acceptatio præcedit (§. 10. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi per epiſtolam me tibi id donare reſpondeo, voluntatem meam donandi tibi declaro, & tibi declarata intelligitur, quamprimum eam acceperis. Quoniam itaque donatio valet, ſi donans animum donandi de præſenti & donatarius animum acceptandi ſufficienter declarat (§. 59.), cum quam vivus declaravi voluntatem non mutaverim, antequam epiſtola ad te perveniret; quin valida eſſe debeat donatio, etiamſi epiſtola demum me mortuo ad te perferatur, dubitandum non eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero cum voluntas mea non ante tibi declarata intelligi poſſit, quam epiſtolam acceperis, a te vero acceptata non ante dici queat, quam ubi petenti innotuerit reſponſum (§. 10. *part.* 2. *Jur. nat.*), ante epiſtolam ad te perlatam minime perficitur donatio (§. 59.). Quamobrem cum libera ſit voluntatis mutatio, quamdiu nil fit contra jus alterius (§. 377. *part.* 3. *Jur. nat.*); quin donationem

tionem revocare liceat, antequam epiſtola ad donatarium perferatur, dubitandum non eſt. *Quod erat alterum.*

Idem demonſtravimus de promiſſione (§. 738. *part.* 3. *Jur. nat.*), & quæ ibidem annotavimus, hic quoque locum habent.

§. 180.

Quando donatio revocari poſſit, ſi donum mittatur.

Si donum tibi mitto, donationem revocare licet, antequam tibi traditum fuerit. Etenim ſi donum tibi mitto, miniſter donandi & rem tibi tradere, & quod a me tibi donetur meo nomine ſignificare debet. Quamdiu igitur hoc factum non eſt, donationem non acceptaſti. Enimvero ante acceptationem donatio ſemper revocari poteſt (§. 89.). Quamobrem eandem quoque revocare licet, ſi donum tibi mittam, antequam tibi traditum fuerit.

Nimirum poteſt revocatio fieri per alium, vel per epiſtolam, antequam miniſter donandi donum tradiderit & donationem ſignificaverit.

§. 181.

Quando inſcio miniſtro donatio revocetur.

Si miniſter tibi tantummodo ſignificare debet, quod tibi quid donaverim, ipſo inſcio revocari poteſt. Etenim in hoc caſu ſignificatio donationis per miniſtrum æquipollet epiſtolæ, qua tibi fit donatio: id quod uberius patet per ea, quæ alibi annotavimus (*not.* (§. 739. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum donatio revocari poſſit, antequam epiſtola ad te perferatur, etiamſi poſtea ad eundem perferatur (§. 176. 177.); eadem quoque inſcio miniſtro revocari poteſt, ſi is tantummodo ſignificare debet, quod tibi quid donaverim.

Notanda hic ſunt, quæ in caſu ſimili de promiſſione annotavimus (*not.* §. 740. *part.* 3. *Jur. natur.*).

§. 182.

Etiamſi rem tradendam acceperit.

Quoniam miniſtro inſcio revocare licet donationem, antequam eam ſignificavit, ſi tantummodo electus eſt ut ſignificet (§. 181.), *nec valere poteſt donatio, ſi facta revocatione miniſter tibi rem donandam tradit & quod a me tibi donetur, ſignificet*, conſequenter *donatarius obligatur ad eam non accipiendam &, ſi hoc fecerit, ad eam reſtituendam.*

Nimirum in hoc caſu donatio nulla eſt, utpote revocata (§. 87. 181.). Res igitur, quam tibi tanquam donatam miniſter tradere debebat, manet mea, conſequenter ſi eam tibi tradere vult, rem meam tradere vult, quam accipiendi tibi jus nullum eſt, & ſi actu tradit, & tu eandem accipis, rem meam accipis, quæ cum jam ſit apud te, eam mihi reſtituere teneris (§. 467. *p.* 2. *Jur. nat.*).

§. 183.

Quando inſcio miniſtro revocari nequeat.

Si miniſter electus eſt, ut ipſe donet, donatio ipſo inſcio revocari nequit: &, ubi revocatio facta ipſi non innotuerit, donatio ab eo facta, non obſtante revocatione, valida eſt, ſive rem ſtatim tradiderit, ſive non tradiderit. Oſtenditur eodem modo, quo idem de promiſſione demonſtravimus (§. 743. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Relegenda etiam hic ſunt, quæ de promiſſione in caſu ſimili annotavimus (*not.* §. *cit.*).

§. 184.

An mortuo miniſtro donatio revocari poſſit. *Si miniſter moritur, antequam alteri tuo nomine donare, vel donationem a te factam ſignificare potuerit, donationem revocare licet.* Quoniam donatio revocari poteſt tam ante acceptationem (§. 89.), quam epiſtola, in qua fit donatio, nondum ad donatarium perlata (§. 176.); utrumque eodem modo oſtenditur, quo idem de promiſſione demonſtravimus (§. 739. *part.* 3. *Jur. nat.*). Immo cum de donatione etiam intelligenda veniant, quæ de promiſſione qua adimplenda demonſtrata ſunt (§. 78.); cum idem, quod de miniſtro donandi aſſeritur, demonſtratum fuerit de miniſtro promittendi (§. 739. *part.* 3. *Jur. nat.*), de illo quoque accipiendum.

§. 185.

An poſt mortem donatoris donatio a miniſtro valida fiat. *Si donator moritur, antequam qui electus eſt miniſter ſuo nomine donet; donatio poſt mortem facta invalida eſt, niſi eam valere debere voluerit donator, etiamſi ipſum mori contingat, antequam miniſter donationem perficiat.* Prius oſtenditur eodem modo, quo idem de promiſſione demonſtravimus (§. 745. *part.* 3. *Jur. nat.*); & quod de promiſſione demonſtratum, ad donationem recte applicatur (§. 78.). *Quod erat unum.*

Quoniam vero a voluntate donatoris unice pendet, quomodo donare (§. 130.), & quantum juris in miniſtrum conferre velit (§. 724. *part.* 3. *Jur. nat.*); dubium non eſt, quin donator etiam per miniſtrum ita donare poſſit, ut valeat donatio, etiamſi ſe interea mori contingat, antequam miniſter ſuo nomine donet. Valida igitur eſt donatio, etiamſi a miniſtro poſt mortem donatoris fiat, ſiquidem ita voluit donator. *Quod erat alterum.*

Poſterius etiam valet de promiſſione, cum etiam a voluntate promiſſoris pendeat, quomodo promittere velit (§. 386. *p.* 3. *Jur. nat.*), & quantum juris in miniſtrum promittendi conferre velit (§. 724. *p.* 3 *Jur. nat.*). Etſi enim jus in miniſtrum collatum extinguatur morte ejus, qui contulit (§. 744. *part* 3. *Jur. natur.*); cum tamen juri huic renunciare poſſis (§. 106. *part.* 3. *Jur. nat.*), jus in miniſtrum collatum morte tua extingui etiam nequit, ſi id volueris.

§. 186.

Quid juris, ſi in miniſtrum collatum jus revocabile. *Si donator miniſtro promittit, quod donationem revocare nolit, eam nonniſi hujus conſenſu revocare poteſt, & poſt mortem donatoris a miniſtro facta vel donatario ſignificata donatio valida eſt.* Quoniam enim promiſſor perfecte ſeſe obligat promiſſario (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), ſi donator miniſtro promittit, quod donationem revocare nolit, ad eam non revocandam ipſi obligatur. Cumque jus miniſtro acquiſitum invito auferri minime poſſit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); ipſo diſſentiente donationem revocare nequit donator. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam donatio nondum perfecta, antequam a miniſtro facta, vel ſignificata & a donatario acceptata fuerit (§. 58. 59.); antequam hoc fiat, nullum jus acquiſitum eſt a donatario. Cumque adeo jus ſuum remittere poſſit miniſter (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*), quo ſtante donatio irrevocabilis erat; quin eodem conſentiente revocari poſſit donatio dubitandum non eſt (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat ſecundum.*

Quia denique jus donandi vel donationem ſignificandi irrevocabile in miniſtrum contulit donator *per hypoth.* quod quo minus facere potuerit, dubio caret (§. 724. *part.* 3. *Jur. nat.*); eo ipſo is voluiſſe intelligitur, ut valeat donatio, etiamſi interea ſe mori contingat, donec miniſter eandem perfecerit, aut ſignificaverit donatario. Quamobrem cum in donatione ſequenda ſit voluntas donatoris (§. 130.), nec jus in miniſtrum collatum morte donatoris extinguitur.

Dona-

Donatio igitur ab eodem poſt mortem donatoris facta, vel ſignificata valida eſt. *Quod erat tertium.*

Idem etiam valet de promiſſione per miniſtrum facta, vel ſignificata in hypotheſi propoſitionis præſentis. Non obſtat objectio, quod jus in miniſtrum collatum morte conferentis extinguatur: eam enim jam removimus (*not.* §. 185.).

§. 187.

Si donatarius moritur, antequam donatio per miniſtrum facta, vel ſignificata; jus miniſtri extinguitur. Oſtenditur eodem modo, quo idem de miniſtro promittendi demonſtravimus (§. 747. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Num morte donatarii jus miniſtri extinguatur.

Relegenda etiam hic ſunt, quæ de miniſtro promittendi in eodem caſu annotavimus (*not.* 747. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 188.

Si miniſter rem, quam tibi donare debet, alii donet; donatio non valet. Etenim cum a donatoris voluntate unice pendeat, quantum juris in miniſtrum conferre velit (§. 724. *part.* 3 *Jur. nat.*); omne jus miniſtri metiendum eſt ex voluntate donantis qui idem in ipſum contulit. Quamobrem cum in eum contulerit jus rem tibi donandi, non alii; eandem quoque nonniſi tibi donare poteſt. Quodſi ergo alii donet, donatio nullo fit jure, conſequenter nec valet.

An valeat donatio a miniſtro facta alii, quam cui debebat.

Oſtenditur etiam hoc modo. Cum res, quam miniſter tibi donare debet, non ſit ipſius, ſed donantis; ſi is eam alii donet, rem alienam ipſi donat. Enimvero rem alienam alteri donare non poſſumus (§. 97.), conſequenter donatio ejus invalida. Invalida igitur etiam eſt donatio, ſi miniſter rem, quam tibi donare debet, alii donet.

§. 189.

Donator ſibi adimere poteſt jus donationem ante acceptationem revocandi. Competit donatori jus donationem ante acceptationem revocandi (§. 89.). Enimvero a voluntate ejus unice pendet, utrum juri huic renunciare velit, nec ne (§. 106. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum renuncians ſe obliget, quod eodem adverſus donatorem uti nolit (§. 104. *part.* 3. *Jur. nat.*); jus donationem ante acceptationem revocandi ſibi adimit. Quoniam itaque naturaliter homo juri ſuo quæſito renunciare poteſt (§. 118. *part.* 3 *Jur. nat.*); quin donator ſibi adimere poſſit jus donationem ante acceptationem revocandi, dubitandum non eſt.

An donator ſibi adimere poſſit jus donationem ante acceptationem revocandi.

Oſtenditur etiam hoc modo. A donatoris voluntate unice pendet, ſub qua lege donare velit (§. 130.). Quamobrem donare etiam poteſt ſub hac lege, ut donatio ante acceptationem revocari non poſſit. Quodſi vero hoc facit, ſibi adimit jus donationem ante acceptationem revocandi (§. 89.). Jus igitur donationem revocandi ante acceptationem ſibi adimere poteſt.

Pendet jus donationem ante acceptationem revocandi a jure mutandi voluntatem, quamdiu mutatio non fit contra jus alterius, quemadmodum ex ejus demonſtratione intelligitur (§. 89.), & a dominio, cum donatio ſit dominii translatio (§. 48). Qui ergo ſibi adimit jus donationem ante acceptationem revocandi, is donatario ſe obligat ad non aliter de re ſua diſponendum, quam nunc ipſi videtur ſub hac conditione, niſi eidem aliter videatur, ut adeo voluntatem ſuam ea in re dependentem faciat a voluntate donatarii; quatenus jam hujus ſolius eſt ſtatuere, utrum ſubſiſtere debeat donatio, nec ne. Exemplum tale eſſe poteſt. Ego tibi dono, conceſſo ſpatio deliberandi, num donationem acceptare velis: promitto autem me, antequam de acceptatione tua conſtet, donationem revocare nolle. Cum promiſſa ſint ſervanda (§ 431. *p.* 3 *Jur. nat.*); nec mihi jus eſt donationem revocandi, cum mihi expectandum ſit,

quid tu ſis facturus (§. 430. *part.* 3. *Jur. nat.*), validitate donationis in arbitrium tuum tota collata. Ceterum hinc ſimul patet, nos paulo ante (§. 186.) nil ſuppoſuiſſe, quod moraliter non ſit poſſibile.

§. 190.

Quodnam inde jus naſcatur donatario.

Si donator ſibi adimit jus donationem ante acceptationem revocandi; in donatarium transfert jus non patiendi, ut eam revocet, antequam acceptandi animum declaraverit. Quando enim donator ſibi adimit jus donationem ante acceptationem revocandi, hoc utique facit in gratiam donatarii, a cujus voluntate unice pendere vult, utrum donatio ſubſiſtere debeat, nec ne. Quamobrem cum temerarius actus foret hæc ademtio juris, ſi pati deberet donatarius, ut donatio revocaretur, antequam acceptandi animum declaraverit (§. 277. *part.* 3. *Jur. nat.*), temere autem nil ſit agendum (§ 278. *part.* 3. *Jur. Nat.*); neceſſe eſt ut donator ſibi adimens jus donationem ante acceptationem revocandi in donatarium transferat jus non patiendi, ut eam revocet, antequam acceptandi animum declaraverit.

Valet idem de promiſſione, quæ ante acceptationem etiam revocari poteſt (§. 596. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 191.

In quo proprie conſiſtat ademtio juris donationem non revocandi ante acceptationem.

Quoniam *donator ſibi adimendo jus donationem ante acceptationem revocandi* in donatarium transfert jus non patiendi, ut eam revocet, antequam acceptandi animum declaraverit (§. 190.); *donatario promittit, ſe ante acceptationem donationem revocare nolle* (§. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Patet adeo ademtionem juris non revocandi ante acceptationem donationem eſſe promiſſionem ante acceptationem eam non revocandi donatario factam. Quamobrem de ea omne judicium fieri debet ex natura promiſſionis.

§. 192.

Quomodo illa fiat valida.

Quoniam donator, dum ſibi adimit jus donationem ante acceptationem revocandi, donatario promittit, ſe ante acceptationem illam revocare nolle (§. 191.), ſine acceptatione autem obligatio promiſſoris valida non eſt, nec ex promiſſione jus ullum acquiritur promiſſario (§. 365. *part.* 3. *Jur. nat.*); *nec ſine acceptatione donatarii valet ademtio juris ante acceptationem donationem revocandi, nec donatario competit jus non patiendi, ne donator eam revocet, antequam ſuum de acceptando animum declaraverit.*

Abſit ut tibi perſuadeas, acceptationem donatarii eſſe ſuperfluam, ubi donator jus revocandi donationem ante acceptationem ſibi adimere velit. Tamdiu enim ipſi permittendum, ut animum non revocandi mutet, quamdiu nil ſit contra jus donatarii (§. 377. *part.* 3. *Jur. nat.*). Natura donatarius non habet jus non patiendi, ne donator animum non revocandi mutet, cum a voluntate ipſius unice pendeat, utrum juri revocandi donationem ante acceptationem, quod ipſi competit (§. 89.), renunciare velit, an nolit (§. 106. *p.* 3. *Jur. natur.*). Neceſſe igitur eſt, ut hoc jus acquirat, donatore id in ipſum transferente quod ſine acceptatione fieri non intelligitur (§. 7. *part.* 3 *Jur. nat.*).

§. 193.

Quando jus non revocandi donationem quod

Quia donator ſibi adimendo jus donationem ante acceptationem revocandi donatario promittit ſe eam ante acceptationem revocare nolle (§. 191.), promiſſio vero ante acceptationem revocari poteſt, facta autem acceptatione revocari nequit (§. 596. *part.* 3. *Jur. nat.*), & acceptatio fieri nequit, antequam

pro-

promiſſio promiſſario innoteſcit (§. 2. *part.* 3. *Jur. nat.*); *ſi donator per epiſtolam vel miniſtrum donet & jus donationem revocandi ante acceptationem ſibi adimit, hoc non obſtante donationem revocare poteſt, antequam epiſtola ad donatarium perfertur, vel miniſter donationem factam ſignificat, aut donatoris nomine donat, modo in caſu poſtremo revocatio non fiat inſcio miniſtro* (§. 183.).

ſibi ademtum eſſe vult donator, non adimatur.

Nimirum jus, quod tibi libere adimis, tibi quoque reddere potes, quamdiu ex iſta ademtione alteri jus nullum quæſitum: id quod ſine acceptatione fieri nequit, conſequenter nec ante, quam ipſi innotuerit, quod jus iſtud tibi ademtum eſſe volueris. Si hoc facis, inconſtantiam voluntatis prodis (§. 1062. *part.* 1. *Theolog. natur.*), nullam vero donatario injuriam facis (§. 859. *part.* 1. *Jur. natur.*). Immo cum promiſſio non revocandi donationem ante acceptationem donatario fiat, non miniſtro; ſine hujus conſenſu, immo ipſo invito donatio revocari poteſt. Quamobrem hic caſus minime confundendus cum ſuperiori, quo donator miniſtro promittit, ſe donationem ante acceptationem revocare nolle (§. 186.). Valet nimirum hic, quod vulgo dicitur, minimam circumſtantiam variare jus: qua de cauſa maxime opus eſt, ut in Jure naturæ propoſitiones omnes rite determinentur. Noſtra autem methodo philoſophandi facile intelligitur, propoſitiones rite eſſe determinatas, cum ex determinatione ſubjecti, aut, quod perinde eſt, ex hypotheſi aſſumta ſemper procedat demonſtratio.

§. 194.

Donatio per miniſtrum acceptata valida eſt. Etenim quando miniſter donationem acceptat, hoc facit tuo nomine (§. 722. *p.* 3. *Jur. nat.*), & per eum jus tibi acquiritur (§. 723. *part.* 3 *Jur. nat.*), quod acceptatione acquiri poteſt. Quamobrem cum ſtatim abſolvatur donatio, quamprimum donans animum donandi de præſenti & donatarius animum acceptandi ſufficienter declarat (§. 59.); ea etiam perficitur, ſi per miniſtrum acceptatur, conſequenter per eum acceptata valida eſt.

An donatio per miniſtrum acceptari poſſit.

Idem jam oſtendimus de promiſſione (§. 748. *part.* 3. *Jur nat.*). Poteramus addere propoſitiones generales; ſed eas rectius reſervamus tractationi de mandato.

§. 195.

Si abſenti dono & volo, ut tu ejus nomine acceptes; donationem revocare nequeo, antequam conſtet, num donatarius acceptationem tuam ratam habuerit; nec tu medio illo tempore donationem remittere vales. Quodſi volo, ut tu abſentis nomine donationem acceptes, eo ipſo tibi declaro me acceptationem tuam pro acceptatione donatarii habere, ſiquidem eam ratihabuerit donatarius (§. 427. *p.* 3. *Jur. nat.*), adeoque donatio conditionate facta intelligitur, ſi nimirum acceptationem tuam ratihabuerit donatarius. Quoniam itaque donatio conditionata revocari nequit, antequam certum eſt conditionem non extare (§. 90.); ſi abſenti donans volo, ut tu ejus nomine acceptes, donationem revocare nequeo, antequam conſtet, num donatarius acceptationem tuam ratam habuerit. *Quod erat primum.*

Donatio ab eo acceptata, qui miniſter electus non eſt, quando fiat irrevocabilis.

Quoniam vero acceptationem tuam pro acceptatione donatarii habeo, acceptatione a te facta ſtatim abſolvitur donatio (§. 59.), ſed ſub hac conditione, ſi acceptationem tuam ratam habuerit donatarius. Quamobrem non a tua voluntate pendet, utrum donatio ſubſiſtere debeat, nec ne, ſed a ratihabitione donatarii. Tempore igitur medio, antequam nimirum conſtet, num donatarius acceptationem ſit ratam habiturus, tu donationem remittere non vales. *Quod erat ſecundum.*

Nimirum acceptatione tua jam acquiſitum eſt donatario jus conditionatum, quod ipſi invito auferre non potes (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), præſertim cum adimpletio conditionis a voluntate donatarii tota pendeat.

§. 196.

Quando onus in gratiam tertii adjectum revocari poſſit.

Onus donationi in commodum tertii adjectum revocari poteſt, antequam hoc acceptatum non fuit a tertio. Cum enim dominium vel jus quoddam proprium transferri nequeat niſi in acceptantem (§. 7. *part.* 3. *Jur. nat.*), ante acceptationem jus nullum quæſitum tertio, in cujus commodum donationi adjicitur onus. Quamobrem ſi hoc revocatur, adeoque pro non adjecto declaratur, (§. 87.); mutatio voluntatis non fit contra jus tertii. Cum igitur unicuique permittendum ſit, ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu nil agit contra jus alterius (§. 377. *part.* 3. *Jur. nat.*); donans quoque onus donationi in commodum tertii adjectum revocare poteſt, antequam hoc ab eo acceptatum non fuerit.

Oſtendi etiam poteſt eodem modo, quo idem de promiſſione demonſtravimus (§. 756. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Trahenda huc ſunt, quæ de revocatione oneris promiſſioni adjecti annotavimus (*not.* §. 756. *part.* 3. *Jur nat.*).

§. 197.

Num donatio ſub hoc onere facta, ut alteri viciſſim dones, reſcindi poſſit.

Si tibi rem quandam dono ſub hoc onere, ut eam viciſſim, vel rem aliam dones tertio; ante acceptationem tertii me conſentiente eam mihi reddere & donationem reſcindere potes: ſed non ſine conſenſu meo. Quodſi enim rem quandam tibi dono ſub onere in gratiam tertii adjecto, ego donationem revocare poſſum, antequam ab eodem fuit acceptatum (§. 196.), & quoniam tu jus ex donatione quæſitum remittere potes, quamdiu nil fit contra jus tertii (§. 118. *part.* 3. *Jur. nat.*), ante acceptationem vero a tertio factam, nullum adhuc jus ab eo acquiſitum (§. 7. *part.* 3. *Jur. nat.*); nihil obſtat, quo minus donatio reſcindatur, & res donata mihi reddatur, ſi uterque in hoc conſentimus. Ante acceptationem adeo tertii me conſentiente eam mihi reddere & donationem reſcindere potes, factam ſub onere, ut rem, quam tibi dono, vel rem quandam aliam tertio dones. *Quod erat primum.*

Enimvero dum donatio fit ſub hoc onere, ut eam viciſſim, vel rem aliam dones tertio; dum eam acceptas, revera mihi promittis te rem eandem tertio donaturum, vel rem quandam aliam, de qua inter nos convenit (§. 2. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter ad hoc faciendum mihi obligaris (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque nemo ab obligatione ſua ſe ipſum liberare poteſt (§. 674. *p.* 3. *Jur. nat.*), nec rem donatam mihi abſque conſenſu meo reddere ac donationem reſcindere vales, ſi facta ſub hoc onere, ut tertio eandem dones vel rem quandam aliam, de qua inter nos convenit.

Donatione in hypotheſi propoſitionis præſentis facta in te transfertur dominium reſtrictum certa lege, a qua recedere tibi integrum non eſt, cum nonniſi juxta eandem de re donata diſponere valeas & mihi ad diſponendum juxta eandem obligatus ſis. Quamdiu adeo jus nullum tertio ex hac donatione quæſitum, ne quid fiat contra jus tertii, quod lege naturali prohibitum (§ 910 *part.* 1. *Jur nat.*); ego te ab obligatione tua liberare poſſum, tu vero teipſum liberare nequis (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 198.

An rem donatam recipere tenear, ſi alter eam reddere velit.

Si rem tibi donatam mihi reddere volueris, in mea voluntate poſitum eſt, utrum eam recipere velim, nec ne. Quando enim tibi rem dono, cum donatio datio (§. 48.), adeoque translatio dominii ſit (§. 675. *p.* 2. *Jur. nat.*), ea fit tua (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi eam mihi reddere vis eam mihi donare (§. 48.), conſequenter ejus dominium in me transferre vis *per demonſtrata*. Enimvero

ad actualem translationem dominii requiritur conſenſus meus (§. 9. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque in mea poſitum eſt voluntate, utrum eam, quam tibi donavi, recipere velim, nec ne, ſi eam mihi reddere volueris.

Nova eſt donatio, ſi res donata redditur, cum quod tuum eſt mihi gratis dare velis (§. 48.). Quodſi ergo rem tibi donatam recipere teneor, quando eam mihi reddere vis; donatarius omnis obligatur ad donationem acceptandam: quod quam ſit abſurdum, nemo non agnoſcit, cum acceptatio ſit actus liberæ voluntatis (§. 2.). Immo cogere alterum ad acceptandum repugnat libertati naturali, quæ nullius voluntatem dependentem eſſe vult a voluntate alterius (§. 152. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quemadmodum vi libertatis naturalis in tua voluntate poſitum eſt, utrum donare velis, nec ne (§. 130.); ita vi ejuſdem mei arbitrii eſt, utrum donationem acceptare velim, an nolim.

§. 199.

Beneficium dicitur *obtrudi*, quod invito ac renuenti offertur. Et in genere *obtrudi* dicitur id, quod invito ac renuenti offertur. *Renuere* autem dicitur, qui verbis vel factis offerre inſtanti declarat, ſe quod offertur accipere, ſeu acceptare nolle. *Beneficium quando obtrudi dicatur.*

Ex. grat. Vis mihi dare poculum argenteum. Ego id accipere nolo. Inſtas, ut accipiam: ego aſſevero, me id non eſſe accepturum. Poculum deponis in menſa mea abiturus: ego id tibi reddo, nec ut abeas patior. Hic offerenti verbis & factis declaro, etiamſi offerre inſtes, me quod offers accipere nolle. Et quamvis tandem accipiam, accipio tamen invitus (§. 581. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem poculum argenteum invito ac renuenti oblatum fuiſſe dicitur. Patrio idiomate dicimus: Er hat mirs aufgedrungen.

§. 200.

Beneficium & in genere nihil alteri obtrudendum. Quoniam natura omnis homo liber eſt (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque in agendo non dependet ab ullo alio homine niſi a ſeipſo (§. 158. *par.* 1. *Jur. nat.*); uniuſcujuſque voluntati relinquendum, utrum quod offertur accipere velit, nec ne. Quamobrem ſi quis accipere non vult, immo tum verbis vel factis declarat offerre inſtanti, ſe quod offertur accipere nolle, conſequenter renuit (§. 199.); quod offertur offerendum non eſt. Quoniam itaque obtruditur, quod invito ac renuenti offertur (§. *cit.*); nemini quid obtrudendum, conſequenter nec beneficium alicui obtrudendum. *An alteri quid in genere, vel etiam beneficium obtrudere liceat.*

Ex demonſtratione liquet, ſi quid alteri obtruditur, id fieri contra jus libertatis naturalis, adeoque non ſine injuria (§. 859. *p.* 1. *Jur. nat.*): quod quamvis abſonum videri poſſit iis, qui ex notionibus confuſis judicant; abſonum tamen non eſt, cum vi notionum diſtinctarum id ſit manifeſtum. Et quamvis tandem importune inſtanti renuere deſiſtat is, cui quid offerebatur; hoc ipſo tamen macula, quæ adhæret actui offerentis, non deletur, immo cum invitus acceptet, quod non accipere mallet (§. 581. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), in ipſum acceptationis actum injuria iſta influit, nec huc trahi poteſt pervulgatum illud, injuriam volenti non fieri. Aliud eſt precibus adducere alterum ad acceptandum, aut motivis in medium allatis eidem acceptationem perſuadere, aliud vero obtrudere: id quod ideo monendum eſſe duximus, ne quæ diverſa ſunt inter ſe confundantur. Neque hoc ſilentio prætereundum, quod, quando vulgo dicitur, beneficium nemini eſſe obtrudendum, non tam reſpici ad moralitatem intrinſecam hujus actus, quam quod beneficio indignus habeatur, qui idem acceptare renuit, cum gratis detur (§. 19.), adeoque non dans, ſed accipiens utilitatem ex eo accipiat (§. 18.): id quod nonniſi inter motiva beneficium non obtrudendi locum habere poteſt, conſequenter in Jure naturæ non attendendum.

§. 201.

§. 201.

An dona obtrudere liceat. Quoniam beneficium nemini obtrudendum, immo in genere nil obtrudendum (§. 200.), donatio vero beneficium eſt, & res donata donum (§. 48.); *donatio* quoque ſeu *donum nemini obtrudi debet*.

Poſſunt donatario rationes eſſe ſufficientes; cur donationem acceptare nolit, ita ut non tanquam ingratus indignus judicari queat, cui donetur. Neque ſemper e re donatarii eſt, ut rationes manifeſtet, ob quas donum accipere nolit. Acquieſcendum igitur in ejus noluntate, ſi accipere recuſet. Immo dantur caſus, in quibus ad non acceptandum obligatur donatarius, ſi juſtitiam internam ſpectes. Contra jus vero libertatis naturalis ab eo exigis, ut rationem reddat, cur donationem acceptare nolit (§. 158. *part. 1. Jur. nat.*). Idem tenendum eſt de beneficio quocunque alio.

§. 202.

An mortis cauſa donatio ſit, ſi quid donetur intuitu mortis alterius. *Si quid tibi dono intuitu mortis alienæ; id mortis cauſa non donatur*. Etenim ſi quid tibi mortis cauſa dono, ideo dono, quia moriturus ſum (§. 140.), adeoque intuitu mortis meæ, non alienæ. Quamobrem ſi quid tibi dono intuitu mortis alienæ, id mortis cauſa non donatur.

Ex. gr. Dono tibi decem aureos, quod mihi nuncies mortem agnati mei, qui me hæredem inſtituit, vel inimici mei, qui nocere poteſt. Donatio facta mortis cauſa dici nequit.

§. 203.

Mortis cauſa capio quid ſit. Hinc in Jure Romano *Mortis cauſa capio* dicitur acquiſitio rei intuitu mortis alienæ, ſed non ex bonis defuncti.

In exemplo itaque, quod modo dedimus, decem aureos mortis cauſa capis, quos tibi do ex bonis meis, non vero ex bonis defuncti. Non eſt quod excipias, poſſe te alteri promittere aliquid ex bonis defuncti, tumque adimpletionem promiſſionis conſiſtere in donatione, quæ fit ex bonis defuncti, conſequenter quod ob mortem alterius acquirit, ex bonis defuncti accipit. Etenim quando tu hæreditatem adis, bona defuncti fiunt tua, cumque non a defuncto, ſed a te proficiſcatur obligatio dandi; nec tu donare poſſis rem alienam (§. 97.), quod is accipit, ex bonis tuis a defuncto licet acquiſitis accipit. Non hic quæſtio eſt, a quonam bona acquiſiveris, ſed cujuſnam ea ſint, quando ea iis quid donatarius accipit.

§. 204.

Quando donatio ſit mortis cauſa capio. Quoniam quod tibi dono intuitu mortis alterius, id mortis cauſa non donatur (§. 202.), tu vero accipis ex bonis meis, non ex bonis defuncti, & quod a me, non a defuncto acquiris, mortis cauſa capis (§. 203.); *ſi quid tibi dono intuitu mortis alterius, acquiſitio ejus mortis cauſa capio eſt*.

Julianus JCtus l. 15. ff. de mort. cauſ. donat. & cap. mortis cauſa donationem in genere ſumit pro qualibet acquiſitione, intuitu mortis, ſive propriæ, ſive alienæ facta, ita ut & donationem mortis cauſa & mortis cauſa capionem in ſpecie ſic dictam complectatur. Vid. Cardin. *Tuſchus* T. 1. Concl. 661. Nobis vero conſultius eſt viſum, ſignificationem ſtrictiorem retinere, ut citra ambiguitatem mortis cauſa capio a mortis cauſa donatione diſtinguatur, præſertim cum nomine generali non habeamus opus.

§. 205.

Qualis ſit donatio intuitu mortis *Donatio, quæ fit intuitu mortis alienæ, donatio ſimplex ſeu inter vivos eſt, eaque conditionata, ſi fiat ſub hac conditione ut reſtituatur, ſi alter convaluerit*. Etenim dona-

donatio intuitu mortis alienæ facta non eſt donatio mortis cauſa (§. 202.). Sed quæ donatio mortis cauſa non eſt, donatio ſimplex, ſeu inter vivos eſt (§. 148.). Quamobrem donatio, quæ fit intuitu mortis alienæ, donatio ſimplex, ſeu inter vivos eſt. *Quod erat primum.* *alienæ facta.*

Cum a donantis unice voluntate pendeat, ſub qua lege donere velit (§. 130.); dubio caret, quod etiam donare poſſit ſub hac conditione, ut reſtituatur, ſi alter convaluerit. Quamobrem cum conditionata ſit donatio, quæ fit ſub conditione, & conditione non exiſtente revocabiliter facta intelligitur (§. 68.); donatio ſub hac conditione facta ut reſtituatur, ſi alter convaluerit, donatio inter vivos conditionata eſt. *Quod erat alterum.*

Difficultatem movere minime debet; quod dixerimus, donationem inter vivos irrevocabiliter fieri debere (§. 148). Irrevocabiliter enim fieri dicitur, ſi non a voluntate tua pendet, ut donationem revoces, quando tibi viſum fuerit; non vero ſi validitatem donationis ſuſpendis ab aliquo eventu, veluti a morte aliena. Tum enim proprie loquendo, donatio revocabilis non eſt, cum non ſit in ſe revocabilis, ſed tantummodo revocabili æquipollet, quando conditione non exiſtente eam non validam eſſe conſtat (§. 68.), quatenus nimirum rem recipere poſſumus. Aliud nimirum eſt, num revocatio donationis pendeat a voluntate tua, aliud num a caſu quodam. In priori caſu jus eam tibi revocandi, ſi ita viſum fuerit, ſimpliciter reſervas; in poſteriori idem in caſum confers, a quo & ipſum expectandum, adeoque ex parte tui initio irrevocabiliter facta. Hæc qui perpendit, ei nihil difficultatis ſupererit, quod dixerimus, donationem mortis cauſa fieri revocabiliter, donationem vero inter vivos irrevocabiliter. Unum tamen adhuc moneri non inconſultum ducimus. Oſtendimus in ſuperioribus, ſi quis donet ſub hac conditione, ut, ſi moriatur, res donata maneat donatarii, ſi vero valetudini reſtituatur, aut periculum mortis evadat, eandem recipiat, eum mortis cauſa donare (§. 147.). Videtur adeo ita donans jus revocandi donationem in caſum contuliſſe, quemadmodum in exemplo donationis ſub mortis alienæ conditione facta. Enimvero ſi mortis cauſa dones, adeoque quia moriturus es (§. 140.); donationi per ſe ineſt jus ante mortem eam revocandi, ſiquidem viſum fuerit (§. 139.), conſequenter quando ita donas, ut, ſi moriaris, res donata maneat donatarii, ſi vero valetudini reſtituaris, aut periculum mortis evadas, eandem recipias, jus tuum tantummodo declaras, ne in controverſum adduci poſſit. Ceterum propoſitionem præſentem ideo addidimus, ne mortis cauſa donationes cum donationibus inter vivos facile confundantur: quem in finem etiam ea ſubjicimus, quæ annotavimus.

§. 206.

Donatio remuneratoria eſt, quæ fit ob bene merita a donatario in donantem profecta, vel beneficia ab eo in hunc collata. *Bene* autem *mereri* de aliquo dicitur, qui operam dat, ut ei quomodocunque proſit, ſeu agit, quod ad utilitatem vel jucunditatem alterius quomodocunque facit. *Donatio remuneratoria quænam ſit.*

Innumeri ſunt actus aliis utiles ex officiis erga alios æſtimandi. Hiſce ſingulis proſumus aliis & iſdem bene de ipſis meremur. Ob eos qui alteri donat, bene merita remuneratur. Ex. gr. Si in periculo vitæ conſtituto opem fers & ab eo eundem liberas; bene de eo mereris. Bene meritum remunero, ſi tibi rem gratam datis do. Et hæc datio donatio remuneratoria eſt. Similiter ſi Profeſſor in Academia omnem dat operam, ut ad ſolidam ſcientiam auditores ſuos perducat; bene de iis meretur. Quodſi eorum quis grato animo eidem offerat munus, donatio remuneratoria eſt. Equidem haud raro accidit, ut aliorum quoque male facta remunerentur homines, propterea quod vitio dediti, vel errore occœcati illos de ſe bene mereri opinantur; non tamen hinc contra donationis remuneratoriæ definitionem peti poteſt objectio: etenim perverſe judicantes eandem male applicant.

§. 207.

Omnis actus, quo de aliis bene meremur, beneficium eſt. Qui enim bene de alio meretur operam dat, ut ei quomodocunque proſit, conſequenter ad alterius bona quæcunque, ſive animi, ſive fortunæ, ſive corporis gratis quid confert, vel malum quodcunque animi, corporis, vel fortunæ avertit. Sed actus omnis, quo ad alterius bona quæcunque ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ *An bene mereri de alio ſit beneficium.*

 gratis

gratis quid confertur, vel malum quoddam animi, corporis ac fortunæ avertitur, beneficium eſt (§. 21.). Actus igitur omnis, quo de aliis bene meremur, beneficium eſt.

Non eſt quod excipias, bene mereri Miniſtrum de Rege & Rep. qui omnes muneris ſui partes omni aſſiduitate ac dexteritate adimplet. Ipſum vero hoc non facere gratis, cum ſalarium ipſi ſit conſtitutum, & ad omnes muneris ſui partes pro virili adimplendas fidem ſuam adſtrinxerit. Quod adeo facit, debitum eſſe (§. 170. *p. 1. Phil. pract. univ.*), nec gratis fieri, conſequenter ad beneficia referri minime poſſe, quippe præſtanda gratis (§. 19.), & imperfecte debita (§. 26.). Etenim inter ſalarium & actus miniſtri omnes muneris ſui partes aſſiduitate ac dexteritate omni adimplentis non ea datur æqualitas, quæ inter mercedem & laborem in conductione & locatione operarum ſpectatur, ut ipſis nihil inſit gratuiti, ſi rem penitius ſpectes, & quatenus his ſtudet miniſter placere Regi, adeoque voluptatem ejus intendit (§. 542. *Pſychol. empir.*), iidem ſunt actus ad jucunditatem Regis facientes, & eatenus dici poſſunt gratuiti, cum non fiant ſolo intuitu mercedis, quod ad obligationem externam adimplendam ſufficiebat. Nil igitur obſtat, quo minus iidem inter beneficia collocentur. Tacemus alia, quibus idem confirmari poterat. Sane ſi artificis operam conducimus in faciendo opere, & is idem omni aſſiduitate ac diligentia perfecit, ut voluptatem inde percipamus; verus rerum æſtimator aſſiduitatem ac diligentiam artificis, quatenus opus ab ipſo perfectum voluptatem creat, extra mercedem ſpectat, conſequenter ad actus gratuitos refert (§. 18.), adeoque, quatenus voluptas creatur, in beneficiorum numero collocat (§. 17. 19.), etſi de nomine non cogitet. Nec obſtat, quod hoc ab omnibus non agnoſcatur: quod enim tales ſine actus, a ſe ſubent, non a judicio aliorum, nec quod a communi loquendi uſu, qui præjudicatis hominum opinionibus debetur, abhorret, legem ratiocinandi fundamentalem tollit (§. 349. *Log.*).

§. 208.

An donationes remuneratoriæ lege naturali præceptæ.

Naturaliter ad donationes remuneratorias obligati ſumus, ſiquidem eædem in poteſtate noſtra ſunt. Etenim donatio remuneratoria fit ob bene merita a donatore in donantem profecta, adeoque ob beneficia ab illo in hunc collata (§. 206. 207.), conſequenter in reddendo beneficio conſiſtit (§. 32.). Sed naturaliter ad beneficium reddendum occaſione oblata, adeoque ſi in poteſtate noſtra eſt (§. 176. *part. 1. Jur. nat.*), obligamur (§. 41.). Quamobrem naturaliter ad donationes remuneratorias obligati ſumus, ſiquidem eædem in poteſtate noſtra ſunt.

Patet adeo donationes remuneratorias lege naturali eſſe præceptas (§. 164. *p. 1. Phil. pract. univ.*), ut donator non minus obligatus ſit ad donandum, quam donatarius obligabatur ad bene de ipſo merendum. Quodſi deſint vires; voluntas tamen reddendi beneficii abeſſe minime debet.

§. 209.

An ad donationem remuneratoriam compelli quis poſſit.

Ad donationem remuneratoriam nemo compelli poteſt. Etenim ex demonſtratione propoſitionis præcedentis liquet, donationem remuneratoriam in reddendo beneficio conſiſtere, conſequenter perinde ac donationes ceteras eſſe beneficium (§. 65.). Quamobrem cum ad beneficium dandum nemo compelli poſſit (§. 27.); nec quiſquam ad donationem remuneratoriam compelli poteſt.

Nimirum donationes remuneratoriæ, cum ei, qui de nobis bene meritus, ad eas nonniſi jus imperfectum competat (§. 26.), ſunt imperfecte debit (§. 401. *p. 3. Jur. nat.*): id quod etiam inde intelligitur, quod ex mutua dandi & faciendi obligatione naturali ſeu connata proficiſcuntur (§. 402. *p. 3. Jur. nat.*), & quæ, datur ad eas obligatio, interna eſt (§. 405. *p. 3. Jur. nat.*), ac jus, quod ad eas competit bene merito, nonniſi internum eſt (§. 406. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 210.

An mortis cauſa dona-

Naturaliter donatio etiam mortis cauſa remuneratoria eſſe poteſt. Etenim donatio mortis cauſa equidem fit cum reſervatione donationem revocandi ante mortem,

tem, quando viſum fuerit (§. 140.); quoniam tamen naturaliter ad donationes remuneratorias obligati non ſumus, niſi quatenus eædem in poteſtate noſtra ſunt (§. 208.), adeoque ſola voluntas ſufficit, ubi actus ipſe a te proficiſci nequit, revocabilitas donationis, quæ fit mortis cauſa, minime obſtat, ut fit remuneratoria. Patet adeo naturaliter donationem etiam mortis cauſa remuneratoriam eſſe poſſe.

tio remuneratoria eſſe poſſit.

Non ignoro, hæc minime conſentire cum Jure civili, cujus Doctores donationem remuneratoriam ob nullam cauſam revocari poſſe contendunt. Vid. *Struvius.* Juriſpr. Rom. Germ. For. lib. 2. titul. 10. §. 23. Nituntur autoritate *Pauli* l. 34. ff. de donat. qui donationem irrevocabilem pronunciat, ſi quis aliquem a latrunculis vel hoſtibus eripuit, & aliquid pro eo ab ipſo accipiat. Supponit JCtus donationem factam eſſe ſimpliciter intuitu liberationis ſolius; adeoque nulla ratio eſt, cur ea revocari poſſit (§. 89.), & inter vivos facta dicenda eſt (§ 148.). Enimvero ſi liberatori tuo dones agrum ſub ea lege, ut donationem ante mortem revocare poſſis, cum ignores, quamdiu adhuc vivere poſſis & num is futurus ſit rerum tuarum ſtatus, ut ipſemet agro adhuc indigeas, vel poſt mortem tuam indigeant alii, quorum ſaluti proſpicere teneris, & ille donationem ita factam acceptet; ſententia *Pauli* huic donationi, quæ mortis cauſa facta (§. 140.), minime obſtat, utpote de alio caſu intelligenda. Neque adeo, ſi rem penitius inſpicias, dici poteſt, ſententiam noſtram, quam Juri naturæ conformem oſtendimus, Juri Romano adverſari, cui minime contrariatur, quod jus omne donatarii metiendum ſit ex voluntate donantis (§. 150.).

§. 211.

Donatio mortis cauſa remuneratoria revocari minime debet, niſi quando re donata indiges ad ſublevandam vitæ tuæ ac tuorum neceſſitatem. Etenim donatio remuneratoria fit ob beneficia in te collata (§. 206. 207.), conſequenter ex animo grato proficiſcitur (§. 31.). Si mortis cauſa fit, conſequenter quia aliquando moriturus (§. 140.), tibi reſervas jus eam revocandi, ſiquidem ipſemet ea adhuc indigeas, quemadmodum ex demonſtratione ſuperiori liquet (§. 139.). Quamobrem cum beneficiarius gratum habere debeat animum erga benefactorem (§. 43.), nec ſine ſumma neceſſitate donationem mortis cauſa factam ob bene merita, ſeu beneficia a donatario in nos profecta revocari debet. Quoniam itaque neceſſitas nulla te cogit ad eam revocandam, niſi quando re donata ipſemet indiges ad ſublevandam vitæ tuæ, vel tuorum neceſſitatem, quo in caſu officium erga teipſum vincit officium erga alios (§. 229. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & officium erga tuos officium erga benefactorem (§. 230. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quemadmodum poſterius ſuo loco clarius patebit; donatio mortis cauſa remuneratoria revocari minime debet, niſi quando re donata indiges ad ſublevandam vitæ tuæ ac tuorum neceſſitatem.

Donatio mortis cauſa remuneratoria quando revocanda ſit jure interno.

Qui extra caſum neceſſitatis donationem remuneratoriam mortis cauſa factam revocat, is animum gratum exuit (§. 42.), præſertim ſi beneficium in nos collatum fuerit inſigne, quale in exemplo *Pauli* conſpicitur (*not.* §. 210.). Quamobrem cum tempus beneficiorum memoriam facile delere, vel eorum pretium minuere ſoleat, conſequenter animus gratus langueſcat tandemque evaneſcat; non iniquum eſt, ſi lege poſitiva donatio remuneratoria efficiatur irrevocabilis & in omni caſu donationi ſimplici æquiparetur. Sed hoc ex theoria condendi leges civiles ex naturalibus magis eluceſcet.

§. 212.

Immo in genere donatio mortis cauſa non revocanda temere. Temere enim nil agendum (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo nec temere revocanda donatio mortis cauſa.

Donatio mortis cauſa in genere quando revocabilis jure interno.

Valet hoc inprimis, ſi mortalitatis cogitatione facta donatio, non vero, ſi ſub conditione mortis aut periculi imminentis, veluti ſi ita dones, ut res maneat donatarii, ſiquidem moriaris, in caſu autem oppoſito res ad te revertatur. Propoſitio adeo præſens uſui eſt donan-

ti,

ti, ne abſque ratione prægnante donationem revocet contra animum, quem habuit, cum donaret, conſequenter nil faciat contra jus internum, etſi impune facere hoc poſſit ſpectato jure nonniſi externo. Quando vero revocatio pro temeraria haberi nequeat, tum ex definitione temeritatis in faciendo (§. 277. *part. 3. Jur. nat.*), tum ex tacita conditione, ſub qua jus revocandi reſervatur, patet. Nimirum qui revocabiliter donat, ei ratio aliqua adeſſe debet, cur non donet irrevocabiliter (§. 70. *Ontol.*), ſive ea petatur a perſona donantis, ſive a perſona donatarii, ſive ab utraque, veluti ſi reſpicias propriam indigentiam, vel futurum ſtatum donatarii tam internum, quo pertinet animus ingratus, quam externum; quo divitiæ referendæ. Quilibet autem revocabiliter donans ſibi conſcius eſt, ob quamnam rationem revocabiliter donare voluerit, vel oblato caſu, de quo non cogitavit, cum donavit, haud difficulter judicabit, num in eodem quoque donationem revocabilem eſſe voluiſſet, ſiquidem de eo cogitaſſet. Qui vult animum ab omni labe eſſe purum, in rationes iſtas omnino inquirere debet; antequam donationem revocet, etſi jure externo eam revocare poſſit, quia videtur, nec ulla reddenda ſit ratio, cur eam revocet. Ceterum eadem, quæ diximus, perpendenda etiam ſunt donatario, ne iniquas de revocata donatione moveat querelas.

§. 213.

Donatio reciproca quænam dicatur.

Donatio reciproca dicitur, quæ fit ſub hac conditione, ut tu mihi viciſſim rem aliam dones.

Ex. gr. Dono tibi nummum aureum, ut tu mihi viciſſim dones librum quendam, etſi multo minoris pretii. Donatio eſt reciproca. Si tibi dono hortum, ut tu viciſſim mihi dones duos equos, donatio reciproca eſt. Tenendum vero, ſi donatio reciproca eſſe debet, eam ſupponere pactum de rebus mutuo donandis. Quamobrem ſi tibi dono hortum meum & tu in ſignum animi grati proprio motu dones viciſſim, nulla præcedente conventione, duos equos; donatio non erit reciproca. Similiter non erit reciproca donatio, ſi tibi dono librum tibi valde acceptum, & tu hac donatione permotus mihi dones abſque ulla conventione nummum aureum multo majoris pretii.

§. 214.

Num donatio reciproca naturaliter valida ſit.

Donatio reciproca naturaliter valida eſt. Etenim quando reciproce donatur, ego tibi dono ſub hac conditione, ut tu mihi viciſſim rem aliam dones (§. 213.). Enimvero quemadmodum a mea voluntate pendet, utrum tibi quid donare velim, an nolim, & ſub qua lege donare velim; ita etiam a tua voluntate pendet, utrum tu donare velis, an nolis, & ſub qua lege donare velis (§. 130.). Quamobrem cum mutuo conſenſu perficiatur donatio (§. 59.); utriuſque voluntate tam donatio a me tibi, quam a te mihi facta ſubſiſtit. Reciproca igitur donatio naturaliter valida eſt.

Equidem cum donatio reciproca nitatur pacto (§. 788. *p. 3. Jur. nat.* & §. 213. *h.*), pacta autem naturaliter obligent, ſeu ſervanda ſint (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), hinc inferri poſſe videbatur validitas donationis reciprocæ: fallitur tamen, qui ita ſentit. Quando enim oſtenditur, pacta eſſe ſervanda, tacite ſupponitur, ea non eſſe legi naturali adverſa, quippe contra quam nemo ſeſe alteri obligare poteſt (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Antequam igitur ex eo, quod pacta ſint ſervanda, inferre poſſis pactum aliquod validum eſſe, neceſſe eſt ut demonſtres, id juri naturæ minime adverſari. Hoc vero ubi evincis, ipſum validum eſſe jam conſtat. Quamobrem non inconſiderate validitatem donationis reciprocæ ex iis deduximus, quæ de donatione in genere fuerunt demonſtrata.

§. 215.

An res donatæ æſtimentur in donatione reciproca.

In donatione reciproca nulla fit rerum donatarum æſtimatio. Quod enim donatur, gratis datur (§. 48.), conſequenter ut pro eo, quod datur, nihil viciſſim recipiatur (§. 18.). Quamvis adeo donatio reciproca fiat ſub ea lege, ut tu mihi viciſſim aliquid dones (§. 213.); non tamen neceſſe eſt, ut tantundem a te accipiam, quantum tu a me accipis, ſed perinde eſt, ſive plus, ſive minus recipiam. Nulla igitur in donatione reciproca fit rerum donatarum æſtimatio.

Ideo donatio differt a permutatione rerum, de qua deinceps dicemus, ubi neuter contrahentium habet animum alteri aliquid gratis dandi, ſed utraque pars tantundem recipere vult, quantum dat. In donatione autem reciproca res dantur quaſi gratis, quatenus neuter æſtimat id, quod dat, quaſi nihil pro eo recepturus, ſed validitas tantummodo actus unius dependet ab actu alterius.

§. 216.

Quoniam *in donatione reciproca* nulla fit rerum æſtimatio (§. 215.), *unus in alterius voluntatem conferre poteſt, quid viciſſim donare velit.* *An in alterius voluntatem conferri poſſit, quod viciſſim donare velit.*

Ex. gr. dono tibi nummum aureum tanquam mnemoſynon quoddam & tibi arbitrium permitto de eo, quod mihi viciſſim donare velis, modo aliquid dones, quodcunque tandem illud ſit, ut a te etiam habeam mnemoſynon quoddam. In tuam igitur voluntatem confero, quid viciſſim donare velis.

§. 217.

Donatio reciproca æquipollet donationi ſub onere factæ. Etenim reciproca donatio fit ſub ea conditione, ut tu viciſſim mihi quid dones (§. 213.). Quamobrem cum donationi perinde ac promiſſioni adjiciatur onus, ſi ſub hac conditione dones, ut alter tibi viciſſim aliquid donet (§. 585. *p.* 3. *Jur. nat.*); donatio reciproca æquipollet donationi ſub onere factæ. *Qualis ſit donatio reciproca.*

§. 218.

Quoniam donatio reciproca æquipollet donationi ſub onere factæ (§. 217.); donatio autem, cui onus, quod dono minus, adjicitur, actus compoſitus eſt ex donatione & actu permutatorio (§. 72.), ſi autem ſit onus adjectum dono æquale, per ſe intelligitur, quod actui permutatorio æquipolleat, aut, ſi mavis, in hunc actum donatio vertatur; *ſi alter in donatione reciproca plus recipit, quam dat, ex parte ejus ea erit actus compoſitus ex donatione & actu permutatorio, ſi vero tantundem utrinque recipitur, quantum datur, ea actui permutatorio æquipollet, ſeu in eam vertitur.* *Idem porro expenditur.*

Hinc liquet, donationem reciprocam improprie donationem vocari, quemadmodum vulgo agnoſcitur & de donatione ſub onere facta jam annotavimus (*not.* §. 72.).

§. 219.

Si donatio reciproca utrinque acceptata, ambo obligantur ad res donatas tradendum. Donatione enim utrinque acceptata, utriuſque donatio perfecta eſt (§. 59.). Quamobrem cum res donata ſit tradenda (§. 54.); ſi donatio reciproca utrinque acceptata, ambo obligantur ad res donatas tradendum. *Obligatio ex donatione reciproca reſultans.*

Fluit obligatio tradendi ex ipſa donationis notione. Poſſunt tamen ſibi mutuo donantes inter ſe convenire, quid circa eam teneri velint (§. 132.). Et quoniam pacta donationi adjecta ſervanda ſunt (§. 137.); ſtandum eſt conventioni.

§. 220.

Mendicare non licet niſi iis, qui labore ſuo tantum acquirere minime poſſunt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit; nec niſi his danda eſt eleemoſyna. Hominibus enim omnibus laborandum (§. 514. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque opera danda ut acquirat, quæ ad vitam commode, jucunde ac decore agendam faciunt (§. 512. *part.* 1. *Quibuſnam competat jus mendicandi & eleemoſyna danda.*

part. 1. *Jur. nat.*). Quoniam vero res neceſſariæ, conſequenter quæ ad vitæ ac ſanitatis conſervationem faciunt & ad perficiendum animum requiritur (§. 499. *part.* 1. *Jur. nat.*), præferendæ utilibus & voluptuariis (§. 502. *part.* 1. *Jur. nat.*), quarum illæ ad vitam commode degendam, hæ ad ejus jucunditatem faciunt (§. 500. 501. *part.* 1. *Jur. nat.*); ſaltem opera danda, ut labore ſuo tantum acquirant, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit. Quoniam vero nemo hominum naturaliter habet jus petendi ab altero, ut ea ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui perfectionem conferat, quæ ipſemet facere poteſt (§. 233. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ſed hoc nonniſi iis competit, qui ipſimet facere nequeunt (§. 234. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); nemini quoque competit jus petendi ab aliis ea, quæ ad vitæ neceſſitatem faciunt, niſi ei, qui labore ſuo tantum acquirere minime poteſt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit, conſequenter nec niſi huic eſt jus petendi eleemoſynam (§. 51.). Quamobrem cum mendicet, qui eleemoſynam petit (§. 53.), nemini eſt jus mendicandi, adeoque nemini mendicare licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), niſi ei, qui labore ſuo tantum acquirere minime poteſt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit. *Quod erat unum*.

Et quoniam nemo hominum naturaliter obligatur ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre ea, quæ ipſemet facere poteſt (§. 232. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eodem fere modo porro concluditur, non dandam eſſe eleemoſynam niſi his, qui labore ſuo tantum acquirere nequeunt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit. *Quod erat alterum*.

Obligatio dandi eleemoſynam reſpondet juri mendicandi, adeoque illa ex hoc metienda, aut, cum jura naſcantur ex obligatione (§. 23. *p.* 1. *Jur. nat.*), jus mendicandi metiendum ex obligatione dandi eleemoſynam. Quodſi enim in genere perpendas jus petendi ab aliis nonnulla, videbis id ipſum deduci ex obligatione aliis inſerviendi (§. 233. 234. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Obligatio nimirum dandi eleemoſynam demonſtratur independenter a jure mendicandi, adeoque & ante hoc demonſtrari poteſt. Immo inutile foret jus mendici, niſi ſupponeretur obligatio dandi eleemoſynam.

§. 221.

Idem uberius declaratur. Quoniam mendicare licet iis, qui labore ſuo tantum acquirere minime poſſunt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit, & his danda eleemoſyna (§. 220.); labore autem ſuo tantum acquirere nequit, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit non modo is, qui defectu virium laborare nequit, ſed etiam is, cui deeſt occaſio laborandi, etſi laborare poſſet ac vellet (§. 158. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); *jus mendicandi non modo competit ei, qui defectu virium laborare nequit, verum etiam huic, cui, cum laborare vellet, deeſt laborandi occaſio, & utrique danda eſt eleemoſyna.*

§. 222.

Cuinam beneficium dare debeamus & jus petendi competat. *In genere beneficium petere ab alio non licet niſi ei, qui eo, quod petit, indiget, nec id in poteſtate ſua habet, & ad beneficium dandum nonniſi huic naturaliter obligamur.* Homines obligantur naturaliter ad beneficia ſibi mutuo dandum, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 23.). Enimvero nemini competit jus petendi ab aliis, quod ipſemet in poteſtate ſua habet (§. 662. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem nemini competit jus petendi beneficium ab alio, qui quod petit ipſe in poteſtate ſua habet, adeoque hoc jus non competit niſi ei, qui eo, quod petit, indiget, nec id in poteſtate ſua habet, nec niſi huic ad dandum beneficium naturaliter obligamur.

Nemo non videt, nos hic loqui de jure interno, & eidem reſpondente obligatione interna, ab ipſa hominum natura deſcendentibus. Quodſi enim reſpicias tantummodo jus externum, quod ex dominio fluit; a domini voluntate pendet, cuinam dare velit (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*), & vi libertatis naturalis benefactoris arbitrio relinquendum, cuinam dare velit bene-

neficium (§.29.), quamvis id non mereantur, niſi qui eodem indigent ac ipſi acquirere non valent, quæ dat, nec facere poſſunt, quæ facit benefactor (§.30.). Immo ex hoc merito deduci poterat jus petendi beneficium. Qui enim beneficium meretur, ad hoc jus imperfectum habet (§.237. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui autem ad aliquid jus imperfectum habet, id etiam ipſi petere licet. Quamobrem cum ſupra oſtenderimus beneficiario competere ad beneficium jus imperfectum (§.26.); ex eo etiam jus petendi beneficium inferri poterat. Impune adeo, quatenus jus externum ſpectas, beneficium etiam petit, qui eodem non indiget & quod petit in poteſtate ſua habet, etſi peccet, quatenus facit, quod jure interno facere non debebat (§.440. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Equidem cum eleemoſynarum datio beneficium ſit (§.57.), ex propoſitione præſente inferri poſſe videbatur jus petendi & obligatio dandi eleemoſynam, *ut adeo peculiari demonſtratione non fuerit opus, quam dedimus (§.220.)*. Enimvero cum demonſtrandum poſthac fuiſſet, quinam eleemoſyna indigeat, nec quod petit in poteſtate ſua habeat, conſultius viſum fuit, id abſque his ambagibus demonſtrare.

§. 223.

Ad eleemoſynam dandam mendicus neminem compellere poteſt, nec hoc facere poteſt alius. Eleemoſynarum enim largitio beneficium eſt (§. 57.). Sed ad dandum beneficium nemo cogi poteſt (§.27.). Quamobrem ad eleemoſynam dandam nec mendicus, nec alius quis aliquem compellere poteſt. *An ad dandum eleemoſynam quis compelli poſſit.*

Fluit idem ex notione dominii, cujus permittendus eſt vel ipſe abuſus (§.118.169. *p.2. Jur. natur.*). Ceterum hic ſermo eſt de jure, quod homini natura competit: alia vero quæſtio eſt, num hoc jus & quantum limitari poſſit in ſtatu civili, de qua ſuo loco.

§. 224.

A domini unice voluntate pendet, utrum mendico eleemoſynam dare velit, nec ne, & quantum dare velit. Eleemoſyna enim doni quædam ſpecies eſt (§.51.48.). Quoniam itaque a domini voluntate unice pendet, utrum alicui quid donare velit, nec ne, & quomodo donare velit (§. 130.); ab ejus etiam voluntate pendet, utrum mendico eleemoſynam dare velit, nec ne, & quantum dare velit. *Jus dandi eleemoſynam externam.*

Loquimur hic de jure externo, quod fluit ex jure libertatis naturalis (§. 398. *p.3. Jur. nat.*), haud raro, ſi ejus exercitium ſpectes, in impunitatem agendi degenerantis (§. 418. *part.3. Jur. nat.*), quæ in caſu eleemoſynarum manifeſta ex defectu juris ad eleemoſynam dandam aliquem compellendi (§.223.), in genere autem patet ex abuſu libertatis naturalis agenti permittendo (§.420. *part. 3. Jur. nat.*), abuſum quoque dominii domino permittendum continente (§. 42. *p.3. Jur. natur.*).

§. 225.

Quoniam a domini unice voluntate pendet, utrum mendico eleemoſynam dare velit, nec ne, & quantum dare velit (§. 224.), nec mendico competit jus ad eleemoſynam dandam alterum compellendi (§.223.); *ſi eleemoſyna mendico petenti denegatur, hoc ipſi ferendum.* Quia tamen ei competit jus petendi (§.221.); *ſi eleemoſyna petenti denegatur, precibus inſtare licet, pro ratione indigentiæ* (§.cit.). *An ferenda ſit denegatio eleemoſynæ, & num precibus inſtare liceat.*

Aliud eſt inſtare precibus, aliud repetita denegatione eam quaſi extorquere velle: quod poſterius cum ad compulſionem propius accedat, ad abuſum juris mendicandi referendum.

§. 226.

Non plus mendicare licet, quam quantum ad vitæ neceſſitatem ſublevandam ſufficit. Qui enim mendicat, eleemoſynam petit (§.53.). Sed eleemoſyna datur *Quantum mendicare liceat jure interno.*

ad

ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem (§. 51.). Quamobrem nec plus mendicare licet, quam quantum ad vitæ neceſſitatem ſublevandam ſufficit.

Jus petendi eleemoſynam metiendum ex indigentia mendici, quæ eſt tanta rerum inopia, ut deſint ea, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit (§.52.). Non eſt quod excipias, largitionem eleemoſynarum eſſe beneficium (§.57.), adeoque peti poſſe, quantum accipi poteſt. Etenim naturaliter & beneficia petendi jus internum æſtimatur ex indigentia petentis (§.222.). Qui vero mendicat, non petit beneficium qualecunque, ſed quale convenit mendico, & ſi jam tantum accepit, quantum ad vitæ neceſſitatem ſublevandam ſufficit, petendo eleemoſynam inopiam ſimulat, qua non laborat: hæc autem ſimulatio illicita (§.338. *p.* 3. *Jur. nat.*), utpote contraria obligationi naturali dandæ eleemoſynæ (§.220.). Non poteſt petere eleemoſynam, qui donum petere vult: arctior enim ad dandam eleemoſynam, quam ad donandum obligatio eſt, nec qui habet voluntatem dandi eleemoſynam, ei etiam eſt animus donandi. Sed nolumus hæc prolixius proſequi, quæ per ſe ſatis clara videatur.

§. 227.

Quantum accipere liceat.

Si quis mendico ultro plus dat, quam quantum ad vitæ neceſſitatem ſublevandam ſufficit; id eidem accipere licet. Quodſi enim aliquis plus dat mendico, quam quantum ad vitæ neceſſitatem ſublevandam ſufficit; is præter eleemoſynam quid donat (§.51.48.). Quamobrem cum a domini voluntate unice pendeat, cuinam quid donare velit (§.130.), conſequenter num etiam mendico donare velit; nulla ſane ratio eſt, cur non donum accipere liceat mendico, præſertim cum iſtiuſmodi donatio non repugnet juri naturæ (§. 112.). Quodſi ergo quis mendico ultro plus dat, quam quantum ad vitæ neceſſitatem ſublevandam ſufficit, id eidem accipere licet.

Aliud eſt dare ultro, aliud dare petenti, qui inopiam ſimulat, qua minime laborat. Qui ultro plus dat, quam quæ neceſſitas vitæ exigit, ei ratio eſſe debet, cur det a ratione, qua ad dandum eleemoſynam commoveri debemus, diverſa. Qualiſcunque tandem ea ſit, in jure externo nulla ejus habetur ratio, nec attendenda venit, quatenus jus internum mendici ſpectas.

§. 228.

Cujuſnam ſit in caſu dubio de mendicitate judicium.

De mendicitate in caſu dubio judicium relinquendum eſt mendicanti. In caſu enim dubio aut deneganda eleemoſyna mendicanti, aut danda eſt. Quoniam danda eſt eleemoſyna his, qui labore ſuo tantum acquirere minime valent, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit (§.220.), ſive defectu virium laborare nequeant, ſive cum laborare vellent deſit tamen laborandi occaſio (§.221.); ſi in caſu dubio denegetur eleemoſyna mendicanti, fieri poteſt, ut omittas, quod lege naturali præceptum, adeoque pecces (§.440. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter denegatio eleemoſynæ volitionem peccati in ſe comprehendit. Quamobrem cum velle peccare peccatum ſit (§.444. *part. 1. Phil. pract. univ.*); danda potius eleemoſyna eſt, quam deneganda (§. 142. *p. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter actio legi naturæ contrario (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*); adeoque ſtandum judicio de mendicitate in caſu dubio mendicantis. Patet itaque in caſu dubio de mendicitate judicium relinquendum eſſe mendicanti.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam mendicare non licet niſi iis, qui labore ſuo tantum acquirere minime valent, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit (§.220.), ſive defectu virium laborare nequeant, ſive cum laborare mallent, quam mendicare, occaſio tamen laborandi deſit (§. 221.); qui mendicat, de indigentia ſua verum dicere tenetur. Enimvero quod quis ſufficienter indicat, quando ad verum dicendum obligatur, id adverſus ipſum pro vero habetur (§.427. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque tantam eſſe credendum eſt ipſius indigentiam, ut eleemoſynam mereatur (§. 611. *Log.*). In caſu itaque dubio judicium de mendicitate relinquendum eſt mendicanti (§. 52.).

Vulgo etiam hoc agnoſcitur ab iis, qui habent animum dandi eleemoſynam. In caſu enim dubio

bio dicere ſolent malle ſe dare eleemoſynam petenti, quam denegare, atque accipientis conſcientiæ relinquere, utrum jure petat, nec ne. Qui vero animum habent a danda eleemoſyna alienum; indignitatem petentis prætexere ſolent, quaſi non loquatur verum de inopia ſua conqueſtus.

§. 229.

Si quem labore ſuo ſibi tantum acquirere non poſſe novimus, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit, ſive deficiant vires, ſive deſit occaſio laborandi; ei ultro eleemoſynam dare debemus. Etenim danda eſt eleemoſyna his, qui labore ſuo tantum acquirere non poſſunt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit (§. 220.), ſive deficiant vires, ſive deſit laborandi occaſio (§. 221.), conſequenter quia hæc eſt eorum inopia, non quia eleemoſynam petunt. Quamobrem ſi novimus, aliquem labore ſuo ſibi tantum acquirere non poſſe, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit, ſive deficiant vires, ſive deſit occaſio laborandi, ei etiam non petenti, adeoque ultro eleemoſyna danda. *An eleemoſyna ultro danda.*

Petenti non danda eleemoſyna, niſi quatenus nobis inopiam ſuam palam facit, quam alias ignoraremus (§. 220. 221.). Obligatio itaque dandi eleemoſynam non dependet a petitione, ſed a mendicitate alterius (§. 851. *Ontol.*). Sive ergo ea nobis innoteſcat ex relatione ipſius mendici, ſive aliunde eandem cognoverimus, ad dandam eleemoſynam nos obligatos eſſe intelligimus. Quamobrem ut obligationi noſtræ ſatisfaciamus, neceſſe non eſt ut eleemoſyna petatur. Ultro faciendum eſt id, ad quod faciendum ſumus obligati. Immo cum in caſu dubio ſequendum ſit judicium petentis de mendicitate ſua (§. 228.), ubi aliunde mendicitas alterius nobis perſpecta eſt, eleemoſynam dandi major eſt obligatio, quæ non petitur, quam quæ in caſu dubio petitur.

§. 230.

Eleemoſynis abutitur, qui eas impendit ad vitæ commoditatem & jucunditatem. Eleemoſynæ enim dantur ad ſublevandam vitæ neceſſitatem (§. 51.), nec eas petere licet niſi hujus ſublevandæ gratia (§. 220.). Quodſi ergo eas impendit ad vitæ commoditatem & jucunditatem, non eum facit illarum uſum, ad quem eædem dantur & ad quem ſolum eaſdem petere licebat. Iiſdem igitur abutitur (§. 168. *part. 2. Jur. nat.*). *Abuſus eleemoſynæ in quo conſiſtat.*

Loquimur hic de jure interno: quod facile percipitur. Neque vero eſt, quod excipias, ſi eleemoſynæ, quas mendicus accepit, non modo ſufficiant vitæ neceſſitati, ſed commoditati etiam, vel jucunditati, prouti viſum fuerit mendico, eas commoditati quoque vel jucunditati vitæ impendi poſſe. Neque enim plus mendicare licet, quam quantum ad vitæ neceſſitatem ſublevandam ſufficit (§. 226.), conſequenter ſi largiores eleemoſynæ fuerint collectæ, quas in præſenti non exigit vitæ neceſſitas, quod ſupereſt futuræ neceſſitati reſervandum.

§. 231.

In eleemoſyna accepta dominium habet mendicus. Eleemoſyna enim datio eſt (§. 51.), datio vero dominii translatio (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque eleemoſynam dans dominium transfert in mendicum accipientem (§. 13. *part. 3. Jur. nat.*); mendicus in eleemoſyna accepta dominium habet. *An in eleemoſyna accepta dominium habeat mendicus.*

Quod adeo mendicus a te accepit, ſuum eſt (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*), nec tibi ullum amplius jus in eo, vel ad id competit, quamprimum dediſti.

§. 232.

Quoniam dominium conſiſtit in jure proprio de re pro arbitrio ſuo, prouti ſcilicet viſum fuerit, diſponendi (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), & domino etiam permittendus eſt rei ſuæ abuſus, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 169. *Quale ſit jus externum mendici in eleemoſynis.*

part. 2. Jur. nat.), *mendico etiam liberum eſt, quomodo de elaemoſynis acceptis diſponere velit, eidemque permittendus abuſus, quamdiu nil facit contra jus alterius*.

Videmus adeo, quale ſit jus externum mendici in eleemoſynis cum interno minime confundendum, de quo tenenda eſt propoſitio ſequens.

§. 233.

An abuſus eleemoſynæ tolerandus. Quoniam mendico permittendus abuſus, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 232.), mendicus autem eleemoſyna abutitur, ſi eam impendit ad vitæ commoditatem aut jucunditatem (§. 230.), adeoque dominio ſuo abutens (§. 220.), contra obligationem naturalem, non vero contra jus donantis agit (§. 226.); *ferendum tibi eſt, ſi mendicus eleemoſynam acceptam non in vitæ neceſſitatem, ſed in ejus potius commoditatem & jucunditatem impendit*.

Alia vero quæſtio eſt; num poſthac denuo eleemoſynam dare debeas petenti, quem eadem abuti expertus es. Datur enim ad uſum, non ad abuſum, quamvis, ubi data fuerit, abuſus a te impediri nequeat, nec data repeti poſſit.

§. 234.

Quinam ad dandum eleemoſynam non obligetur. *Ad eleemoſynam dandam non obligatur, qui ipſe non habet, niſi quod ad tolerandam vitæ neceſſitatem ſufficit*. Quodſi enim non habes, niſi quod ad tolerandam vitæ neceſſitatem ſufficit, eo, quod habes, ipſemet indiges. Enimvero nemo alteri hoc dare tenetur, quo ipſemet indiget (§. 127. *part.* 3. Jur. *nat.*). Quamobrem ad eleemoſynam dandam non obligaris, ſi non habes, niſi quod ad tolerandam vitæ neceſſitatem ſufficit.

Minime adeo probandum, ſi quis largitione eleemoſynarum ipſemet ad mendicitatem ſe redigit, vel etiam ſuos, quorum neceſſitati proſpicere tenetur. Officia nimirum erga alios omnia ſupponunt præſtationem eſſe in poteſtate ſua (§. 611. *p.* 1. *Jur. nat.*), ne fiant cum neglectu officii erga ſeipſum (§. 610. *p.* 1. *Jur. nat.*); vel erga eos, quibus ſpeciali quadam ratione obligamur (§. 668. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quæ de officiis erga alios in genere demonſtrata ſunt, ea etiam tenenda de eleemoſynis, quantum fert earum notio (§. 51.).

§. 235.

Quantum eleemoſynæ ſit dandum. *Qui ſine neglectu officii erga ſeipſum, vel erga alios, quibus ſpeciali ratione obligatur, pluribus eleemoſynam dare poteſt, & largiorem dare poteſt; is ad pluribus dandum, vel largiorem dandum obligatur*. Etenim ad ſublevandam vitæ neceſſitatem, conſequenter ad dandum eleemoſynam (§. 51.), aliis non tenemur, niſi quatenus hoc fieri poteſt abſque neglectu officii erga ſeipſum (§. 609. *part.* 1. *Jur. nat.*), vel erga alios, quibus ſpeciali ratione obligamur (§. 668. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi abſque hoc neglectu pluribus eleemoſynam dare poſſis, vel etiam dare poſſis largiorem; ad pluribus dandum, vel etiam largiorem dandum utique obligaris.

Qui officia erga ſeipſum & erga alios ſatis perſpecta habet, is in dato caſu particulari facile definiet, quid ſibi ſit faciendum. Sed de his apertius plura dicemus in Philoſophia morali, ubi praxin officiorum erga alios, quæ inter etiam eleemoſynarum largitio locum habet, demonſtraturi ſumus.

§. 236.

Cuinam eleemoſyna largior danda. *Quo major eſt mendicitas eleemoſynam petentis, eo largior ipſi danda*. Etenim ſi major fuerit mendicitas eleemoſynam petentis, eo major eſt inopia rerum, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit (§. 52.). Quamobrem cum eleemoſynæ dentur ad ſublevandam vitæ neceſſitatem (§. 51.), ad largiorem vero

vero dandum obligatur, qui abſque neglectu officii erga ſeipſum, vel erga alios, quibus ſpeciali ratione obligatur, hoc facere poteſt (§. 235.); eo largior utique eleemoſyna danda petenti, quo major fuerit ejus mendicitas.

Mendicitas nimirum ratio eſt, cur alteri eleemoſynam dare debeamus & cur mendico eam petere liceat. In definienda itaque eleemoſynæ, quæ in poteſtate tua eſt, magnitudine reſpicienda eſt petentis mendicitas. Qui multum habet, quod dare poteſt, multum dare debet, vel dando pluribus, vel dando uni aut paucioribus largius. Ita enim ſatisfit juri mendici, quod lege naturæ eidem tribuitur (§. 226.), adeoque etiam obligationi, qua eidem tenemur naturaliter (§. 235.).

§. 237.

Eleemoſyna in quonam conſiſtat.

Eleemoſyna datur ad res neceſſarias comparandas, aut in rebus neceſſariis conſiſtit. Eleemoſyna enim datur ad ſublevandam vitæ extremam neceſſitatem (§. 51.), conſequenter ad vitam & ſanitatem conſervandam, & collapſam reſtituendam, & ad animam perficiendam, ut vitam perfectam vivere poſſis. Enimvero res neceſſariæ ſunt, ſine quibus vita & ſanitas conſervari, adeoque & collapſa reſtitui nequit, & ſine quibus animam perficere non licet, ut vitam perfectam vivere detur (§. 499. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem eleemoſyna datur ad res neceſſarias comparandas, aut in rebus neceſſariis ipſa conſiſtit.

Ex. gr. Quando das mendico fruſtum panis, ut famem explere poſſit, eleemoſyna conſiſtit in re neceſſaria. Quando vero placentas diſtribuis inter mendicos, cum hoc eſculenti genus inter res voluptuarias referendum (§. 501. *p. 1. Jur. nat.*); eleemoſynam dare dicendus non es. Si puero non habenti, unde didactrum præceptori ſolvat, ut legere ac ſcribere diſcat; quod eo fine datur, eleemoſyna eſt. Si des veſtem mendico, ut nuditatem corporis tegere & adverſus injurias tempeſtatum munire corpus queat, eleemoſyna in re neceſſaria conſiſtit. Similiter ſi ſtudioſo, qui indiget libro quodam & eundem proprio ſumtu ſibi comparare nequit, eum des; eleemoſyna in re neceſſaria conſiſtit. Quodſi vero des aliquot nummos, quos in emendum impendere poſſit, quamvis liber majore conſtet pretio; eleemoſyna datur ad rem neceſſariam comparandam: quodſi vero des librum, quem fallendi temporis gratia legat, eleemoſynam dediſſe dicendus non es. Si quid des puero, quo indiget ad opificium quoddam, vel artem quandam honeſtam diſcendam; eleemoſynam das. Quodſi rerum neceſſariarum notionem animo probe comprehenderis (§. 499. *part. 1. Jur. nat.*); eleemoſynas ab aliis beneficiis, præſertim donationibus, facile diſtingues.

§. 238.

Paupertas & Egeſtas quid ſit.

Pauper dicitur, cujus patrimonium nonniſi res neceſſarias continet: *Egenus* vero, in cujus patrimonio res etiam neceſſariæ deficiunt. Unde *mendicitas ſupremus egeſtatis gradus eſt* (§. 51.). *Pauperi* itaque *ſuppetunt, quæ ad vitæ neceſſitatem ſufficiunt*; *egeno* autem *etiam deſunt, quæ vitæ neceſſitas exigit*. Unde *Paupertas* eſt patrimonium tenue, quod nonniſi vitæ neceſſitati ſufficit: *Egeſtas* vero patrimonium tam tenue, ut ne quidem vitæ neceſſitati prorſus ſufficiat. Paupertatem ſermone vernaculo appellamus Armuth; egeſtatem vero Dürfftigkeit. Quoniam patrimonium conſiſtit in bonorum omnium univerſitate (§. 452. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter res omnes, quæ ſunt in dominio noſtro, univerſim complectitur, nullo attento earum diſcrimine (§. 448. *part. 2. Jur. nat.*), rerum autem etiam neceſſariarum numerus tam poſitivus, quam negativus unus alterum ſuperare poteſt; *paupertatis & egeſtatis dantur gradus*; cumque numerus tam poſitivus, quam privativus terminentur in cyphra, ſive o (§. 17. *Analyſ. fin.*), *mendicitas conſiſtit in defectu rerum omnium neceſſariarum*.

In ſermone Latino paupertas ab egeſtate diſtinguitur, ita ut hæc majus quid ſit & gravius illa: inconſtantia tamen loquendi hanc differentiam non ſemper attendit. In philoſophia autem inhærendum eſt ſignificatui determinato, ad quem adeo vocabula reducere debuimus, more loquendi non invito. Nemo autem ægre ferat, quod in explicandis iis, quæ a numeris pendent, ad numerorum differentiam provocemus. Ceterum hinc elucet numerorum negativorum etiam in rebus moralibus uſus, cum ſine iis gradus egeſtatis æſtimari non detur.

§. 239.

Superfluum quid ſit.

Superfluum dicitur, quod ultra eas res habemus, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem, jucunditatem & decorem ſufficiunt, ſeu ad vitam commode, jucunde ac decore degendam requiruntur. Et *in quolibet genere ſuperfluum* vocatur id, ſine quo finis, cujus gratia eſt, obtineri poteſt.

Ita libri ſuperflui ſunt, ſine quibus ad eundem ſcientiæ gradum pertingere licet, cujus cauſa comparantur. Superflua eſt ſupellex, quam non exigit uſus, cujus cauſa comparatur. Hinc quoniam homo obligatur ad vitam conſervandam (§. 350. *part.* 1. *Jur. natur.*), & quantum datur (§. 176 *part.* 1. *Jur. natur.*), commode (§ 466. *part.* 1. *Jur. natur.*), jucunde (§ 471. *part.* 1. *Jur natur.*), & decore tranſigendam, quatenus aliqua urget in ſtatu ejus externo, vel interno ratio (§. 487. 491. *part.* 1. *Jur. nat.*); ſuperfluum reſpectu rerum, quas poſſidemus id omne dicimus, quod ultra eas res habemus, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem, jucunditatem & decorem ſufficiunt. Quoniam vero res omnes pecunia æſtimantur, ideo eadem quoque æſtimatur patrimonium, quemadmodum deinceps videbimus, adeoque plenior lux his, quæ de diverſo hominum ſtatu quoad bona, quæ poſſident, dicuntur, affulgebit ex ſequentibus, quæ de pecunia redituri ſumus.

§. 240.

Divitiæ quid ſint & earum gradus, & ſtatus intermedius inter divitem ac pauperem.

Dives dicitur, cujus patrimonium ſuperfluum continet. Pro *eo* igitur, *quod ſuperfluum eſt in patrimonio, gradus divitiarum major, vel minor eſt*. Quoniam itaque ſuperfluum in eo conſiſtit, quod ultra eas res habemus, quæ ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam ſufficiunt (§. 239.), *dives plus habet, quam quæ ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam ſufficiunt*. Patrimonium, quod ſuperfluum continet, *divitiarum* fert nomen: ſermone vernaculo Reichthum appellamus: aſt quod ultra id non continet, niſi quod vitæ neceſſitati, commoditati, jucunditati & decori ſufficit, ſermone patrio reichliches Auskommen vocamus, in egeſtate autem ſermonis Latini, de qua conqueſtum *Lucretium* lib. 1. v. 831. & *Plinium* lib. 4. epiſt. 17. conſtat, vocabulum commodum ad deſignandum ſtatum medium inter paupertatem & divitias reperire non potui. Et quoniam dantur gradus quoad vitæ commoditatem, jucunditatem ac decorem, & commoditas ſine jucunditate ac decore, decor ſine jucunditate ſubſiſtere, immo etiam commoditati detrahere poteſt, ideo ſermone vernaculo diſtinguimus inter Auskommen / nöthiges Auskommen / gutes Auskommen / reichliches Auskommen: quæ tamen vocabulis Latinis diſtinguere non datur. Latino ſermoni convenit, ut, cui magnæ ſunt divitiæ, ſeu qui rerum omnium affluentia abundat, *Opulentus* dicatur.

Equidem de diverſo hominum ſtatu quoad bona fortunæ, introductis rerum dominiis, commodius agitur, ubi de pecunia agitur, qua in definiendo rerum pretio utimur, cum ſic demum per numeros poſitivos divitiæ, per negativos egeſtatis gradus diſtincte percipiantur; quoniam tamen in doctrina de eleemoſynis notionibus divitiarum, paupertatis, egeſtatis & mendicitatis carere minime poſſumus, notiones iſtæ hic explicandæ nobis fuerunt, quantum non ſuppoſita pecuniæ notione fieri poteſt. Immo cum diverſi iſti ſtatus hominum quoad bona fortunæ obtineant, quamprimum dominia introducta ſunt, etiamſi pecunia nondum ſit inventa, nec de ea adhuc cogitatum fuit; non inconſultum videri debet, immo neceſſarium exiſtimandum potius, ut illorum notiones evolvamus, quales ſint, antequam notio pecuniæ eas ingrediatur, præſertim cum pecunia non fungatur niſi vice rerum.

§. 241.

Quinam ad eleemoſynam dandum obligentur.

Divites ad eleemoſynam dandum & opulenti ad pluribus & ad largiorem dandum obligantur. Danda enim eſt eleemoſyna iis, qui labore ſuo tantum acquirere minime poſſunt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit (§. 220. 229.), ſiquidem plus habeas, quam quo ad tolerandam vitæ neceſſitatem indiges (§. 234.).

Quo-

Quoniam adeo divites plus habent, quam quod ad vitæ neceſſitatem ſufficit (§. 240.); quin divites obligentur ad eleemoſynam dandum dubitandum non eſt. *Quod erat unum.*

Quoniam vero opulentus divitiis abundat (§. 240.), adeoque multo plus habet, quam quod vitæ neceſſitas, immo commoditas, jucunditas atque decor exigit (§. *cit.*), quod & pluribus, & largiorem eleemoſynam dare poſſit, extra omnem controverſiam poſitum eſt. Quamobrem cum ad eleemoſynam pluribus & ad largiorem dandum obligetur, qui ſine neglectu officii erga ſeipſum, vel erga alios, quibus ſpeciali quadam ratione obligatur, pluribus eleemoſynam dare, vel largiorem dare poteſt (§ 235.); opulenti ad dandum pluribus & ad largiorem dandum obligantur. *Quod erat alterum.*

Non iniquæ adeo ſunt mendicorum de divitibus querelæ, ſi eleemoſynas denegent, quas dare poterant, nec iniquæ ſunt de opulentis, ſi parcius dent eleemoſynam, utut hoc ſit ferendum (§. 225.).

§. 242.

Si pauperi non tanta ſit penuria rerum, quin etiam neceſſariis ſine neglectu officii erga ſeipſum, vel erga alios, quibus ſpeciali quadam ratione obligatur, detrahere quid poſſit; ad eleemoſynam modicam dandum obligatur. Qui enim ſine neglectu officii erga ſeipſum, vel erga alios, quibus ſpeciali quadam ratione obligatur, eleemoſynam dare poteſt, ad eam dandam obligatur (§. 609. *part.* 1. *Jur. natur.* & §. 220. *b.*). Quamvis adeo pauper non habeat, niſi quæ ad neceſſitatem vitæ faciunt (§. 238.), adeoque ad eleemoſynam dandam non videatur obligatus (§. 234.); quodſi tamen non tanta ſit penuria rerum, quin etiam neceſſariis ſine neglectu officii erga ſeipſum, vel erga alios, quibus ſpeciali quadam ratione obligatur, detrahere quid poſſit, cum rebus ſic ſtantibus modicum adhuc dare queat, quin ad modicam eleemoſynam dandum in hypotheſi propoſitionis præſentis obligetur etiam pauper, dubitandum non eſt.

Quænam ſit obligatio pauperis ad dandum eleemoſynam.

Quæ ad vitæ neceſſitatem requiruntur, non tam arctis limitibus circumſcribuntur, ut nihil poſſit exiſtimari ſuperfluum, præſertim ſi in æſtimanda neceſſitate vitæ recto tramite incedas ac quam paucis ſit contenta natura rite ponderes. Quamobrem non ea ſtatim eſt paupertas, quæ omnem dandi eleemoſynam obligationem tollat, niſi ea proximus ad egeſtatem gradus ſit.

§. 243.

Egeſtas quoad ea, quæ ad vitæ neceſſitatem deſunt, mendicitati æquiparatur, ſi quidem eadem labore ſuo acquirere nequit egenus. Etenim ſi egenus labore ſuo acquirere nequit, quod ad vitæ neceſſitatem ipſi deeſt; tanta omnino eſt quoad haſce res, quæ deficiunt, ejus inopia, ut deſint, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit. Quamobrem cum in hac inopia mendicitas conſiſtat (§. 52.); egeſtas quoad ea, quæ ad vitæ neceſſitatem deſunt, mendicitati æquiparatur, ſiquidem eadem labore ſuo acquirere nequit egenus.

Quatenus egeſtas mendicitati æquiparetur.

Ex. g. Beliſarius tantum quidem acquirere labore ſuo poteſt, ut famem explere poſſit; deſunt tamen nummi ad veſtem comparandum, quæ corpus adverſus tempeſtatis injurias tegat. Egeſtas ipſius reſpectu veſtitus æquiparatur mendicitati: nulla enim quoad res neceſſarias hic in parte inter mendicum & egenum differentia eſt. Similiter ſi ſtudioſus aliis ſumtibus ad vitæ ſuæ neceſſitatem faciendis nihil detrahere poſſit, ut ſibi emat librum, quo carere nequit, niſi cribro (quod dicitur) aquam haurire velit; egeſtas ejus quoad libri hujus defectum mendicitati æquiparatur. Hæc omnino probe notanda ſunt, ne eleemoſynas intra anguſtiores limites coarctemus, quam par eſt. Obiter notamus, nos adhuc inſuper habere ea, quæ a ſtatu civili veniunt, quatenus inæqualitatem inter homines introduxit eamque tuetur. Sed de his ſuo loco.

§. 244.

§. 244.

Egenis quando danda eleemoſyna & quando mendicare liceat.

Quoniam egeſtas quoad ea, quæ ad vitæ neceſſitatem deſunt, mendicitati æquiparatur, ſiquidem ea labore ſuo acquirere nequit egenus (§. 243.), eleemoſyna autem danda iis, qui labore ſuo tantum acquirere nequeunt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit (§. 220.), & iiſdem jus mendicandi competit (§. 221.), conſequenter petendi eleemoſynam (§. 53.); *egenis quoque danda eleemoſyna & jus eam petendi ipſis competit, ad ſublevandam vitæ neceſſitatem in iis, quæ labore ſuo ipſi acquirere nequeunt, immo his etiam non petentibus eleemoſyna danda* (§. 229.).

Quod danda ſit eleemoſyna, fluit ex ipſa egenti notione (§. 238.), etiamſi animum non advertas ad mendicitatem, cui ex parte æquiparanda egeſtas: id quod tamen fieri non inconſultum eſt, ne egeno tribuere videamur, quod mendico proprium videri poterat.

§. 245.

Quando mendicus unus alteri eleemoſynam dare teneatur.

Si mendicus plus mendicando acquiſivit, quam quæ ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficiunt, & videat alium iis carentem eidem eleemoſynam quandam dare tenetur. Quodſi enim mendicus plus mendicando acquiſivit, quam quod ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit, in poteſtate ipſius eſt dare quidpiam alii mendico ad ſublevandam præſentem vitæ neceſſitatem, conſequenter dare eleemoſynam (§. 51.). Quamobrem cum eleemoſynæ ſint impendendæ ad ſublevandam vitæ neceſſitatem (§. 230.), & ab obligatione elemoſynam dandi non ſit immunis, niſi qui ipſe non habet, quam quæ ad vitæ neceſſitatem tolerandam ſufficiunt (§. 234.); ſi mendicus plus mendicando acquiſivit, quam quæ ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficiunt, & videat alium iis carentem, eidem eleemoſynam quandam dare tenetur.

Paradoxon forſan nonnullis videbitur, quod mendicus eleemoſynam dare debeat mendico, quaſi vero præceptum de amando altero tanquam ſeipſum (§. 619. *part. 1. Jur. natur.*) non tangat mendicos. Agnoverunt autem hoc Patres religioſorum, qui inſtitutis ſuis intenderunt, ut religioſi exemplo ſuo docerent ceteros charitatem, & hoc præſertim, quod in ea eximium eſt. Hinc Capucini cibi mendicati reliquias diſtribuunt mendicis, nec in craſtinum diem aſſervant.

§. 246.

Quatenus pauperes, egeni, & mendici obligationi dandi eleemoſynam ſatisfacere queant.

Pauperes etiam, egeni, immo mendici ad dandam eleemoſynam obligantur, quatenus gratis facere poſſunt aliis, quæ ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem faciunt. Introductis enim rerum dominiis facta, quæ gratis fiunt ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem, eleemoſynis æquivalent (§. 67.). Quamobrem cum nemo ab obligatione dandi eleemoſynam ſit immunis, niſi qui ipſe non habet, quam quæ ad tolerandam vitæ neceſſitatem ſufficiunt (§. 234.); quin etiam pauperes, egeni, immo mendici ad dandam eleemoſynam obligentur, quatenus gratis facere poſſunt aliis, quæ ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem faciunt, dubitandum non eſt.

Hiſce factis gratuitis annumeranda etiam ſunt conſilia mendicis proficua & ſalutaria morum præcepta, quæ inculcantur: ut adeo nemo facile ſit tam egenus; quin adhuc habeat, quod dare poſſit, ſi æqua lance omnia ponderare velis (§. 499. *p. 1. Jur. nat. &* §. 237. *h*).

§. 247.

An eleemoſynam petere liceat pro aliis.

Eleemoſynam petere licet ad ſublevandam aliorum vitæ neceſſitatem extremam. Quoniam enim unuſquiſque alterum amare tanquam ſeipſum (§. 619. *part. 1.*

Jur.

Jur. nat.), adeoque eundem conſiderare debet tanquam ſeipſum (§. 569. *Pſych. empir.*); mendicitatem, conſequenter inopiam extremam aliorum (§. 52.), tanquam propriam ſpectare debet. Quamobrem cum mendicitas tribuat jus mendicandi (§. 221. 52.), adeoque eleemoſynam petendi (§. 53.); eleemoſynam petere licet ad ſublevandam aliorum vitæ neceſſitatem extremam (§. 170. *part.* I. *Phil. pract. univ.*).

Exemplo ſunt religioſi, quibus Fratrum miſericordiæ nomen eſt, eleemoſynas colligentes pro aliis & factis gratuitis propriis eaſdem augentes. Et apud Proteſtantes in miniſtris Eccleſiæ recte laudatur, ſi eleemoſynas colligant ad alienam vitæ neceſſitatem ſublevandam, modo eædem rite diſpenſentur.

§. 248.

Qui eleemoſynam petit pro aliis, eo ipſo non liberatur ab obligatione dandi eleemoſynam de propriis. Etenim obligatio dandi eleemoſynam a lege naturæ venit (§. 220.), adeoque immutabilis eſt (§. 142. *part.* I. *Phil. pract. univ.*). Quamvis adeo eadem lex tribuat jus eleemoſynam petendi pro aliis (§. 247.), non tamen ideo tollit obligationem dandi de propriis. Quamobrem ideo ab obligatione dandi eleemoſynam de propriis non liberatur, qui pro aliis ab aliis petit. *An eleemoſynam pro aliis petens de propriis dare non teneatur.*

§. 249.

Liberalis dicitur, qui ad beneficia, quæ in dando conſiſtunt, exhibenda paratum habet animum. Unde *Liberalitas* eſt virtus, qua ad beneficia, quæ in dando conſiſtunt, aliis exhibenda parati ſumus. *Quid ſit liberalitas.*

Ariſtotelici liberalitatem ſumunt in ſignificatu latiori, ut per eam deſignent virtutem, quæ circa divitias verſatur & in erogandis pecuniis potiſſimum obligationi naturali ſatisfacit. Sed cum laxior iſte ſignificatus nimis longo intervallo a communi loquendi uſu recedat atque ſub ſe comprehendat, quæ rectius ac utilius a ſe invicem diſtinguuntur; ideo ſtrictiorem ſignificatum vocabulo tribuere maluimus.

§. 250.

Quoniam itaque tam donationes (§. 65.), quam largitio eleemoſynarum beneficium ſunt (§. 57.), quod in dando conſiſtit (§. 56.), virtus autem actiones humanas legi naturæ conformiter dirigit (§. 321. *part.* I. *Phil. pract. univ.*); *liberalitas tam donationes, quam eleemoſynas legi naturæ conformat, & is demum liberalis dicendus, qui in donando & eleemoſynis largiendis legi naturæ ſatisfacit* (§. 249.), conſequenter *donationes & eleemoſynæ legi naturæ adverſæ non ſunt actus liberalitatis.* *Quomodo circa donationes, & eleemoſynas verſetur.*

Liberalitas verſatur circa dationes gratuitas, quod ejus objectum agnoſcit communis loquendi uſus. Dationes vero gratuitæ, quæ beneficiorum alteram partem conſtituunt (§. 17. 19.), vel donationes, vel eleemoſynæ ſunt (§. 56.). Liberalitas adeo circa donationes & eleemoſynas verſatur. Legem autem naturæ tam de donationibus, quam eleemoſynis præſcripere, quæ obſervanda ſint, ex anterioribus abunde conſtat.

§. 251.

Quia liberalis animum paratum habet ad beneficia exhibenda, quæ in dando conſiſtunt (§. 249.), naturaliter autem homines ad beneficia mutua ſibi invicem obligantur, quantum in poteſtate eſt (§. 23.); *liberales eſſe debemus, ſeu liberalitas lege naturali præcepta.* *An liberalitas l. n. ſit præcepta.*

In

Introductis dominiis facta gratuita donationibus & eleemoſynis æquiparantur (§ 67), conſequenter cum beneficium omne vel in dando, vel in faciendo conſiſtat (§. 17.), liberalitas ad omnebeneficium extendi poterat. Enimvero cum facta gratuita ad officioſitatem ſpectent, & ad eam quoque tanquam ſpecies quædam dationes gratuitæ referri queant, rerum dominiis introductis (§. 898. *part.* 1 *Jur. nat.*) officioſitatis quæ ſunt & ex communi loquendi uſu ad eam rectius referuntur, ad liberalitatem referre noluimus, ſed eam potius ad dationes gratuitas reſtringere debuimus. Nulla enim neceſſitas cogit, ut cum *Ariſtotele* numerum virtutum intra anguſtos terminos coarctemus.

§. 252.

Illiberalitas quid ſit. ***Illiberalem*** vocamus, qui a beneficiis, quæ in dando conſiſtunt, animum habet alienum. Et *Illiberalitatem* appellamus vitium, quo quis a beneficiis, quæ in dando conſiſtunt, alienus eſt, ſeu eadem averſatur.

Illiberalitas liberalitati opponitur. Hinc illiberalis averſatur, quæ liberalis appetit. Quoniam vero averſatio actus poſitivus eſt, nec nudam appetitionis abſentiam denotat (§. 884. *Pſychol. empir.*); ideo cavendum, ne quævis intermiſſio beneficii in dando conſiſtentis ſtatim ad illiberalitatem referatur. Et quoniam liberalitas dationes gratuitas legi naturali conformat (§. 250.); multo magis cavendum, ne intermiſſio facta, quando legi naturæ datio gratuita minime convenit, illiberalitati tribuatur.

§. 253.

Illiberalitas lege naturali probibita. Quoniam itaque liberales eſſe debemus (§. 251.), liberalis vero non eſt, qui illiberalis eſt, ſeu potius averſatur, quod appetere debebat (§. 249. 252.); *illiberales eſſe non debemus*, ſeu *illiberalitas lege naturali probibita*.

§. 254.

Miſeria quid ſit. *Miſer* dicitur, qui multa, vel magna experitur mala, præſertim corporis ac fortunæ. Hinc *Miſeria* denotat ſtatum multis, vel magnis malis, præſertim corporis ac fortunæ obnoxium.

Ita ad miſeriam referimus gravem morbum, quo quis affligitur; magnam rerum neceſſariarum inopiam, qua quis laborat; ignorantiam eorum, quæ quis noſſe debebat, ut muneri ſuo rite obeundo ſufficeret, veluti cum ſermone patrio dicimus einen elenden Prediger / h. e. miſerum concionatorem, qui verba ad populum facere nequit, prout debet. Cum mala fortunæ ac corporis magis in oculos incurrant; quam mala animi, ideo obtinuit, ut in communi ſermone miſeria potiſſimum reſpiciat corporis ac fortunæ mala, non quod mala animi *ad* eandem non referri ſoleant, quam quod vulgo non agnoſcantur, præſertim ſi bona corporis ac fortunæ eadem comitentur.

§. 255.

An egeſtas & mendicitas ſit miſeria. Quoniam miſer eſt, qui malis fortunæ gravioribus affligitur (§. 254.), conſequenter inopia rerum laborat, quibus ad vitæ neceſſitatem indiget (§. 567. *Pſych. empir.*), egeno autem deſunt res iſtiuſmodi, quibus ad vitæ neceſſitatem indiget, ſeu tanta rerum copia non eſt, quæ eidem ſufficiat (§. 238.), & ad mendicitatem redactus tanta rerum inopia laborat, ut prorſus non habet, unde extremæ vitæ neceſſitati proſpicere poſſit (§. 52.); *egenus & mendicus miſeri ſunt & egeſtas atque mendicitas miſeria eſt*, *major tamen mendicitas, quam egeſtas*.

Equidem de veritate propoſitionis præſentis nemo dubitat; non tamen hæc ratio ſufficit, ne ex ipſis notionibus demonſtretur, cum in philoſophia etiam vulgo agnita ad notiones diſtinctas ſint revocanda.

§. 256.

§. 256.

Miſericors dicitur, cui alterius miſeria motivum eſt eum a malis, quibus affligitur gratis liberandi aut ſaltem ea tolerabiliora efficiendi, quantum in poteſtate ſua eſt. Unde *Miſericordia* virtus eſt, qua alterius miſeria commovemur ad eum a malis, quibus affligitur gratis liberandum, aut ſaltem tolerabiliora eadem efficiendi, quantum in poteſtate noſtra eſt. *Miſericordia quid ſit.*

Sumitur hic miſericordia pro actu voluntatis, ſeu appetitus rationalis in oppoſitione ad appetitum ſenſitivum, in quo miſeria alterius triſtitiam excitat, quam commiſerationem appellavimus (§. 695. *Pſycholog. empir.*): ſit ita quod vulgo etiam affectus iſte miſericordiæ nomine compellatur. Patrio ſermone affectum a virtute diſtinguimus, dum illum Mittleiden, hunc vero Barmhertzigkeit vocamus.

§. 257.

Miſericordes eſſe debemus, ſeu miſericordia lege naturali præcepta. Quilibet enim homo cavere debet, quantum in poteſtate ſua eſt, ne alius quicunque incidat in mala animi, corporis ac fortunæ (§. 613. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter etiam dare operam, ut ab iiſdem liberetur, aut ſaltem eadem tolerabiliora ipſi efficiantur. Quamobrem cum miſericors ſit, cui eſt alterius miſeria motivum eum a malis, quibus affligitur liberandi aut ſaltem ea tolerabiliora efficiendi, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 256.); miſericordes eſſe debemus, ſeu miſericordia lege naturali præcepta. *An miſericordia l. n. præcepta.*

Affectus, quem commiſerationem dicimus, homini naturalis eſt, qui eodem tangitur. Et ad miſericordiam proni ſunt natura, quibus hic affectus naturalis eſt: non tamen eundem per ſe miſericordia comitatur, ut adeo appetitus ſenſitivus affectu quodam contrario ab eadem avertat animum. Exemplum habemus in infanticidis, in quibus pudor commiſerationem vincit & a miſericordia animum avertit. Atque adeo liquet miſericordiam tanquam habitum appetitus rationalis recte diſtingui a commiſeratione, qui affectus eſt appetitui ſenſitivo inhærens. Quod de miſericordia & commiſeratione hic monemus, idem tenendum eſt de virtutibus aliis, quibus in appetitu ſenſitivo reſpondent affectus ad idem cum iſtis tendentes. Sed quantum inter virtutes & affectus iiſdem reſpondentes interſit, apertius demonſtraturi ſumus in Philoſophia morali.

§. 258.

Opus miſericordiæ dicitur quilibet actus gratuitus, quo alterum a malo præſertim graviori, aut malorum, quibus affligitur, multitudine liberare, aut ea ſaltem ipſi tolerabiliora efficere conamur. *Opus miſericordiæ quid ſit.*

Ita opus miſericordiæ erat Samaritæ in Evangelio, qui hominem a latronibus vulneratum curare conabatur, miſeria ejus commotus. Similiter redemtio captivi & donatio ad ædes incendio dirutas reficiendum facta miſericordiæ opus eſt.

§. 259.

Miſericordes eſſe debemus erga eos, qui a malo, quo affliguntur, ſeipſos liberare nequeunt. Nemo enim ab altero petendi jus habet, quod ipſemet facere poteſt (§. 662. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter nec liberationem a malo, quo affligitur, ſi ſeipſum ab eo liberare poteſt. Quamobrem nec neceſſe eſt, ut gratis alterum a malo liberemus, quo affligitur, qui ſeipſum ab eodem liberare valet, adeoque ad hoc faciendum non ſumus obligati (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam igitur actus gratuiti, quibus a malo, quo laborant, liberare *Erga quosnam miſericordes eſſe debeamus.*

conamur, aut ea ſaltem tolerabiliora efficere ſtudemus, opera miſericordiæ ſunt (§. 258.); miſericordes non eſſe debemus niſi erga eos, qui a malo, quo affliguntur, ſeipſos liberare nequeunt.

Merentur nimirum miſericordiam, qui malo affliguntur, a quo ſeipſos liberare nequeunt. Etſi enim commiſeratio conveniat amori univerſali omnium, qui malo quodam affliguntur; non tamen malum, quo alter affligitur, ſolum efficit meritum miſericordiæ, ſed accedat opus eſt indigentia opis alienæ: alias enim ſibi imputet, quod malo affligi, quam ab eo liberari malit. Sufficit hic monitum & conſilium, ut tuo ſatisfacias officio (§. 613. part. 1. Jur. nat.); quodſi dicto audiens eſſe nolit, ſibi imputet quod ſit miſer.

§. 260.

Quale opus ſint eleemoſynæ. *Eleemoſynæ ſunt opus miſericordiæ.* Dantur enim mendicis (§. 51. 52.), & egenis (§. 244.), ad ſublevandam vitæ neceſſitatem (§. 51. 238.), conſequenter cum egeſtas & mendicitas miſeria ſit (§. 255.), miſeria aliena eſt motivum dandi eleemoſynas (§. 890. *Pſych. empir.* & §. 220. 229. *b.*). Enimvero miſericors eſt, cui alterius miſeria motivum eſt eum a malo, quo affligitur, gratis liberandi, aut ſaltem id tolerabilius efficiendi, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 256.), & quilibet actus huc tendens opus miſericordiæ eſt (§. 258.). Quamobrem patet eleemoſynas eſſe miſericordiæ opus.

Vulgo hoc agnoſcitur, ac ideo ad miſericordiam potius, quam ad liberalitatem referri ſolent eleemoſynæ. Quod tamen ſub liberalitate eleemoſynarum recte largitio comprehendatur (§. 250.), ſequentem propoſitionem addere lubet, ne quid difficultatis ſuperſit.

§. 261.

Miſericordia liberalitatis ſpecies. *Miſericordia liberalitatis ſpecies eſt.* Etenim miſericordia verſatur circa actus gratuitos, quibus alios a malo liberamus, vel id ſaltem tolerabilius efficere ſtudemus (§. 256.), cum ipſimet hoc facere non poſſint (§. 259.), adeoque gratuita aliorum ope indigent. Enimvero liberalitas verſatur circa beneficia, tam quæ in dando, quam quæ in faciendo conſiſtunt (§. 249.), conſequenter circa omnes actus gratuitos (§. 1. 19.), conſequenter etiam circa actus gratuitos, quibus alios a malo liberamus, vel id ſaltem tolerabilius efficere ſtudemus, cum aliorum ope indigeant gratuita. Eſt adeo miſericordia liberalitatis quædam ſpecies (§. 44. *Log.*).

Quamobrem cum eleemoſynæ ſint opus miſericordiæ (§. 260.); eas ad liberalitatem tanquam ad genus, ad miſericordiam tanquam ſpeciem referri patet.

§. 262.

Immiſericordia quid ſit. *Immiſericors* dicitur is, cui malum alienum præſertim gravius, motivum non eſt ab eodem ipſi inferendo abſtinendi. Unde *Immiſericordia* vitium eſt, quo quis alieno malo, præſertim graviori, minime commovetur, ut ab eodem ei inferendo abſtineat.

Ita immiſericors eſt fœmina, quæ infantem clam enixum interficit ſtupri, quod commiſit, celandi cauſa. Facile autem patet, immiſericordiam non confundendam eſſe cum defectu miſericordiæ. Aliud enim eſt alterum non liberare a malo, quo affligitur, cum tu poſſis & alter ſibimetipſi conſulere nequeat; aliud alteri immerito inferre malum, quod aliena miſeria non commovearis.

§. 263.

An l. n. prohibita.

Quoniam immiſericordia contrariatur miſericordiæ (§. 256. 262.), miſericordes autem eſſe debemus (§. 257.); *immiſericordes eſſe non debemus*, ſeu *immiſericordia lege naturali prohibita*.

Quoniam alterum lædit, qui id agit ſive per ſe, ſive per alios, ut alter incidat in mala animi, vel corporis, vel fortunæ (§. 693. *part.* 1. *Jur. natur.*), nemo vero lædendus eſt (§. 695. *part.* 1. *Jur. nat.*); hinc jam patet, immiſericordiam legi naturali adverſari. Enimvero obligationi huic generali non lædendi alia accedit ſpecialis, quæ ex ipſa notione immiſericordiæ fluit, & actum magis malitioſum efficit: id quod ex principiis philoſophiæ moralis clarius eluceſcet.

§. 264.

Quatenus dona ex liberalitate proficiſcantur.

Qui liberalis eſt, non modo aliorum merita in ſe collata donis largioribus remuneratur, verum etiam aliis de ſe non meritis libenter donat, quando donationes legi naturæ conveniunt. Qui enim liberalis eſt, ad beneficia, quæ in dando conſiſtunt, alii exhibenda, conſequenter ad donationes (§. 56.), animum paratum habet (§. 249.). Quoniam tamen donationes legi naturali conformat (§. 250.); libenter unicuique etiam de ſe non merito donat, quando donationes legi naturæ conveniunt. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam libenter donat etiam de ſe non bene merito *per demonſtrata*; multo magis paratum habet ad donandum animum ob inſignia alterius in ſe merita, & ne videatur id unice facere ob iſta merita, donum conſiderans tanquam mercedem, ideo in hoc caſu donis largioribus aliorum in ſe collata merita remuneratur. *Quod erat alterum.*

Hinc patet ratio, cur in Jure civili donatio proprie dicatur actus, quo rei cujuſdam dominium gratis ex liberalitate in alterum transfertur, ac ideo donatio ex cauſa facta pro improprie ſic dicta donatione habeatur: Conſultum igitur duximus hanc propoſitionem addere, ne quid prætermiſiſſe videamur, quod ad illuſtrationem Juris civilis quomodocunque ſpectet.

§. 265.

Obligatio ejus, cui quid datur, ut donetur aliis, vel ad eleemoſynas impendatur.

Si quis ex liberalitate tibi det res quaſdam, ut eas dones aliis, quibus viſum fuerit, vel ad eleemoſynas impendas; eædem quoque donandæ ſunt aliis, vel ad eleemoſynas impendendæ, nec eas in proprios uſus vel integras, vel ex parte convertere licet. Etenim ſi quis ex liberalitate tibi det res quaſdam, ut eas dones aliis, quibus viſum fuerit, vel ad eleemoſynas impendas; ſub modo donatio tibi facta intelligitur (§. 557. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 48. *b.*). Quamobrem cum modus adimplendus ſit, ſub quo donatio facta (§. 71.); ſi quis ex liberalitate tibi res quaſdam donet, ut eas dones aliis, quibus viſum fuerit, vel ad eleemoſynas impendas, eædem quoque donandæ ſunt aliis, vel ad eleemoſynas impendendæ. *Quod erat unum.*

Quoniam quod datur, ut donetur alii, vel ad eleemoſynas impendatur, donandum quoque aliis, vel ad eleemoſynas impendendum, *per demonſtrata*; cum hoc fieri neceſſe ſit (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nullum tibi jus eſt id in proprios uſus convertendi, nec partem ejuſdem in proprios uſus convertendi jus tibi competere poteſt (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem quod datur, ut donetur alii, vel ad eleemoſynas impendatur, in proprios uſus convertere non licet. *Quod erat alterum.*

Utrumque etiam oſtenditur hoc modo. Donatarii jus omne metiendum eſt ex voluntate donantis (§. 130.), nec is acceptatione ſua plus juris acquirere poteſt, quam donator in eum transferre voluit (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam

itaque ex liberalitate tibi res quaſdam donat, ut eas aliis dones, quibus viſum fuerit, vel ad eleemoſynas impendas *per hypoth.* nonniſi jus habes eas donandi iis, quibus viſum fuerit, vel ad eleemoſynas impendendas, nullum vero tibi competit jus eas, vel aliquid earum impendendi in proprios uſus. Quamobrem eas quoque nonniſi aliis donare, quibus viſum fuerit, vel ad eleemoſynas impendere, nequaquam vero in proprios uſus vel integras vel ex parte convertere licet.

Nimirum dominium ejus, quod datur, in te transfertur certa lege reſtrictum. Vi dominii, quod acquiſiviſti, idem in alium transferre potes, in quem volueris (§. 676. *part.* 2. *Jur. nat.*). ſed quatenus idem reſtringitur, rem tibi datam nonniſi gratis dare potes, & in caſu quidem altero dare non potes niſi egenis & mendicis. Quodſi juris interni etiam habenda ratio eſt, quemadmodum fieri debet, ſiquidem conſcientiæ rationem habere volueris (§ 656. *part.* 1. *Jur. nat.*); in donis & eleemoſynis diſtribuendis obſervanda quoque ſunt, quæ præcipit lex naturæ, ut liberalitas a te recte exerceatur (§. 250), cujus exercendæ cauſa tibi datum fuit, quod a dante accepiſti. Quod enim datur, non alio fine datur, quam ut liberalitatem exercere, vel miſericordiæ opera facere poſſis, minime autem qui dat erga te liberalis, vel miſericors eſſe voluit.

§. 266.

Quando jus belli ex donatione acquirat donatarius.

Naturaliter jus belli competit donatario adverſus donantem, ſi rem donatam tradere nolit. Etenim donator obligatur ad rem donatam donatario tradendam (§. 54.). Quoniam itaque naturaliter homini competit jus belli adverſus eum, qui præſtare non vult id, ad quod ipſi præſtandum ſuo conſenſu obligatur (§. 408. *part.* 3. *Jur. nat.*); naturaliter quoque jus belli competit donatario adverſus donantem, ſi rem donatam tradere nolit.

Quibus hoc paradoxum videtur, ii donandi libertatem, quæ domino competit, antequam donet (§. 130.), confundunt cum tradendi neceſſitate, quæ ex donatione facta reſultat (§. 54. *h.* & §. 118. *part.* 1. *Phil pract. univerſ.*). Voluntatis tuæ eſt, utrum donare velis, an nolis; ſed facta donatione neceſſitatis eſt, ut quod donaſti tradas. Principium hoc non abhorret ab uſu communi. Videbimus enim ſuo loco, quod vi ejuſdem recte detur actio donatario adverſus donantem, qui rem donatam tradere recuſat, in ſtatu civili, & inter gentes hodienum jus belli obtineat ad conſequendum id, quod ex donatione debetur.

§. 267.

Quando donator.

Naturaliter donanti competit jus belli adverſus donatarium, ſi quod datum eſt, ut aliis donet, vel ad eleemoſynas impendat, hoc facere recuſet. Etenim ſi quid detur, ut donetur aliis, vel ad eleemoſynas impendatur, donatio ſub modo facta intelligitur (§. 557. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 48. *h.*). Quoniam igitur hoc facere recuſans obligatur ad rem donatam reſtituendam (§. 71.); eodem, quo ante (§. 266.), modo porro infertur, naturaliter donanti competere jus belli adverſus donatarium, ſi quod datum eſt, ut aliis donet, vel ad eleemoſynas impendat, hoc facere recuſet.

Facile intelligitur, idem valere in aliis etiam caſibus, in quibus modus quicunque alius a donatario non adimpletur, immo in quibus alia ex donatione reſultat donatarii obligatio, qua donanti tenetur, ſiquidem eidem ſatisfacere noluerit. Sed non opus eſſe videtur, ut hanc in rem multa dicamus, poſtquam in genere demonſtratum fuit, jus cogendi alterum, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere noluerit, quod per ſe ineſt omni juri perfecto, eſſe jus belli in eum, qui obligationi ſuæ ſatisfacere recuſat (§. 687. *p.* 2. *Jur. nat.*).

C A-

CAPUT II.

De Pretio rerum & pecunia.

§. 268.

Quando ad gratis dandum vel faciendum nemo ſit obligatus.

NEmo *tenetur alteri gratis dare, vel facere, ſi is viciſſim dare, vel facere poſſit.* Homines enim ſibi mutuo obligantur ad dandum vel faciendum, pnouti unuſquiſque indiget re vel opera alterius (§. 124. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter quemadmodum ego tibi ad dandum vel faciendum obligatus ſum, ſi tu re vel opera mea indiges; ita tu viciſſim mihi ad dandum vel faciendum obligaris, ſi ego re vel opera tua indigeo. Quoniam vero nemo habet jus petendi ab aliis, ut ea conferant ad perfectionem ſui, vel ſtatus ſui perfectionem, quæ ipſemet facere poteſt (§. 233. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & a domini voluntate unice pendet, quomodo dominium rei ſuæ in alterum transferre (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque etiam operas ſuas communicare velit (§. 121. *part 3. Jur. nat.*); nemo tenetur alteri dare, vel facere, ut nihil viciſſim det vel faciat, adeoque gratis (§. 18.), ſi alter viciſſim ipſi dare, vel facere poſſit.

Sane ſi quilibet rem alteri, qua is indiget, gratis dare, vel operam, qua ipſi opus eſt, gratis communicare teneretur, perinde omnino foret, ac ſi res omnes manſiſſent communes (§. 32. *part. 2. Jur. natur.*), neque adeo ulla fuiſſet ratio, cur a communione primæva recederetur. Rationes itaque, quæ perſuaſerunt hominibus dominia communioni præferre, urgent etiam, ne gratis des, vel facias, ſi viciſſim alter dare, vel facere poſſit.

§. 269.

An actus permutatorii ſint liciti.

Quoniam nemo tenetur alteri gratis dare vel facere, ſi is viciſſim dare, vel facere poſſit (§. 268.), & a tua voluntate pendet, quomodo dare, vel facere velis (§. 11. 121. *part. 3. Jur. nat.*); *ideo dare licet, ut des vel facias, & facere licet, ut tu viciſſim des, vel facias* (§. 18.), conſequenter cum actus permutatorii ſint, quibus utraque pars ad aliquid dandum, vel faciendum adſtringitur (§. 6.), *actus permutatorii liciti ſunt.*

§. 270.

Quid tenendum ſi nil gratis datur, vel fiat.

Qui alteri nil gratis dare, vel facere vult; ab eodem tantundem recipiat neceſſe eſt, quantum dat, vel facit. Quoniam enim pro eo, quod gratis datur, vel fit, nihil ab altero recipitur (§. 18.), ſi quid gratis dare, vel facere nolis, tantundem ab altero recipere debes, quantum præſtas.

Nimirum ſi des plus, quam recipias, quod plus datur, pro eo omnino nihil recipis, adeoque gratis datur (§. 18.). Sed tu nihil gratis dare vis. Ergo tantundem, quantum das, recipere debes. Et quoniam introductis dominiis facere idem eſt ac dare (§. 122. *p. 3. Jur. nat.*); idem quoque valet, ſi nil gratis facere velis.

§. 271.

Cur ratio rerum & operarum determinanda.

Quoniam nil gratis daturus vel facturus tantundem ab altero recipere debet, quantum dat, vel facit (§. 270.), detur autem res pro re alia, aut uſus rei pro uſu rei alterius, aut res pro uſu rei alterius, aut res vel uſus rei pro opere, ſeu eo, quod fit; *quando nil gratis dandum vel faciendum, neceſſe eſt ut tam*

da, ſi nil gratis dandum vel faciendum.

rerum, quam operarum ad ſe invicem, atque rerum ad operas definiatur ratio, qualem cum non habeant a natura, *ea arbitrio hominum determinanda* (§. 126. *Arithm.*).

Nimirum ſi tibi do rem A, & tu mihi tantundem dare debes veluti B, neceſſe eſt ut quantitas ipſius B determinetur ex A ſine tertio quodam homogeneo aſſumto; quæ relatio ipſius A ad B eſt id, quod ratio dici ſolet (§. 126. *Arithm.*). Enimvero cum res æſtimari nequeant ex magnitudine, quam habent, ſeu mole earundem; natura rationem ad ſe invicem minime habent, qualis hic attendenda venit, quod per ſe patet: neceſſe igitur eſt ut hominum arbitrio ratio aliqua determinetur. Si exemplum generale diſplicet, dare lubet ſpeciale. Do tibi hordeum, ut tu mihi des avenam. Si tantundem recipere debeo, quantum do, cum hordeum & avena quantitate phyſica æſtimari nequeant, quoniam utriuſque uſus diverſus eſt, neceſſe eſt ut arbitrio hominum determinetur aliqua ratio, quam data hordei quantitas ad eandem quantitatem avenæ, veluti unus modius ad unum modium habere debet. Ponamus rationem illam eſſe ut 2. ad 3. Si ergo das duos modios hordei, ut accipias avenam, & tantundem recipere debes, quantum das, neceſſe eſt ut tres recipias modios avenæ. Jam cum operæ æquiparentur rebus dominus introductis (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*); quæ de rerum ratione dicta ſunt, ea ad operas facile transferuntur.

§. 272.

Quomodo res ſpectandæ in determinanda earum ratione.

Quoniam ratio non datur niſi inter homogenea (§. 126. *Arithm.*), *res omnes tanquam homogeneæ ſpectandæ, quatenus ratio uniuſcujuslibet ad unam quamlibet definiri debet*, conſequenter cum homogenea ſint, quarum unum aliquoties ſumtum alterum ſuperare poteſt (§. 32. *Arithm.*), & in ratione quantitas unius ex quantitate alterius determinatur, ſine tertio homogeneo aſſumto (§. 126. *Arith.*), ita ut determinetur, quoties minus in majore contineatur, vel majus minus contineat (§. 131. *Arithm.*), *rebus, quatenus earum ad ſe invicem ratio determinanda, attribuenda eſt aliqua quantitas, ſecundum quam una ad alteram comparari poteſt.*

Nemo miretur, quod ad principia mathematica in Jure naturæ provocemus: quæ enim ſine iis non intelliguntur, per ea explicanda & demonſtranda omnino ſunt. Res permutandas æſtimare, ne plus des, quam recipias, idem eſt ac quantitatem earum determinare, qua una alteram ſuperat, vel ab eadem deficit, & qua ad æqualitatem reduci poſſunt. Quantitas Matheſeos objectum eſt; de ea igitur ſine principiis mathematicis ratiocinari non datur. Nec refert, quantitatem rerum permutandarum fingi, qualem a natura non habent. Cum enim ficta illa quantitas conſideretur tanquam rebus inexiſtens, adeoque per modum veræ; de ea tanquam vera ratiocinandum. Quodſi quantitatem rebus a natura tributam *phyſicam*, quæ vero in uſum moralem ipſis attribuitur, fictione non inutili, *moralem appellare* cum *Pufendorfio* velis; nos non habebis diſſentientes.

§. 273.

Pretium rerum quid ſit.

Quantitas rebus arbitrio hominum tributa, ut in permutatoriis actibus earum ad ſe invicem ratio definiri poſſit, *Pretium earum* dici ſolet.

Ex. gr. Ponamus rationem avenæ ad hordeum ſtatui ut 2. ad 3. ita ut dans 3. modios avenæ pro duobus modiis hordei tantundem recepiſſe dicatur, quantum dedit; pretium avenæ ac hordei eſt ficta illa quantitas, qua earum ad ſe invicem ratio determinatur, quando avena cum hordeo permutanda. Nimirum eadem quantitas phyſica avenæ ter, hordei autem bis ſumenda, ut eadem prodeat utriuſque quantitas moralis & moraliter in actu permutatorio avena & hordeum cenſeantur æqualia. Atque adeo patet, rationem illam rerum permutandarum, ſine qua pretium non intelligitur, inſervire earum æqualitati & inæqualitati determinandæ. Sed demus adhuc exemplum aliud. Ponamus operas diurnas, quæ certo horarum veluti 12. numero phyſice æſtimantur, æquiparari dimidio modio avenæ, cujus adeo quantitas phyſica certa menſura comprehenditur, erit earum ad ſe invicem ratio, per quam in actu permutatorio æqualitas determinatur ut $\frac{1}{2}$ ad 12. ſeu ut 1. ad 24. (§. 178. *Arithm.*). Cumque pretium ſit quantitas illa ficta, ſecundum quam operæ ad avenam comparari poſſunt, pretium avenæ, cujus quantitas phyſica modio æſtimatur, eſt vicies & quater majus pretio operarum, quarum quantitas phyſica una hora æſtimatur, ſeu duplo

majus

majus pretio operarum diurnarum, quarum quantitas phyſica certo horarum, veluti duodecim, intervallo æſtimatur. Ita nimirum patet, pretium dimidium unius modii avenæ æquale eſſe pretio operarum diurnarum ſeu duodecim horarum, & pretium vigeſimæ quartæ unius modii avenæ æquale eſſe pretio operarum unius horæ. Ponamus denique jus aucupandi in aliquo diſtrictu intervallo unius anni æquiparari ſex modiis tritici, erit ratio tritici, cujus quantitas phyſica modio æſtimatur ad jus aucupandi unius anni ut 1. ad 6. ſeu pretium juris occupandi uno anno in dato diſtrictu ſextuplo majus cenſetur pretio unius modii tritici. Quodſi hactenus dicta attenta mente pervolveris, facile animadvertes, quantitatem illam moralem, ſecundum quam res una quoad quantitatem phyſicam, quam habet, ſpectata alteri major vel minor certa ratione ſtatuitur, quatenus hæc quoque quoad quantitatem phyſicam, quam ipſa habet, conſideratur, ab hominum res ſuas permutantium arbitrio dependere. Neque enim ratio phyſica ex ipſis rerum notionibus petita dari poteſt, ſeu ex earum notionibus demonſtrari nequit, pretium hordei ad pretium avenæ habere debere rationem ſeſquialteram, vel pretium operæ diurnæ ad pretium avenæ unius modii rationem ſubduplam, vel denique pretium juris aucupandi uno anno in certo diſtrictu ad pretium tritici unius modii ſextuplam, etſi non negemus, cum pretium non temere definiendum ſit (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*), aliquam etiam in ipſis rebus dari debere rationem, cur hac ratione potius, quam alia pretium definiatur, & in ea determinanda juris quoque naturalis habenda ſit ratio, ne quid committatur, quod obligationi naturali repugnet (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quemadmodum deinceps clarius eluceſcet. Non eſt quod exiſtimes, inanes fingi ſubtilitates, quibus in Jure naturæ non habeamus opus. Demonſtrandum enim eſt, ſine iis diſtincte pretium rerum concipi poſſe: quod nunquam efficies. Dic enim pretium eſſe quantitatem moralem ſeu arbitrio hominum tributam, ſecundum quam ad ſe invicem comparari & una alteri æqualis, vel eadem major aut minor exiſtimari poſſit; reſtabit omnino ut explices, quomodo comparatio iſta fiat, ut diſtincte concipiatur, quanto major vel minor una ſit altera, & quomodo ad æqualitatem redigantur, quæ phyſice æqualia dici non poſſunt, hoc autem facturus recurrendum eſt ad notionem rationum, quemadmodum nos fecimus. Quamobrem non piget hactenus dicta ulterius proſequi, ne quid deeſſe videatur, quod ad hanc doctrinam penitus inſpiciendam deſiderari queat.

§. 274.

Ratio pretiorum & operarum ejuſdem ſpeciei.

Pretia rerum & operarum ejuſdem ſpeciei ſunt quantitati phyſicæ proportionalia. Pretium enim rerum & operarum, iiſdem quippe introductis dominiis æquipollentium (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), eſt quantitas arbitrio hominum iiſdem tributa, ut earum ad ſe invicem ratio determinari poſſit (§. 273.). Quamobrem cum quantitas iſta arbitraria, quæ rebus non per ſe, ſed hominum ſaltem opinione ac voluntate ineſt, determinata non ſit, niſi quantitas phyſica determinata ſupponatur (§. 112. *Ontol.*); neceſſe eſt ut quantitati phyſicæ pro unitate aſſumtæ reſpondeat quantitas moralis per modum unitatis. Quoniam itaque numerus continua unitatis additione augetur (§. 339. *Ontol.*); quantitate phyſica bis ſumta bis quoque ſumitur quantitas moralis, illa ter ſumta hæc quoque ter ſumitur, illa quater ſumta, hæc quoque quater ſumitur & ita porro in infinitum in quacunque ratione. Eodem igitur modo quantitas phyſica rei vel operæ datæ ex quantitate phyſica pro unitate aſſumta & quantitas moralis iſti reſpondens ex quantitate morali huic reſpondente determinatur, ut, ſi phyſica fuerit aſſumta pro unitate dupla, etiam moralis ſit morali unitati æquivalentis dupla, ſi illa fuerit tripla, etiam hæc tripla erit & ita porro in infinitum in quacunque ratione. Quantitates igitur morales ſeu pretia rerum & operarum ejuſdem ſpeciei eandem rationem inter ſe habent, quam quantitates phyſicæ earundem (§. 149. *Arithm.*), ſeu pretia rerum & operarum ejuſdem ſpeciei quantitatibus phyſicis proportionales ſunt (§. 155. *Arithm.*).

Oſtenditur etiam hoc modo. Qualiſcunque tandem ſit quantitas iſta rebus pro arbitrio attributa, ſecundum quam unaquæque earum ad aliam referri & ejus ad hanc ratio determinari poteſt, conſequenter qualecunque tandem ſit rerum pretium (§. 273.); duæ quantitates phyſicæ rerum vel operarum ejuſdem ſpeciei æquales idem quoque pretium habere debent, ut adeo etiam æſtimatione morali res vel operæ ejuſdem ſpeciei, ſi eandem habuerint quantitatem phyſicam, pro eodem haberi poſſint (§. 181. *Ontol.*). Qui vero idem bis accipit, duplum omnino accipit; qui ter accipit, triplum accipit & ita porro in quacunque

cunque

cunque ratione. Quamobrem cum bis accipiat moraliter, qui bis accipit phyſice & ita porro in infinitum; patet porro, ut ante, pretia rerum & operarum ejuſdem ſpeciei quantitati phyſicæ proportionalia eſſe.

Ex. gr. Si pretium unius modii frumenti cujuſdam fuerit *A* erit pretium duorum modiorum 2 *A*; trium modiorum 3. *A* & indefinite ſi numerus modiorum fuerit *m* ſive *m* numerum integrum, ſive fractum, ſive ex fracto & integro compoſitum denotet, erit etiam pretium *m A*. Patet adeo tam quantitates phyſicas eſſe inter ſe ut 1 ad *m*, quam pretia rerum vel operarum iſtis determinatarum, conſequenter pretium frumenti cujuſdam eſſe quantitati phyſicæ proportionale. Idem patet eodem modo, ſi pretium operæ diurnæ fuerit A. Sed nemo eſt, qui hæc non agnoſcat, cum ſit praxi conſentaneum, & notionibus communibus, etſi confuſis, conveniat, quas ad diſtinctas revocare philoſophi eſt.

§. 275.

Quo modo determinetur quantitas rerum phyſica.

Quantitas rerum corporalium phyſica æſtimari poteſt magnitudine, vel gravitate, vel numero. Quoniam enim res corporales ſunt, quæ ſenſu percipi poſſunt (§. 496. *part.* 1. *Jur. nat.*), per ſe patet, quod ex materia gravi conſtent. Cum materia omnis ſit extenſa (§. 141. *Coſmol.*), adeoque partes habeat, quarum unaquæque extra alteram exiſtit (§. 549. *Ontol.*), in partium autem multitudine totum conſtituentium magnitudo conſiſtat (§. 430. *Ontol.*); res corporalis omnis magnitudinem habet. Atque adeo ejus quantitas phyſica magnitudine æſtimari poteſt (§. 437. 438. *Ontol.*). *Quod erat primum.*

Et quoniam gravitas unius corporis gravitate alterius major vel minor eſt, adeoque ratio gravitatis unius ad alterius per gravitatem definiri poteſt (§. 126. *Arithm.*), conſequenter gravitatem unius per gravitatem alterius metiri licet (§. 438. *Ontol.*); quantitas rerum corporalium etiam gravitate æſtimari poteſt. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum plura individua ejuſdem ſpeciei conſtituant numerum (§. 339. 329. *Ontol.*), quantitates autem per numerum diſtincte explicentur (§. 420. *Ontol.*); quantitas rerum corporalium phyſica numero etiam æſtimari poteſt. *Quod erat tertium.*

In æſtimanda quantitate rerum corporalium phyſica, ut inde determinetur earum pretium, reſpicere quoque ſolemus vel ad earum magnitudinem, vel ad gravitatem, vel numerum.

§. 276.

Quomodo æſtimetur.

Quoniam quantitas rerum corporalium phyſica æſtimanda venit ex magnitudine, gravitate vel numero (§. 275.), magnitudinem autem metiri non licet menſura, hoc eſt, magnitudine quadam data pro unitate aſſumta, nec gravitatem metiri datur ſine pondere, hoc eſt, data quadam gravitate pro unitate aſsumta (§. 438. *Ontol.*), multitudo vero per numerum determinatur (§. 340. *Ontol.*); *quantitas rerum corporalium phyſica æſtimatur menſura, pondere vel numero;* conſequenter *quantitates phyſicæ rerum corporalium eadem menſura determinatæ ſunt inter ſe ut numeri, quibus earum ad menſuram tanquam unitatem exprimitur ratio, & ſimiliter quantitates phyſicæ eodem pondere determinatæ ſunt inter ſe ut numeri, quibus earum ad pondus tanquam unitatem exprimitur ratio, phyſicæ autem quantitates rerum numeratarum ſunt ut numeri, quibus earum multitudo effertur.*

Nihil in hiſce difficultatis eſt, modo terminos, quibus in Matheſi utimur, nec minus in Ontologia, experiaris familiares. Et ſi demonſtrationem generalem deſideres, facillime ea datur. Si enim menſura *a*, quantitas phyſica rei menſuratæ A *ma*, quantitas autem phyſica rei menſuratæ B = *na*; erit illius ratio ad menſuram *a* : *m a*, hujus vero *a* : *n a*, adeoque *m* & *n* deſignant numeros, quibus exprimitur ratio quantitatis phyſicæ ad menſuram tanquam unitatem, cum ſit *a* : *ma* = 1 : *m* & *a* : *na* = 1 : *n* §. 181. *Arithm.*). Eſt vero quantitas phy-

phyſica ipſius A ad quantitatem phyſicam ipſius B ut *ma* ad *na*, adeoque ut *m* ad *n* (§. *cit. Arithm.*), conſequenter quantitates phyſicæ rerum A & B ſunt ut numeri *m* & *n*, quibus earum ad menſuram *a* tanquam unitatem exprimitur ratio. Quod ſi *a* denotet pondus, quo quantitates phyſicæ rerum A & B quoad gravitatem determinantur, eodem modo patet, eas eſſe ut numeros, quibus exprimitur ratio earum ad pondus tanquam unitatem. Sed demus exempla, ut dicta etiam intelligantur ab iis, qui a notionibus generalibus abhorrent. Menſura, qua metimur longitudinem panni, dicitur ulna. Quodſi longitudo panni A fuerit 3. ulnarum, & alterius B 10. ulnarum; erit illius ratio ad ulnam, quæ pro unitate aſſumta, ut 3. ad 1., hujus vero ut 10. ad 1. Longitudines vero pannorum A & B ſunt ut 3. ad 10. Similiter ſi longitudo ipſius A ſit $4\frac{1}{2}$. ſeu quatuor ulnarum cum dimidia, longitudo ipſius B $6\frac{3}{4}$. ſeu ſex ulnarum cum tribus quartis, erunt longitudines pannorum A & B ut $4\frac{1}{2}$ ad $6\frac{3}{4}$ conſequenter ut 18. ad 27. multiplicando utrinque per 4. (§. 178. *Arithm.*), & dividendo porro per 9. ut 2. ad 3. (§. 181. *Arithm.*), ſeu longitudo panni B excedit longitudinem ipſius A parte hujus dimidia, ſeu ſui tertia. Sit pondus, quo metimur gravitatem rerum corporalium, una libra. Quodſi pro ulna in exemplo præcedente ſubſtituas libram, & pro longitudine pondus juxta eam determinatum; exemplum iſtud quadrabit ad res corporales, quarum quantitates phyſicæ pondere æſtimantur.

§. 277.

Quoniam pretia rerum ejuſdem ſpeciei ſunt quantitatibus phyſicis proportionales (§. 274.), hæ autem æſtimantur vel menſura, vel pondere, vel numero (§. 276.), & pretium rerum conſiſtit in quantitate arbitraria, ſecundum quam res in ſe heterogeneæ per modum homogenearum ad ſe invicem comparari poſſunt (§. 273. *h.* & §. 126. *Arithm.*); *pretia rerum determinantur per rationem ejuſdem menſuræ, vel ponderis, quod ad determinandam quantitatem phyſicam earundem adhibemus, aut per rationem rerum numerandarum, quæ ſunt unius ſpeciei, unius ad unum rerum numerandarum, quæ ſunt ſpeciei alterius: immo quatenus res omnes in actu permutatorio ſpectandæ ſunt tanquam homogeneæ, pretia rerum etiam determinantur per rationem menſuræ datæ ad pondus datum vel unitatem datam,* menſura nimirum, pondere, vel unitate, qua in abſtracto rem unam deſignamus (§. 332. *Ontol.*), ſpectatis tanquam unitatibus iiſdem (§. 336. *Ontol.*).

Quomodo determinetur pretium rerum diverſarum ad ſe invicem.

Ex. gr. Pretia avenæ, quæ diverſæ ſunt quantitatis, ſunt quantitatibus phyſicis proportionales, adeoque per harum ad menſuram rationem definiuntur, ita ut ex. gr. pretium trium modiorum ſit triplum pretii unius. Aſt ſi pretium trium modiorum avenæ ad octo modiorum hordei pretium comparari debet, neceſſe eſt ut definiatur ratio unius modii avenæ ad unum modium hordei. Ponamus enim eam eſſe ut 2. ad 3. cum quantitas phyſica avenæ ſit 3. & quantitas phyſica hordei ſit 8. modiorum; erunt pretia ut 6. ad 24. ſeu ut 1. ad 4. hoc eſt, pretium hordei eſt quadruplum pretii avenæ. Data ratione pretiorum in eadem menſura pretia rerum heterogenearum ope regulæ trium in eadem facile ad æqualitatem reducuntur. Ex. gr. Si quæritur, quot modii avenæ æquivaleant octo modiis hordei; erit ut 2. ad 3. ita 8. ad numerum quartum proportionalem 12. Atque adeo patet, 12. modiorum avenæ & octo modiorum hordei idem eſſe pretium, conſequenter 12. modios avenæ, & octo modios hordei moraliter pro æqualibus haberi. Dari vero etiam poteſt menſuræ unius ad menſuram quamcunquem aliam ratio, vi cujus pretia rerum iiſdem menſuratarum inter ſe comparari & ad æqualitatem reduci poſſunt, veluti ſi ratio unius ulnæ lintei ſit ad unum modium avenæ ut 4. ad 9. & quæratur quænam ſit ratio pretii 10. ulnarum lintei ad 8. modios avenæ, vel quotnam modiorum avenæ idem ſit pretium cum pretio 10. ulnarum lintei. Etenim ut ante reperitur pretium 10. ulnarum lintei eſſe ad pretium 8. modiorum avenæ ut 40. ad 72. conſequenter ut 5. ad 9. dividendo nempe utrinque per 8 pretium $4\frac{4}{9}$. modiorum æquale reperitur pretio 10. ulnarum lintei, inferendo ſcilicet ut 9 ad 4. ita 10. ad quartum proportionalem. Unde denuo patet 10. ulnas lintei & $4\frac{4}{9}$. modios avenæ haberi in actu permutatorio moraliter pro æqualibus. Dari etiam poteſt ratio menſuræ ad pondus, vi cujus pretia rerum menſuratarum & ponderatarum inter ſe comparari & ad æqualitatem reduci poſſunt, eodem quo ante modo: quemadmodum enim quantitate morali res menſuris heterogeneis menſuratæ reducuntur ad homogeneitatem; ita etiam idem obtinet, ſi loco unius menſuræ ſubſtituas pondus, veluti ſi libra una ſachari ſumatur ad unum modium avenæ ut 7. ad 9. Quodſi enim quæratur, quænam ſit ratio 9. librarum ſachari ad 12. modios avenæ, reperietur ratio 63. ad 108. ſeu 7. ad 12. & pretium 7. modiorum avenæ reperitur æquale pretio 9. librarum ſachari. Unde patet in actu permutatorio 9. libras ſachari & 7. modios avenæ quoad pretium pro æqualibus habere. Denique dari poteſt ratio menſuræ, vel ponderis

cujuſcunque ad certum quendam numerum rerum numeratarum, vi cujus pretium rerum tam menſuratarum, quam ponderatarum ad pretium numeratarum comparari poteſt, atque earundem pretia ad æqualitatem reducuntur, ut ante, veluti ſi ratio 15. ovorum ad modium avenæ ſupponatur ut 2. ad 9. Quodſi enim quæſiveris, quomodo ſe habeat quater 15. ovorum pretium ad tres modios avenæ, reperitur ut ante, numero 15. ſumto pro unitate (§. 347. *Ontol.*), ratio ut 8. ad 27. & pretium $\frac{8}{9}$ unius modii invenitur æquale pretio quater 15. ovorum, ſeu ovorum 60. Unde denuo patet, 60. ova in actu permutatorio & $\frac{8}{9}$ unius modii avenæ moraliter, ſeu quoad pretium pro æqualibus haberi. Videmus itaque quomodo pretia rerum omnium, quomodocunque tandem earum quantitas phyſica determinetur, inter ſe comparari & quantum unum ſuperet alterum vel ab eodem deficiat definiri queat, nec non quomodo eadem ad æqualitatem reducantur. Neque ſine pecunia id ipſum aliter fieri poteſt, & pecunia ipſa quid ſibi velit intime perſpicitur niſi iis probe intellectis, quæ hactenus dicta ſunt, quemadmodum ex ſequentibus conſtabit.

§. 278.

Quomodo quantitas phyſica operarum determinetur.

Quantitas phyſica operarum æſtimatur vel tempore, quo durarunt; vel quantitate effectus, qui iiſdem fuit productus. Quicquid enim facis id fit in tempore, conſequenter operæ, quas alteri præſtas, certo tempore durant. Quamobrem cum tempus ſit menſurabile (§. 585. *Ontol.*); quantitas etiam phyſica operarum menſurari vel æſtimari poteſt tempore, quo durarunt. *Quod erat unum.*

Similiter operæ impenduntur ad effectum quendam producendum, qui quantitatem phyſicam habet, quatenus effectus unus alterius duplus, triplus, quadruplus & ita porro eſſe poteſt, quæ tanquam per ſe nota ſumo, ne in demonſtrando ad nimias deſcendere videamur ſubtilitates. Quoniam itaque operas easdem bis præſtitiſſe intelligitur, qui effectum duplum producit, ter, qui triplum, quater, qui quadruplum & ita porro; ideo patet operas æſtimari poſſe ex effectu, qui iiſdem producitur. *Quod erat alterum.*

Non abhorrent hæc ab uſu communi. Ita enim ſtatuimus operas diurnas, certo horarum, veluti duodecim, intervallo continuatas, item annuas, quæ anno unius ſpatio ſingulis diebus præſtantur. Et quando opera tua utor in deſcribendo aliquo MSC. opera æſtimatur ex numero plagularum, quas deſcripſiſti; ſi ædificium extruitur, opera fabri murarii æſtimatur ex magnitudine murorum extructorum, aut, ſi tectorium inducitur, ex magnitudine ſuperficiei murorum, quibus inducendum.

§. 279.

Quomodo eædem quantitates ad ſe invicem comparentur.

Quoniam quantitas phyſica operarum æſtimatur vel tempore, quo durarunt, vel quantitate effectus qui iiſdem tribuitur (§. 278.); *quantitates phyſicæ operarum ejuſdem ſpeciei eodem tempore, vel eodem effectu determinatarum ſunt inter ſe ut numeri, quibus earum ad tempus aut effectum datum tanquam unitatem ratio definitur.*

Ex. gr. operæ diurnæ ejuſdem ſpeciei ſunt inter ſe ut numeri dierum, quibus præſtitæ fuerunt, vel ut numeri, quibus effectus dati multiplum indigitatur, ita ut ſi unus operas præſtiterit per dies quatuor, alter per novem; operæ erunt ut 4. ad 9.: ſi unus deſcripſit 20. plagulas, alter 48. operæ erunt ut 20. ad 48. ſeu ut 5. ad 12.

§. 280.

Quomodo rerum & operarum pretium ad ſe invicem promiſcue determinetur.

Quoniam pretia operarum earundem ſunt quantitatibus phyſicis proportionales (§. 279.), hæ autem æſtimantur vel tempore, quo præſtantur, vel quantitate effectus, qui iiſdem producitur (§. 278.), & pretium rerum conſiſtit in quantitate arbitraria, ſecundum quam res in ſe heterogeneæ per modum homogenearum ad ſe invicem comparari poſſunt (§. 273. *h.* & §. 126. *Arith.*); *pretia operarum determinantur per rationem operarum diverſarum eo tempore, quo earum quantitatem phyſicam determinamus, præſtitarum vel per rationem operarum, quibus*

bus datus quidam effectus producitur, ad operas, quibus producitur effectus quidam alius datus, immo *quatenus in actu permutatorio operæ ac res omnes ſpectandæ ſunt tanquam homogeneæ, pretia rerum & operarum promiſcue determinantur per rationem menſuræ, ponderis vel numeri dati rerum quarumvis ad operas dati temporis vel effectus*, menſura nimirum, pondere, vel numero & tempore ac effectu, quo definitur quantitas phyſica operarum, ſpectatis tanquam unitatibus iiſdem (§. 336. *Ontol.*).

Ex. gr. Si pretium operarum veluti tritoris ad frumentum determinari debet, determinanda eſt ratio operarum diurnarum ad modium frumenti, vel certæ quàntitatis frumenti triturati ad eundem modium frumenti, veluti ſi in caſu primo ratio operarum diurnarum ad modium frumenti ponatur ut 1. ad 5. ita ut pretium unius modii frumenti ſit quintuplum operarum diurnarum tritoris, adeoque pretium operarum diurnarum ſit $\frac{1}{5}$. unius modii. Hinc enim ut ante (*not.* §. 277.), non modo in dato quolibet caſu definitur ratio pretii operarum datarum ad pretium frumenti datæ quantitatis; verum etiam hæc ipſa pretia ad æqualitatem reducuntur. Similiter ſi ratio operarum diurnarum ad operas diurnas alias quaſcunque fuerit ut 3. ad 5. illarum pretium erit harum $\frac{3}{5}$, ac in dato quolibet caſu non minus ratio pretiorum ad ſe invicem determinabitur, quam pretia ad æqualitatem reducentur. Idem eodem modo ſeſe habere, ſi operæ diurnæ referantur ad operas quaſcunque dati effectus, per ſe patet.

§. 281.

Jura æſtimantur ex utilitate, quæ inde percipitur. Quemadmodum enim moraliter res non conſiderantur niſi quoad uſum, quem habent (§. 495. *part.* 1. *Jur. nat.*); ita quoque jura, quæ in rerum incorporalium numero ſunt (§. 498. *p.* 1. *Jur. nat.*), aliunde æſtimari nequeunt, quam ex utilitate, quæ inde percipitur. *Menſura jurium.*

Ex. gr. jus aucupandi aves in certo diſtrictu æſtimatur ex pretio avium dato tempore, veluti uno anno capiendarum, demto operarum pretio, quæ iis capiendis impendi debent. Jus eundi per alterius fundum æſtimatur ex commoditate, quam nobis affert, & moleſtia domini fundi, quatenus cum ea neceſſario conjungitur, nec ſine ea intelligitur, cum nemo teneatur alterius gratia pati gratis, quod ſibi moleſtum, alteri commodum eſt (§. 268.).

§. 282.

Quoniam jura æſtimantur utilitate, quæ inde percipitur (§. 281.), adeoque eorum utilitas ſpectatur tanquam earundem quantitas phyſica, rerum autem pretia quantitatibus phyſicis proportionalia ſunt, ſi fuerint ejuſdem ſpeciei (§. 274.); *jurium quoque ejuſdem ſpeciei, v. gr. jurium aucupandi, pretia utilitati inde percipiendæ proportionalia ſunt.* *Quomodo inter ſe comparentur pretia jurium ejuſdem ſpeciei.*

Ex. grat. Si quis in aliquo diſtrictu duplum avium capit eodem tempore, quas alius in alio diſtrictu eodem tempore capit; erit jus aucupandi in illo diſtrictu ad jus aucupandi in hoc diſtrictu ut 2. ad 1.

§. 283.

Cum pretia jurium ejuſdem ſpeciei ſint utilitati percipiendæ proportionalia (§. 282.), jura autem omnia æſtimentur utilitate inde percipienda (§. 281.), & pretium rerum conſiſtat in quantitate arbitraria, ſecundum quam res in ſe heterogeneæ per modum homogenearum ad ſe invicem comparari poſſunt (§. 273. *h.* & §. 126. *Arithm.*); *pretia jurium determinantur per rationem juris datæ & utilitatis ad jus utilitatis alterius datæ & quatenus in actu permutatorio jura ac res & operæ omnes ſpectari debent tanquam res homogeneæ, pretia jurium, rerum & operarum promiſcue determinantur per rationem menſuræ, ponderis vel numeri dati rerum quarumvis, vel operarum dati temporis aut effectus ad jura da-* *Quomodo rerum corporalium, operarum, & jurium pretium determinetur.*

tæ utilitatis, menſura nimirum, pondere, vel numero, quo æſtimatur quantitas phyſica rerum corporalium, tempore aut effectu, quo quantitas operarum phyſice determinatur, & utilitate, qua phyſicam jurium quantitatem metimur, ſpectatis tanquam unitatibus iiſdem (§. 336. *Ontol.*).

Ex. gr. Si jus aucupandi annuum determinatur per rationem ad modium frumenti ut 6. ad 1; erit pretium ejus æquale pretio ſex modiorum frumenti & pretium unius modii frumenti $\frac{1}{6}$ pretii juris. Per hanc vero rationem in dato quolibet caſu definitur ratio juris aucupandi per annos quotcunque exerciti ad quamcunque quantitatem frumenti, & pretium juris dati reducetur ad æqualitatem cum pretio frumenti eodem, quo ſupra (*not.* §. 277.), modo. Non damus exempla alia, ne in re pluribus forſan tædioſa, propterea quod utilitatem, immo neceſſitatem ejus minime perſpiciunt, prolixiores ſimus. Ea etiam de cauſa alia omittimus, quæ adhuc dici poterant, ſiquidem ſingula accurate perſequi vellemus. Dicta tamen ſufficere poſſunt ad ſequentia penitus intelligenda, quæ de pecunia demonſtrabuntur. Unum adhuc tantummodo monemus, quæ hactenus de pretio rerum ad ſe invicem determinando dicta ſunt, uſum etiam ſubinde habere pecunia licet inventa; cum determinatio pretii per pecuniam pretium quaſi intrinſecum ſupponat, de quo hactenus dictum.

§. 284.

Quomodo quantitatem aridorum, & fluidorum phyſicam determinare liceat.

Quantitatem phyſicam aridorum & fluidorum metiri licet vaſe quodam, cujus cavitas eſt determinatæ magnitudinis, ſeu quod certam aridorum ac fluidorum quantitatem recipit, vel pondere quodam determinato, ſeu ſolido datæ gravitatis. Etenim arida & fluida aſſumunt figuram vaſis ambientis, adeoque eorum quantitas, quam vas recipit, eſt ſoliditati cavitatis vaſis æqualis. Quoniam itaque hæc quantitas pro unitate aſſumi poteſt, & ratio, quam habet data quædam quantitas aridorum vel fluidorum ad quantitatem eorundem, quam vas recipit, hujus ope determinari poteſt, magnitudinem autem, ſeu quantitatem metimur, ſi quantitatem quandam pro unitate aſſumimus & alterius ad eam rationem determinamus (§. 438. *Ontol.*); quantitatem phyſicam aridorum & fluidorum metiri licet vaſe quodam, cujus cavitas determinatæ magnitudinis eſt, ſeu quod certam aridorum ac fluidorum quantitatem recipit. *Quod erat unum.*

Similiter quoniam arida & fluida ejuſdem ſpeciei, ſi eandem habuerint magnitudinem, eandem quoque gravitatem habent, conſequenter quantitates eorum phyſicæ ſunt gravitatibus proportionales, gravitatem vero earum determinare licet, ſi datus quidam gravitatis gradus, qui convenit ſolido cuidam, adeoque ponderi cuidam determinato, pro unitate aſſumatur, & ratio gravitatis aridorum vel fluidorum datorum ad eandem determinetur; patet ut ante quantitatem quoque phyſicam aridorum & fluidorum ope ponderis cujuſdam determinati metiri licere. *Quod erat alterum.*

§. 285.

Quandonam unus metiendi modus alteri præferendus.

Quoniam commodius accidit, ſaltem plerumque, ut quantitatem phyſicam aridorum & fluidorum determinemus ope vaſis, cujus cavitas determinatæ magnitudinis, quam pondere quodam determinato; *in definienda quantitate phyſica aridorum & fluidorum plerumque præferenda eſt determinatio, quæ fit ope vaſis, alteri, quæ fit ope ponderis.*

Praxi communi hæc conſentanea eſſe docet experientia, ut adeo appareat eandem non deſtitui ſua ratione, in quam inquirere philoſophi eſt. Notandum hic in genere in praxi communi multa occurrere non ſine ratione inventa, etſi vulgus ad eam animum non attendat, adeoque eandem ignoret.

§. 286.

Si fluidum quoddam vaſe quocunque continetur, ejus quantitatem phyſicam determinare licet inveſtigando magnitudinem cavitatis ejuſdem. Quoniam enim fluidum aſſumit figuram vaſis ambientis, magnitudo ejus, quod recipit vas intra cavitatem ſuam, æqualis magnitudini cavitatis ejuſdem. Quodſi ergo hæc fuerit determinata, eo ipſo determinata quoque eſt magnitudo fluidi. Quantitatem adeo phyſicam fluidi vaſe quocunque contenti determinare licet inveſtigando magnitudinem cavitatis ejuſdem. *Quomodo quantitas phyſica fluidi in vaſe quocunque contenti æſtimetur.*

Nec hoc abhorret a praxi communi & quomodo magnitudo cavitatis vaſorum determinetur & ad communem fluidorum menſuram revocetur, docetur in Steremotria doliorum, quæ Geometriæ practicæ pars quædam eſt (§. 582. *& ſeqq Geom.*). Facile patet, quæ de fluidis hic demonſtrata ſunt, ad arida quoque applicari poſſe. Non eſt quod dicas, hæc pertinere ad Geometriam practicam, nullum autem locum mereri in Jure naturæ. Etenim Geometria practica ſumit, quæ hic demonſtrantur, adeoque tanquam alibi demonſtrata, vel demonſtranda ſupponit. Quoniam vero nec ſine præſuppoſita quantitate rerum phyſica determinatio pretii, de quo agitur in Jure naturæ, intelligi poteſt; quod phyſica rerum quantitas ita determinari poſſit, ut ope ejuſdem pretia rerum definire liceat, utique demonſtrandum, cum accurata methodus non ferat, ut ſumantur, quæ cum demonſtrabilia ſint non demonſtrata fuerunt. Nec eſt quod objicias, quod quantitas phyſica hoc vel illo modo determinatu poſſibilis experientia conſtare, conſequenter tanquam a poſteriori notum ſumi debere, nec ulla probatione indigere: neque enim concedi poteſt, quod a priori in Philoſophia demonſtrandum non ſit, quod fieri vulgo obſervamus. Demonſtrandum nimirum vel maxime eſt, cur fiat, ut intelligatur, quod recte fiat, ſimulque conſtet, utrum in melius mutari poſſit, nec ne.

§. 287.

Si quantitates phyſicæ ſeu magnitudines rerum fuerint in ratione longitudinum; eas determinare licet metiendo ſolam longitudinem. Etenim ſi longitudo quædam data ſumitur pro unitate & ratio longitudinis rei datæ ad eam inveſtigatur; longitudinem rei metimur (§. 439. *Ontol.*). Enimvero cum quantitas phyſica ſit longitudini proportionalis *per hyp.* cognita longitudine nota eſt etiam quantitas phyſica. Quamobrem ſi quantitates phyſicæ rerum fuerint in ratione longitudinum, eas determinare poſſumus metiendo longitudinem. *Quomodo quantitas phyſica rerum determinetur, quarum magnitudo longitudini proportionalis.*

§. 288.

Si gravitas ſit magnitudini proportionalis, nec magnitudinem ſatis commode determinare poſſumus; quantitas phyſica rerum pondere determinatur. Quodſi enim gravitas ſit magnitudini proportionalis eadem eſt magnitudo rerum, quarum eadem eſt gravitas (§. 149. 155. *Arith.*), adeoque perinde eſt ſive magnitudine, ſive pondere æſtimes eorum quantitatem phyſicam. Quamobrem ſi magnitudo non ſatis commode determinari poteſt, pondere determinamus quantitatem phyſicam ejuſdem. *Quando quantitas phyſica pondere determinetur.*

Ita ſachari, metallorum; fœni quantitatem phyſicam pondere determinare ſolemus, neque enim facile eſt harum rerum magnitudinem metiri propter figuram, quam habent: id quod ſtereometriæ gnaris ſatis patet.

§. 289.

Si res ejuſdem ſpeciei ſingulæ ejuſdem fere ſint magnitudinis, quantitatem earum phyſicam æſtimare licet numero; quodſi vel magnitudo ſit admodum diverſa, vel multitudo tanta, ut commode numerari non poſſint; quantitas earum phyſica determina- *Quando quantitas phyſica de-*

mina-

terminetur numero vel res revocen- tur ad ari- da. *minatur eodem modo, quo aridorum*. Etenim ſi res ejuſdem ſpeciei ſingulæ ejuſdem fere ſint magnitudinis, ſingulæ haberi poſſunt pro unitatibus iiſdem (§. 347. *Ontol.*). Quamobrem cum unitatum earundem multitudine conſtituatur numerus (§. 340. *Ontol.*), & magnitudo ſit numero proportionalis in hypotheſi propoſitionis præſentis (§. 155. *Arithm.*); quantitatem illarum phyſicam numero æſtimare licet. *Quod erat unum*.

Quoniam arida conſtant multitudine rerum exiguarum, quæ commode numerari non poſſunt propter earum multitudinem, ſi a magnitudine ſingularum animum avertimus, inter res, quas numeramus, & arida nulla datur differentia. Quamobrem cum quantitatem phyſicam aridorum alio modo determinamus, quam numero, propterea quod non commode numerari poſſunt propter rerum ſingularium multitudinem; ſi rerum ejuſdem ſpeciei magnitudo fuerit admodum diverſa, vel multitudo tanta, ut commode numerari non poſſint, nil obſtat, quo minus inſtar aridorum conſiderari queant, adeoque quantitas earum phyſica eodem modo determinetur, quo aridorum. *Quod erat alterum*.

Propoſitio præſens ipſo uſu comprobatur. Ita numeramus ova, ceraſa, poma; aſt ſi major fuerit ceraſorum vel pomorum copia, eorum quantitatem phyſicam eodem modo determinamus, quo ſupra aridorum quantitatem determinandam eſſe oſtendimus (§. 284.): quæ cùm in vulgus nota ſint, plura addere ſuperfluum foret.

§. 290.

Pecunia quid ſit. *Pecunia* eſt res corporalis, cujus determinata quædam quantitas ſumitur pro menſura communi pretii rerum quarumvis tam corporalium, quam incorporalium, & operarum quarumlibet: ut adeo etiam definiri poſſit, quod ſit menſura communis pretii rerum & operarum.

Pretium rerum conſiſtit in quantitate quadam arbitraria, quæ nonniſi voluntate hominum iiſdem tribuitur, ut earum inter ſe & ad operas ratio in actibus permutatoriis definiri poſſit. Quamobrem ut quantitatem hanc rebus affictam tanto commodius metiri liceret, aſſumenda erat quantitas quædam determinata phyſica rei cujuſdam corporalis, tanquam menſura, qua illam metiri liceret (§. 438. *Ontol.*). Ita enim facillime definiri poterat, quantum ſit pretium vel operæ cujuſcunque, nimirum tantum, quanta eſt quantitas phyſica rei illius, ad quam exigitur quantitatis fictitiæ ratio, in qua pretium conſiſtit.

§. 291.

Pretia rerum pecuniæ propor- tionalia eſ- ſe. Quoniam pecunia eſt communis menſura pretii rerum & operarum (§. 284.), pretium autem metimur aſſignando ejus ad menſuram iſtam rationem (§. 438. *Ontol.*); *pretia rerum & operarum ſunt pecuniæ proportionalia*, conſequenter *pecunia dupla definit duplum pretium rerum & operarum, tripla triplum, quadrupla quadruplum & ita porro in quacunque ratione in infinitum*.

Nimirum quemadmodum data quædam quantitas rei iſtius corporalis, quæ pecuniæ fert nomen, æquipollet quantitati rei vel operæ hominum arbitrio eidem attributæ, ita dupla illius quantitas æquipollet duplæ, tripla triplæ, quadrupla quadruplæ ac ita porro in infinitum in quacunque ratione, ut adeo perinde ſit ſive habeas tantum pecuniæ, ſive hanc rem, vel operam.

§. 292.

Uſus pecu- niæ in acti- bus permu- tatoriis. Quoniam rerum & operarum pretia pecuniæ proportionalia ſunt (§. 291.), cum in actibus permutatoriis minime gratuitis tantundem recipere debeas, quantum das, vel facis (§. 270.); *pecunia pro re qualibet & opera quacunque dari poteſt*, conſequenter eadem *in actibus permutatoriis minime gratuitis fungitur vice rerum & operarum omnium*.

Nimi-

Nimirum qui tantum accipit pecuniæ, quanta æſtimatur res, quam dat, vel opera, quam præſtat, tantum recipere dicendus eſt, & quantum dat, vel facit. Ac inde eſt, quod vulgo ipſa pecunia pro rerum vel operarum pretio habeatur, quatenus quantitas rei iſtius corporalis, cui pecuniæ nomen inditum, phyſica habetur pro quantitate illa, quæ pro arbitrio ab hominibus rebus ac operis tribuitur, ut promiſcue ad ſe invicem comparari & unius ad alterum ratio definiri poſſit, & in qua pretium rerum ac operarum introductis dominiis illis æquivalentium (§. 437. *p. 2. Jur. nat.*), conſiſtit (§. 273.). Accurate igitur loquendo pretium rerum & operarum non eſt ipſa pecunia, ſed ejus quantitas phyſica. Quamobrem cum hæc quantitas phyſica per fictionem tribuatur promiſcue rebus ac operis in univerſum omnibus, ut efficiantur homogeneæ, quæ maxime heterogeneæ ſunt, conſequenter inter ſe rationem habere poſſint (§. 126. *Arith.*); inde patet, cur pecunia fungatur vice rerum & operarum omnium.

§. 293.

Quoniam pro re qualibet & opera quacunque pecunia dari poteſt (§. 292.); *pro pecunia res & operæ quælibet ab alio comparari poſſunt*, *Res & operæ pecunia comparari poſſunt.*

Nimirum ſi das pecuniam, alter dat rem ſive neceſſariam, ſive utilem, ſive voluptuariam, corporalem, vel incorporalem & operas communicat, quibus indiges. Elucet hinc maxima pecuniæ utilitas, immo indiſpenſabilis neceſſitas, ubi homines a ſimplicitate vitæ recedunt, nec contenti rebus ſponte naſcentibus artificialibus ac induſtrialibus operam dant: quod evidenter patet, ubi modus, quo actus rerum artificialium & induſtrialium determinatur, ad notionem diſtinctam revocatur. Sed de hiſce alibi erit dicendi locus.

§. 294.

Pretium rei unius vel operæ cujuſdam datæ determinatum ex pretio rei alterius vel operæ alterius datæ ſine communi quadam menſura alia aſſumta, vocari ſolet *Pretium vulgare*: aſt ſi determinatur per quantitatem pecuniæ, *Pretium eminens* nuncupatur. *Differentia pretii eminentis & vulgaris.*

De pretio vulgari intelligenda ſunt exempla, quæ in anterioribus dedimus, ubi oſtendimus, quomodo pretia rerum determinentur per rationem rerum ad ſe invicem comparatarum. Cum enim in ratione quantitas unius ex quantitate alterius determinetur ſine tertio homogeneo aſſumto (§. 126. *Arithm.*), res una ſumitur tanquam menſura alterius, aut pars quædam utrique communis ejus vicefungitur, quemadmodum ex doctrina rationum in Elementis Arithmeticæ explicata abunde patet. Atque ita pretium unius rei metimur per pretium alterius aut partem quandam pretiorum communem in pretio vulgari determinando. Sed ſi pretium fuerit eminens, pretium rei cujuſcunque vel operæ metimur quantitate pecuniæ, quantitatem phyſicam pecuniæ attribuendo rebus ac operis, ut earum quantitas moralis eadem ſit, quæ pecuniæ phyſica. Ex. grat. Si dicamus pretium unius modii avenæ eſſe debere ad unum modium hordei ut 2. ad 3, ſeu in genere avenam & hordeum ejuſdem quantitatis phyſicæ eſſe debere inter ſe in ratione ſubſeſquialtera, ſeu ut 2. ad 3; pretium attenditur vulgare. Etenim pretium hordei determinatur ex pretii avenæ parte dimidia tanquam menſura aſſumta, cum pretio hordei tres iſtiuſmodi tribuantur partes, quales avenæ pretium continet duas. Enimvero ſi dicamus unum modium avenæ valere octo groſſos & unum modium hordei duodecim groſſos, tam avenæ pretium eminens, quam hordei determinatur per pecuniam pro communi menſura aſſumtam, uno ſcilicet groſſo pro unitate aſſumto. Patet vero eſſe etiam hic pretium avenæ ad pretium hordei ejuſdem quantitatis phyſicæ in ratione ſubſeſquialtera, nimirum ut 8, ad 12, adeoque ut 2. ad 3. (§. 181. *Arith.*). Unde liquet pretium vulgare non differre a pretio eminente, niſi modo idem determinandi, immo eminens ſupponere vulgare: pecuniam enim pro re ac opera nemo accipit, niſi qui pro eadem rem quandam aliam ac operam, qua indiget, alterius ſibi comparare valet. Immo inde etiam ulterius patet, quantitatem phyſicam pecuniæ ſumi pro quantitate morali rerum, vel operarum, in qua earum pretium conſiſtit (§. 273.), veluti quantitatem octo groſſorum pro quantitate morali ſeu pretio unius modii avenæ & quantitatem duodecim groſſorum pro quantitate morali ſeu pretio unius modii hordei, atque ideo octo groſſos & unum modium avenæ ac duodecim groſſos & unum modium hordei moraliter haberi pro æqualibus, ut in actibus permutatoriis minime gratuitis octo groſſi pro uno modio avenæ & duodecim groſſi pro uno modio hordei ſubſtitui poſſunt. Patet denique pecuniam rerum omnium ac operarum pretium in ſe continere, quatenus ejus quantitas phyſica ſumitur pro quantitate rerum ac operarum morali, in qua earum pretium conſiſtit (§. 273.).

§. 295.

§. 295.

Quamnam rationem pretia rerum & operarum inter ſe habeant.

Pretia rerum & operarum vulgaria ſunt inter ſe ut numeri, quibus exprimitur eorum ratio ad certam pecuniæ quantitatem pro unitate aſſumtam. Sit enim pretium rei vel operæ A ad quantitatem pecuniæ pro unitate aſſumtam C ut *m* ad 1. & pretium rei vel operæ B ad eandem pecuniæ quantitatem C ut *n* ad 1. Quoniam ſi fuerit A : C = *m* : 1 & B : C = *n* : 1, etiam A : B = *n* : *m* (§. 195. *Arithm.*), *m* vero & *n* ſunt numeri, quibus exprimitur pretii rerum vel operarum A & B ratio ad datam pecuniæ quantitatem C pro unitate aſſumtam; evidens eſt, pretia rerum & operarum eſſe inter ſe ut numeros, quibus exprimitur eorum ratio ad certam pecuniæ ſummam pro unitate aſſumtam.

Ex. gr. Sumatur pro unitate groſſus; ſitque ratio unius modii avenæ, ad groſſum ut 8. ad 1. ratio unius modii hordei ut 12. ad 1. Erunt numeri, quibus exprimitur ratio pretii avenæ, & hordei ad groſſum 8. & 12. Pretium igitur avenæ unius modii eſt ad pretium hordei unius modii ut 8. ad 12. ſeu ut 2. ad 3. ac idem intelligitur de quantitatibus quibuſcunque phyſicis æqualibus avenæ ac hordei.

§. 296.

Idem porro expenditur.

Quoniam numeri, quibus exprimitur ratio pretii rerum ad datam pecuniæ quantitatem pro unitate aſſumtam deſignant pretium eminens (§. 294.), pretia autem rerum & operarum vulgaria ſunt ut numeri iſti (§. 295.); *erunt pretia rerum vulgaria inter ſe ut eminentia.*

Nimirum pretium eminens unius modii avenæ definitur 8. groſſis, pretium eminens unius modii hordei 12. groſſis, adeoque pretiorum eminentium ratio eſt ut 8. ad 12, ſeu ut 2. ad 3. Sed eadem eſt ratio pretiorum vulgarium, cum in permutatione avenæ, & hordei unus modius avenæ æquiparetur duobus tertiis unius modii hordei; quæ pretii avenæ ad pretium hordei ratio definiri etiam poteſt abſque pecunia. Immo pretium eminens avenæ determinatur octo groſſorum; quatenus in permutatorio actu pro octo groſſis recipiuntur $\frac{2}{3}$ unius modii hordei.

§. 297.

Ratio pretii eminentis rerum & operarum ejuſdem ſpeciei.

Quoniam pretia rerum aut operarum eminentia ſunt inter ſe ut vulgaria (§. 296.), pretia autem rerum & operarum ejuſdem ſpeciei vulgaria ſunt quantitati phyſicæ proportionalia (§. 274.); *pretia etiam eminentia rerum & operarum ejuſdem ſpeciei ſunt quantitati earum phyſicæ proportionalia.*

Si pretium eminens unius modii avenæ fuerit 8. groſſorum erit pretium duorum 16, trium 24, quatuor 32. groſſorum, conſequenter pretium trium modiorum eſt ad pretium quatuor ut 24. ad 32. conſequenter ut 3. ad 4. quæ eſt ratio quantitatum phyſicarum.

§. 298.

Pretium primitivum & derivativum.

Pretium primitivum dicere lubet pretium quantitatis phyſicæ rei vel operæ cujuſcunque menſura quadam definitæ per certam pecuniæ quantitatem determinatum: *derivativum* vero quod proportionaliter reſpondet quantitati ejuſdem majori vel minori.

Ex. gr. Modius aſſumitur pro menſura quantitatis avenæ. Quodſi pretium ejus ſtatuatur 8. groſſorum; erunt 8. groſſi pretium primitivum avenæ. At cum hinc per regulam trium eruitur pretium 6 modiorum, quod eſt 48. groſſorum; erunt 48. groſſi pretium derivativum. Similiter $\frac{1}{4}$ unius modii pretium quod reperitur 2. groſſorum eſt pretium derivativum. Similiter ſi unius ulno pretium ſumatur 9. groſſorum erunt

9. groſſi

9 groſſi pretium primitivum eſt 45. groſſi, quod eſt pretium 5. ulnarum erit derivativum. Nimirum pretium primitivum rei ex nullo alio præſuppoſito determinatur, derivativum vero determinatur ex alio præſuppoſito. Uſus hujus diſtinctionis loquitur propoſitio ſequens (§. 300.) utut vulgo recepta non ſit.

§. 299.

Similiter *pretia inter ſe primitiva* ſunt quibus rerum & operarum pro unitate aſſumtarum ad ſe invicem exprimitur ratio in terminis minimis quoad valorem ſuum. *Pretia inter ſe primitiva.*

Si ſumatur avena ad hordeum eſſe .. ad 3. erunt 2. & 3. pretia avenæ ... ater ſe primitiva. Quodſi dicas unum ... enæ valere 8. groſſos hordei modium ... erunt pretia avenæ, & hordei ut 8. ... nſequenter ut 2. ad 3, qui termini ... nt, quibus effertur ratio unius modii ... anum modium hordei quoad valorem ... iliter ſi operæ diurnæ valent 4. groſſos, unus modius avenæ 8. groſſos; pretia avenæ & operarum diurnarum primitiva erunt 2. & 1, quia pretium unius modii avenæ eſt ad pretium operarum diurnarum in terminis minimis ut 2. ad 1, ſeu in ratione dupla. Patet autem ex ſuperioribus (*not.* §. 277.), per pretia inter ſe primitiva rerum & operarum pretia in actibus permutatoriis ad æqualitatem reduci.

§. 300.

... rerum & operarum quarumcunque derivativa ſunt inter ſe in ratione compoſita pretiorum primitivorum & quantitatum phyſicarum. Sint enim pretia primitiva ... m vel operarum A & B, ſive A & B res quaſcunque ſive operas qua... ſive denique A rem, B vero operam quamcunque denotet ut *m* ad *n*. ... quantitas phyſica ipſius A *p*, quantitas vero phyſica ipſius B *q*, ubi *p* ... tant numeros quibus exprimitur ratio quantitatis phyſicæ ad menſu... eam quæ pro unitate aſſumitur in definiendis pretiis primitivis. ... pretia rerum & operarum ejuſdem ſpeciei ſunt quantitatibus phyſicis ... alia (§. 274. 297.) erit pretium derivativum ipſius A ut m p pre... derivativum ipſius B ut n q (§. 298. *b.* & §. 302. *Arithm.*). Sunt adeo ... ivativa ipſorum A & B ut *mp* ad *nq*, conſequenter in ratione com... tiorum primitivorum *m* ad *n* & quantitatum phyſicarum *p* ad *q*. *Ratio pretiorum derivativorum ad ſe invicem.*

... nt pretia primitiva unius modii avenæ ... modii hordei ut 2. ad 3; erit pre... ivum quatuor modiorum avenæ ad ... modiorum hordei ut 8. ad 30. ſeu ... adeoque in ratione compoſita pre... tivorum ut 2. ad 3, & quantita... m ut 2. ad 5, quæ ratio eadem ... ad 10. (§. 181. *Arithm.*). Simi... primitiva unius modii avenæ, & ... narum fuerint ut 2. ad 1, erit ... tivum trium modiorum avenæ ... m derivativum operarum quin... 5. Pretia adeo derivativa ſunt ... oque in ratione compoſita pre... orum ut 2. ad 1, & quantita... ut 3. ad 5. Quodſi hæc non ... tur, ſumantur numeri, quibus ... m eminens primitivum, ut numeri primi inter ſe, & idem intelligatur de numeris, quibus quantitates phyſicæ efferuntur in definiendis pretiis derivativis. Si unus modius avenæ valet 8. groſſos, erit pretium derivativum quatuor modiorum 32. groſſorum. Similiter ſi unus modius hordei valet 12. groſſos erit pretium derivativum 10. modiorum 120. groſſorum. Pretia igitur derivativa ſunt ut 32. ad 120. Eſt vero 32. factum ex 8. in 4. & 120. factum ex 12. in 10. conſequenter ratio 32. ad 120. componitur ex ratione 8. ad 12. & 4. ad 10. (§ 159. *Arithm.*). Eodem modo patet, ſi unus modius avenæ valet 8. groſſos operæ autem diurnæ valent 4. pretium derivativum trium modiorum avenæ eſſe 24. operarum vero quinque dierum 20. groſſorum, conſequenter pretia derivativa ut 24. ad 20. Eſt vero 24. factum ex 8. in 3. & 20 factum ex 4. in 5. Ratio igitur 24. ad 20. componitur ex ratione 8. ad 4. & 3. ad 5.

§. 301.

Quodſi adeo *ratio quantitatum phyſicarum ad menſuram ſuam*, quæ pro unitate ſumitur (§. 438. *Ontol.*) *eodem numero indigitatur*; *erunt pretia derivativa in ratione primitivorum* (§. 300. *b.* & §. 181. *Arithm.*). *Quando pretia derivativa ſint ut primitiva.*

Ex.gr. Si pretia unius modii hordei & avenæ fuerint ut 3. ad 2; erit pretium derivativum trium modiorum hordei ut 9. & trium modiorum avenæ ut 6. adeoque pretia derivativa hordei & avenæ ut 9. ad 6, hoc eſt ut 3. ad 2, quæ eſt ratio pretiorum primitivorum. Similiter ſi pretia unius modii avenæ & operarum diurnarum fuerit ut 2. ad 1; erit pretium derivativum quinque modiorum avenæ ut 10. & operarum quinque dierum ut 5. Sunt igitur denuo pretia derivativa ut 10. ad 5, hoc eſt ut 2. ad 1, quæ eſt ratio primitivorum. Ne cui ſcrupulum moveat, quod quantitates operarum & avenæ phyſicæ ſint heterogeneæ, conſequenter inter eas ratio intercedere nequeat (§. 126. *Arithm.*); non inconſultum eſt eundem removere. Tenendum itaque eſt numeros quibus determinatur quantitas phyſica tam modiorum avenæ quam operarum utrobique indicare, quoties illa quantitas, quæ pro unitate ſumitur ſit ſumenda ut prodeat quantitas data, conſequenter duplici modo conſiderari poſſe vel ut facta vel ut multiplicatores. Quatenus ſpectantur ut facta, ſi unitas aliquoties ſumenda non fuerit eadem veluti in eo caſu ubi quinquies ſumendus modius & toties quoque ſumendæ ſunt operæ diurnæ cum ad diverſas unitates referantur, numeri heterogenei ſunt quinque modii & quinque dies nec ſe ad invicem comparari poſſunt: quatenus vero ſpectantur tanquam factores adeoque uterque indicat quoties aliqua quantitas ſumenda ſit, ex iiſdem unitatibus componuntur, atque adeo numeri homogenei ſunt, quorum uterque indicat, quoties menſura rei utriuſque ſumenda, ut prodeat quantitas ejus phyſica. Quoniam igitur iiſdem numeris deſignantur quantitates phyſicæ rerum & operarum quas ad ſe invicem referimus quoad quantitatem moralem ſeu pretium eorundem; ideo ex accidente eſt ut non abſolute, ſed reſpectu ad pretium habito quantitatibus phyſicis rerum & operarum tribui poſſit ratio, qualem per naturam ſuam habere nequeunt. Referenda hæc ratio eſt ad toleranter vera qualia multa occurrunt in matheſi, nec inutiliter admittuntur etiam in alias ſcientias.

§. 302.

Ratio pretiorum derivativorum ſi primitiva fuerint æqualia.

Eodem modo patet, *ſi pretia primitiva fuerint æqualia, pretia derivativa eſſe inter ſe ut quantitates rerum & operarum phyſicas, aut*, ſi mavis, *ut numeros quibus earum ad menſuram ſuam exprimitur ratio.*

Ex.gr. Si unus modius avenæ fuerit 8. groſſorum & totidem valeant operæ diurnæ duorum ſociorum; pretium trium modiorum avenæ erit ad operas quinque dierum, ut 3. ad 5. Eſt enim iſtud 24, hoc 40. groſſorum; ſed 24 : 40 = 3 : 5. (§. 181. *Arith.*).

§. 303.

Quid obſervandum in determinandis pretiis primitivis.

Pretia rerum, & operarum primitiva ita determinanda ſunt, ne cuiquam laborare volenti facile deſint res minimum neceſſariæ. In communione enim primæva quæ in ſtatu originario adeoque eo qui per jura connata & obligationes connatas determinatur (§. 128. *part. 1. Jur. nat.*) locum habet (§. 11. *part. 2. Jur. nat.*) uſus rerum neceſſarius unicuique patet prout opus eſt (§. 27. *part. 2. Jur. nat.*) cum obligatione laborandi communis utilitatis gratia (§. 41. *part. 2. Jur. nat.*) ita ut unuſquiſque eo defungatur labore quo maxime opus eſt & quem recte perficere valet (§. 42. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum jus connatum nemini hominum auferri poſſit (§. 64. *part. 1. Jur. nat.*) dominiis vero introductis ſublatus eſt promiſcuus ille rerum uſus (§. 138. *part. 2. Jur. nat.*) & homines obligantur ad dominia transferenda & operas communicandas (§. 123. *part. 3. Jur. nat.*), non tamen gratis ſi alter viciſſim dare vel facere poſſit (§. 268.) tantundem recepturi ab altero quantum dant ipſi vel faciunt (§. 270.) pretio rerum ac operarum eo fini determinando (§. 271. 273.); ideo patet introductis dominiis rerum ac operarum pretia ita determinanda eſſe, ut quantum fieri poteſt unuſquiſque pro rebus vel operis ſuis ſibi ab aliis comparare poſſit res, quibus indiget, cumque neceſſariæ præferendæ ſint utilibus & voluptuariis (§. 502. *part. 1. Jur. nat.*) minimum neceſſarias. Pendet autem determinatio pretiorum derivativorum a pretio primitivo (§. 298.). Quamobrem pretia rerum ac operarum primitiva ita determinanda ſunt, quemadmodum diximus. Enimvero in operis quæ impenduntur ad res producendas, vel comparandas labor conſiſtit (§. 512. *part. 1. Jur. nat.*). Pretia igitur rerum & operarum primitiva ita determi-

nan-

nanda ſunt, ne cuiquam laborare valenti facile deſint res minimum neceſſariæ.

Diximus equidem in ſuperioribus pretia rerum arbitrio hominum conſtitui (§. 273.); non tamen hinc ſequitur pretia rerum recte conſtitui, quomodocunque tandem ea determinentur. Quemadmodum enim jus naturæ regit omnes actus humanos, ita etiam arbitrium hominum in definiendo rerum ac operarum pretio legi naturæ ſubjicet. Cum obligatio quæ a lege naturæ venit, neceſſaria & immutabilis ſit (§.142. *p. 2. Phil. pract. univ.*), non ita quicquam arbitrio hominum relinquit lex iſta immutabilis, ut facere liceat, quod ullo modo obligationi cuidam naturali vel juri repugnet. Quamobrem cum in anterioribus adſtruxerimus neceſſitatem pretia rerum ac operarum definiendi, & quid phyſice verum ſit oſtenderimus; reſtat ut porro doceamus quid lex naturæ de eodem præcipiat, & quid obſervandum ſit, ne in eo determinando quicquam admittatur quod eidem parum convenit. Introductis dominiis non modo rerum & operarum communicatio phyſice neceſſaria eſt, verum etiam tandem urget lex naturæ, ne dominia introducta fuerint cum injuria multorum, violato nimirum uſu rerum neceſſario unicuique in communione primæva competente. Quoniam vero etiam in communione primæva unicuique laborandum & lex naturæ unumquemque obligat ut eo labore defungatur quem recte perficere valet (§. 42. *p. 2. Jur nat.*), conſequenter ad operas viles præſtandas qui alias præſtare minime valet; introductis dominiis non tollitur hæc obligatio, ſed operæ ſaltem æquiparantur rebus quæ ſunt in dominio (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), ut habeat etiam qui rebus caret, quæ cum rebus permutare poſſit, ſicque ab aliis res ſibi comparare queat, quibus indiget, non ſublata obligatione laborandi, quæ tolli nequit (§. 142. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo pretia rerum primitiva unde derivativa pendent (§. 298.), ita determinentur ne cuiquam qui eo defungitur labore quem perficere recte valet facile deſint res minimum neceſſariæ, adeoque nemo niſi culpa ſua aut caſu inevitabili ad mendicitatem redigatur (§. 52.); legi naturæ ex aſſe ſatisfit. Habemus adeo principium generale definiendi pretia rerum, ut juri naturæ conveniant. In caſibus particularibus probe perpendendæ ſunt omnes circumſtantiæ, ut caſus rite determinetur in quo determinandum eſt pretium rei, vel etiam operæ.

§. 304.

Quoniam pretia rerum & operarum ita determinanda ſunt ne cuiquam laborare volenti deſint res minimum neceſſariæ (§. 303.) *pretia rerum maxime neceſſariarum, ſine quibus nempe vita conſervari nequit, ita determinanda ſunt ut eædem vilis operæ pretio comparari poſſint.* *Quænam res exigui pretii eſſe debeant.*

Res iſtiuſmodi maxime neceſſariæ ſunt, quæ ad victum amictum, & habitationem faciunt. Quoniam vero victus amictus & habitatio non eaſdem res requirunt etiamſi ſolam vitæ neceſſitatem reſpicias, præciſa commoditate ac jucunditate, ideo maxime neceſſariæ ſine quibus vita conſervari nequit diſtinguendæ a ceteris, quæ tantæ neceſſitatis non ſunt. Res maxime neceſſariæ quoad victum ſunt panis olera & legumina; quoad amictum panni & lintea ſine multis impenſis ac opera paranda: quoad habitationem tuguriola, verbo quæ ad ſimplicitatem vitæ ſufficiunt (§. 68. *part. 2. Jur. natur.*), & quibus natura contenta eſt quam paucis contentam eſſe conſtat. Quamvis enim oſtenderimus in vitæ ſimplicitate hominibus non eſſe perſiſtendum (§. 92. *part. 2. Jur nat.*); id tamen intelligendum eſt de toto genere humano aut integro aliquo cætu, non de ſingulis, & licet nonnulli introductis dominiis ea tantummodo operis ſuis ſibi comparare tenentur, quæ ad ſimplicitatem vitæ ſufficiunt, ab aliis tamen ipſis proſpiciendum eſt de iis, quæ ad animam perficiendam requiruntur, & in vitæ ſimplicitate deſiderantur (§. 78. 84. *p. 2. Jur. natur.*), quorumque defectus eam reddit legi naturæ contrariam (§. 91. *p. 2. Jur. nat.*). Quomodo autem hoc fieri poſſit, rectius docebitur ubi de imperio ſumus acturi.

§. 305.

Rerum neceſſariarum, quarum major eſt copia, pretium minus eſſe debet, quam quarum copia minor eſt. Quodſi enim rerum quorundam neceſſariarum minor ſit copia eædem paucioribus ſufficiunt, quam ſi earum copia major eſt. Quamobrem hæ potius quam illæ ad res maxime neceſſarias referendæ ſine quibus vita conſervari nequit. Quoniam res maxime neceſſariæ pretio vilis operæ comparari debent (§. 304.); rerum quoque neceſſariarum, quarum major copia eſt, pretium minus eſſe debet, quam quarum copia minor eſt. *Quomodo multitudinis rerum in definiendo pretio neceſſariarum habenda ſit ratio.*

Cum non ubivis terrarum eadem ſit rerum earundem copia, nec fieri poteſt; ut res maxime neceſſariæ univerſaliter a ceteris diſtinguantur. Ex. gr. Si alicubi tantus ſit piſcium numerus, ut conſumi ab iis nequeant, qui res neceſſarias majore pretio ſibi comparare poſſunt; erunt piſces res maxime neceſſariæ, quarum adeo vile eſſe debet pretium. Aſt ſi eorum tam exiguus ſit numerus, ut nonniſi paucis ſufficiant; pretium majus iiſdem convenit, ut iiſdem veſcantur, qui majore pretio cibos ſibi comparare valent.

§. 306.

Quomodo in definiendo rerum neceſſariarum pretio attendi debeat, num etiam præterea faciant ad vitæ commoditatem, vel jucunditatem.

Si quæ res neceſſariæ non ſolum ad vitæ neceſſitatem, verum ſimul ad ejus commoditatem, vel jucunditatem faciunt; earum pretium majus eſſe debet, quam illarum, quæ ſola vitæ neceſſitas exigit. Quoniam enim res neceſſariæ, quæ ſimul ad vitæ commoditatem, vel jucunditatem faciunt, hac de cauſa ceteris præferuntur, quæ tantummodo vitæ neceſſitati ſufficiunt; ad res maxime neceſſarias, ſine quibus nempe vita conſervari nequit, referendæ minime ſunt. Quamobrem cum res maxime neceſſariæ non majoris pretii eſſe debeant, quam ut levis operæ pretio comparari poſſint (§. 304.), ſi quæ res neceſſariæ non ſolum ad vitæ neceſſitatem, verum ſimul ad ejus commoditatem, vel jucunditatem faciunt, earum pretium majus eſſe debet, quam illarum, quæ ſola vitæ neceſſitas exigit.

Ex. gr. Cibi quidam aliis præferuntur ob ſaporem, qui magis delectat, adeoque in iis eligendis non tantummodo reſpicitur neceſſitas, verum etiam jucunditas vitæ. Quamobrem cum proſtent alii, etſi minus grati ſaporis, qui fami explendæ ſufficiunt, nulla ſane ratio eſt, cur rebus maxime neceſſariis, adeoque vili pretio, quale eſt vilium operarum, comparandis annumerari debeant, niſi forſan tanta ſit earum copia, ut omnibus ſufficiant (§. 305.) Sed in propoſitione præſente non attenditur hæc copia, quæ exceptionem facit.

§. 307.

Quomodo determinandum pretium fundorum, qui fructuum percipiendorum gratia poſſidentur.

Fundorum, qui fructuum percipiendorum gratia poſſidentur, pretium determinandum eſt ex pretio fructuum percipiendorum. Quodſi enim fundi fructuum percipiendorum gratia poſſidentur, fructus ſunt res, pro quibus tibi comparare vis res alias & operas, quibus indiges. Quamobrem cum fructuum tanquam rerum determinatum ſit pretium; pretium fundi ex pretio fructuum inde percipiendorum determinandum, ne ſcilicet poſſeſſori deſint res & operæ, quibus indiget.

Qui fructuum percipiendorum gratia fundum poſſidet, non aliud intendit, quam ut inde acquirat ea, quibus indiget vel ad ſolam vitæ neceſſitatem, vel ad ejus etiam commoditatem, immo & ad jucunditatem facientia, pro magnitudine & conditione fundi. Nemo igitur dubitare poteſt, quin fundorum pretium determinandum ſit ex pretio fructuum percipiendorum. Hinc tamen minime ſequitur, pretium fundi æquale eſſe debere pretio fructuum certo tempore percipiendorum. Ut enim ex pretio fructuum determinari poſſit pretium fundi, alia adhuc conſideranda veniunt, de quibus in ſequentibus dicemus.

§. 308.

Quid obſervandum in determinando pretio rerum naturalium.

In definiendo rerum naturalium pretio æſtimandæ ſunt operæ ac impenſæ in eas percipiendas, vel acquirendas factæ. Etenim operæ perinde ac res ſuum habere debent pretium (§. 271. 273.), & impenſæ definiuntur pecunia pro rebus vel operis data, ſine quibus aliud obtinere non poteramus. Quodſi ergo in res naturales percipiendas, vel acquirendas fieri debent impenſæ, vel præſtari operæ; in earum pretio definiendo æſtimandæ omnino ſunt operæ ac impenſæ in easdem percipiendas, vel acquirendas factæ.

Ex. gr. Gramina in prato ſponte naſcuntur, atque adeo res naturales ſunt (§. 503. *part.* 1. *Jur. nat.*). Aſt ſi fœnum percipere velis, perceptio exigit certas operas, certas etiam impenſas, quatenus operæ præſtari nequeunt ſine uſu certorum inſtrumentorum, quæ ipſo uſu tandem inutilia redduntur, adeoque quaſi conſumuntur, immo non ſine omni ſumtu conſervan-

vantur. In definiendo itaque pretio fœni æſtimandæ omnino ſunt operæ ac impenſæ ad id percipiendum requiſitæ. Similiter piſces in fluviis natantes ſunt res naturales (§. *cit.*). Enimvero ſi eos capere velis, operam & inſtrumenta adhibere debes. Patet adeo ut ante in eorum pretio definiendo æſtimandas quoque eſſe operas ac impenſas in piſces capiendos factas. Idem etiam intelligitur de avibus & feris capiendis.

§. 309.

Quando in definiendo pretio rerum naturalium attendendus ſit uſus juris eas percipiendi, vel acquirendi.

Si res naturales percipiendi, vel acquirendi jus unicuique fuerit liberum, in definiendo earum pretio id non attenditur: aſt ſi fuerit in dominio, in eodem definiendo æſtimandus quoque eſt ejus uſus. Quodſi enim jus percipiendi res naturales, vel eas acquirendi, unicuique liberum fuerit, nullum eſt ejus pretium, conſequenter uſus ejus nullo pretio æſtimari, neque adeo impenſis accenſeri poteſt. Quamobrem cum impenſarum quidem habenda ſit ratio in definiendo pretio rerum naturalium (§. 308.), non vero ejus, quod nullius eſt pretii, ſeu nihil valet; ſi jus res naturales percipiendi vel acquirendi unicuique liberum fuerit, in definiendo earum pretio, cum ex eo non capiat incrementum, attendendum non eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi jus iſtud fuerit in dominio, inſtar rerum ceterarum ſuo conſtare debet pretio (§. 271. 273.), adeoque etiam ejus uſus æſtimabilis eſt, conſequenter in rebus percipiendis, vel acquirendis æquiparatur impenſis in perceptionem, vel acquiſitionem factis. Quamobrem cum in definiendo rerum naturalium pretio æſtimandæ ſint impenſæ in eas percipiendas, vel acquirendas factæ (§ 308.); ſi jus res naturales percipiendi, vel acquirendi fuerit in dominio, in earum pretio definiendo æſtimandus etiam eſt uſus juris hujus. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Si quis pro jure capiendi aves in aliquo diſtrictu conceſſo uno anno ſolvit duodecim thaleros; pecunia hæc, quam dat pro uſu hujus juris, utique impenſis accenſeri debet; conſequenter in definiendo pretio avium captarum ejus quoque habenda ratio eſt.

§. 310.

Æquipollentia uſus rei lucroſæ & uſus pecuniæ.

Uſus rei, ex quo lucrum aliquod percipimus, æquipollet uſui pecuniæ, qua res iſta æſtimatur. Etenim ſi ex rei uſu lucrum aliquod percipitur, pecunia pro eo datur lucri hujus percipiendi gratia. Quamobrem pecunia, quæ pro ea datur, eum habet uſum, quem habet res pro eadem accepta. Patet itaque uſum rei, ex quo lucrum aliquod percipimus, æquipollere uſui pecuniæ, qua res iſta æſtimatur.

Ex. gr. Qui emit pratum, fœni percipiendi gratia emit, nihil pecuniæ pro eo daturus, ſi ex ejus uſu nullum percipi poſſet lucrum. Similiter qui dat pecuniam pro uſu juris capiendi aves vel piſces, nihil utique pecuniæ pro eo daret, ſi piſces vel aves captæ nullius eſſent pretii. Ex pecunia igitur ſua percipere vult aliquod lucrum, nimirum quod percipitur ex prato, vel ex jure aucupandi, vel piſcandi. Uſus adeo prati, vel juris aucupandi aut piſcandi omnino æquipollet uſui pecuniæ, quæ pro prato, vel jure utroque datur.

§. 311.

An uſus pecuniæ ſit æſtimabilis & pro eo pecunia dari poſſit.

Quoniam uſus rei, ex quo lucrum percipitur æquiparatur pecuniæ, qua res iſta æſtimatur (§. 310.), *pecuniæ* quoque *uſus æſtimabile quid eſt*, conſequenter cum pecunia res omnes tam corporales, quam incorporales æſtimentur (§. 290.), *pretium uſus pecuniæ pecunia determinari*, adeoque *pro uſu pecuniæ pecunia dari poteſt.*

Sane ſi tibi concedo uſum pecuniæ meæ, ut eam impendas in rem lucroſam acquirendam; dum

dum ex uſu illius rei fis locupletior, ex uſu pecuniæ meæ locupletior fis. Quamobrem cum non tenear tibi meum dare gratis (§. 268.), perinde omnino eſt; ſive tibi dem uſum rei meæ, ſive uſum pecuniæ meæ pro pecunia.

§. 312.

Quanti æſtimandus uſus pecuniæ. Similiter quia uſus rei, ex quo lucrum percipitur, & uſus pecuniæ, qua res iſta æſtimatur, æquivalent (§. 310.), *ſi ex re quadam percipiuntur fructus naturales, uſus pecuniæ, qua res iſta æſtimatur, tanti æſtimandus, quanti æſtimandus fructus, demtis impenſis ac operis in perceptionem factis.*

Quodſi pretia rerum fuerint determinata, non difficile eſt determinare pretium, quo æſtimandus uſus pecuniæ, quemadmodum ex propoſitione præſente intelligitur. Equidem non negaverim, ſi hoc modo definiatur pretium uſus pecuniæ; ejuſdem ſummæ non ſemper idem reſpondere poſſe pretium, ut adeo pro ejuſdem pecuniæ uſu nunc magis, nunc minus ſit dandum; non tamen id haberi poteſt pro abſurdo, cum naturaliter non repugnet, ut pro diverſitate caſuum uſus pecuniæ nunc majus habeat pretium, nunc minus, quemadmodum non repugnat, ut ejuſdem rei pro diverſitate circumſtantiarum diverſum ſit pretium. Alia vero quæſtio eſt, quid de æſtimando uſu pecuniæ alteri concedendo ſanciendum ſit lege civili. Enimvero quid tam naturaliter, quam civiliter ſtatuendum ſit de vero pretio uſus pecuniæ ſuo docebimus loco. Sufficit in præſenti oſtendiſſe, & quod uſus pecuniæ ſit res incorporalis æſtimabilis, & quomodo menſura pretii reperiri poſſit, ut evitetur circulus. Sane rerum pretia vulgaria concipiuntur ante omnem pecuniæ uſum (§. 294.), adeoque etiam fructus naturales ſuum habere intelliguntur pretium, antequam ſupponatur pecunia inventa, nec in dubium vocari poteſt, fundum ſeu rem immobilem æſtimari debere ex fructibus ſolis, ſi eidem naturales fuerint (§. 307.), quatenus ſcilicet per hos uſus rei æſtimari poteſt. Quodſi ergo alteri dari debet pecunia pro uſu rei illius immobilis, quatenus in jure percipiendi fructus conſiſtit; quidni ſi pro re illa data fuit pecunia, tantæ pecuniæ, qua illa æſtimatur, uſus tanti etiam æſtimari debet, quantum datur pro jure percipiendi fructus naturales ex iſta re?

§. 313.

Quid obſervandum in definiendo pretio rerum induſtrialium. *In definiendo pretio rerum induſtrialium æſtimari debent operæ, impenſæ & uſus pecuniæ, quæ pro fundo ſeu re immobili datur.* Etenim res induſtriales natura non producit niſi interveniente opera humana (§. 504. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum operarum non minus, quam rerum determinandum ſit pretium (§. 271. 273.); quin in definiendo pretio rerum induſtrialium operæ æſtimari debeant, dubitandum non eſt. *Quod erat primum.*

Quod vero etiam æſtimari debeant impenſæ in eas factæ, eodem modo patet, quo paulo ante oſtendimus, eas æſtimari debere in definiendo pretio rerum naturalium, quæ earundem percipiendarum gratia fiunt (§. 308.). *Quod erat ſecundum.*

Denique cum uſus rei & uſus pecuniæ, quæ pro ea datur, lucri percipiendi gratia, ſibi invicem æquiparentur (§. 310.); dubio quoque caret, quod in definiendo rerum induſtrialium pretio æſtimari etiam debeat uſus pecuniæ, quæ pro re immobili, ex qua fructus induſtriales percipiuntur, dari debet. *Quod erat tertium.*

Poteſt pretium uſus pecuniæ, quæ datur pro re immobili fructuum inde percipiendorum gratia, referri ad impenſas, quemadmodum ad impenſas refertur v. gr. pretium fimi, quo ſtercoratur ager. Quemadmodum enim fructus induſtriales percipere non licet ſine ſtercoratione, ita etiam ſine agro eos obtinere non datur. In præſenti nondum rationem habemus onerum, quæ in ſtatu civili ferenda, cum in præſenti conſideremus jura, qualia ſint, antequam imperium civile introducatur. Accurata enim methodus non fert, ut ea ſupponantur, quæ in anterioribus nondum fuerunt demonſtrata, etiamſi praxi communi ſint conſentanea. In Jure nimirum naturæ non attenditur quid fiat, ſed quæritur, quidnam recte fiat; multa enim faciunt homines, quæ lex naturæ minime probat.

§. 314.

In definiendo pretio rerum artificialium æſtimari debent materia, ex qua eædem conficiuntur, opera, qua producuntur, & impenſæ faciendæ, ut produci queant. Res artificiales parantur arte humana (§. 505. *part* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem patet, ad eas parandas requiri & materiam, & operas, cumque præterea opus ſit inſtrumentis ac rebus ſubinde etiam aliis, fieri quoque debent impenſæ, ut eas parare detur. Quoniam itaque pretia rerum non definiuntur alio fine, quam ne quis gratis dare vel facere cogatur id, pro quo ab altero viciſſim aliquid recipere valet (§. 271. 273.); in definiendo pretio rerum artificialium æſtimari debent materia, ex qua eædem conficiuntur, & opera, qua producuntur, quippe res, quarum conſtituitur pretium (§. §. *cit.*), aliarumque impenſarum habenda eſt ratio.

Quodnam obſervandum in determinando pretio rerum artificialium.

Ex. grat. Horologiopæus ex metallo tanquam materia conficit partes ſingulas horologii & in ferruminatione opus habet carbonibus. Nec ſine inſtrumentorum uſu facere poteſt partes ſingulas, ex quibus horologium componit. Eidem autem conſtruendo operam adhibere tenetur. Nemo igitur negaverit, ſi horologii pretium definiendum, æſtimandam eſſe & materiam, & operas, & impenſas, ſine quibus horologium conſtruere nequit artifex. Alia vero quæſtio eſt, quomodo determinandum ſit operarum pretium.

§. 315.

Res induſtriales, deductis operis ac impenſis, æquiparantur naturalibus. Res enim pure naturales natura ſua ſponte (§. 503. *part.* 1. *Jur. nat.*), induſtriales vero nonniſi interveniente opera humana producit (§. 504. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque inter has & iſtas non alia datur differentia, niſi quod hæ operas humanas & certas impenſas exigunt, quatenus eæ ſine his præſtari nequeunt, quibus illæ non indigent. Deductis adeo operis ac impenſis, in rerum ſcilicet productionem factis, res induſtriales naturalibus æquiparantur.

Quomodo res induſtriales reducantur ad pure naturales.

Patet adeo, quomodo res induſtriales ad pure naturales reducantur.

§. 316.

Quoniam res induſtriales, deductis operis ac impenſis, æquiparantur induſtrialibus (§. 315.), fundi autem, qui fructuum percipiendorum gratia poſſidetur, pretium ex pretio fructuum percipiendorum, quatenus ſcilicet res naturales ſunt, determinatur (§. 307.); *fundorum* quoque *pretium ex pretio rerum induſtrialium, deductis operis ac impenſis*, in earum ſcilicet productionem factis, *determinandum*.

Unde determinandum pretium fundi, ex quo fructus induſtriales percipiuntur.

Ex. gr. Ager, qui frumenta profert; colendus, ſiquidem frumenta proferre debet, atque adeo fructus, qui ex eo percipiuntur, induſtriales ſunt. Quodſi ergo ex eorum pretio deducas operarum pretium ac impenſas; perinde eſt ac ſi frumenta ſua ſponte ferret, conſequenter eadem eſſent fructus pure naturales. Ex eo igitur pretio, quod relinquitur, definiendum eſt pretium agri: quod quomodo fieri poſſit, ex anterioribus patet (§. 312.).

§. 317.

Rerum utilium majus pretium conſtituere licet, quam neceſſariarum, & voluptuariarum majus, quam utilium. Rebus enim neceſſariis indigent omnes (§. 499. *part.* 1. *Jur. nat.*), aſt utilibus non æque (§. 500. *part.* 1. *Jur. nat.*), omnium autem facillime carere poſſumus voluptuariis (§. 501. *part.* 1. *Jur. nat.*), & res utiles voluptuariis, neceſſariæ autem etiam utilibus præferendæ (§. 502. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum res neceſſariæ vilis etiam operæ pretio comparabiles

Differentia pretii rerum neceſſariarum utilium & voluptuariarum.

§. 295.

Quamnam rationem pretia rerum & operarum inter ſe habeant.

Pretia rerum & operarum vulgaria ſunt inter ſe ut numeri, quibus exprimitur eorum ratio ad certam pecuniæ quantitatem pro unitate aſſumtam. Sit enim pretium rei vel operæ A ad quantitatem pecuniæ pro unitate aſſumtam C ut *m* ad 1. & pretium rei vel operæ B ad eandem pecuniæ quantitatem C ut *n* ad 1. Quoniam ſi fuerit $A : C = m : 1$ & $B : C = n : 1$, etiam $A : B = n : m$ (§. 195. *Arithm.*), *m* vero & *n* ſunt numeri, quibus exprimitur pretii rerum vel operarum A & B ratio ad datam pecuniæ quantitatem C pro unitate aſſumtam; evidens eſt, pretia rerum & operarum eſſe inter ſe ut numeros, quibus exprimitur eorum ratio ad certam pecuniæ ſummam pro unitate aſſumtam.

Ex. gr. Sumatur pro unitate groſſus; ſitque ratio unius modii avenæ, ad groſſum ut 8. ad 1. ratio unius modii hordei ut 12. ad 1. Erunt numeri, quibus exprimitur ratio pretii avenæ, & hordei ad groſſum 8. & 12. Pretium igitur avenæ unius modii eſt ad pretium hordei unius modii ut 8. ad 12. ſeu ut 2. ad 3. ac idem intelligitur de quantitatibus quibuſcunque phyſicis æqualibus avenæ ac hordei.

§. 296.

Idem porro expenditur.

Quoniam numeri, quibus exprimitur ratio pretii rerum ad datam pecuniæ quantitatem pro unitate aſſumtam deſignant pretium eminens (§. 294.), pretia autem rerum & operarum vulgaria ſunt ut numeri iſti (§. 295.); *erunt pretia rerum vulgaria inter ſe ut eminentia.*

Nimirum pretium eminens unius modii avenæ definitur 8. groſſis, pretium eminens unius modii hordei 12. groſſis, adeoque pretiorum eminentium ratio eſt ut 8. ad 12, ſeu ut 2. ad 3. Sed eadem eſt ratio pretiorum vulgarium, cum in permutatione avenæ, & hordei unus modius avenæ æquiparetur duobus tertiis unius modii hordei; quæ pretii avenæ ad pretium hordei ratio definiri etiam poteſt abſque pecunia. Immo pretium eminens avenæ determinatur octo groſſorum, quatenus in permutatorio actu pro octo groſſis recipiuntur $\frac{2}{3}$ unius modii hordei.

§. 297.

Ratio pretii eminentis rerum & operarum ejuſdem ſpeciei.

Quoniam pretia rerum aut operarum eminentia ſunt inter ſe ut vulgaria (§. 296.), pretia autem rerum & operarum ejuſdem ſpeciei vulgaria ſunt quantitati phyſicæ proportionalia (§. 274.); *pretia etiam eminentia rerum & operarum ejuſdem ſpeciei ſunt quantitati earum phyſicæ proportionalia.*

Si pretium eminens unius modii avenæ fuerit 8. groſſorum erit pretium duorum 16, trium 24, quatuor 32. groſſorum, conſequenter pretium trium modiorum eſt ad pretium quatuor ut 24. ad 32. conſequenter ut 3. ad 4. quæ eſt ratio quantitatum phyſicarum.

§. 298.

Pretium primitivum & derivativum.

Pretium primitivum dicere lubet pretium quantitatis phyticæ rei vel operæ cujuſcunque menſura quadam definitæ per certam pecuniæ quantitatem determinatum: *derivativum* vero quod proportionaliter reſpondet quantitati ejuſdem majori vel minori.

Ex. gr. Modius aſſumitur pro menſura quantitatis avenæ. Quodſi pretium ejus ſtatuatur 8. groſſorum; erunt 8. groſſi pretium primitivum avenæ. Aſt cum hinc per regulam trium eruitur pretium 6 modiorum, quod eſt 48. groſſorum; erunt 48. groſſi pretium derivativum. Similiter $\frac{1}{4}$ unius modii pretium quod reperitur 2. groſſorum eſt pretium derivativum. Similiter ſi unius ulno pretium ſumatur 9. groſſorum erunt

9. groſſi

9 groſſi pretium primitivum eſt 45. groſſi, quod eſt pretium 5. ulnarum erit derivativum. Nimirum pretium primitivum rei ex nullo alio præſuppoſito determinatur, derivativum vero determinatur ex alio præſuppoſito. Uſus hujus diſtinctionis loquitur propoſitio ſequens (§. 300.) utut vulgo recepta non ſit.

§. 299.

Similiter *pretia inter ſe primitiva* ſunt quibus rerum & operarum pro unitate aſſumtarum ad ſe invicem exprimitur ratio in terminis minimis quoad valorem ſuum. *Pretia inter ſe primitiva.*

Ex. grat. Si ſumatur avena ad hordeum eſſe debere ut 2. ad 3. erunt 2. & 3. pretia avenæ & hordei inter ſe primitiva. Quodſi dicas unum modium avenæ valere 8. groſſos hordei modium unum 12. erunt pretia avenæ, & hordei ut 8. ad 12, conſequenter ut 2. ad 3, qui termini minimi ſunt, quibus effertur ratio unius modii avenæ ad unum modium hordei quoad valorem ſuum. Similiter ſi operæ diurnæ valent 4. groſſos, unus modius avenæ 8. groſſos; pretia avenæ & operarum diurnarum primitiva erunt 2. & 1, quia pretium unius modii avenæ eſt ad pretium operarum diurnarum in terminis minimis ut 2. ad 1, ſeu in ratione dupla. Patet autem ex ſuperioribus (*not.* §. 277.), per pretia inter ſe primitiva rerum & operarum pretia in actibus permutatoriis ad æqualitatem reduci.

§. 300.

Pretia rerum & operarum quarumcunque derivativa ſunt inter ſe in ratione compoſita pretiorum primitivorum & quantitatum phyſicarum. Sint enim pretia primitiva rerum vel operarum A & B, ſive A & B res quaſcunque ſive operas quaſcunque, ſive denique A rem, B vero operam quamcunque denotet ut m ad n. Sit vero quantitas hyſica ipſius A p, quantitas vero phyſica ipſius B q, ubi p & q denotant numeros quibus exprimitur ratio quantitatis phyſicæ ad menſuram, ſeu eam quæ pro unitate aſſumitur in definiendis pretiis primitivis. Quoniam pretia rerum & operarum ejuſdem ſpeciei ſunt quantitatibus phyſicis proportionalia (§. 274. 297.) erit pretium derivativum ipſius A ut m p pretium vero derivativum ipſius B ut n q (§. 298. *h.* & §. 302. *Arithm.*). Sunt adeo pretia derivativa ipſorum A & B ut mp ad nq, conſequenter in ratione compoſita pretiorum primitivorum m ad n & quantitatum phyſicarum p ad q. *Ratio pretiorum derivativorum ad ſe invicem.*

Ex. gr. Sint pretia primitiva unius modii avenæ & unius modii hordei ut 2. ad 3; erit pretium derivativum quatuor modiorum avenæ ad pretium 10. modiorum hordei ut 8. ad 30. ſeu ut 4. ad 15, adeoque in ratione compoſita pretiorum primitivorum ut 2. ad 3, & quantitatum phyſicarum ut 2. ad 5, quæ ratio eadem cum ratione 4. ad 10. (§. 181. *Arithm.*). Similiter ſi pretia primitiva unius modii avenæ, & operarum diurnarum fuerint ut 2. ad 1, erit pretium derivativum trium modiorum avenæ ut 6. & pretium derivativum operarum quinque dierum ut 5. Pretia adeo derivativa ſunt ut 6. ad 5. adeoque in ratione compoſita pretiorum primitivorum ut 2. ad 1, & quantitatum phyſicarum ut 3. ad 5. Quodſi hæc non ſatis clara videantur, ſumantur numeri, quibus exprimitur pretium eminens primitivum, ut numeri primi inter ſe, & idem intelligatur de numeris, quibus quantitates phyſicæ efferuntur in definiendis pretiis derivativis. Si unus modius avenæ valet 8. groſſos, erit pretium derivativum quatuor modiorum 32. groſſorum. Similiter ſi unus modius hordei valet 12. groſſos erit pretium derivativum 10. modiorum 120. groſſorum. Pretia igitur derivativa ſunt ut 32. ad 120. Eſt vero 32. factum ex 8. in 4. & 120. factum ex 12. in 10. conſequenter ratio 32. ad 120. componitur ex ratione 8. ad 12. & 4. ad 10. (§ 159. *Arithm.*). Eodem modo patet, ſi unus modius avenæ valet 8 groſſos operæ autem diurnæ valent 4. pretium derivativum trium modiorum avenæ eſſe 24. operarum vero quinque dierum 20. groſſorum, conſequenter pretia derivativa ut 24. ad 20. Eſt vero 24. factum ex 8. in 3. & 20 factum ex 4. in 5. Ratio igitur 24. ad 20. componitur ex ratione 8. ad 4. & 3. ad 5.

§. 301.

Quodſi adeo *ratio quantitatum phyſicarum ad menſuram ſuam*, quæ pro unitate ſumitur (§. 438. *Ontol.*) *eodem numero indigitetur*; *erunt pretia derivativa in ratione primitivorum* (§. 300. *h.* & §. 181. *Arithm.*). *Quando pretia derivativa ſint ut primitiva.*

Ex.gr. Si pretia unius modii hordei & avenæ fuerint ut 3. ad 2; erit pretium derivativum trium modiorum hordei ut 9. & trium modiorum avenæ ut 6. adeoque pretia derivativa hordei & avenæ ut 9. ad 6, hoc eſt ut 3. ad 2, quæ eſt ratio pretiorum primitivorum. Similiter ſi pretia unius modii avenæ & operarum diurnarum fuerit ut 2. ad 1; erit pretium derivativum quinque modiorum avenæ ut 10. & operarum quinque dierum ut 5. Sunt igitur denuo pretia derivativa ut 10. ad 5, hoc eſt ut 2. ad 1, quæ eſt ratio primitivorum. Ne cui ſcrupulum moveat, quod quantitates operarum & avenæ phyſicæ ſint heterogeneæ, conſequenter inter eas ratio intercedere nequeat (§. 126. *Arithm.*); non inconſultum eſt eundem removere. Tenendum itaque eſt numeros quibus determinatur quantitas phyſica tam modiorum avenæ quam operarum utrobique indicare, quoties illa quantitas, quæ pro unitate ſumitur ſit ſumenda ut prodeat quantitas data, conſequenter duplici modo conſiderari poſſe vel ut facta vel ut multiplicatores. Quatenus ſpectantur ut facta, ſi unitas aliquoties ſumenda non fuerit eadem veluti in eo caſu ubi quinquies ſumendus modius & toties quoque ſumendæ ſunt operæ diurnæ cum ad diverſas unitates referantur, numeri heterogenei ſunt quinque modii & quinque dies nec ſe ad invicem comparari poſſunt: quatenus vero ſpectantur tanquam factores adeoque uterque indicat quoties aliqua quantitas ſumenda ſit, ex iiſdem unitatibus componuntur, atque adeo numeri homogenei ſunt, quorum uterque indicat, quoties menſura rei utriuſque ſumenda, ut prodeat quantitas ejus phyſica. Quoniam igitur iiſdem numeris deſignantur quantitates phyſicæ rerum & operarum quas ad ſe invicem referimus quoad quantitatem moralem ſeu pretium earundem; ideo ex accidente eſt ut non abſolute, ſed reſpectu ad pretium habito quantitatibus phyſicis rerum & operarum tribui poſſit ratio, qualem per naturam ſuam habere nequeunt. Referenda hæc ratio eſt ad toleranter vera qualia multa occurrunt in matheſi, nec inutiliter admittuntur etiam in alias ſcientias.

§. 302.

Ratio pretiorum derivativorum ſi primitiva fuerint æqualia.

Eodem modo patet, *ſi pretia primitiva fuerint æqualia, pretia derivativa eſſe inter ſe ut quantitates rerum & operarum phyſicas, aut,* ſi mavis, *ut numeros quibus earum ad menſuram ſuam exprimitur ratio.*

Ex.gr. Si unus modius avenæ fuerit 8. groſſorum & totidem valeant operæ diurnæ duorum ſociorum; pretium trium modiorum avenæ erit ad operas quinque dierum, ut 3. ad 5. Eſt enim iſtud 24, hoc 40. groſſorum; ſed 24 : 40 = 3 : 5. (§. 181. *Arith.*).

§. 303.

Quid obſervandum in determinandis pretiis primitivis.

Pretia rerum, & operarum primitiva ita determinanda ſunt, ne cuiquam laborare volenti facile deſint res minimum neceſſariæ. In communione enim primæva quæ in ſtatu originario adeoque eo qui per jura connata & obligationes connatas determinatur (§. 128. *part. 1. Jur. nat.*) locum habet (§. 11. *part. 2. Jur. nat.*) uſus rerum neceſſarius unicuique patet prout opus eſt (§. 27. *part. 2. Jur. nat.*) cum obligatione laborandi communis utilitatis gratia (§. 41. *part. 2. Jur. nat.*) ita ut unuſquiſque eo defungatur labore quo maxime opus eſt & quem recte perficere valet (§. 42. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum jus connatum nemini hominum auferri poſſit (§. 64. *part. 1. Jur. nat.*) dominiis vero introductis ſublatus eſt promiſcuus ille rerum uſus (§. 138. *part. 2. Jur. nat.*) & homines obligantur ad dominia transferenda & operas communicandas (§. 123. *part. 3. Jur. nat.*), non tamen gratis ſi alter viciſſim dare vel facere poſſit (§. 268.) tantundem recepturi ab altero quantum dant ipſi vel faciunt (§. 270.) pretio rerum ac operarum eo fini determinando (§. 271. 273.); ideo patet introductis dominiis rerum ac operarum pretia ita determinanda eſſe, ut quantum fieri poteſt unuſquiſque pro rebus vel operis ſuis ſibi ab aliis comparare poſſit res, quibus indiget, cumque neceſſariæ præferendæ ſint utilibus & voluptuariis (§. 502. *part. 1. Jur. nat.*) minimum neceſſarias. Pendet autem determinatio pretiorum derivativorum a pretio primitivo (§. 298.). Quamobrem pretia rerum ac operarum primitiva ita determinanda ſunt, quemadmodum diximus. Enimvero in operis quæ impenduntur ad res producendas, vel comparandas labor conſiſtit (§. 512. *part. 1. Jur. nat.*). Pretia igitur rerum & operarum primitiva ita determi-

nan-

nanda ſunt , ne cuiquam laborare valenti facile deſint res minimum neceſſariæ.

Diximus equidem in ſuperioribus pretia rerum arbitrio hominum conſtitui (§. 273.); non tamen hinc ſequitur pretia rerum recte conſtitui, quomodocunque tandem ea determinentur. Quemadmodum enim jus naturæ regit omnes actus humanos, ita etiam arbitrium hominum in definiendo rerum ac operarum pretio legi naturæ ſubjacet. Cum obligatio quæ a lege naturæ venit, neceſſaria & immutabilis ſit (§. 142. *p. 2. Phil. pract. univ.*), non ita quicquam arbitrio hominum relinquit lex iſta immutabilis, ut facere liceat, quod ullo modo obligationi cuidam naturali vel juri repugnet. Quamobrem cum in anterioribus adſtruxerimus neceſſitatem pretia rerum ac operarum definiendi, & quid phyſice verum ſit oſtenderimus; reſtat ut porro doceamus quid lex naturæ de eodem præcipiat, & quid obſervandum ſit, ne in eo determinando quicquam admittatur quod eidem parum convenit. Introductis dominiis non modo rerum & operarum communicatio phyſice neceſſaria eſt, verum etiam tandem urget lex naturæ, ne dominia introducta fuerint cum injuria multorum, violato nimirum uſu rerum neceſſario unicuique in communione primæva competente. Quoniam vero etiam in communione primæva unicuique laborandum & lex naturæ unumquemque obligat ut eo labore defungatur quem recte perficere valet (§. 42. *p. 2. Jur nat.*), conſequenter ad operas viles præſtandas qui alias præſtare minime valet; introductis dominiis non tollitur hæc obligatio, ſed operæ ſaltem æquiparantur rebus quæ ſunt in dominio (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), ut habeat etiam qui rebus caret, quæ cum rebus permutare poſſit, ſicque ab aliis res ſibi comparare queat, quibus indiget, non ſublata obligatione laborandi, quæ tolli nequit (§. 142. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo pretia rerum primitiva unde derivativa pendent (§. 298.), ita determinentur ne cuiquam qui eo defungitur labore quem perficere recte valet facile deſint res minimum neceſſariæ, adeoque nemo niſi culpa ſua aut caſu inevitabili ad mendicitatem redigatur (§. 52.); legi naturæ ex aſſe ſatisfit. Habemus adeo principium generale definiendi pretia rerum, ut juri naturæ conveniant. In caſibus particularibus probe perpendendæ ſunt omnes circumſtantiæ, ut caſus rite determinetur in quo determinandum eſt pretium rei, vel etiam operæ.

§. 304.

Quoniam pretia rerum & operarum ita determinanda ſunt ne cuiquam laborare volenti deſint res minimum neceſſariæ (§. 303.) *pretia rerum maxime neceſſariarum, ſine quibus nempe vita conſervari nequit, ita determinanda ſunt ut eædem vilis operæ pretio comparari poſſint.* *Quænam res exigui pretii eſſe debeant.*

Res iſtiuſmodi maxime neceſſariæ ſunt, quæ ad victum amictum, & habitationem faciunt. Quoniam vero victus amictus & habitatio non eaſdem res requirunt etiamſi ſolam vitæ neceſſitatem reſpicias, præciſa commoditate ac jucunditate, ideo maxime neceſſariæ ſine quibus vita conſervari nequit diſtinguendæ a ceteris, quæ tantæ neceſſitatis non ſunt. Res maxime neceſſariæ quoad victum ſunt panis olera & legumina; quoad amictum panni & lintea ſine multis impenſis ac opera paranda: quoad habitationem tuguriola, verbo quæ ad ſimplicitatem vitæ ſufficiunt (§. 68. *part. 2. Jur. natur.*), & quibus natura contenta eſt quam paucis contentam eſſe conſtat. Quamvis enim oſtenderimus in vitæ ſimplicitate hominibus non eſſe perſiſtendum (§. 92. *part. 2. Jur nat.*); id tamen intelligendum eſt de toto genere humano aut integro aliquo cætu, non de ſingulis, & licet nonnulli introductis dominiis ea tantummodo operis ſuis ſibi comparare tenentur, quæ ad ſimplicitatem vitæ ſufficiunt, ab aliis tamen ipſis proſpiciendum eſt de iis, quæ ad animam perficiendam requiruntur, & in vitæ ſimplicitate deſiderantur (§. 78. 84. *p. 2. Jur. natur.*), quorumque defectus eam reddit legi naturæ contrariam (§. 91. *p. 2. Jur. nat.*). Quomodo autem hoc fieri poſſit, rectius docebitur ubi de imperio ſumus acturi.

§. 305.

Rerum neceſſariarum, quarum major eſt copia, pretium minus eſſe debet, quam quarum copia minor eſt. Quodſi enim rerum quorundam neceſſariarum minor ſit copia eædem paucioribus ſufficiunt, quam ſi earum copia major eſt. Quamobrem hæ potius quam illæ ad res maxime neceſſarias referendæ ſine quibus vita conſervari nequit. Quoniam res maxime neceſſariæ pretio vilis operæ comparari debent (§. 304.); rerum quoque neceſſariarum, quarum major copia eſt, pretium minus eſſe debet, quam quarum copia minor eſt. *Quomodo multitudinis rerum in definiendo pretio neceſſariarum habenda ſit ratio.*

Cum non ubivis terrarum eadem ſit rerum earundem copia, nec fieri poteſt, ut res maxime neceſſariæ univerſaliter a ceteris diſtinguantur. Ex. gr. Si alicubi tantus ſit piſcium numerus, ut conſumi ab iis nequeant, qui res neceſſarias majore pretio ſibi comparare poſſunt; erunt piſces res maxime neceſſariæ, quarum adeo vile eſſe debet pretium. Aſt ſi eorum tam exiguus ſit numerus, ut nonniſi paucis ſufficiant; pretium majus iiſdem convenit, ut iiſdem veſcantur, qui majore pretio cibos ſibi comparare valent.

§. 306.

Quomodo in definiendo rerum neceſſariarum pretio attendi debeat, num eæ præterea faciant ad vitæ commoditatem, vel jucunditatem.

Si quæ res neceſſariæ non ſolum ad vitæ neceſſitatem, verum ſimul ad ejus commoditatem, vel jucunditatem faciunt; earum pretium majus eſſe debet, quam illarum, quæ ſola vitæ neceſſitas exigit. Quoniam enim res neceſſariæ, quæ ſimul ad vitæ commoditatem, vel jucunditatem faciunt, hac de cauſa ceteris præferuntur, quæ tantummodo vitæ neceſſitati ſufficiunt; ad res maxime neceſſarias, ſine quibus nempe vita conſervari nequit, referendæ minime ſunt. Quamobrem cum res maxime neceſſariæ non majoris pretii eſſe debeant, quam ut levis operæ pretio comparari poſſint (§. 304.), ſi quæ res neceſſariæ non ſolum ad vitæ neceſſitatem, verum ſimul ad ejus commoditatem, vel jucunditatem faciunt, earum pretium majus eſſe debet, quam illarum, quæ ſola vitæ neceſſitas exigit.

Ex. gr. Cibi quidam aliis præferuntur ob ſaporem, qui magis delectat, adeoque in iis eligendis non tantummodo reſpicitur neceſſitas, verum etiam jucunditas vitæ. Quamobrem cum proſtent alii, etſi minus grati ſaporis, qui fami explendæ ſufficiunt, nulla ſane ratio eſt, cur rebus maxime neceſſariis, adeoque vili pretio, quale eſt vilium operarum, comparandis annumerari debeant, niſi forſan tanta ſit earum copia, ut omnibus ſufficiant (§. 305.) Sed in propoſitione præſente non attenditur hæc copia, quæ exceptionem facit.

§. 307.

Quomodo determinandum pretium fundorum, qui fructuum percipiendorum gratia poſſidentur.

Fundorum, qui fructuum percipiendorum gratia poſſidentur, pretium determinandum eſt ex pretio fructuum percipiendorum. Quodſi enim fundi fructuum percipiendorum gratia poſſidentur, fructus ſunt res, pro quibus tibi comparare vis res alias & operas, quibus indiges. Quamobrem cum fructuum tanquam rerum determinatum ſit pretium; pretium fundi ex pretio fructuum inde percipiendorum determinandum, ne ſcilicet poſſeſſori deſint res & operæ, quibus indiget.

Qui fructuum percipiendorum gratia fundum poſſidet, non aliud intendit, quam ut inde acquirat ea, quibus indiget vel ad ſolam vitæ neceſſitatem, vel ad ejus etiam commoditatem, immo & ad jucunditatem facientia, pro magnitudine & conditione fundi. Nemo igitur dubitare poteſt, quin fundorum pretium determinandum ſit ex pretio fructuum percipiendorum. Hinc tamen minime ſequitur, pretium fundi æquale eſſe debere pretio fructuum certo tempore percipiendorum. Ut enim ex pretio fructuum determinari poſſit pretium fundi, alia adhuc conſideranda veniunt, de quibus in ſequentibus dicemus.

§. 308.

Quid obſervandum in determinando pretio rerum naturalium.

In definiendo rerum naturalium pretio æſtimandæ ſunt operæ ac impenſæ in eas percipiendas, vel acquirendas factæ. Etenim operæ perinde ac res ſuum habere debent pretium (§. 271. 273.), & impenſæ definiuntur pecunia pro rebus vel operis data, ſine quibus aliud obtinere non poteramus. Quodſi ergo in res naturales percipiendas, vel acquirendas fieri debent impenſæ, vel præſtari operæ; in earum pretio definiendo æſtimandæ omnino ſunt operæ ac impenſæ in eaſdem percipiendas, vel acquirendas factæ.

Ex. gr. Gramina in prato ſponte naſcuntur, atque adeo res naturales ſunt (§. 503. *part.* 1. *Jur. nat.*). Aſt ſi fœnum percipere velis, perceptio exigit certas operas, certas etiam impenſas, quatenus operæ præſtari nequeunt ſine uſu certorum inſtrumentorum, quæ ipſo uſu tandem inutilia redduntur, adeoque quaſi conſumuntur, immo non ſine omni ſumtu conſervan-

van-

vantur. In definiendo itaque pretio fœni æſtimandæ omnino ſunt operæ ac impenſæ ad id percipiendum requiſitæ. Similiter piſces in fluviis natantes ſunt res naturales (§. *cit.*). Enimvero ſi eos capere velis, operam & inſtrumenta adhibere debes. Patet adeo ut ante in eorum pretio definiendo æſtimandas quoque eſſe operas ac impenſas in piſces capiendos factas. Idem etiam intelligitur de avibus & feris capiendis.

§. 309.

Quando in definiendo pretio rerum naturalium attendendus ſit uſus juris eas percipiendi, vel acquirendi.

Si res naturales percipiendi, vel acquirendi jus unicuique fuerit liberum, in definiendo earum pretio id non attenditur: aſt ſi fuerit in dominio, in eodem definiendo æſtimandus quoque eſt ejus uſus. Quodſi enim jus percipiendi res naturales, vel eas acquirendi, unicuique liberum fuerit, nullum eſt ejus pretium, conſequenter uſus ejus nullo pretio æſtimari, neque adeo impenſis accenſeri poteſt. Quamobrem cum impenſarum quidem habenda ſit ratio in definiendo pretio rerum naturalium (§. 308.), non vero ejus, quod nullius eſt pretii, ſeu nihil valet; ſi jus res naturales percipiendi vel acquirendi unicuique liberum fuerit, in definiendo earum pretio, cum ex eo non capiat incrementum, attendendum non eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi jus iſtud fuerit in dominio, inſtar rerum ceterarum ſuo conſtare debet pretio (§. 271. 273.), adeoque etiam ejus uſus æſtimabilis eſt, conſequenter in rebus percipiendis, vel acquirendis æquiparatur impenſis in perceptionem, vel acquiſitionem factis. Quamobrem cum in definiendo rerum naturalium pretio æſtimandæ ſint impenſæ in eas percipiendas, vel acquirendas factæ (§ 308.); ſi jus res naturales percipiendi, vel acquirendi fuerit in dominio, in earum pretio definiendo æſtimandus etiam eſt uſus juris hujus. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Si quis pro jure capiendi aves in aliquo diſtrictu conceſſo uno anno ſolvit duodecim thaleros; pecunia hæc, quam dat pro uſu hujus juris, utique impenſis accenſeri debet; conſequenter in definiendo pretio avium captarum ejus quoque habenda ratio eſt.

§. 310.

Æquipollentia uſus rei lucroſæ & uſus pecuniæ.

Uſus rei, ex quo lucrum aliquod percipimus, æquipollet uſui pecuniæ, qua res iſta æſtimatur. Etenim ſi ex rei uſu lucrum aliquod percipitur, pecunia pro eo datur lucri hujus percipiendi gratia. Quamobrem pecunia, quæ pro ea datur, eum habet uſum, quem habet res pro eadem accepta. Patet itaque uſum rei, ex quo lucrum aliquod percipimus, æquipollere uſui pecuniæ, qua res iſta æſtimatur.

Ex. gr. Qui emit pratum, fœni percipiendi gratia emit, nihil pecuniæ pro eo daturus, ſi ex ejus uſu nullum percipi poſſet lucrum. Similiter qui dat pecuniam pro uſu juris capiendi aves vel piſces, nihil utique pecuniæ pro eo daret, ſi piſces vel aves captæ nullius eſſent pretii. Ex pecunia igitur ſua percipere vult aliquod lucrum, nimirum quod percipitur ex prato, vel ex jure aucupandi, vel piſcandi. Uſus adeo prati, vel juris aucupandi aut piſcandi omnino æquipollet uſui pecuniæ, quæ pro prato, vel jure utroque datur.

§. 311.

An uſus pecuniæ ſit æſtimabilis & pro eo pecunia dari poſſit.

Quoniam uſus rei, ex quo lucrum percipitur æquiparatur pecuniæ, qua res iſta æſtimatur (§. 310.), *pecuniæ* quoque *uſus æſtimabile quid eſt*, conſequenter cum pecunia res omnes tam corporales, quam incorporales æſtimentur (§. 290.), *pretium uſus pecuniæ pecunia determinari*, adeoque *pro uſu pecuniæ pecunia dari poteſt.*

Sane ſi tibi concedo uſum pecuniæ meæ, ut eam impendas in rem lucroſam acquirendam; dum

dum ex uſu illius rei ſis locupletior, ex uſu pecuniæ meæ locupletior ſis. Quamobrem cum non tenear tibi meum dare gratis (§. 268.), perinde omnino eſt; ſive tibi dem uſum rei meæ, ſive uſum pecuniæ meæ pro pecunia.

§. 312.

Quanti æſtimandus uſus pecuniæ.

Similiter quia uſus rei, ex quo lucrum percipitur, & uſus pecuniæ, qua res iſta æſtimatur, æquivalent (§. 310.), *ſi ex re quadam percipiuntur fructus naturales, uſus pecuniæ, qua res iſta æſtimatur, tanti æſtimandus, quanti æſtimandus fructus, demtis impenſis ac operis in perceptionem factis.*

Quodſi pretia rerum fuerint determinata, non difficile eſt determinare pretium, quo æſtimandus uſus pecuniæ, quemadmodum ex propoſitione præſente intelligitur. Equidem non negaverim, ſi hoc modo definiatur pretium uſus pecuniæ; ejuſdem ſummæ non ſemper idem reſpondere poſſe pretium, ut adeo pro ejuſdem pecuniæ uſu nunc magis, nunc minus ſit dandum; non tamen id haberi poteſt pro abſurdo, cum naturaliter non repugnet, ut pro diverſitate caſuum uſus pecuniæ nunc majus habeat pretium, nunc minus, quemadmodum non repugnat, ut ejuſdem rei pro diverſitate circumſtantiarum diverſum ſit pretium. Alia vero quæſtio eſt, quid de æſtimando uſu pecuniæ alteri concedendo ſanciendum ſit lege civili. Enimvero quid tam naturaliter, quam civiliter ſtatuendum ſit de vero pretio uſus pecuniæ ſuo docebimus loco. Sufficit in præſenti oſtendiſſe, & quod uſus pecuniæ ſit res incorporalis æſtimabilis, & quomodo menſura pretii reperiri poſſit, ut evitetur circulus. Sane rerum pretia vulgaria concipiuntur ante omnem pecuniæ uſum (§. 294.), adeoque etiam fructus naturales ſuum habere intelliguntur pretium, antequam ſupponatur pecunia inventa, nec in dubium vocari poteſt, fundum ſeu rem immobilem æſtimari debere ex fructibus ſolis, ſi eidem naturales fuerint (§. 307.), quatenus ſcilicet per hos uſus rei æſtimari poteſt. Quodſi ergo alteri dari debet pecunia pro uſu rei illius immobilis, quatenus in jure percipiendi fructus conſiſtit; quidni ſi pro re iſta data fuit pecunia, tantæ pecuniæ, qua illa æſtimatur, uſus tanti etiam æſtimari debet, quantum datur pro jure percipiendi fructus naturales ex iſta re?

§. 313.

Quid obſervandum in definiendo pretio rerum induſtrialium.

In definiendo pretio rerum induſtrialium æſtimari debent operæ, impenſæ & uſus pecuniæ, quæ pro fundo ſeu re immobili datur. Etenim res induſtriales natura non producit niſi interveniente opera humana (§. 504. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum operarum non minus, quam rerum determinandum ſit pretium (§. 271. 273.); quin in definiendo pretio rerum induſtrialium operæ æſtimari debeant, dubitandum non eſt. *Quod erat primum.*

Quod vero etiam æſtimari debeant impenſæ in eas factæ, eodem modo patet, quo paulo ante oſtendimus, eas æſtimari debere in definiendo pretio rerum naturalium, quæ earundem percipiendarum gratia fiunt (§. 308.). *Quod erat ſecundum.*

Denique cum uſus rei & uſus pecuniæ, quæ pro ea datur, lucri percipiendi gratia, ſibi invicem æquiparentur (§. 310.); dubio quoque caret, quod in definiendo rerum induſtrialium pretio æſtimari etiam debeat uſus pecuniæ, quæ pro re immobili, ex qua fructus induſtriales percipiuntur, dari debet. *Quod erat tertium.*

Poteſt pretium uſus pecuniæ, quæ datur pro re immobili fructuum inde percipiendorum gratia, referri ad impenſas, quemadmodum ad impenſas refertur v. gr. pretium fimi, quo ſtercoratur ager. Quemadmodum enim fructus induſtriales percipere non licet ſine ſtercoratione, ita etiam ſine agro eos obtinere non datur. In præſenti nondum rationem habemus onerum, quæ in ſtatu civili ferenda, cum in præſenti conſideremus jura, qualia ſint, antequam imperium civile introducatur. Accurata enim methodus non fert, ut ea ſupponantur, quæ in anterioribus nondum fuerunt demonſtrata, etiamſi praxi communi ſint conſentanea. In Jure nimirum naturæ non attenditur quid fiat, ſed quæritur, quidnam recte fiat; multa enim faciunt homines, quæ lex naturæ minime probat.

§. 314.

§. 314.

In definiendo pretio rerum artificialium æſtimari debent materia, ex qua eædem conficiuntur, opera, qua producuntur, & impenſæ faciendæ, ut produci queant. Res artificiales parantur arte humana (§. 505. *part* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem patet, ad eas parandas requiri & materiam, & operas, cumque præterea opus ſit inſtrumentis ac rebus ſubinde etiam aliis, fieri quoque debent impenſæ, ut eas parare detur. Quoniam itaque pretia rerum non definiuntur alio fine, quam ne quis gratis dare vel facere cogatur id, pro quo ab altero viciſſim aliquid recipere valet (§. 271. 273.); in definiendo pretio rerum artificialium æſtimari debent materia, ex qua eædem conficiuntur, & opera, qua producuntur, quippe res, quarum conſtituitur pretium (§. §. *cit.*), aliarumque impenſarum habenda eſt ratio.

Quodnam obſervandum in determinando pretio rerum artificialium.

Ex. grat. Horologiopæus ex metallo tanquam materia conficit partes ſingulas horologii & in ferruminatione opus habet carbonibus. Nec ſine inſtrumentorum uſu facere poteſt partes ſingulas, ex quibus horologium componit. Eidem autem conſtruendo operam adhibere tenetur. Nemo igitur negaverit, ſi horologii pretium definiendum, æſtimandam eſſe & materiam, & operas, & impenſas, ſine quibus horologium conſtruere nequit artifex. Alia vero quæſtio eſt, quomodo determinandum ſit operarum pretium.

§. 315.

Res induſtriales, deductis operis ac impenſis, æquiparantur naturalibus. Res enim pure naturales natura ſua ſponte (§. 503. *part.* 1. *Jur. nat.*), induſtriales vero nonniſi interveniente opera humana producit (§. 504. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque inter has & iſtas non alia datur differentia, niſi quod hæ operas humanas & certas impenſas exigunt, quatenus eæ ſine his præſtari nequeunt, quibus illæ non indigent. Deductis adeo operis ac impenſis, in rerum ſcilicet productionem factis, res induſtriales naturalibus æquiparantur.

Quomodo res induſtriales reducantur ad pure naturales.

Patet adeo, quomodo res induſtriales ad pure naturales reducantur.

§. 316.

Quoniam res induſtriales, deductis operis ac impenſis, æquiparantur induſtrialibus (§. 315.), fundi autem, qui fructuum percipiendorum gratia poſſidetur, pretium ex pretio fructuum percipiendorum, quatenus ſcilicet res naturales ſunt, determinatur (§. 307.); *fundorum* quoque *pretium ex pretio rerum induſtrialium, deductis operis ac impenſis*, in earum ſcilicet productionem factis, *determinandum*.

Unde determinandum pretium fundi, ex quo fructus induſtriales percipiuntur.

Ex. gr. Ager, qui frumenta profert; colendus, ſiquidem frumenta proferre debet, atque adeo fructus, qui ex eo percipiuntur, induſtriales ſunt. Quodſi ergo ex eorum pretio deducas operarum pretium ac impenſas; perinde eſt ac ſi frumenta ſua ſponte ferret, conſequenter eadem eſſent fructus pure naturales. Ex eo igitur pretio, quod relinquitur, definiendum eſt pretium agri: quod quomodo fieri poſſit, ex anterioribus patet (§. 312.).

§. 317.

Rerum utilium majus pretium conſtituere licet, quam neceſſariarum, & voluptuariarum majus, quam utilium. Rebus enim neceſſariis indigent omnes (§. 499. *part.* 1. *Jur. nat.*), aſt utilibus non æque (§. 500. *part.* 1. *Jur. nat.*), omnium autem facillime carere poſſumus voluptuariis (§. 501. *part.* 1. *Jur. nat.*), & res utiles voluptuariis, neceſſariæ autem etiam utilibus præferendæ (§. 502. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum res neceſſariæ vilis etiam operæ pretio comparabiles

Differentia pretii rerum neceſſariarum utilium & voluptuariarum.

biles eſſe debeant (§. 304.), quo utiles ac multo minus voluptuarias comparari poſſe, neceſſe non eſt *per demonſtrata*; ideo patet, quod rerum utilium majus pretium conſtituere liceat, quam neceſſariarum, & voluptuariarum majus, quam utilium.

Hæc quidem ita ſe habent, ſi in definiendo pretio ſolus uſus rerum attenditur. Differentia enim rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum unice ab uſu earundem petitur (§. 499. & *ſeqq. part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam vero ex anterioribus intelligitur, in definiendo pretio rerum reſpiciendum etiam eſſe ad alia, hinc fieri poteſt, ut pretium rei neceſſariæ augeatur, utilis vero, immo etiam voluptuariæ minuatur. Quodſi enim in caſu particulari pretium rei definiendum, ne dici poſſit naturaliter iniquum, ad ſingula reſpiciendum, quorum in eo determinando rationem eſſe habendam demonſtravimus. Sed ad particularia deſcendere non licet: ſufficit aperuiſſe campum, in quem exſpatiare licet, cui volupe fuerit in pretium rerum particularium naturaliter non iniquum inquirere. Ceterum ex propoſitione præſente inferri etiam poterat, quod ſupra oſtendimus (§. 306.), quod rerum neceſſariarum, quæ ſimul ad vitæ commoditatem, vel jucunditatem faciunt, majus ſtatuendum ſit pretium, quam pure neceſſariarum.

§. 318.

Libertas hominis re bus ſibi ab alio comparandis. *Nemo hominum cogi poteſt ad res ab alio ſibi comparandas, aut eas ſibi potius ab hoc, quam ab alio comparandas.* Naturaliter enim homini tantummodo competit jus, dominiis introductis, res ſibi comparandi ab aliis (§. 126. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam tamen vi libertatis naturalis permittendum eſt, ut unuſquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*); ipſius quoque judicio relinquendum, utrum re quadam indigeat, nec ne, conſequenter eam ſibi ab alio comparare velit, an nolit, &, ubi eadem ſe indigere putat, a quonam eandem ſibi comparare malit. Neceſſe igitur non eſt, ut eam ſibi comparet, ſi nolit, nec neceſſe eſt, ut eam ſibi potius ab hoc, quam ab alio comparet, ubi eam ſibi comparare voluerit. Quamobrem non obligatur ad rem quandam ab alio ſibi comparandam, quam ſibi comparare non vult, nec ab hoc potius, quam alio comparandam, ſi eam comparare voluerit (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter cum jura naſcantur ex obligatione paſſiva (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*), & jus cogendi alterum ex obligatione perfecta (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), qualem nullam hic adeſſe oſtendimus, nemo etiam hominum cogi poteſt ad res ab alio ſibi comparandas, aut eas ſibi potius ab hoc, quam ab alio comparandas.

Loquimur hic de eo, quod moraliter fieri poteſt in ſtatu naturali: id enim demonſtrare nobis jam propoſitum eſt. Cetera ſuo loco tra- demus.

§. 319.

Conſenſus mutuus ad determinan- da pretia re- quiſitus. Quoniam nemo hominum cogi poteſt ad res ab alio ſibi comparandas (§. 318.); *pretium rerum, præſertim utilium, ac omnium maxime voluptuariarum, ita determinandum eſt, ut etiam alter tanto pretio eam ſibi comparare velit.* Immo ex eadem ratione patet, *in ſtatu naturali pretia rerum determinari non poſſe niſi mutuo conſenſu.*

Si ſupponamus pretia rerum nondum eſſe determinata, & te tibi rem quandam ab alio comparare velle, daturum rem pro re: neceſſe omnino eſt, ut pretia rerum permutandarum mutuo conſenſu veſtro definiantur. Ab arbitrio enim veſtro dependet, utrum unus ab altero accipere velit rem, quam dare vult, pro re ſua, an nolit, ſeu num tanto pretio rem ſibi ab altero comparare velit, quantum eidem ſtatuit. Similiter ponamus pretium, quod pro pictura ſibi dari vult pictor, non eſſe iniquum, ſi ſeram ejus æſtimes per anteriora. Quodſi tamen nemo fuerit, qui tanto pretio picturam, quæ inter res voluptuarias refertur, ſibi comparare velit,

velit; neceſſe eſt ut contentus ſit pretio, quod eſt operæ multo vilioris. Fortunæ adverſæ tribuendum, ſi arti non ſtatuatur pretium, quod ea meretur, artifex tamen eas ſibi res, quibus indiget, comparare tenetur.

§. 320.

Quia nemo cogi poteſt ad res ab alio ſibi comparandas (§. 319.), nemo autem rem ſuam dare vult pro re, qua minime indiget, etſi alter indigeat ſua, & pecunia fungitur vice rerum & operarum omnium (§. 292.), ut pro ea res ac operæ quælibet comparari queant (§. 293.); *pecuniam inveniri neceſſe fuit, ut quivis ſibi res ac operas comparare queat, quibus indiget.* *Neceſſitas pecuniæ.*

Neceſſitas rerum utilium & arduarum magiſtra, quæ multa docuit homines, ſine ea non abſque ſummo acumine ac maxima animi contentione detegenda. In horum numero utique pecunia eſt, quæ rerum ac operarum, quibus indigemus, comparationem facilem reddit & ad earundem pretia rite determinanda mirifice conducit. Non opus eſt, ut de his apertius dicamus, quæ levi attentione ad vulgo indies obvia animadvertuntur.

§. 321.

Pretium æquum dicitur, quod legi naturæ convenienter determinatur: *iniquum* vero, quod eidem contrariatur. Dici idem poteſt *naturaliter æquum & iniquum*, cum aliter ſtatuendum ſit de pretio civiliter æquo & iniquo, quemadmodum ſuo loco videbimus. *Pretii æquitas & iniquitas.*

Vidimus in anterioribus legem naturæ regere arbitrium hominum in definiendo rerum ac operarum pretio: id quod vel ex ſolo principio generali ſupra demonſtrato (§. 303.) clariſſime eluceſcit, etſi luculentius appareat per ea, quæ in caſibus particularibus obſervanda eſſe oſtendimus (§. 304. & *ſeqq.*), unde plura alia deduci poſſunt. Quodſi ergo in pretio rerum ac operarum definiendo obſerventur ea, quæ urget lex naturæ, pretium æquum eſt; ſin minus, iniquum (§. 230. 240. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum interſit pretium æquum ab iniquo diſtingui, non inanem operam ſumſimus in demonſtrandis iis, quæ in pretio rerum ac operarum obſervanda ſunt, nec ſumet inanem, qui ulterius progredi ac inde magis particularia deducere voluerit.

§. 322.

Naturaliter homines obligantur ad res & operas ſibi invicem pro æquo pretio communicandas. Quoniam enim lex naturæ præcipit, quomodo pretia rerum & operarum determinanda ſint (§. 303. & *ſeqq.*), determinantur autem non alio fine, quam ne quis gratis dare cogatur vel facere, ſi alter viciſſim dare vel facere poteſt (§. 271. 273.), cum nemo ad hoc teneatur alteri (§. 268.); homines naturaliter obligantur ad res & operas ſibi invicem communicandas eo pretio, quod legi naturæ convenienter determinatum. Enimvero pretium iſtud æquum eſt, quod legi naturæ convenienter determinatum (§. 321.). Homines igitur naturaliter obligantur ad res & operas æquo pretio ſibi invicem communicandas. *Quali pretio res & operæ ſint communicandæ.*

Obligationem hanc naturalem non tollit libertas (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*), etſi jure externo ferendum, ut iniquum pretium exigatur: quod etſi impune fiat, qui tamen exigit, peccat (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hinc non iniquæ ſunt omnes, quæ de pretio iniquo ſæpiſſime moventur, querelæ.

§. 323.

Quoniam homines obligantur ad res & operas ſibi invicem pro æquo pretio communicandas (§. 322.); *Quilibet non modo obligatur ad rem pro æquo pretio dan-* *Quale pretium præceptum, quale prohibitum.*

dandam & operas pro æquo pretio præſtandas, verum etiam ad ſolvendum pro re & opera æquum pretium, conſequenter *ſi alter, qui opera vel re tua indiget, neceſſitate compulſus in pretium æquo majus*, adeoque iniquum (§. 321.), *conſentire cogatur, pretium æquo majus, ſive iniquum exigere non licet*, & ex adverſo *ſi qui rem vel operam offert, neceſſitate compulſus in pretium æquo minus*, adeoque iniquum (§. 321.), *conſentire cogatur, pretium æquo minus ſeu iniquum ſolvere non licet*.

Charitas præcipit, ut alterum diligamus tanquam noſmetipſos (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), non facientes alteri, quod nobis ab ipſo fieri nolumus (§. 98. *part. 1. Jur. nat.*). Nemo vult, ut alter ex caſu ſuo lucrum percipere velit. Quamobrem nec æquum exiſtimari poteſt ſi quiſquam ex caſu alterius lucrum percipere velit. Quamvis adeo alter in pretium iniquum conſentire cogatur, conſenſus tamen extortus conſtantia denegandi pretium æquum minime purgat iniquitatem pretii, ſed id ipſum non obſtante conſenſu hoc charitati repugnat.

§. 324.

Quando pretium vilius non ſit iniquum.

Si qui pecunia maxime indiget, tibi ſua ſponte offerat rem vel operam, qua minime indiges pretio minore, quam æquo, abſolute ſpectato, ut te permoveat ad id comparandum tibi, quo minime opus habes, viliori pretio quod offertur acceptare licet. Etenim ſi tu re vel opera alterius minime indiges, ea reſpectu tui vel nullius pretii eſt, vel exigui; ex adverſo autem, quia offerens pecunia maxime indiget, quod alias exiguum videri poterat, nunc pro majori habendum, reſpectu nimirum uſus, quem pecunia ob circumſtantias præſentes habet. Quamobrem ſi tu in gratiam alterius pro re vel opera, qua non indiges, des alteri pretium, quo maxime indiget, etſi abſolute ſpectatum ſit æquo minus, ob circumſtantias tamen præſentes idem æquo minus, adeoque iniquum cenſeri minime poteſt. Quamobrem nil obſtat, quo minus eo pretio, quo res vel opera offertur, eam acceptare liceat.

Caſus præſens plurimum differt a præcedente, quem juri naturæ adverſum demonſtravimus. In præcedente pretium æquo minus extorquetur ab altero, vel etiam juſto majus, quod ex caſu alieno lucrum percipere velis: in præſente autem pretio minore te permoveri pateris ad rem vel operam, qua minime indigebas tibi comparandam, ut alterius neceſſitati ſubvenias. Hæc ſola differentia ſatis oſtendit, illud repugnare charitati, hoc minime, conſequenter rationem prohibitionis, quæ datur in caſu præcedente, ceſſare in præſente.

§. 325.

An idem pretium nunc æquum alio tempore iniquum eſſe poſſit.

Variatis circumſtantiis pretium rerum ac operarum æquum eſſe poteſt, quod ſub circumſtantiis aliis erat iniquum. Æquum enim pretium eſt, quod legi naturæ convenienter determinatur. Enimvero ſi legi naturæ convenienter determinandum pretium eſt, habenda eſt ratio circumſtantiarum (§. 304. *& ſeqq.*). Quamobrem patet, variatis circumſtantiis pretium rei ac operæ ejuſdem aliter eſſe determinandum, conſequenter nunc minus, nunc majus eſſe debere. Quoniam igitur pretium pro datis circumſtantiis æquo vel majus, vel minus iniquum eſt (§. 321.); minime repugnat, ut variatis circumſtantiis pretium æquum ſit, quod ſub aliis iniquum erat.

Ex. gr. Ponamus rei cujuſdam neceſſariæ pretium ob minorem copiam eſſe majus, quam rerum aliarum neceſſariarum (§ 305.). Quodſi contingat, magnam rerum iſtiuſmodi copiam proſtare, ut non ſolis ſufficiant, qui res neceſſarias majore pretio ſibi comparare valent; ceſſabit ratio pretii majoris, nimirum raritas, quæ majus fecerat æquum, conſequenter minus non cenſeri poteſt iniquum (§. 118. *Ontol.*). Idem non abſimili modo patet in caſibus aliis. Non difficultate ſua caret, ſi æquitatem pretii ad legem naturæ exigere volueris. Sed plura in hanc rem dicenda erunt, quando de contractibus agemus.

§. 326.

Quoniam variatis circumſtantiis pretium rerum ac operarum æquum eſſe poteſt, quod ſub circumſtantiis aliis erat iniquum (§. 325.), naturaliter autem homines obligantur ad res & operas æquo pretio ſibi invicem comparandas (§. 322.); *variatis circumſtantiis æquum rerum & operarum pretium variat*, conſequenter *idem aliter determinandum*. *An pretium ſemper manere debeat idem.*

Patet adeo pretium, ſi æquum eſſe debeat; non ſemper idem manere debere. Determinatur vero aliter eodem modo, quo primitus determinatur, cum eædem eſſe debeant rationes pretium variandi ſeu aliter determinandi, quæ ſunt primitus idem conſtituendi: æquum enim pretium eaſdem ſemper habet rationes, quia legi naturæ convenienter determinatur (§ 321.), in ſe immutabili (§. 142. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*).

§. 327.

Pretium operarum dicitur *Merces*, idiomate patrio der Lohn. Unde patet, determinando *operarum pretium determinari mercedem pro operis præſtitis dandam*. Quando vero pretium operarum merces dicitur, pretium ſimpliciter poſitum denotat pretium rei. *Merces quid ſit.*

Ex.grat. Si quatuor groſſi dentur pro operis vilibus diurnis, quatuor groſſi ſunt merces. Si detur modius frumenti pro certa quantitate trituranda, modius frumenti triturationis merces eſt. Ceterum cum pretium operarum peculiari nomine mercedis compelletur; pretium duplicem naſtum eſt ſignificatum, alterum laxiorem, quatenus genus denotat, quod pretium rerum & pretium operarum tanquam duas diſtinctas ſpecies ſub ſe continet; alterum ſtrictiorem, quatenus hoc nomen manſit ſpeciei uni ſub genere contentæ, pretio nimirum rerum. Hinc pretium in conſenſu ſtrictiori dicitur ſolvi pro re; merces autem pro opera ſeu labore. Significatus generalis convenit Juri naturæ, in quo introductis dominiis operæ æquiparantur rebus, quæ ſunt in dominio (§. 437. *p. 2 Jur. nat.*), & dare ac facere pro eodem habetur (§. 122. *part. 3. Jur. natur.*); ſtrictior vero ſignificatus magis convenit communi loquendi uſui, ubi operæ ſpectantur tanquam a rebus diverſæ, & hunc retinere conſultum eſt in doctrina contractuum, ne quæ de iis demonſtrantur præter neceſſitatem difficultatem pariant in eorum applicatione.

§. 328.

Hinc porro *Merces vulgaris* dicitur pretium operæ vulgare, & *Merces eminens* pretium operæ eminens (§. 294.). Similiter *Merces primitiva* eſt pretium operæ primitivum: *merces* autem *derivativa* pretium operæ derivativum (§. 298.). Denique cum pretium æquum in genere ſit, quod legi naturæ convenienter determinatur; iniquum vero, quod eidem contrariatur (§. 321.); *merces æqua* eſt, quæ legi naturæ convenienter determinatur; *iniqua* vero, quæ eidem contrariatur. *Diviſiones mercedis.*

Exempla, quæ dedimus in ſuperioribus, differentiam mercedis illuſtrant.

§. 329.

Quodſi differentiam inter pretium in ſenſu laxiori & ſtrictiori acceptum acutius rimari volueris, cum pretium in ſignificatu laxiori proprie denotet quantitatem rebus ac operis arbitrio hominum tributam (§. 273.), in ſignificatu autem ſtrictiori ſpectetur tanquam id, quod pro re ſolvitur, ſicuti merces tanquam id, quod ſolvendum pro opera (§. 327.), *pretium, quatenus rebus ac operis tribuitur, ſpectatur tanquam aliquid ipſis intrinſecum*; *pretium autem in ſignificatu* *Differentia pretii in ſignificatu laxiori & ſtrictiori acceptum accuratius explicata.*

Cum non ubivis terrarum eadem ſit rerum earundem copia, nec fieri poteſt, ut res maxime neceſſariæ univerſaliter a ceteris diſtinguantur. Ex. gr. Si alicubi tantus ſit piſcium numerus, ut conſumi ab iis nequeant, qui res neceſſarias majore pretio ſibi comparare poſſunt; erunt piſces res maxime neceſſariæ, quarum adeo vile eſſe debet pretium. Aſt ſi eorum tam exiguus ſit numerus, ut nonniſi paucis ſufficiant; pretium majus iiſdem convenit, ut iiſdem veſcantur, qui majore pretio cibos ſibi comparare valent.

§. 306.

Quomodo in definiendo rerum neceſſariarum pretio attendi debeat, num eæ præterea faciant ad vitæ commoditatem, vel jucunditatem.

Si quæ res neceſſariæ non ſolum ad vitæ neceſſitatem, verum ſimul ad ejus commoditatem, vel jucunditatem faciunt; earum pretium majus eſſe debet, quam illarum, quæ ſola vitæ neceſſitas exigit. Quoniam enim res neceſſariæ, quæ ſimul ad vitæ commoditatem, vel jucunditatem faciunt, hac de cauſa ceteris præferuntur, quæ tantummodo vitæ neceſſitati ſufficiunt; ad res maxime neceſſarias, ſine quibus nempe vita conſervari nequit, referendæ minime ſunt. Quamobrem cum res maxime neceſſariæ non majoris pretii eſſe debeant, quam ut levis operæ pretio comparari poſſint (§. 304.), ſi quæ res neceſſariæ non ſolum ad vitæ neceſſitatem, verum ſimul ad ejus commoditatem, vel jucunditatem faciunt, earum pretium majus eſſe debet, quam illarum, quæ ſola vitæ neceſſitas exigit.

Ex. gr. Cibi quidam aliis præferuntur ob ſaporem, qui magis delectat, adeoque in iis eligendis non tantummodo reſpicitur neceſſitas, verum etiam jucunditas vitæ. Quamobrem cum proſtent alii, etſi minus grati ſaporis, qui fami explendæ ſufficiunt, nulla ſane ratio eſt, cur rebus maxime neceſſariis, adeoque vili pretio, quale eſt vilium operarum, comparandis annumerari debeant, niſi forſan tanta ſit earum copia, ut omnibus ſufficiant (§. 305.) Sed in propoſitione præſente non attenditur hæc copia, quæ exceptionem facit.

§. 307.

Quomodo determinandum pretium fundorum, qui fructuum percipiendorum gratia poſſidentur.

Fundorum, qui fructuum percipiendorum gratia poſſidentur, pretium determinandum eſt ex pretio fructuum percipiendorum. Quodſi enim fundi fructuum percipiendorum gratia poſſidentur, fructus ſunt res, pro quibus tibi comparare vis res alias & operas, quibus indiges. Quamobrem cum fructuum tanquam rerum determinatum ſit pretium; pretium fundi ex pretio fructuum inde percipiendorum determinandum, ne ſcilicet poſſeſſori deſint res & operæ, quibus indiget.

Qui fructuum percipiendorum gratia fundum poſſidet, non aliud intendit, quam ut inde acquirat ea, quibus indiget vel ad ſolam vitæ neceſſitatem, vel ad ejus etiam commoditatem, immo & ad jucunditatem facientia, pro magnitudine & conditione fundi. Nemo igitur dubitare poteſt, quin fundorum pretium determinandum ſit ex pretio fructuum percipiendorum. Hinc tamen minime ſequitur, pretium fundi æquale eſſe debere pretio fructuum certo tempore percipiendorum. Ut enim ex pretio fructuum determinari poſſit pretium fundi, alia adhuc conſideranda veniunt, de quibus in ſequentibus dicemus.

§. 308.

Quid obſervandum in determinando pretio rerum naturalium.

In definiendo rerum naturalium pretio æſtimandæ ſunt operæ ac impenſæ in eas percipiendas, vel acquirendas factæ. Etenim operæ perinde ac res ſuum habere debent pretium (§. 271. 273.), & impenſæ definiuntur pecunia pro rebus vel operis data, ſine quibus aliud obtinere non poteramus. Quodſi ergo in res naturales percipiendas, vel acquirendas fieri debent impenſæ, vel præſtari operæ; in earum pretio definiendo æſtimandæ omnino ſunt operæ ac impenſæ in eaſdem percipiendas, vel acquirendas factæ.

Ex. gr. Gramina in prato ſponte naſcuntur, atque adeo res naturales ſunt (§. 503. *part.* 1. *Jur. nat.*). Aſt ſi fœnum percipere velis, perceptio exigit certas operas, certas etiam impenſas, quatenus operæ præſtari nequeunt ſine uſu certorum inſtrumentorum, quæ ipſo uſu tandem inutilia redduntur, adeoque quaſi conſumuntur, immo non ſine omni ſumtu conſer-

vantur. In definiendo itaque pretio fœni æſtimandæ omnino ſunt operæ ac impenſæ ad id percipiendum requiſitæ. Similiter piſces in fluviis natantes ſunt res naturales (§. *cit.*). Enimvero ſi eos capere velis, operam & inſtrumenta adhibere debes. Patet adeo ut ante in eorum pretio definiendo æſtimandas quoque eſſe operas ac impenſas in piſces capiendos factas. Idem etiam intelligitur de avibus & feris capiendis.

§. 309.

Quando in definiendo pretio rerum naturalium attendendus ſit uſus juris eas percipiendi, vel acquirendi.

Si res naturales percipiendi, vel acquirendi jus unicuique fuerit liberum, in definiendo earum pretio id non attenditur: aſt ſi fuerit in dominio, in eodem definiendo æſtimandus quoque eſt ejus uſus. Quodſi enim jus percipiendi res naturales, vel eas acquirendi, unicuique liberum fuerit, nullum eſt ejus pretium, conſequenter uſus ejus nullo pretio æſtimari, neque adeo impenſis accenſeri poteſt. Quamobrem cum impenſarum quidem habenda ſit ratio in definiendo pretio rerum naturalium (§. 308.), non vero ejus, quod nullius eſt pretii, ſeu nihil valet; ſi jus res naturales percipiendi vel acquirendi unicuique liberum fuerit, in definiendo earum pretio, cum ex eo non capiat incrementum, attendendum non eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi jus iſtud fuerit in dominio, inſtar rerum ceterarum ſuo conſtare debet pretio (§. 271. 273.), adeoque etiam ejus uſus æſtimabilis eſt, conſequenter in rebus percipiendis, vel acquirendis æquiparatur impenſis in perceptionem, vel acquiſitionem factis. Quamobrem cum in definiendo rerum naturalium pretio æſtimandæ ſint impenſæ in eas percipiendas, vel acquirendas factæ (§ 308.); ſi jus res naturales percipiendi, vel acquirendi fuerit in dominio, in earum pretio definiendo æſtimandus etiam eſt uſus juris hujus. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Si quis pro jure capiendi aves in aliquo diſtrictu conceſſo uno anno ſolvit duodecim thaleros; pecunia hæc, quam dat pro uſu hujus juris, utique impenſis accenſeri debet; conſequenter in definiendo pretio avium captarum ejus quoque habenda ratio eſt.

§. 310.

Æquipollentia uſus rei lucroſæ & uſus pecuniæ.

Uſus rei, ex quo lucrum aliquod percipimus, æquipollet uſui pecuniæ, qua res iſta æſtimatur. Etenim ſi ex rei uſu lucrum aliquod percipitur, pecunia pro eo datur lucri hujus percipiendi gratia. Quamobrem pecunia, quæ pro ea datur, eum habet uſum, quem habet res pro eadem accepta. Patet itaque uſum rei, ex quo lucrum aliquod percipimus, æquipollere uſui pecuniæ, qua res iſta æſtimatur.

Ex. gr. Qui emit pratum, fœni percipiendi gratia emit, nihil pecuniæ pro eo daturus, ſi ex ejus uſu nullum percipi poſſet lucrum. Similiter qui dat pecuniam pro uſu juris capiendi aves vel piſces, nihil utique pecuniæ pro eo daret, ſi piſces vel aves captæ nullius eſſent pretii. Ex pecunia igitur ſua percipere vult aliquod lucrum, nimirum quod percipitur ex prato, vel ex jure aucupandi, vel piſcandi. Uſus adeo prati, vel juris aucupandi aut piſcandi omnino æquipollet uſui pecuniæ, quæ pro prato, vel jure utroque datur.

§. 311.

An uſus pecuniæ ſit æſtimabilis & pro eo pecunia dari poſſit.

Quoniam uſus rei, ex quo lucrum percipitur æquiparatur pecuniæ, qua res iſta æſtimatur (§. 310.), *pecuniæ* quoque *uſus æſtimabile quid eſt*, conſequenter cum pecunia res omnes tam corporales, quam incorporales æſtimentur (§. 290.), *pretium uſus pecuniæ pecunia determinari*, adeoque *pro uſu pecuniæ pecunia dari poteſt.*

Sane ſi tibi concedo uſum pecuniæ meæ, ut eam impendas in rem lucroſam acquirendam;

dum

dum ex uſu illius rei fis locupletior, ex uſu pecuniæ meæ locupletior fis. Quamobrem cum non tenear tibi meum dare gratis (§. 268.), perinde omnino eſt; ſive tibi dem uſum rei meæ, ſive uſum pecuniæ meæ pro pecunia.

§. 312.

Quanti æſtimandus uſus pecuniæ. Similiter quia uſus rei, ex quo lucrum percipitur, & uſus pecuniæ, qua res iſta æſtimatur, æquivalent (§. 310.), *ſi ex re quadam percipiuntur fructus naturales, uſus pecuniæ, qua res iſta æſtimatur, tanti æſtimandus, quanti æſtimandus fructus, demtis impenſis ac operis in perceptionem factis.*

Quodſi pretia rerum fuerint determinata, non difficile eſt determinare pretium, quo æſtimandus uſus pecuniæ, quemadmodum ex propoſitione præſente intelligitur. Equidem non negaverim, ſi hoc modo definiatur pretium uſus pecuniæ; ejuſdem ſummæ non ſemper idem reſpondere poſſe pretium, ut adeo pro ejuſdem pecuniæ uſu nunc magis, nunc minus ſit dandum; non tamen id haberi poteſt pro abſurdo, cum naturaliter non repugnet, ut pro diverſitate caſuum uſus pecuniæ nunc majus habeat pretium, nunc minus, quemadmodum non repugnat, ut ejuſdem rei pro diverſitate circumſtantiarum diverſum ſit pretium. Alia vero quæſtio eſt, quid de æſtimando uſu pecuniæ alteri concedendo ſanciendum ſit lege civili. Enimvero quid tam naturaliter, quam civiliter ſtatuendum ſit de vero pretio uſus pecuniæ ſuo docebimus loco. Sufficit in præſenti oſtendiſſe, & quod uſus pecuniæ ſit res incorporalis æſtimabilis, & quomodo menſura pretii reperiri poſſit, ut evitetur circulus. Sane rerum pretia vulgaria concipiuntur ante omnem pecuniæ uſum (§. 294.), adeoque etiam fructus naturales ſuum habere intelliguntur pretium, antequam ſupponatur pecunia inventa, nec in dubium vocari poteſt, fundum ſeu rem immobilem æſtimari debere ex fructibus ſolis, ſi eidem naturales fuerint (§. 307.), quatenus ſcilicet per hos uſus rei æſtimari poteſt. Quodſi ergo alteri dari debet pecunia pro uſu rei illius immobilis, quatenus in jure percipiendi fructus conſiſtit; quidni ſi pro re iſta data fuit pecunia, tantæ pecuniæ, qua illa æſtimatur, uſus tanti etiam æſtimari debet, quantum datur pro jure percipiendi fructus naturales ex iſta re?

§. 313.

Quid obſervandum in definiendo pretio rerum induſtrialium. *In definiendo pretio rerum induſtrialium æſtimari debent operæ, impenſæ & uſus pecuniæ, quæ pro fundo ſeu re immobili datur.* Etenim res induſtriales natura non producit niſi interveniente opera humana (§. 504. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum operarum non minus, quam rerum determinandum ſit pretium (§. 271. 273.); quin in definiendo pretio rerum induſtrialium operæ æſtimari debeant, dubitandum non eſt. *Quod erat primum.*

Quod vero etiam æſtimari debeant impenſæ in eas factæ, eodem modo patet, quo paulo ante oſtendimus, eas æſtimari debere in definiendo pretio rerum naturalium, quæ earundem percipiendarum gratia fiunt (§. 308.). *Quod erat ſecundum.*

Denique cum uſus rei & uſus pecuniæ, quæ pro ea datur, lucri percipiendi gratia, ſibi invicem æquiparentur (§. 310.); dubio quoque caret, quod in definiendo rerum induſtrialium pretio æſtimari etiam debeat uſus pecuniæ, quæ pro re immobili, ex qua fructus induſtriales percipiuntur, dari debet. *Quod erat tertium.*

Poteſt pretium uſus pecuniæ, quæ datur pro re immobili fructuum inde percipiendorum gratia, referri ad impenſas, quemadmodum ad impenſas refertur v. gr. pretium fimi, quo ſtercoratur ager. Quemadmodum enim fructus induſtriales percipere non licet ſine ſtercoratione, ita etiam ſine agro eos obtinere non datur. In præſenti nondum rationem habemus onerum, quæ in ſtatu civili ferenda, cum in præſenti conſideremus jura, qualia ſint, antequam imperium civile introducatur. Accurata enim methodus non fert, ut ea ſupponantur, quæ in anterioribus nondum fuerunt demonſtrata, etiamſi praxi communi ſint conſentanea. In Jure nimirum naturæ non attenditur quid fiat, ſed quæritur, quidnam recte fiat; multa enim faciunt homines, quæ lex naturæ minime probat.

§. 314.

In definiendo pretio rerum artificialium æſtimari debent materia, ex qua eædem conficiuntur, opera, qua producuntur; & impenſæ faciendæ, ut produci queant. Res artificiales parantur arte humana (§. 505. *part* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem patet, ad eas parandas requiri & materiam, & operas, cumque præterea opus ſit inſtrumentis ac rebus ſubinde etiam aliis, fieri quoque debent impenſæ, ut eas parare detur. Quoniam itaque pretia rerum non definiuntur alio fine, quam ne quis gratis dare vel facere cogatur id, pro quo ab altero viciſſim aliquid recipere valet (§. 271. 273.); in definiendo pretio rerum artificialium æſtimari debent materia, ex qua eædem conficiuntur, & opera, qua producuntur, quippe res, quarum conſtituitur pretium (§. §. *cit.*), aliarumque impenſarum habenda eſt ratio.

Quodnam obſervandum in determinando pretio rerum artificialium.

Ex. grat. Horologiopæus ex metallo tanquam materia conficit partes ſingulas horologii & in ferruminatione opus habet carbonibus. Nec ſine inſtrumentorum uſu facere poteſt partes ſingulas, ex quibus horologium componit. Eidem autem conſtruendo operam adhibere tenetur. Nemo igitur negaverit, ſi horologii pretium definiendum, æſtimandam eſſe & materiam, & operas, & impenſas, ſine quibus horologium conſtruere nequit artifex. Alia vero quæſtio eſt, quomodo determinandum ſit operarum pretium.

§. 315.

Res induſtriales, deductis operis ac impenſis, æquiparantur naturalibus. Res enim pure naturales natura ſua ſponte (§. 503. *part.* 1. *Jur. nat.*), induſtriales vero nonniſi interveniente opera humana producit (§. 504. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque inter has & iſtas non alia datur differentia, niſi quod hæ operas humanas & certas impenſas exigunt, quatenus eæ ſine his præſtari nequeunt, quibus illæ non indigent. Deductis adeo operis ac impenſis, in rerum ſcilicet productionem factis, res induſtriales naturalibus æquiparantur.

Quomodo res induſtriales reducantur ad pure naturales.

Patet adeo, quomodo res induſtriales ad pure naturales reducantur.

§. 316.

Quoniam res induſtriales, deductis operis ac impenſis, æquiparantur induſtrialibus (§. 315.), fundi autem, qui fructuum percipiendorum gratia poſſidetur, pretium ex pretio fructuum percipiendorum, quatenus ſcilicet res naturales ſunt, determinatur (§. 307.); *fundorum* quoque *pretium ex pretio rerum induſtrialium, deductis operis ac impenſis*, in earum ſcilicet productionem factis, *determinandum.*

Unde determinandum pretium fundi, ex quo fructus induſtriales percipiuntur.

Ex. gr. Ager, qui frumenta profert; colendus, ſiquidem frumenta proferre debet, atque adeo fructus, qui ex eo percipiuntur, induſtriales ſunt. Quodſi ergo ex eorum pretio deducas operarum pretium ac impenſas; perinde eſt ac ſi frumenta ſua ſponte ferret, conſequenter eadem eſſent fructus pure naturales. Ex eo igitur pretio, quod relinquitur, definiendum eſt pretium agri: quod quomodo fieri poſſit, ex anterioribus patet (§. 312.).

§. 317.

Rerum utilium majus pretium conſtituere licet, quam neceſſariarum, & voluptuariarum majus, quam utilium. Rebus enim neceſſariis indigent omnes (§. 499. *part.* 1. *Jur. nat.*), aſt utilibus non æque (§. 500. *part.* 1. *Jur. nat.*), omnium autem facillime carere poſſumus voluptuariis (§. 501. *part.* 1. *Jur. nat.*), & res utiles voluptuariis, neceſſariæ autem etiam utilibus præferendæ (§. 502. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum res neceſſariæ vilis etiam operæ pretio comparabiles

Differentia pretii rerum neceſſariarum utilium & voluptuariarum.

biles eſſe debeant (§. 304.), quo utiles ac multo minus voluptuarias comparari poſſe, neceſſe non eſt *per demonſtrata*; ideo patet, quod rerum utilium majus pretium conſtituere liceat, quam neceſſariarum, & voluptuariarum majus, quam utilium.

Hæc quidem ita ſe habent, ſi in definiendo pretio ſolus uſus rerum attenditur. Differentia enim rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum unice ab uſu earundem petitur (§. 499. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*). Quoniam vero ex anterioribus intelligitur, in definiendo pretio rerum reſpiciendum etiam eſſe ad alia, hinc fieri poteſt, ut pretium rei neceſſariæ augeatur, utilis vero, immo etiam voluptuariæ minuatur. Quodſi enim in caſu particulari pretium rei definiendum, ne dici poſſit naturaliter iniquum, ad ſingula reſpiciendum, quorum in eo determinando rationem eſſe habendam demonſtravimus. Sed ad particularia deſcendere non licet: ſufficit aperuiſſe campum, in quem exſpatiare licet, cui volupe fuerit in pretium rerum particularium naturaliter non iniquum inquirere. Ceterum ex propoſitione præſente inferri etiam poterat, quod ſupra oſtendimus (§. 306.), quod rerum neceſſariarum, quæ ſimul ad vitæ commoditatem, vel jucunditatem faciunt, majus ſtatuendum ſit pretium, quam pure neceſſariarum.

§. 318.

Libertas hominis re bus ſibi ab alio comparandis. *Nemo hominum cogi poteſt ad res ab alio ſibi comparandas, aut eas ſibi potius ab hoc, quam ab alio comparandas.* Naturaliter enim homini tantummodo competit jus, dominiis introductis, res ſibi comparandi ab aliis (§. 126. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam tamen vi libertatis naturalis permittendum eſt, ut unuſquisque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*); ipſius quoque judicio relinquendum, utrum re quadam indigeat, nec ne, conſequenter eam ſibi ab alio comparare velit, an nolit, &, ubi eadem ſe indigere putat, a quonam eandem ſibi comparare malit. Neceſſe igitur non eſt, ut eam ſibi comparet, ſi nolit, nec neceſſe eſt, ut eam ſibi potius ab hoc, quam ab alio comparet, ubi eam ſibi comparare voluerit. Quamobrem non obligatur ad rem quandam ab alio ſibi comparandam, quam ſibi comparare non vult, nec ab hoc potius, quam alio comparandam, ſi eam comparare voluerit (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter cum jura naſcantur ex obligatione paſſiva (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), & jus cogendi alterum ex obligatione perfecta (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qualem nullam hic adeſſe oſtendimus, nemo etiam hominum cogi poteſt ad res ab alio ſibi comparandas, aut eas ſibi potius ab hoc, quam ab alio comparandas.

Loquimur hic de eo, quod moraliter fieri poteſt in ſtatu naturali: id enim demonſtrare nobis jam propoſitum eſt. Cetera ſuo loco trademus.

§. 319.

Conſenſus mutuus ad determinanda pretia requiſitus. Quoniam nemo hominum cogi poteſt ad res ab alio ſibi comparandas (§. 318.); *pretium rerum, præſertim utilium, ac omnium maxime voluptuariarum, ita determinandum eſt, ut etiam alter tanto pretio eam ſibi comparare velit.* Immo ex eadem ratione patet, *in ſtatu naturali pretia rerum determinari non poſſe niſi mutuo conſenſu.*

Si ſupponamus pretia rerum nondum eſſe determinata, & te tibi rem quandam ab alio comparare velle, daturum rem pro re: neceſſe omnino eſt, ut pretia rerum permutandarum mutuo conſenſu veſtro definiantur. Ab arbitrio enim veſtro dependet, utrum unus ab altero accipere velit rem, quam dare vult, pro re ſua, an nolit, ſeu num tanto pretio rem ſibi ab altero comparare velit, quantum eidem ſtatuit. Similiter ponamus pretium, quod pro pictura ſibi dari vult pictor, non eſſe iniquum, ſi operam ejus æſtimes per anteriora. Quodſi tamen nemo fuerit, qui tanto pretio picturam, quæ inter res voluptuarias refertur, ſibi comparare velit,

velit; neceſſe eſt ut contentus ſit pretio, quod eſt operæ multo vilioris. Fortunæ adverſæ tribuendum, ſi arti non ſtatuatur pretium, quod ea meretur, artifex tamen eas ſibi res, quibus indiget, comparare tenetur.

§. 320.

Quia nemo cogi poteſt ad res ab alio ſibi comparandas (§. 319.), nemo autem rem ſuam dare vult pro re, qua minime indiget, etſi alter indigeat ſua, & pecunia fungitur vice rerum & operarum omnium (§. 292.), ut pro ea res ac operæ quælibet comparari queant (§. 293.); *pecuniam inveniri neceſſe fuit, ut quivis ſibi res ac operas comparare queat, quibus indiget.* *Neceſſitas pecuniæ.*

Neceſſitas rerum utilium & arduarum magiſtra, quæ multa docuit homines, ſine ea non abſque ſummo acumine ac maxima animi contentione detegenda. In horum numero utique pecunia eſt, quæ rerum ac operarum, quibus indigemus, comparationem facilem reddit & ad earundem pretia rite determinanda mirifice conducit. Non opus eſt, ut de his apertius dicamus, quæ levi attentione ad vulgo indies obvia animadvertuntur.

§. 321.

Pretium æquum dicitur, quod legi naturæ convenienter determinatur: *iniquum* vero, quod eidem contrariatur. Dici idem poteſt *naturaliter æquum* & *iniquum*, cum aliter ſtatuendum ſit de pretio civiliter æquo & iniquo, quemadmodum ſuo loco videbimus. *Pretii æquitas & iniquitas.*

Vidimus in anterioribus legem naturæ regere arbitrium hominum in definiendo rerum ac operarum pretio: id quod vel ex ſolo principio generali ſupra demonſtrato (§. 303.) clariſſime eluceſcit, etſi luculentius appareat per ea, quæ in caſibus particularibus obſervanda eſſe oſtendimus (§. 304. & *ſeqq.*), unde plura alia deduci poſſunt. Quodſi ergo in pretio rerum ac operarum definiendo obſerventur ea, quæ urget lex naturæ, pretium æquum eſt; ſin minus, iniquum (§. 230. 240. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum interſit pretium æquum ab iniquo diſtingui, non inanem operam ſumſimus in demonſtrandis iis, quæ in pretio rerum ac operarum obſervanda ſunt, nec ſumet inanem, qui ulterius progredi ac inde magis particularia deducere voluerit.

§. 322.

Naturaliter homines obligantur ad res & operas ſibi invicem pro æquo pretio communicandas. Quoniam enim lex naturæ præcipit, quomodo pretia rerum & operarum determinanda ſint (§. 303. & *ſeqq.*), determinantur autem non alio fine, quam ne quis gratis dare cogatur vel facere, ſi alter viciſſim dare vel facere poteſt (§. 271. 273.), cum nemo ad hoc teneatur alteri (§. 268.); homines naturaliter obligantur ad res & operas ſibi invicem communicandas eo pretio, quod legi naturæ convenienter determinatum. Enimvero pretium illud æquum eſt, quod legi naturæ convenienter determinatum (§. 321.). Homines igitur naturaliter obligantur ad res & operas æquo pretio ſibi invicem communicandas. *Quali pretio res & operæ ſint communicandæ.*

Obligationem hanc naturalem non tollit libertas (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*), etſi jure externo ferendum, ut iniquum pretium exigatur: quod etſi impune fiat, qui tamen exigit, peccat (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hinc non iniquæ ſunt omnes, quæ de pretio iniquo ſæpiſſime moventur, querelæ.

§. 323.

Quoniam homines obligantur ad res & operas ſibi invicem pro æquo pretio communicandas (§. 322.); *Quilibet non modo obligatur ad rem pro æquo pretio dan-* *Quale pretium præceptum, quale prohibitum.*

§. 326.

Quoniam variatis circumſtantiis pretium rerum ac operarum æquum eſſe poteſt, quod ſub circumſtantiis aliis erat iniquum (§. 325.), naturaliter autem homines obligantur ad res & operas æquo pretio ſibi invicem comparandas (§. 322.); *variatis circumſtantiis æquum rerum & operarum pretium variat*, conſequenter *idem aliter determinandum*. *An pretium ſemper manere debeat idem.*

Patet adeo pretium, ſi æquum eſſe debeat, non ſemper idem manere debere. Determinatur vero aliter eodem modo, quo primitus determinatur, cum eædem eſſe debeant rationes pretium variandi ſeu aliter determinandi, quæ ſunt primitus idem conſtituendi: æquum enim pretium eaſdem ſemper habet rationes, quia legi naturæ convenienter determinatur (§ 321.), in ſe immutabili (§. 142. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*).

§. 327.

Pretium operarum dicitur *Merces*, idiomate patrio der Lohn. Unde patet, determinando *operarum pretium determinari mercedem pro operis præſtitis dandam*. Quando vero pretium operarum merces dicitur, pretium ſimpliciter poſitum denotat pretium rei. *Merces quid ſit.*

Ex. grat. Si quatuor groſſi dentur pro operis vilibus diurnis, quatuor groſſi ſunt merces. Si detur modius frumenti pro certa quantitate triturandа, modius frumenti triturationis merces eſt. Ceterum cum pretium operarum peculiari nomine mercedis compelletur; pretium duplicem nactum eſt ſignificatum, alterum laxiorem, quatenus genus denotat, quod pretium rerum & pretium operarum tanquam duas diſtinctas ſpecies ſub ſe continet; alterum ſtrictiorem, quatenus hoc nomen manſit ſpeciei uni ſub genere contentæ, pretio nimirum rerum. Hinc pretium in conſenſu ſtrictiori dicitur ſolvi pro re; merces autem pro opera ſeu labore. Significatus generalis convenit Juri naturæ, in quo introductis dominiis operæ æquiparantur rebus, quæ ſunt in dominio (§. 437. *p. 2 Jur. nat.*), & dare ac facere pro eodem habetur (§. 122. *part. 3. Jur. natur.*); ſtrictior vero ſignificatus magis convenit communi loquendi uſui, ubi operæ ſpectantur tanquam a rebus diverſæ, & hunc retinere conſultum eſt in doctrina contractuum, ne quæ de iis demonſtrantur præter neceſſitatem difficultatem pariant in eorum applicatione.

§. 328.

Hinc porro *Merces vulgaris* dicitur pretium operæ vulgare, & *Merces eminens* pretium operæ eminens (§. 294.). Similiter *Merces primitiva* eſt pretium operæ primitivum: *merces* autem *derivativa* pretium operæ derivativum (§. 298.). Denique cum pretium æquum in genere ſit, quod legi naturæ convenienter determinatur; iniquum vero, quod eidem contrariatur (§. 321.); *merces æqua* eſt, quæ legi naturæ convenienter determinatur; *iniqua* vero, quæ eidem contrariatur. *Diviſiones mercedis.*

Exempla, quæ dedimus in ſuperioribus, differentiam mercedis illuſtrant.

§. 329.

Quodſi differentiam inter pretium in ſenſu laxiori & ſtrictiori acceptum accutius rimari volueris, cum pretium in ſignificatu laxiori proprie denotet quantitatem rebus ac operis arbitrio hominum tributam (§. 273.), in ſignificatu autem ſtrictiori ſpectetur tanquam id, quod pro re ſolvitur, ſicuti merces tanquam id, quod ſolvendum pro opera (§. 327.), *pretium, quatenus rebus ac operis tribuitur, ſpectatur tanquam aliquid ipſis intrinſecum*; *pretium autem in ſignificatu* *Differentia pretii in ſignificatu laxiori & ſtrictiori acceptum accuratius explicata.*

ſicata ſtrictiori, quatenus nimirum ad res ſolas refertur, perinde ac merces operis conveniens ſpectatur tanquam quidpiam ipſis extrinſecum, ſed ita ut, quod uni intrinſecum ſumitur, ponatur æquale ei, quod tanquam alteri intrinſecum ſumitur. Quamobrem cum pecunia determinetur pretium rerum & operarum (§. 290.); *pretium rerum in ſignificatu ſtrictiori eſt pecunia pro re ſolvenda, merces autem pecunia, quæ datur pro operis.* Quodſi omnem in loquendo ambiguitatem evitare volueris, quod pretium ſupra diximus (§. 273.), *Valor* rerum ac operarum dici poteſt, & *pretium* erit valor rei ejus, quæ datur, æqualis valor rei, pro qua datur, *merces* autem erit valor rei, quæ datur pro opera, æqualis valori operæ, pro qua ea datur. Et ita in ſermone vernaculo, quo ſingula accurate diſtinguimus, valori reſpondet vocabulum der Werth, pretio vocabulum der Preis, mercedi denique vocabulum der Lohn. Hoc pacto etiam pecuniæ tribuitur valor & *pro re ac opera danda eſt pecunia, cujus valor valori rei ac operæ æqualis exiſtimatur.*

Nimirum quemadmodum rebus ac operis tribuimus imaginariam quantitatem, vi cujus ad ſe invicem comparari & earum ad ſe invicem ratio definiri poteſt; ita etiam iſtiuſmodi quantitas pecuniæ tribuitur. In hac quantitate cum conſiſtat valor tam rerum & operarum, quam pecuniæ, quoad eandem cenſentur homogeneæ, ſeu valores rerum & operarum atque pecuniæ homogeneum quid ſunt, ut rationem ad ſe invicem habere queant & ad æqualitatem reducantur, quæ per ſe nec æqualia dici poſſunt. Atque ita ſatis diſtincte nobis explicaſſe videmur, quæ ad rerum & operarum valorem eidemque reſpondens pretium ac mercedem intimius perſpiciendum faciunt.

§. 330.

Materia pecuniæ requiſitum primum. *Pecunia conſtare debet ex materia durabili, hoc eſt, tali, quæ nec uſu facile teritur, nec ſervando corrumpitur.* Pecunia enim datur pro re & opera qualibet (§. 292.), adeoque ab eo, qui accepit, iterum datur alii, ut per manus tradita continuo ab uno ad alterum veniat. Quamobrem cum valor pecuniæ dependeat a quantitate ejus phyſica (§. 290.); hac imminuta, conſequenter ſi uſu facile teritur, valor ejus imminuitur. Ne igitur hoc fiat, ex tali materia conſtare debet, quæ uſu facile non teritur. *Quod erat unum.*

Similiter quia pro pecunia res & operæ quælibet comparantur (§. 293.); ideo neceſſe eſt, ut ea etiam ſervetur in futuros uſus, conſequenter nec ſervando corrumpatur. Quamobrem patet eam etiam conſtare debere ex materia, quæ ſervando non corrumpitur. *Quod erat alterum.*

Cui pecuniæ uſus experientia communi innotuit, de veritate propoſitionis præſentis minime dubitabit, cum facile perſpiciat damna inde metuenda, ſi pecunia conſtet ex materia minus durabili, quæ vel uſu facile teratur, vel ſervando prorſus corrumpatur.

§. 331.

Secundum. *Pecunia conſtare debet ex materia, qua ad res alias arte parandas, quarum frequens ac indiſpenſabilis uſus eſt, ſeu quibus multi indigent, non habemus opus.* Quoniam enim pecuniæ valor æſtimandus eſt ex ejus quantitate phyſica (§. 290.), eademque datur pro re ac opera qualibet (§. 292.), ac pro re & opera accepta in futuros haud raro uſus ſervanda, quod per ſe patet; commodum omnino eſt, ut exiguæ materiæ illius, ex qua conſtat, quantitati tribuatur valor, qui æqualis ſit valori rerum aliarum magnæ quantitatis, ita ut paucum dari poſſit pro multo, vel magno. Enimvero per ſe patet, ſi materia, ex qua conſtat pecunia, ad res alias arte parandas, quibus multi indigent, opus habeamus; magnum valorem quantitati ejus exiguæ tribui non poſſe. Quamobrem neceſſe eſt, ut pecunia conſtet ex materia, qua ad res alias arte parandas, quarum frequens ac indiſpenſabilis uſus eſt, ſeu quibus multi indigent, non habemus opus.

Nemo

Nemo eſt, qui vel levi attentione uſus facile perſpiciat, quam moleſtum foret, ſi magnæ quantitati illius materiæ, ex qua pecunia conſtat, exiguus tribuendus ſit valor. Nemo vero etiam eſt, qui non capiat hoc fieri debere, ſiquidem ex eadem materia confici neceſſe ſit res artificiales, quibus multi opus habent & inter hos etiam homines, qui vili opera res neceſſarias ſibi comparare tenentur. Utrumque qui pervidet, ultro concedet, iſtiuſmodi materiam minus aptam eſſe pecuniæ.

§. 332.

Pecunia conſtare debet ex materia rariori. Etenim eodem, quo ante (§. 331.) modo patet, eam eſſe debere pecuniæ materiam, ut exiguæ quantitati magnus valor tribui poſſit. Enimvero raritas intendit pretium vel rerum neceſſariarum (§. 305.), conſequenter ſi pecunia ex materia minus rara conſtet, magnus valor tribui nequit exiguæ quantitati. Quamobrem ea conſtare debet ex materia rariori. *Tertium.*

§. 333.

Pecuniæ materia eſſe debet argentum & aurum. Etenim argentum & aurum ſunt metalla rariora, nec adeo facile deteruntur, quemadmodum res aliæ, multo minus ſervando corrumpuntur, neque iiſdem opus habemus ad res artificiales frequentis uſus & cuivis homini maxime neceſſarias parandas, nec datur materia alia, quæ omnia hæc habet requiſita: id quod communi experientia exploratum. Quamobrem cum pecunia conſtare debeat ex materia rariori (§. 332.), quæ nec uſu facile teritur, nec ſervando corrumpitur (§. 330.), & qua non opus habemus ad parandas arte res hominibus maxime neceſſarias (§. 331.); quin pecuniæ materia eſſe debeat argentum & aurum dubitandum non eſt. *Quænam eſſe debeat materia pecuniæ.*

Cudi pecuniam ex argento & auro, nemo eſt qui neſciat, ſit ita quod non ſemper & ubivis adhibeantur metalla hæc pura, ſed alia viliora iiſdem miſceantur, cujus rationes in præſenti non expendimus. Ex demonſtratione autem liquet, cur hæc metalla aliis præferantur. Sane ſi pecuniæ materia eſſet ferrum, vel cuprum, cum hiſce metallis ad multos omnino uſus opus habeamus, etiamſi ad alia, veluti ferruginem & æruginem, animum non attendas; quod quantitatis magnæ exiguus valor eſſe deberet, quam moleſtus foret pecuniæ uſus, nemo non perſpicit. Abunde igitur patet, nonniſi re probe expenſa aurum & argentum fuiſſe electum, ut ſit materia pecuniæ.

§. 334.

Valor pecuniæ ponderi materiæ, ex qua conſtat, proportionalis eſt. Etenim pecuniæ materia argentum ac aurum eſt (§. 333.), quorum gravitas magnitudini proportionalis, magnitudinem autem non commode determinare poſſumus. Quamobrem cum quantitas phyſica rerum pondere determinetur, quarum gravitas magnitudini proportionalis, magnitudo autem ſatis commode determinari nequit (§. 288.), quantitas materiæ, ex qua pecunia conſtat, pondere æſtimanda venit, conſequenter ex eo etiam determinandus eſt pecuniæ valor (§. 290.). Quamobrem cum res metiamur, ſi quantitate quadam pro unitate aſſumta alterius homogeneæ rationem ad eandem inveſtigemus (§. 438. *Ontol.*); neceſſe eſt, ut argenti ac auri quædam quantitas pondere determinata, cui certus valor tribuitur, ſumatur pro unitate, & per rationem ad eandem determinetur valor quantitatis cujuſque alterius eorundem metallorum pondere itidem determinatæ, conſequenter valor pecuniæ ponderi materiæ, ex qua conſtat, proportionalis eſt. *Quomodo determinandus ſit valor pecuniæ abſolutus.*

Materia, ex qua pecunia conſtat, ſeu argenti & auri (§. 333.), pretium perinde ac aliarum rerum eſt quantitati phyſicæ proportionalis (§. 274.). Quamobrem duplæ argenti & auri quantitatis valor duplus omnino eſſe debet, triplæ triplus, quadruplæ quadruplus & ita porro,

porro. Quoniam itaque argenti & auri quantitas pondere æſtimanda (§. 288.); valor etiam pecuniæ ponderi ejuſdem proportionalis eſſe debet. Quodſi ergo argentum vel aurum dati exigui cujuſdam ponderis ſumatur ut 1, erit quod ponderis dupli eſt ut 2 & ita porro.

§. 335.

Quinam numerus pecuniæ inſcribendi.

Quoniam valor *pecuniæ* ponderi materiæ, ex qua conſtat, proportionalis eſt (§. 334.); ne ponderandi neceſſitas moleſtiam creet in actibus permutatoriis, eidem *inſcribendus eſt numerus, qui exprimit vel pondus materiæ, ex qua conſtat, vel rationem ejus ad eam, quæ in numerando pro unitate ſumitur.*

Cum pecunia debeat eſſe menſura communis pretii rerum & operarum (§. 290.); neceſſe omnino eſt, ut pondere materiæ, ex qua conſtat, definiatur unitas, quemadmodum certam longitudinem pro unitate ſumimus ad metiendam quantitatem rerum quæ longitudine determinantur (§. 287.), vel certam gravitatem ad determinandum quantitatem earum rerum, quæ pondere æſtimantur (§. 288.), ut hinc porro determinari poſſit, quænam pecunia ſit hujus dupla, quænam tripla & ita porro, conſequenter ad quantitatem pecuniæ reperiendam nonniſi numeratione opus habeamus: quam ſine numeris eidem inſcriptis abſolvi abſque ponderatione non poſſe per ſe patet. Equidem probabile eſt; ab initio homines pecuniæ loco uſos fuiſſe argento & auro ſine certa figura & abſque pondere determinato, ut in actibus demum permutatoriis pondus ad bilancem examinari neceſſe fuerit; quoniam tamen præter ponderandi moleſtiam acceſſit etiam difficultas argentum dividendi, vel aurum, ne ſolvatur, vel plus, vel minus, quam pro re aut opera dari debet, ideo neceſſitas juſſit uti pecuniæ loco argento & auro in partes diviſo ac numeris ſuis ſignato, etiamſi ſupponamus, ſtatum adhuc ſubſiſtere naturalem.

§. 336.

An pecuniam falſare naturaliter prohibitum.

Similiter quia pecuniæ valor ponderi materiæ, ex qua conſtat, proportionalis eſſe debet (§. 334.), hæc vero conſtare debet ex argento & auro (§. 333.), conſequenter ſi nobiliori metallo admiſceatur aliud vilioris pretii, maſſa ejuſdem ponderis eum valorem habere nequit, quem habet maſſa argenti & auri puri, adeoque in actu permutatorio minus dat, quam dare debet, qui hoc facit: *Si conſenſu mutuo introductum, ut pecunia conſtet ex argento & auro puro, nemo hiſce metallis aliud vilius admiſcere debet*, conſequenter *pecuniam falſare naturaliter prohibitum eſt*.

Ne hoc fiat, facilius præcavetur in ſtatu civili, quam naturali, ubi hominum conſcientiæ relinquendum, ne hoc faciant, & circumſpectioni accipientis, ne a falſario ſibi imponi patiatur. Sed de his, quæ ad ſtatum civilem pertinent, ſuo dicendum erit loco.

§. 337.

Quod pecunia ſignetur.

Pecunia ſignari dicitur, quando eidem inſcribitur numerus, qui deſignat pondus materiæ, ex qua conſtat, vel rationem ejus ad eam materiæ quantitatem, quæ in numerando pro unitate ſumitur, vel præterea aliud etiam ſignum, quo materiam non fuiſſe falſatam indigitatur.

Poſterius in ſtatu naturali ægre fieri poteſt: ne tamen definitio arctiores habeat limites, quam nunc habere debet, nec ſignificatus hodie receptus immutetur, & ubi de ſtatu civili agetur, definitio ſit amplianda, ejus mentionem facere debuimus.

§. 338.

Cur pecunia ſit ſignanda.

Quoniam pecunia non alio fine ſignatur, quam ut unicuique conſtet, quantum accipiat, utque certus ſit, ſe tantum accipere pro re vel opera ſua, quantum accipere debet (§. 337.); *pecunia ſignanda eſt*.

Si

Si nulli hominum ea eſſet lucri cupido, ut alios fraude circumvenire lucrifaciendi animo nollet; pecuniam ſignari, ne falſa decipiamur, non foret opus. Enimvero cum ſi vel unius animum inceſſet lucri cupido; unus nocere poſſit pluribus, pecuniam etiam hoc fine ſignari omnino neceſſe eſt.

§. 339.

Moneta vocatur pecunia in certas partes diviſa & ſignata. Idiomate patrio appellamus Muntze. Cum pecunia ſit ſignanda (§. 338.); *monetam introduci neceſſe fuit.* *Moneta quid ſit.*

Non abſolute neceſſarium eſſe, ut pecunia in partes dati ponderis ac proportionales ſit diviſa atque ſignata, ex ejus definitione facile perſpicitur (§. 290.). Non tamen negari poteſt melius eſſe, ſi ita dividatur & ſignetur, conſequenter cum lex naturæ nos obliget ad id, quod melius altero, eidem præferendum (§. 192. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), eidem quoque convenire, ut ita dividatur ac ſignetur. Sed quid hic conveniat, rectius docebitur, quando de ſtatu civili acturi ſumus.

§. 340.

Pecunia annumeranda bonis, quæ quis habet. Bona enim ſunt res omnes, quæ ſunt in dominio noſtro, univerſim, non ſigillatim ſpectatæ, nullo attento earum diſcrimine (§. 448. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum in actibus permutatoriis pecunia fungatur vice rerum omnium (§. 292.), & pro ea res quæcunque ab alio comparari poſſint (§. 293.), adeoque perinde ſit, ſive res ſint in dominio tuo, ſive pecunia; quin pecunia bonis annumeranda ſit, quæ quis habet, dubitandum non eſt. *Pecunia num bonis annumeranda.*

Non abhorret hoc a moribus noſtris: nemo enim eſt, qui neſciat, pecuniam bonis annumerari ſolere, quod vero & cur hoc fieri debeat, ex propoſitione præſente ac ejus demonſtratione patet.

§. 341.

Patrimonii magnitudo æſtimatur pecunia. Cum enim patrimonium conſiſtat in univerſitate bonorum, quæ quis habet (§. 452. *part.* 2. *Jur. nat.*), & bonis annumeretur pecunia (§. 340.), res autem omnes, quæ univerſim ſpectatæ bonorum nomine veniunt (§. 448. *part.* 2. *Jur. nat.*), pecunia æſtimentur (§. 290.); tantum unuſquiſque in patrimonio ſuo habet, quantum habet pecuniæ & quantum valent res, quas habet, pecunia æſtimatæ. Magnitudo igitur patrimonii pecunia æſtimatur. *Magnitudo patrimonii quomodo æſtimetur.*

In rebus, quas quis habet, æſtimandis, ubi magnitudo patrimonii æſtimanda venit, attendenda eſt pecunia, qua quis eas ſibi comparare velit: neque enim plus pecuniæ pro iis accipere vales, quam quantum dare pro iis vult alius eas ſibi comparaturus.

§. 342.

In æſtimanda patrimonii magnitudine detrahendum eſt æs alienum. Patrimonium enim conſiſtit in bonorum, quæ quis habet, univerſitate (§. 452. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum bona non intelligantur, niſi deducto ære alieno (§. 449. *part.* 2. *Jur. nat.*); in æſtimanda patrimonii magnitudine detrahendum eſt æs alienum. *Quid in hac æſtimatione obſervandum.*

Ex. gr. Titius multas habet res immobiles magni pretii, ſed multo laborat ære alieno. Quodſi ergo pretium rerum immobilium pecunia determinatum fuerit, ante detrahendum eſt æs alienum, quam conſtare poteſt, quantum pecuniæ ad patrimonium ſit referendum, ut conſtituatur maſſa bonorum, quæ continet.

§. 343.

§. 343.

Quid porro obſervandum.

In æſtimanda patrimonii magnitudine non habenda eſt ratio rerum alienarum, quæ ſunt in numero rerum tuarum. Etenim cum patrimonium conſiſtat in bonorum, quæ quis habet, univerſitate (§. 452. *part. 2. Jur. nat.*), bona vero non intelligantur niſi ſublatis rebus alienis, quæ ſunt in numero rerum tuarum (§. 449. *part. 2. Jur. nat.*); res alienæ, quæ ſunt in numero rerum tuarum, ad patrimonium tuum minime pertinent. Quamobrem nec earum in æſtimanda patrimonii magnitudine habenda eſt ratio.

Ex. gr. Habes uſumfructum in prædio, quod valet decem mille aureos. Cum hoc prædium ſit res aliena, decem mille aurei in æſtimanda magnitudine patrimonii tui non computantur. Eodem modo ſeſe res habet, ſi poſſideas rem alienam a domino vindicandam.

§. 344.

Pecunia numerata quid ſit.

Pecunia numerata dicitur, quam quis actu habet. Idiomate vernaculo vocamus baares Geld.

Ex. gr. In ciſta tua recondita ſervas quindecim millia thalerorum. Hæc pecunia dicetur pecunia numerata. Unde ſi nulla tibi præſens fuerit pecunia, etſi bona tam immobilia, quam mobilia multa poſſideas, pecuniam numeratam nullam te habere dicitur.

§. 345.

Debitum exigibile quodnam dicatur.

Exigibile dicitur *debitum*, ſi debitor dare poteſt, quod debet, ſeu ſi ſit ſolvendo. Unde ex adverſo *inexigibile* erit *debitum*, quando debitor dare nequit, quod debet, ſeu ſi ſolvendo non ſit.

Ex. gr. Titius tibi debet mille thaleros. Quodſi tantum habeat in bonis ſuis, ut mille thaleros tibi ſolvere poſſit; debitum mille thalerorum erit exigibile: ſin tantum in bonis non habeat, ut vel unum thalerum ſolvere queat, erit debitum inexigibile.

§. 346.

Quæ quoad debita in æſtimando patrimonio ſint obſervanda.

In æſtimanda patrimonii magnitudine debita exigibilia æquiparantur pecuniæ numeratæ; debitorum vero inexigibilium nulla habenda eſt ratio. Quodſi enim debitum fuerit exigibile, debitor dare poteſt, quod debet, quando nimirum id habere voluerit (§. 345.), conſequenter perinde eſt, ac ſi pecuniam, quæ debetur, actu haberes. Quoniam itaque pecunia, quam actu habes, numerata eſt (§. 344.), patrimonii autem magnitudo pecunia æſtimatur (§. 341.); in æſtimanda patrimonii magnitudine debita exigibilia æquiparantur pecuniæ numeratæ. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi debitum non fuerit exigibile, debitor dare nequit, quod debet (§. 345.), adeoque perinde eſt ac ſi nihil tibi deberetur, nec tu unquam id actu habere potes. Quoniam itaque ex eo, quod tibi debet qui ſolvendo non eſt, patrimonium tuum nullum capere poteſt incrementum; debitorum inexigibilium in æſtimanda patrimonii magnitudine nulla quoque habenda eſt ratio. *Quod erat alterum.*

Ita mille thaleri, quos debet Titius, qui ſolvendo eſt, in patrimonii magnitudine æſtimanda recte accenſentur pecuniæ numeratæ ſex millium thalerorum, quos habes, ut pecunia numerata cenſeatur ſeptem mille thalerorum. Aſt ſi Mævius debet mille thaleros, quos dare nequit, horum in æſtimando patrimonio nulla habenda ratio eſt, cum eos nec habeas, nec habere poſſis.

§. 347.

§. 347.

Si quis pecuniam habet, qua non utitur ad comparandum ſibi ea, quæ ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam faciunt; ea pecunia ipſi ſuperflua eſt. Etenim pecunia tanquam communis menſura pretii rerum & operarum omnium (§. 290.) & quæ in actibus permutatoriis fungitur vice rerum & operarum omnium (§. 292.), non alio fine inventa, quam ut nobis ea comparemus, quibus ad vitam conſervandam & commode ac decore tranſigendam indigemus. Quodſi ergo pecuniam habes, qua non uteris ad comparandum tibi ea, quæ ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam faciunt, aut alia ſuppetit præter eam pecunia, qua ad illa comparanda uteris, aut commoditatem, jucunditatem ac decorem vitæ inſuper habes, conſequenter ad ea comparanda, quæ huc faciunt, pecunia minime opus habes, cum pecunia non indigeas niſi ad comparanda ea, quibus vitæ neceſſitati proſpicitur. Quoniam itaque tibi ſuperfluum eſt, ſine quo finem, cujus gratia eſt, obtinere potes (§. 239.); ea utique pecunia tibi ſuperflua eſt, qua non uteris ad comparandum tibi ea, quæ ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam ſufficiunt. *Quænam pecunia ſit ſuperflua.*

§. 348.

Pecunia conſumi dicitur, quæ vel pro operis ac rebus, quæ ipſo uſu conſumuntur, vel gratis datur. Quamobrem *qui pecuniam conſumit, minus quam ante habebat habet*. Et quoniam pecunia ſuperflua eſt, qua non utimur ad comparandum nobis ea, quæ ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam faciunt (§. 347.); *quæ non conſumitur pecunia, ſuperflua eſt*. *Pecunia quænam conſumatur*

Ex. grat. Si quis quotannis bis mille thaleros impendit operis ac rebus comparandis, ut vitam cum ſuis commode, jucunde ac decore tranſigere poſſit; bis mille thaleros quotannis conſumit. Idiomate patrio dicimus: Er verthut jährlich 2000. Thaler. Quodſi vero tibi fuerint reditus annui ter mille thalerorum, tu vero conſumis nonniſi bis mille; mille thaleri erunt pecunia ſuperflua. Non jam attenditur moralitas in eroganda pecunia, ubi pecunia ſuperflua æſtimatur in gratiam divitiarum determinandarum, de ea enim diſpiciemus deinceps.

§. 349.

Res, ex quibus fructus percipiuntur, æquiparantur operis, quarum præſtatione acquiritur pecunia. Quodſi enim ex rebus fructus percipis, cum ſint in rerum numero (§. 695. *part. 1. Theol. nat.*), pro re vero qualibet detur pecunia perinde ac pro operis præſtitis (§. 292.); illorum dominium in alios transferendo non minus pecuniam acquirere vales, quam præſtando operas. Perinde igitur eſt, ſive res poſſideas, ex quibus fructus percipiuntur, ſive operas aliis præſtare valeas. Quamobrem res, ex quibus fructus percipiuntur, æquiparantur operis, quarum præſtatione acquiritur pecunia. *Res fructuoſæ quatenus operis æquiparentur.*

Res fructuoſæ duplici modo ſpectari poſſunt, vel quatenus ex iis percipiuntur fructus, vel quatenus earum pretium pecunia æſtimatur. Priori reſpectu non poſſidentur niſi pecuniæ acquirendæ gratia. Quamvis enim partem fructuum ipſemet conſumis, perinde tamen eſt, ac ſi pecuniam pro iis accepiſſes & hanc iis comparandis impendiſſes, quibus indiges. Res adeo fructuoſæ tibi eodem loco ſunt, quo alteri operæ, quorum præſtatione pecuniam acquirit ad ea ſibi comparanda, quibus indiget. Poſteriori autem reſpectu operis comparari nequeunt.

§. 350.

Pecunia, qua æſtimatur pretium rerum, quæ iis utendo fruendo non conſumuntur, accenſenda pecuniæ ſuperfluæ. Quodſi enim res iis utendo non conſumuntur, *Quo reſpectu res pecu.*

niæ ſuper. flua accenſeantur. tur, tantum omnino pecuniæ habes, quam non conſumis, quanta æſtimatur pretium rerum (§. 292.), ut adeo perinde ſit, ſive res iſtas habeas, ſive pecuniam, quam non conſumis. Enimvero quæ non conſumitur pecunia, ea ſuperflua eſt (§. 348.). Quamobrem pecunia, qua æſtimatur pretium rerum, quæ iis utendo fruendo non conſumuntur, accenſenda pecuniæ ſuperfluæ.

Ex. grat. Si agros & prata poſſides, ea non conſumuntur, quod quotannis fructus ex iis percipis. Quamobrem tantum pecuniæ habes, quæ non conſumitur, quanta conſtat pretium iſtorum agrorum atque pratorum, propterea quod hæc immobilia cum pecunia commutare poſſis, quando viſum fuerit. Sane pecunia quoque, quam non conſumis, quæque adeo ſuperflua eſt (§. 348.), efficitur fructuoſa, quatenus pro ejus uſu ab alio accipis pecuniam, nec propterea deſinit eſſe quoad te ſuperflua. Huc vero ſi animum advertas, circa propoſitionem præſentem nihil amplius dubii reſtabit.

§. 351.

Quid ſtatuendum de rebus, quæ uſu deteriorantur, & ſucceſſive inutiles fiunt, aut prorſus conſumuntur. Quoniam pecunia, qua æſtimantur pretia rerum, quæ uſu non conſumuntur, accenſenda pecuniæ ſuperfluæ (§. 350.), *ſi quæ res uſu tantummodo deteriorantur, aut nonniſi ſucceſſive prorſus inutiles evadunt, vel prorſus conſumuntur*, conſequenter earum pretium imminuitur, aut tandem prorſus nullum fit; *pecunia, qua dato tempore æſtimatur earum pretium, pecuniæ ſuperfluæ accenſenda.*

In harum rerum numero ſunt veſtes, linteamina, & quæ ad ſupellectilem referuntur. Huc etiam pertinent picturæ & ſculpturæ, res voluptuariæ. Nemo non novit rerum iſtarum, quamdiu adhuc aliquis earum uſus eſt, aliquod adhuc eſſe pretium, vel ſi ex materia conſtant, quæ uſui eſt, nec uſu rei ex ea factæ ſit deterior, tantum earum adhuc eſſe pretium, quantum valet materia. Exemplo ſunt vaſa ex metallo confecta, inprimis argentea. Quodſi enim pecunia indigeas, pecuniam pro iſtiuſmodi rebus accipere vales.

§. 352.

Quinam ſit dives. *Qui multum pecuniæ ſuperfluæ habet, dives eſt.* Dives enim eſt, cujus patrimonium ſuperfluum continet (§. 240.). Quamobrem cum magnitudo patrimonii æſtimetur pecunia (§. 341.); qui multum pecuniæ ſuperfluæ habet, dives eſt.

Pecunia introducta, qua res & operæ quælibet comparari poſſunt (§. 293.), ut adeo ſuperfluum habeat, qui pecuniam habet, qua ad vitæ neceſſitatem, commoditatem, jucunditatem & decorem minime indiget (§. 239.), dives dici nequit, niſi qui multum pecuniæ habet, quæ non conſumitur, etiamſi vitam commode, jucunde ac decore tranſigat, ſive pecuniam numeratam habeat (§. 344.), vel ipſi debeatur pecunia, quæ exigi poteſt (§. 346.), ſive res fructuoſas (§. 350.), aut alias, quarum non exiguum pretium eſt, poſſideat (§. 351.). Hinc idiomate patrio dicimus de divite; er habe viel Geld und Geldes werth/ hoc eſt, quod multum habeat pecuniæ multaſque res, quæ tantundem valent, quantum pecunia, ſeu quæ eminens habent pretium (§. 294.). Si quis vero non habet niſi tantum pecuniæ, quantum ad vitæ commode, jucunde ac decore tranſigendam ſufficit, nec res poſſidet, niſi quæ huic fini ſufficiunt, & quæ uſu deteriorantur, ac tandem inutiles evadunt, is dives haberi nequit.

§. 353.

Quomodo divitiæ ſint æſtimandæ. Quoniam is dives eſt, qui multum pecuniæ ſuperfluæ habet (§. 352.); *divitiæ æſtimandæ ſunt ex quantitate pecuniæ ſuperfluæ*, conſequenter *qui duplam pecuniæ ſuperfluæ ſummam habet, is duplas habet divitias, qui ſummam triplam habet, divitias triplas habet & ita porro, ſeu divitiæ ſunt pecuniæ ſuperfluæ proportionales.*

Videmus itaque, in æſtimandis divitiis conſtare debere, quomodo computanda ſit pecunia ſuperflua, ut adeo jam pateat ratio, cur ante oſtenderimus, quatenus res, quas poſſidemus, pecu-

pecuniæ ſuperfluæ ſint accenſendæ (§. 350. 351.) & quænam pecunia pro ſuperflua haberi debeat (§. 347.). Quemadmodum vero inventa pecunia pretia rerum multo facilius definiuntur; ita etiam divitiarum quantitas eadem facilitate determinatur, & divitiæ plurium ad ſe invicem comparantur, ut earum ratio definiatur. Ceterum cum ſtatus civilis homines faciat inæquales, quemadmodum ſuo loco oſtendemus, in computanda pecunia ſuperflua ejus etiam habenda ratio eſt, ne eædem cenſeantur divitiæ, quas ſtatus civilis diverſas facit. Sed de hoc ſuo loco.

§. 354.

Quinam ſit pauper.

Qui tantum nonniſi pecuniæ acquirere valet, quæ ad res neceſſarias comparandas ſufficit, pauper eſt. Qui enim nonniſi tantum pecuniæ acquirere valet, quæ ad res neceſſarias ſibi comparandas ſufficit, ejus patrimonium præter res neceſſarias continere nequit. Quamobrem cum pauper ſit, cujus patrimonium nonniſi res neceſſarias continet (§. 238.); qui tantum nonniſi pecuniæ acquirere valet, quæ ad res neceſſarias comparandas ſufficit, pauper eſt.

Non eſt quod excipias, dari etiam pauperes, qui res multas utiles ac voluptuarias poſſident, ſed ære alieno laborant. Etenim in æſtimando patrimonio detrahendum eſt æs alienum (§. 342.), conſequenter ad patrimonium referri nequeunt res, quarum pretium vix ſufficit, ut ab eo libereris. Nihil adeo dubii circa propoſitionem præſentem reſtat, modo perpendas, quæ ære alieno comparantur, vel ad hoc requiruntur, ut ab eodem libereris, ea non referenda eſſe in numerum illorum, quæ pecunia a te acquiſita comparantur. Aliud eſt pecuniam conſumere alienam, aliud ſuam. Fieri equidem poteſt, ut pro divite habeatur, qui pecuniam alienam conſumit, quamdiu ignoratur, quantum pecuniæ debeat aliis; ſed nobis ſermo non eſt de eo qui dives videtur, cum non ſit.

§. 355.

Egenus quinam ſit.

Qui tantum pecuniæ acquirere non valet, quæ ad res neceſſarias comparandas ſufficit, egenus eſt. Qui enim tantum pecuniæ acquirere minime valet, quæ ad res neceſſarias comparandas ſufficit; in ejus patrimonio res etiam neceſſariæ deficiunt, ſeu eidem deficiunt, quæ vitæ neceſſitas exigit. Quamobrem cum egenus ſit is, cui ea deficiunt, quæ vitæ neceſſitas exigit (§. 238.); qui tantum pecuniæ acquirere non valet, quæ ad res neceſſarias comparandas ſufficit, egenus eſt.

Quæ modo de paupertate annotavimus, ea etiam ſubinde de egeſtate notanda veniunt. Qui pecuniam alienam conſumit, videri poteſt dives, cum ſit egenus, quamdiu ignoratur, quantum ſit æs alienum.

§. 356.

Quinam ſit mendicus.

Qui labore ſuo ne tantillum quidem pecuniæ acquirere valet, quæ rebus comparandis ſufficit, quas extrema vitæ neceſſitas exigit; mendicus eſt, ſeu ad mendicitatem redactus eſt. Qui enim labore ſuo ne tantillum quidem pecuniæ acquirere valet, quæ rebus comparandis ſufficit, quas extrema vitæ neceſſitas exigit, ei tanta rerum inopia eſt, ut deſint, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit. Quamobrem cum mendicus ſit, qui tanta rerum inopia laborat, & in hac inopia mendicitas conſiſtat (§. 52.); mendicus omnino eſt, ſeu ad mendicitatem redactus eſt is, qui labore ſuo ne tantillum quidem pecuniæ acquirere valet, quæ rebus comparandis ſufficit, quas extrema vitæ neceſſitas exigit.

Per ſe patet, tacite ſupponi, eum, qui labore ſuo nihil acquirere valet, non habere alium acquirendi modum, etenim ſi prædia poſſidet, ex quorum fructibus vitæ neceſſitati proſpicere valet; is non opus habet, ut labore ſuo acquirat, unde vivat.

§. 357.

Quinam ad mendicitatem rediguntur. Quoniam ad mendicitatem redactus eſt, qui labore ſuo ne tantillum quidem pecuniæ acquirere valet, quæ rebus comparandis ſufficit, quas extrema vitæ neceſſitas exigit (§. 356.); *ſi quis labore ſuo ſaltem acquirit tantum pecuniæ, quantum conſumit, quando labore ſuo nihil acquirere valet*, cum ipſi etiam deficiant ea, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit, *ad mendicitatem redigitur*.

Incauti adeo ſunt, ne dicam ſtulti, qui cum nonniſi labore ſuo ſibi acquirere debent ea, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit, rebus voluptuariis impendunt pecuniam, qua futuræ neceſſitati proſpicere debebant. Mendicitatis enim periculo ſe atque ſuos exponunt.

§. 358.

Quando rerum fructuoſarum conſumtione ad mendicitatem quis redigatur. *Si quis non alio modo ea acquirere valet, quæ vitæ neceſſitati ſufficiunt, quam percipiendo fructus ex rebus, quas poſſidet; has conſumendo ad mendicitatem redigitur*. Quodſi enim quis non alio modo ea acquirere valet, quæ vitæ neceſſitati ſufficiunt, quam percipiendo fructus ex rebus, quas poſſidet, ubi has conſumſit, ea amplius acquirere non valet, quæ vitæ neceſſitati ſufficiunt, conſequenter tanta rerum inopia laborat, ut ipſi etiam deſint ea, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit. Quamobrem cum in tanta rerum inopia mendicitas conſiſtat (§. 52.); ſi quis non alio modo ea acquirere valet, quæ neceſſitati vitæ ſufficiunt, quam percipiendo fructus ex rebus, quas poſſidet, has conſumendo ad mendicitatem redigitur.

Qui alio modo nil acquirere valet, niſi fructus percipiendo ex rebus, quas poſſidet; ei loco laboris ſunt res fructuoſæ, quibus labor, quatenus lucrativus eſt, recte æquiparatur. Quemadmodum itaque ad mendicitatem redigitur, qui laborare non valet, ea autem, quæ vitæ neceſſitati ſufficiunt, nonniſi labore ſuo acquirere valet (§. 357.); ita etiam ad eandem redigi debet, qui res fructuoſas conſumit, non tamen alio modo, quam fructus percipiendo, ea acquirere valet.

§. 359.

Quando res fructuoſæ non faciant divitem. *Si quis res fructuoſas non plures poſſidet, quam ex quibus fructus percipiendo ea acquirere tenetur, quæ vitæ neceſſitati, ejus autem commoditati, aut jucunditati ac decori ægre ſufficiunt; is dives non eſt*. Quoniam enim fructus percipiendo ex rebus fructuoſis, quas poſſidet, ea acquirere tenetur, quæ vitæ neceſſitati equidem, ægre tamen ejus commoditati, aut jucunditati ac decori ſufficiunt, cum res conſumere nequeat, niſi ad mendicitatem redigi velit (§. 358.), is tantum vix ac ne vix quidem, nedum plus habet, quam quæ ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam ſufficiunt. Quamobrem cum dives non ſit, qui non plus habet, quam quæ ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam ſufficiunt (§. 240.); ſi quis res fructuoſas non plures poſſidet, quam ex quibus fructus percipiendo ea acquirere tenetur, quæ vitæ neceſſitati, ejus autem commoditati, aut jucunditati ac decori ægre ſufficiunt, is dives non eſt.

Nimirum ſi vitam commode, jucunde ac decore tranſigere vellet, res ipſe fructuoſæ conſumerentur, adeoque tandem ad mendicitatem redigeretur. Quamobrem ante obitum res iſtæ in numerum ſuperfluarum referri nequeunt, cum iis indigeat ad proſpiciendum vitæ neceſſitati, quamdiu vivit. Hinc idiomate patrio einen vermögenden Mann / non autem einen reichen appellare ſolemus, diſtinguendo ſcilicet facultatem patrimonii a divitiis. Paradoxum autem non eſt, ut, qui vivus dives haberi non poterat, moriatur dives.

§. 360.

§. 360.

Quando res fructuoſæ efficiant divitem.

Si quis ex rebus ſuis percipit fructus ad vitam commode, jucunde ac decore degendam ſufficientes dives eſt. Etenim cum res, ex quibus percipiuntur fructus, æquiparentur operis, quarum præſtatione acquiritur pecunia (§. 349.); perinde omnino eſt ac ſi tantum pecuniæ, quantum valent fructus, operis tuis acquireres. Quodſi ergo hi fructus ad vitam commode, jucunde ac decore degendam ſufficiunt, perinde omnino eſt ac ſi præter ea, quæ ad vitam commode, jucunde ac decore degendam ſufficiunt, haberes adhuc res alias, conſequenter ſuperfluum continet patrimonium tuum (§. 239.). Quamobrem cum dives ſit, cujus patrimonium ſuperfluum continet (§. 240.); ſi quis ex rebus ſuis percipit fructus ad vitam commode, jucunde ac decore degendam ſufficientes, dives eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si quis ex rebus ſuis percipit fructus ad vitam commode, jucunde ac decore degendam ſufficientes, cum res fructuoſæ hoc non obſtante conſerventur, pecunia vero, qua æſtimatur pretium rerum, quæ iis utendo fruendo non conſumitur, accenſenda pecuniæ ſuperfluæ (§. 350.), is plus habet, quam quæ ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam ſufficiunt. Quoniam itaque dives eſt, qui plus habet, quam quæ ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam ſufficiunt (§. 240.); dives omnino eſt, qui ex rebus ſuis percipit fructus ad vitam commode, jucunde ac decore degendam ſufficientes.

Videmus adeo res fructuoſas non ſolum in ſe, ſed etiam in relatione ad poſſeſſorem ſpectari debere, ubi definiendum, num poſſeſſorem faciant divitem. Animo recolenda ſunt, quæ de ſtatu medio inter paupertatem & divitias ſupra monuimus (§. 240.), ex iis enim haud obſcure intelligitur, eum, quem res fructuoſæ divitem non faciunt, non tamen ideo dici poſſe pauperem. Quamvis adeo ex rebus tuis percepti fructus tantummodo ſufficiant neceſſitati vitæ, ut adeo res fructuoſæ te minime faciant divitem (§. 359.); quatenus tamen pecunia, qua pretium illarum æſtimatur, ſuperfluæ accenſenda (§. 350.), nec pauper dici potes (§. 238.), quemadmodum ille, qui nonniſi labore ſuo tantum acquirere valet, quantum ad proſpiciendum vitæ neceſſitati ſufficit (§. 354.); obtinet adeo inter paupertatem ac divitias ſtatus intermedius, quo idiomate patrio dicimus: er hat ſein nöthiges Auskommen, hoc eſt, facultas patrimonii ipſius ſufficit ad res neceſſarias ſibi comparandas.

§. 361.

Idem porro expenditur.

Quoniam dives eſt, qui ex rebus ſuis percipit fructus ad vitam commode, jucunde ac decore degendam ſufficientes (§. 360.); multo magis *dives eſt, qui ex rebus ſuis plures percipit fructus, quam qui ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam requiruntur, vel etiam alio adhuc modo pecuniam acquirit, aut qui tantum pecuniæ operis ſuis acquirere valet, quantum ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam ſufficit, vel plus acquirit, & præterea fructus qualeſcunque ex rebus ſuis percipit, quibus ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam non habet opus.*

Notanda vero hic ſunt, quæ ante demonſtravimus (§. 347.) de eo, qui commoditatem, jucunditatem ac decorem vitæ inſuper habet ſolis neceſſariis ultro contentus. Abunde jam docuiſſe nobis videmur, quomodo de divitiis ferendum ſit judicium, ne a fixo vocabuli ſignificatu recedatur, cujus vulgo ſignificatus admodum vagus eſt, propterea quod in æſtimando ſuperfluo, in quo divitiæ conſiſtunt (§ 240), a veritate receditur. Id tantummodo obſervamus, poſtquam ſtatus civilis homines fecit inæquales, eundem quoque neceſſitati vitæ admiſcuiſſe decorem, ut adeo pro diverſa hominum conditione non ſit eadem. Sed de hac diverſitate diſertius dici poterit, quando de ſtatu civili acturi ſumus.

§. 362.

§. 362.

Quatenus egenus poſſidere poſſit res fructuoſas.

Si quis præter fructus, quos ex rebus ſuis percipit, nihil acquirere valet, hi autem ad comparandas res neceſſarias minime ſufficiunt; is egenus eſt. Quodſi enim præter fructus, quos ex rebus percipit, nihil acquirere valet, hi autem ad comparandas res neceſſarias minime ſufficiunt; ſi res conſumere vellet, ea ipſi foret inopia, ut deeſſent, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit; conſequenter ad mendicitatem redigeretur (§. 52.). Quoniam tamen iiſdem conſervatis, res etiam neceſſariæ ipſi deficiunt, egenus vero eſt, in cujus patrimonio res neceſſariæ deficiunt (§. 238.); ſi quis præter fructus, quos ex rebus ſuis percipit, nihil acquirere valet, hi autem ad comparandas res neceſſarias minime ſufficiunt, is omnino egenus eſt.

Propoſitio præſens probe notanda eſt, cum egenis etiam danda ſit eleemoſyna (§. 244.), haud raro autem eadem indigni cenſeantur, qui res quaſdam fructuoſas, præſertim immobiles, adhuc poſſident, propterea quod non perpenditur, ad mendicitatem redigi egenum, ſi res fructuoſas, ex quibus pro parte proſpicere poteſt vitæ neceſſitati, conſumere velit, immo egeſtatem quoad ea, quæ ad vitæ neceſſitatem deſunt, quando ea labore ſuo acquirere nequit egenus, mendicitati æquiparari (§. 243.).

§. 363.

Reditus quid ſint.

Reditus dicuntur ea, quæ ex rebus noſtris, vel operis noſtris acquirimus. Idiomate patrio vocantur Einkünffte, & ſi in pecunia conſiſtunt, vel pecunia æſtimantur, Einnahme. Hinc *annui reditus* appellantur, qui ſinguli unius anni ſpatium proveniunt. *Reditus ſtati* ſunt, qui ſingulis annis iidem ſunt: *Variabiles* vero, ſeu *non ſtati*, qui uno anno majores, alio minores ſunt.

Ita reditus ſtati ſunt pecunia, quam tibi alter quotannis ſolvere tenetur ex re ſua; aſt ſi dare tenetur decem modios frumenti, cum hujus pretium non ſit conſtans, ſed nunc creſcat, nunc decreſcat, reditus ſtati non ſunt, ſed variabiles. Similiter ſi quis operis ſuis uno anno plus acquirit, quam alio, reditus hi non ſtati ſunt, ſed variabiles.

§. 364.

Expenſæ quid ſint & num impenſæ ad eas referendæ.

Expenſæ dicuntur pecunia, qua quis res ſibi comparat, quæ vel uſu conſumuntur, vel deteriorantur, & quæ gratis datur aliis. Quoniam itaque impenſæ fiunt rei conſervandæ, & utendæ fruendæ gratia, vel in fructuum perceptionem fiunt (§. 603. *part. 2. Jur. nat.*); *impenſæ in expenſarum numero ſunt*. Sunt autem *expenſæ ordinariæ*, quæ quovis tempore ſeu conſtanter fiunt; *extraordinariæ* autem, quas nonniſi caſu emergente fieri neceſſe eſt.

Exempli gratia. Expenſæ in victum & amictum quotidianum factæ ordinariæ ſunt; aſt impenſæ in ædes reficiendas factæ extraordinariæ.

§. 365.

Expenſarum differentia.

Expenſæ neceſſariæ ſunt, quæ rerum neceſſariarum comparandarum gratia fiunt, vel in impenſis neceſſariis conſiſtunt. *Voluptuariæ* ſunt, quæ rerum voluptuariarum comparandarum, vel voluptatis percipiendæ gratia fiunt. *Minus neceſſariæ* ſunt, quæ fiunt rerum comparandarum gratia, quibus carere poteras. *Inutiles* ſunt, quæ fiunt rerum, quæ nulli tibi ſunt uſui, comparandarum gratia. *Utiles* ex adverſo, quæ in impenſis utilibus conſiſtunt. *Non inutiles* appellare libet eas, quæ rerum utilium comparandarum gratia pro facultate patrimonii fiunt.

Quoniam ſtatus civilis homines fecit inæquales, ita ut decor accedat ad vitæ neceſſitatem, res neceſſariæ non eodem prorſus modo diſcernuntur a minus neceſſariis in ſtatu naturali atque civili. Ne autem quis exiſtimet, definitiones eſſe nimis arctas, probe conſiderandum, quando res ſimpliciter dicimus, ſub iis etiam comprehendi res incorporales. Ita parentes obligantur ad conciliandos liberis habitus animæ, veluti ut liberos in religione & arte quadam, vel opificio inſtitui curent. Expenſæ adeo ea fini factæ neceſſariæ ſunt.

§. 366.

Quando quis fiat ditior, quando pauperior, quando patrimonium non mutetur.

Si reditus annui ſuperent expenſas annuas, ditior evadis; ſi ex adverſo expenſæ annuæ ſuperent reditus annuos, pauperior fis; ſi denique expenſæ adæquent reditus annuos, patrimonium, quod habes, non mutatur. Etenim cum reditus annui æſtimentur pecunia, quam ex rebus tuis vel operis tuis acquiris (§. 363.), expenſæ autem annuæ ſint pecunia, quæ res uſu conſumendas, vel deteriorandas comparandi gratia erogatur, vel etiam gratis datur (§. 364.); ſi reditus annui ſuperent expenſas annuas, finito anno pecunia tibi ſuperflua eſt (§. 347.). Quamobrem cum dives ſit, qui multum pecuniæ ſuperfluæ habet (§. 352.), adeoque ditior evadat, ſi eadem augeatur; ditior utique evadis, ſi reditus annui ſuperent expenſas annuas. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi expenſæ annuæ ſuperent reditus annuos, aut pecunia, quæ tibi erat ſuperflua, eroganda, aut contrahenda ſunt debita *per demonſtrata*. Quamobrem cum divitiæ æſtimentur pecunia ſuperflua (§. 353.); ſi expenſæ annuæ ſuperent reditus annuos, divitiæ non augentur, ſi quas habes, ſed diminuuntur, &, ubi debita contrahis, tandem ad egeſtatem (§. 355.), certe ad paupertatem redigeris (§. 354.), conſequenter pauperior fis. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi expenſæ annuæ adæquent reditus annuos, finito anno nihil pecuniæ acquiſitæ reſtat, *per demonſtrata*, conſequenter cum patrimonii magnitudo pecunia æſtimetur (§. 341.), nihil vero pecuniæ eidem accedat, nihil decedat, patrimonium quoque non mutatur. *Quod erat tertium.*

Si quis multas habet divitias, quando expenſæ annuæ ſuperant reditus, non quidem ſtatim ex divite fit pauper (§. 238. 240.); quoniam tamen divitiæ decreſcunt, earum continua imminutio ad paupertatem gradus eſt, ita ut, niſi tempeſtive ſiſtatur, in paupertatem incidat, qui fuerat dives. Ecquis enim eſt, qui ignorat, hoc modo maximas dilabi opes. Hinc & communis fert uſus loquendi, ut pauperiorem fieri dicamus eum, cujus opes diminuuntur.

§. 367.

Quomodo paupertas declinanda.

Quoniam pauperior fit is, cujus expenſæ annuæ ſuperant reditus (§. 366.); *Qui paupertatem fugit, cavere debet, ne reditus annuos excedant expenſæ, ſed danda eidem potius opera eſt, ut expenſas ſuperent reditus.*

Bona fortunæ non ſemper in noſtra poteſtate ſunt. Quamobrem fieri poteſt, ut quis etiam ſine culpa ſua in paupertatem incidat: cavendum tamen eſt, ne hoc fiat culpa noſtra. Dantur caſus varii, quos evitare noſtrum non eſt, opes vel maximas evertentes: de quibus dicere nil attinet ac a præſenti inſtituto alienum eſt. Quamobrem cum ad impoſſibile nemo obligari poſſit (§. 209. *part.* 1 *Phil. pract. univ.*); nec lex naturæ nos obligare valet ad caſus iſtos evitandum.

§. 368.

Quantum pecuniæ acquirere teneamur.

Operam dare pro virili debemus, ut tantum pecuniæ acquiramus, quantum ad vitam commode ac jucunde, immo etiam decore tranſigendam ſufficit. Obligamur enim non modo ad vitam conſervandam (§. 350. *part.* 1. *Jur. nat.*), verum etiam ad eam commode (§. 466. *part* 1. *Jur. nat.*) & jucunde tranſigendam (§. 471. *p.* 1. *Jur. nat.*), & ad faciendum, quod decorum eſt (§. 205. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ad vitam conſervandam eandemque commode, jucunde ac deco-

decore tranſigendam opus habeamus rebus ac operis pecunia comparandis (§. 293.); quin operam pro virili dare debeamus, ut tantum pecuniæ acquiramus, quantum ad vitam commode ac jucunde, immo etiam decore tranſigendam ſufficit, dubitandum non eſt.

Cum actio legi naturæ contraria peccatum ſit (§. 440. *p.* 1. *Phil. pract. univ*), durum videri nonnullis non ignoro, quod urgeamus acquiſitionem pecuniæ ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam ſufficientis. Enimvero hi ſunt, qui animum non attendunt ad reſtrictionem adjectam, quod opera danda ſit pro virili, ne ſi quid deficiat, quod ea fini neceſſarium, id nobis imputandum veniat. Quodſi enim deficiant vires, voluntas ſufficit & conatus.

§. 369.

An proſpiciendum ſit futuræ vitæ neceſſitati.

Futuræ etiam, quantum datur, vitæ neceſſitati proſpicere debemus. In vulgus conſtat, multos emergere poſſe caſus, in quibus expenſæ extraordinariæ requiruntur (§. 364.), & in quibus vel nihil acquirere, vel non tantum acquirere valemus, quantum expenſæ inevitabiles exigunt. Quamobrem cum pro virili operam dare teneamur, ut tantum pecuniæ acquiramus, quæ ad vitam commode ac jucunde, immo etiam decore tranſigendam ſufficit (§. 368), primo autem loco rerum neceſſariarum habenda ratio (§. 502. *part.* 1. *Jur. nat.*); danda omnino opera eſt, ne noſtra culpa deſint res neceſſariæ in caſu aliquo emergente, vel deficiat pecunia ad expenſas extraordinarias requiſita. Futuræ igitur etiam neceſſitati, quantum datur, proſpicere debemus.

Imaginem hujus juris conſpicere licet in brutis, quæ natura adeo provida fecit, ut, ſi quo tempore reperire nequeant alimenta ſibi convenientia, ea tempeſtive colligant & loco convenienti recondant, immo etiam ſolertia ſua præcaveant, ne corrumpantur. Ad quæ adeo bruta naturali quodam impetu feruntur, ea hominibus rationis uſu pollentibus animo deliberato agenda ſunt (§. 390. *part.* 3. *Jur nat.*). Neque abhorret propoſitio præſens a notionibus communibus: audimus enim eos reprehendi, qui, quæ futuræ neceſſitati proſpicientes conſervare poterant, conſumere malunt.

§. 370.

An futuro vitæ decori proſpiciendum.

Proſpiciendum eſt, quantum datur, ne deſint ſumtus extrordinarii, quos fieri jubet vitæ decor. Etenim pro virili operam dare tenemur, ut tantum pecuniæ acquiramus, quæ ad vitam etiam decore agendam ſufficit (§. 368.). Quamobrem cum caſus emergere poſſint, in quibus ſumtus extraordinarios exigit decor vitæ; quin etiam proſpiciendum ſit, quantum detur, ne deſint ſumtus extraordinarii, quos fieri jubet vitæ decor, dubitandum non eſt.

Quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 368.), etiam animo hic recolenda ſunt, ne obligationem naturalem in nimium extendere videamur. Ceterum Germani ſatis accurate diſtinguunt ſumtus, quos fieri jubet præſens vitæ conditio, ab iis, quibus opus eſt in caſu emergente vel ad proſpiciendum neceſſitati, vel ad ſatisfaciendum decori vitæ. Illos enim den Zehr-Pfenig, iſtos den Noth-Pfenig, hoc den Ehren-Pfennig appellant, quaſi illum dixeris nummum conſumtionis, iſtum nummum neceſſitatis, hunc vero nummum honoris.

§. 371.

Modus in erogando pecunia ſervandus.

In eroganda pecunia ſervandus ita eſt modus, ut, quantum datur, reditus annui ſuperent expenſas. Operam enim dare debemus, quantum datur, ne deſint ſumtus extraordinarii, quos fieri jubet vitæ decor (§. 370.), & futuræ etiam, quantum datur, neceſſitati proſpiciendum (§. 369.). Neceſſe igitur eſt, ne pecunia omnis,

quæ

quæ ex rebus vel operis noſtris acquiritur, ſint reditus (§. 363.), quæ vero rerum uſu conſumendarum aut deteriorandarum gratia erogatur, vel gratis datur, expenſæ (§. 364.); in eroganda pecunia ſervandus eſt modus, ut reditus annui ſuperent expenſas, quantum datur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui pecuniam omnem erogat, ei nihil ſupereſt, quo futuræ neceſſitati proſpicere poſſit, ac deſunt ſumtus extraordinarii, quos fieri jubet decor vitæ, conſequenter is nec futuræ neceſſitati proſpicit, nec de ſumtibus extraordinariis, quos vitæ decor fieri jubet, cogitat. Quoniam itaque futuræ non modo neceſſitati, quantum datur, proſpicere debemus (§. 369.), verum etiam ne deſint ſumtus extraordinarii, quos decor vitæ fieri jubet (§. 370.); quantum datur cavere debemus, ne omnis, quæ acquiritur, pecunia erogetur. Quamobrem in eroganda pecunia ita ſervandus eſt modus, ut, quantum datur, reditus annui ſuperent expenſas.

Non deerunt forſan; qui exiſtimaturi ſunt, talia potius ad prudentiam œconomicam, quam ad Jus naturæ eſſe referenda: ſed hi erunt, qui omnem obligationis, quæ a lege naturæ venit, amplitudinem minime proſpiciunt, non perpendentes legem naturæ nos obligare tam ad recte (§. 189. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), quam ad prudenter agendum (§. 258. *part.* 1. *Jur. natur.*), qualiſcunque tandem ſit actio, modo eam ita determinare in poteſtate noſtra ſit (§. 176. *p.* 1. *Jur. nat.*). Culpam quamlibet vitare debemus (§. 299. *part.* 1 *Jur natur.*). Quamobrem nec culpa noſtra deficere debent, quæ futura neceſſitas exigit, nec deſſe debent ſumtus, quos vitæ decor fieri jubet in caſu emergente. Culpa autem tua hæc deſunt, ſi non eum ſerves modum in eroganda pecunia, quem ſervare poteras, ut reditus annui ſuperent expenſas.

§. 372.

Quoniam in eroganda pecunia ita ſervandus eſt modus, ut, quantum datur, reditus annui ſuperent expenſas (§. 371.), ne ſcilicet deſint, quæ futura neceſſitas exigit, vel decor vitæ extraordinarie requirit (§. 369. 370.); *ſi reditus minime ſufficiunt ad vitam commode ac jucunde omni modo degendam*, cum res neceſſariæ utilibus ac voluptuariis præferendæ (§. 502. *part.* 1. *Jur. nat*), quarum illæ ad vitam commode (§. 500. *part.* 1. *Jur. nat.*), hæ autem ad eandem jucunde tranſigendam faciunt (§. 501. *part.* 1. *Jur. nat.*), *expenſis voluptuariis, immo etiam utilibus, quantum fieri poteſt, detrahendum, quantum in futuros uſus ſervandum.* *Quomodo expenſæ diminuendæ.*

Quantum detrahi poſſit, ex circumſtantiis ſingularibus dijudicandum, ne quicquam committatur, quod prudentiæ ſit adverſum (§. 256. *part.* 1. *Jur. natur.*): Id quod fieri minime debet (§. 258. *p.* 1. *Jur. nat.*).

§. 373.

Ab expenſis inutilibus prorſus eſt abſtinendum. Etenim dominus re ſua non aliter uti, conſequenter nec pecuniam erogare debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167. *part.* 2. *Jur. nat*). Quamobrem cum rebus, quæ nullius tibi ſunt uſus, carere poſſis, etiamſi vitam commode, jucunde ac decore tranſigere velis; expenſæ inutiles minime fiunt ea fini, ut obligationi cuidam naturali ſatisfacias (§. 365.). Ab expenſis igitur inutilibus prorſus abſtinendum. *A quibus expenſis ſit abſtinendum.*

Jure adeo interno, quod urget rectam bonorum adminiſtrationem, expenſæ inutiles ſunt illicitæ, etiamſi jure externo permittendæ, quamdiu nil fit contra jus tertii (§. 169. *part.* 2. *Jur. nat.*). Hinc etiam vulgo recte reprehenduntur, qui res inutiles ſibi comparant, etiamſi pro facultate patrimonii ſui expenſas inutiles facere poſſint. Tanto magis autem neceſſe erat, propoſitionem præſentem non prætermitti, cum a facientibus non agnoſcatur iſtuſmodi expenſas illicitas eſſe jure interno, ſeu contra conſcientiam.

§. 374.

Quinam abſtinere debeant ab expenſis minus neceſſariis.

Qui tenue habet patrimonium, ab expenſis minus neceſſariis abſtinere debet. Qui enim tenue habet patrimonium, cum hoc pauca bona contineat (§. 452. *part. 2. Jur. nat.*) & magnitudo ejuſdem pecunia æſtimetur (§. 341.), non multum pecuniæ habet ſuperfluæ (§. 239.). Quamobrem cum in eroganda pecunia ita ſervandus ſit modus, ut, quantum datur, reditus annui ſuperent expenſas (§. 371.), & quilibet obligetur ad patrimonium ſuum conſervandum & amplificandum, quantum in poteſtate ſua fuerit (§. 458. *part. 2. Jur. nat.*), expenſæ autem minus neceſſariæ fiant rerum comparandarum gratia, quibus carere poteras (§. 365.); qui tenue habet patrimonium, ab expenſis minus neceſſariis abſtinere debet.

Diſtinguimus res nobis prorſus inutiles a minus neceſſariis. Illæ nimirum nobis nulli prorſus ſunt uſui: hæ quidem faciunt ad aliquam vitæ commoditatem vel jucunditatem, ſed qua carere poteramus, immo pro facultate patrimonii carere debebamus, quod futura quædam neceſſitas; cui proſpiciendum (§. 369.), vel extraordinarii quidam ſumtus, quos fieri jubet vitæ decor, & quorum a nobis habenda ratio eſt (§. 370.), præferri debeant præſenti commoditati vel jucunditati (§. 502. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 375.

Quando expenſæ inutiles ac minus neceſſariæ non ſint illicitæ.

Si quis pro facultate patrimonii ſui in gratiam eorum, qui pecunia maxime indigent, res ſibi inutiles ac minus neceſſarias ab iis ſibi comparat; expenſæ inutiles & minus neceſſariæ non ſunt illicitæ. Quicquid enim facere potes, ne deſint aliis, quæ ad vitam conſervandam, immo commode, jucunde ac decore tranſigendam requiruntur, ad hoc faciendum obligaris (§. 644. 645. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ſi pro facultate patrimonii tui fieri poteſt, & ab iis, qui pecunia maxime indigent, tibi comparare potes res tibi inutiles ac minus neceſſarias; quin hoc facere liceat dubitandum non eſt (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque expenſæ inutiles ſunt, quæ fiunt rerum inutilium comparandarum gratia, minus autem neceſſariæ, quæ fiunt ad res minus neceſſarias comparandas (§. 365.); expenſæ inutiles & minus neceſſariæ non ſunt illicitæ, ſi pro facultate patrimonii tui ab iis, qui pecunia maxime indigent, res etiam tibi inutiles ac minus neceſſarias in eorum gratiam tibi compares (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Equidem lex naturæ jubet; ut ab expenſis inutilibus abſtineamus, quatenus in eroganda pecunia ad ſtatum noſtrum reſpicimus, conſequenter de officiis erga ſeipſum agitur. Sed eadem lex quoque urget officia erga alios (§ 608. *p. 1. Jur. natur.*). Quamobrem ſi quis actus temerarius eſt, ubi eum refers ad officia erga te ipſum, adeoque lege naturali minime permiſſus (§. 270. *part. 3. Jur. nat.*), idem tamen temerarius non eſt, quando refertur ad officia erga alios. Illicitus eſſe deſinit, quando officia erga alios eundem exigunt: id quod obtinet in expenſis inutilibus & ſuo etiam modo in minus neceſſariis. Nimirum expenſæ inutiles & minus neceſſariæ obſtant amplificando patrimonio. Quoniam vero ad patrimonium amplificandum non obligamur, niſi quantum in poteſtate noſtra eſt (§. 458 *p. 2. Jur. nat.*); non ita eidem amplificando ſtudere debemus, ut deſimus officiis erga alios, cum rectus dominii uſus etiam convenire debeat officiis erga alios (§. 167. *part. 2. Jur. nat.*), ad quæ non minus obligamur, quam ad officia erga noſmetipſos (§. 608. *p. 1. Jur. nat.*). Aliter adeo judicandum eſt de expenſis, quatenus aliorum, a quibus res quædam comparantur, habetur ratio. Quodſi ergo in dato quocunque caſu particulari probe conſideres, quid pro facultate patrimonii tui fieri poſſit, & ad quid faciendum aliis tenearis; haud difficulter diſcernes expenſas licitas & illicitas, nec quæ in ſe ſpectatæ citra reſpectum ad alios pro illicitis habendæ, eas etiam illicitas habebis, quatenus aliorum gratia fiunt. Quodſi divites, quorum amplum eſt patrimonium (§. 240.), res nullas inutiles ac minus neceſſarias ſibi comparare vellent: multi haud raro homines ad paupertatem, immo egeſtatem ac ipſam mendicitatem redigerentur: de quo diſertius dicendi alibi locus erit.

§. 376.

§. 376.

Expenſæ neceſſariæ præferendæ ſunt non inutilibus & voluptuariis & non inutiles voluptuariis. Expenſæ enim neceſſariæ fiunt rerum neceſſariarum, non inutiles, utilium, voluptuariæ voluptuariarum comparandarum gratia (§. 365.). Quamobrem cum res utiles voluptuariis, neceſſariæ autem & utilibus, & voluptuariis ſint præferendæ (§. 502. *part.* 1. *Jur. nat.*); expenſæ etiam non inutiles voluptuariis & neceſſariæ tam non inutilibus, quam voluptuariis præferendæ ſunt. *Ordo expenſarum.*

§. 377.

Ad expenſas utiles faciendas obligamur, modo eas neceſſariis non præferamus. Etenim expenſæ utiles in impenſis utilibus conſiſtunt (§. 365.). Sed ad impenſas utiles faciendas obligamur (§. 609. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo etiam obligamur ad expenſas utiles faciendas. *Quod erat unum.* *Quid de impenſis utilibus tenendum.*

Expenſæ neceſſariæ vel in impenſis neceſſariis conſiſtunt, vel rerum neceſſariarum gratia fiunt (§. 365.). Enimvero impenſæ neceſſariæ utilibus præferendæ (§. 610. *part.* 2. *Jur. nat.*), & res neceſſariæ ceteris omnibus anteponendæ (§. 502. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem expenſas neceſſarias utilibus præferre debemus. *Quod erat alterum.*

Ut veritas propoſitionis præſentis clarius pateat, non modo relegenda ſunt, quæ de impenſis neceſſariis, quatenus utilibus præferendæ, alibi annotavimus (*not.* §. 610. *part.* 2. *Jur. nat.*), verum etiam definitio rerum neceſſariarum ad animum revocanda (§. 499. *part.* 1. *Jur. natur.*). Ceterum nemo exiſtimet, quaſi ea, quæ de expenſarum differentia inculcantur & demonſtrantur, ſuperflua ſunt, nec locum in Jure naturæ mereantur. Faciunt enim ad rectam bonorum ſuorum adminiſtrationem, ad quam nos obligari lege naturali negare nequit, qui omnem ejus amplitudinem perſpexit (§. 189. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), & in adminiſtratione rerum alienarum eorum habenda inprimis ratio eſt, quando de culpa adminiſtratoris ſtatuendum, ſit ita quod jure externo de rebus, adeoque etiam de pecunia ſua, diſponere poſſit dominus, quemadmodum viſum fuerit (§. 169. *part.* 2. *Jur. natur.*). Equidem in Jure civili provocantur ad exemplum diligentis patrisfamilias; non tamen hoc ſufficit in Jure naturali, ubi demonſtrandum, quodnam ſit boni patrisfamilias officium & in quo ejus diligentia conſiſtat: neque enim hic ſtatur hominum opinionibus, quæ num veritati conſentaneæ ſint, an vero ab eadem recedant, ex principiis Juris naturæ dijudicandum.

§. 378.

Expenſæ neceſſariæ ceteris omnibus præferendæ. Expenſæ enim neceſſariæ rerum neceſſariarum comparandarum gratia fiunt, vel in impenſis neceſſariis conſiſtunt (§. 365.). Enimvero res neceſſariæ rebus omnibus aliis (§. 502. *part.* 1. *Jur. nat.*) & impenſæ neceſſariæ ceteris impenſis omnibus præferendæ (§. 610. 611. *part.* 2. *Jur. nat.*). Expenſæ igitur neceſſariæ ceteris omnibus præferendæ. *Prærogativa expenſarum neceſſariarum.*

Ex iis, quæ de expenſis demonſtrata ſunt, non modo definire licet officium prudentis patrisfamilias in adminiſtrandis bonis ſuis; verum etiam determinatur, quid fieri debeat, ne expenſæ ſuperent reditus (§. 371.), ut non modo futuræ neceſſitati proſpiciatur (§. 369.), verum etiam ne deſint ſumtus extraordinarii, quos vitæ decor requirit (§. 370.), & ut patrimonium, quantum datur, augeatur (§. 366. & §. 468. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 379.

Pecuniam non alio fine erogare debemus, quam ut ſatisfaciamus obligationi cuidam naturali. Unuſquiſque enim patrimonio ſuo aliter uti debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 455. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec re ſua etiam aliter uti debet (§. 167. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum patrimonium pecunia *Principium generale de pecunia eroganda.*

nia æſtimetur (§. 341.), nec eadem erogetur niſi rerum ac operarum ab aliis ſibi comparandarum gratia (§. 293.), niſi gratis detur aliis (§. 18.); pecuniam non alio fine erogare debemus, quam ut ſatisfaciamus obligationi cuidam naturali.

Quodſi ergo officia cum erga ſeipſum; tum erga alios tibi probe fuerint perſpecta, & eorum rationem habeas, quoties pecunia eroganda, uſum ab abuſu haud difficulter diſtingues. Etenim quemadmodum nobis lex naturæ præter uſum rerum neceſſarium non aliud tribuit jus in communione primæva (§. 21. *part.* 2. *Juris nat.*); adeoque nonniſi eo fine, ut obligationi naturali ſatisfaciamus (§. 12. *part.* 2. *Jur. nat.*); ita etiam introductis dominiis rerum (§. 167. *part.* 2. *Jur. nat.*) & inventa pecunia nec aliter pecunia uti debemus, quam ut ſatisfaciamus obligationi cuidam naturali (§. 293.).

§. 380.

Idem ulterius declaratur.

Quoniam pecuniam non alio fine erogare debemus, quam ut ſatisfaciamus obligationi cuidam naturali (§. 379.), ad vitam vero non modo conſervandam (§. 350. *part.* 1. *Jur. nat.*) ſed & ad eam commode (§. 466. *part.* 1. *Jur. nat.*), jucunde (§. 471. *part.* 1. *Jur. nat.*) & decore tranſigendam (§. 205. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), animamque perficiendam (§. 173. *part.* 1. *Jur. nat.*), & ad aliorum perfectionem promovendam obligamur (§ 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quantum fieri a nobis poteſt (§. 611. *part.* 1. *Jur. nat.*), expenſæ tamen aliæ aliis præferendæ (§. 373. & *ſeqq.*); *pecuniam non alio fine erogare debemus, quam ut vitam conſervemus, eandemque, quantum datur, commode, jucunde ac decore tranſigamus, animamque perficiamus & aliorum perfectionem, quantum fieri poteſt, promoveamus.*

Non eſt quod exiſtimes, propoſitionem præſentem arctioribus limitibus conſtringi, quam par eſt; etenim pecuniam quoque erogari pro rebus immobilibus, quibus non utimur ad vitam vel conſervandam, vel commode, jucunde ac decore tranſigendam, multo minus ad animam perficiendam, aut aliorum perfectionem promovendam. Etenim res iſtas nobis comparamus fructuum percipiendorum, conſequenter pecuniæ lucrandæ gratia, adeoque eundem nobis præſtant uſum, quem habent fructus aut pecunia pro iis acquiſita.

§. 381.

Parſimonia quid ſit.

Parſimonia virtus eſt, qua expenſas ita moderamur, ne qua ex parte deſimus officio alicui vel erga nos ipſos, vel erga alios, pro facultate patrimonii noſtri. Idiomate vernaculo dicitur die Sparſamkeit, quemadmodum Sparſam, qui huic virtuti deditus, latino ſermone *Parcus* dicendus, cum aliud vocabulum commodum deficiat, ſit ita quod haud raro in malo ſumatur ſignificatu.

Difficile eſt judicare, num in expenſis ſatisfiat officiis erga ſeipſum & alios, cum eadem varient pro facultate patrimonii & a multis circumſtantiis dependeant. Hinc non mirum, quod haud raro ad vitium trahantur, quæ virtutis ſunt, & vocabulorum ſignificatus fiat vagus. In philoſophia autem vocabula revocanda ſunt ad ſignificatum fixum, & determinatum (§. 144. *Diſc. præl.*), non attenta inconſtantia loquendi, quæ vulgo obtinet.

§. 382.

An parci eſſe debeamus.

Quoniam pecunia non alio fine eroganda, conſequenter expenſæ non alio fine fieri debent (§. 364.), quam ut ſatisfiat obligationi cuidam naturali (§. 379.), adeoque officio cuidam, vel erga ſeipſum, vel erga alios (§. 225. 226. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), parſimonia autem ita moderatur expenſas, ne qua ex parte deſimus officio alicui erga noſmetipſos, vel erga alios, pro facultate patrimonii noſtri (§. 381.); *parſimoniæ dediti, adeoque parci eſſe debemus.*

Haud raro equidem qui parcus eſt reprehenſionem aliorum incurrit quaſi tenax & avarus: ſed ſiniſtra hominum judicia veritati præjudicium minime faciunt. Recte omnino *Cicero*

par-

parſimoniam magnum vectigal dixit & ad rem familiarem conſervandam & rebus augendam requiſivit, ut adeo optandum foret homines omnes virtuti huic deditos eſſe. Patet autem ex anterioribus, parſimoniam minime obſtare, quo minus unuſquiſque pro facultate patrimonii ſui vitam commode, jucunde ac decore tranſigat; & erga alios liberalis ſit (§. 380. 251.).

§. 383.

An parcus ſit illiberalis.

Qui parcus eſt, illiberalis non eſt. Etenim qui parcus eſt, expenſas ita moderatur, ne deſit officio cuidam erga alios (§. 381.). Quamobrem cum illiberalitas lege naturali prohibita ſit (§. 253.), adeoque officio erga alios deſit, qui illiberalis eſt (§. 225. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui parcus eſt, illiberalis non eſt.

Non minus liberalitas (§. 251.), quam parſimonia lege naturali præcepta eſt (§. 382.), lex autem naturæ non præcipit contradictoria: id quod idem omnino foret, quam ad impoſſibile obligare (§. 79. *Ontol.* §. 164. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ad impoſſibile autem nemo obligari poteſt (§. 209. *p. 1. Phil. pract. univ.*):

§. 384.

Quantas expenſas faciat parcus.

Qui parcus eſt, non facit expenſas ultra eas, quas officium aliquod erga ſeipſum, vel erga alios pro facultate patrimonii ſui exigit. Moderatur enim expenſas ſuas ita, ne deſit ulla ex parte officio alicui erga ſeipſum, vel erga alios pro facultate patrimonii ſui (§. 381., adeoque ex officio erga ſeipſum & alios atque patrimonii ſui magnitudine determinat expenſas. Quamobrem nec facit expenſas ultra eas, quas officium aliquod erga ſeipſum, vel erga alios pro facultate patrimonii ſui exigit.

§. 385.

Prodigalitas quid ſit.

Prodigus dicitur, qui plures & majores facit pro facultate patrimonii ſui expenſas, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel erga alios exigit. Unde *Prodigalitas* aut, ſi mavis, *Prodigentia* vitium eſt, quo quis plures & majores facit pro facultate patrimonii ſui expenſas, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel erga alios exigit. Unde ſequitur, *prodigum in eroganda pecunia modum excedere, quem parſimonia præſcribit* (§. 381.).

Probe notandum eſt, in dijudicanda prodigalitate rationem habendam eſſe patrimonii, quod quis habet: cum enim parſimonia determinare jubeat expenſas officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios convenientes ex magnitudine patrimonii (§. 384.); fieri omnino poteſt, ut propter eaſdem expenſas in eodem caſu factas unus ſit prodigus, alter nil quicquam committat, quod parſimoniæ adverſum ſit. Sane ſi quis non proſpicit neceſſitati futuræ, ſed eidem præfert expenſas voluptuarias præſentes, vel etiam minus neceſſarias; pro prodigo omnino habendus, etſi vulgo non habeatur. Aſt ſi quis amplum habet patrimonium, ut fructus abunde ſufficiant non modo vitæ commode, jucunde ac decore tranſigendæ; verum etiam expenſis extraordinariis cujuſvis generis, etſi is nullis ſumtibus parcat, qui huc requiruntur, non tamen ideo prodigus dici poteſt, cum nil committat, quod officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios repugnet, nec ultra facultatem patrimonii pecuniam eroget. Infiniti dantur prodigalitatis gradus, ex circumſtantiis ſingularibus determinandi. Quamobrem probe omnia expendenda ſunt, ne judicium deproperetur, ſive aliquem in numerum prodigorum referre, ſive eundem ex eodem eximere volueris. Deproperata autem vulgi judicia, quemadmodum in omni re morali, ita etiam de erogata pecunia non attendenda.

§. 386.

An prodigalitas l. n. prohibita.

Prodigalitas lege naturali prohibita. Qui enim prodigus eſt, in eroganda pecunia modum excedit, quem parſimonia præſcribit (§. 385.). Quamobrem cum parſi-

parſimonia lege naturali ſit præcepta (§. 382.), lex vero præceptiva contineat prohibitivam contrarii (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*); prodigalitas lege naturali prohibita.

§. 387.

Luxus quid ſit. *Luxus* dicitur profuſio pecuniæ ſolius oſtentationis cauſa. Vernaculo ſermone vocatur Uebermuth. *In luxum adeo effuſus divitias oſtentare vult*, adeoque *ſibi comparat res, quibus carere poterat, & quæ nulli ipſi ſunt uſui* (§. 240.), conſequenter *expenſas multas minus neceſſarias & inutiles facit* (§. 365.).

Ita ad luxum refertur, ſi quis oſtentationis gratia veſtes ſibi comparat ſumtuoſas, non contentus veſtiri honeſte, aut quod ſatis eſt, ſeu quantum decor exigit, aut vires patrimonii ferunt. Huc etiam pertinent convivia nimis ſumtuoſa & ſupellex nimis pretioſa, cum alia minoris pretii ſufficeret.

§. 388.

Luxus l. n. prohibitus. Quoniam ab expenſis inutilibus omnibus (§. 373.), a minus neceſſariis vero iis, qui tenue habent patrimonium, abſtinendum (§. 374.), niſi forte fiant ad ſublevandam indigentiam aliorum (§. 375.), nec pecuniam alio fine erogare debemus, quam ut ſatisfaciamus obligationi cuidam naturali (§. 379.), ſeu officio cuidam erga noſmetipſos vel alios (§. 225. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in luxum autem effuſus ſolius oſtentationis gratia expenſas multas minus neceſſarias & inutiles facit (§. 387.); *luxus omnis lege naturali prohibitus*.

Patet ex antecedentibus in æſtimandis expenſis rationem habendam eſſe officiorum erga ſeipſum & erga alios atque facultatis patrimonii. Quamobrem qui ea animo rite comprehendit, quæ de pecunia eroganda demonſtravimus & ad caſus obvios applicat, is citra lapſus periculum definiet, quid luxui tribuendum ſit: neque enim cum duo faciunt idem, idem eſt, quoniam nec omnium idem eſt patrimonium, nec in omnibus idem exigit decor, nec quod oſtentationis gratia facit unus, idem etiam ſolius oſtentationis gratia facit alter.

§. 389.

Magnificentia quid ſit. *Magnificus* dicitur, qui magnos ſumtus facit in res, quas exigit decor, amplitudini patrimonii, quod habet, reſpondentes. Unde intelligitur quid ſit *Magnificentia*, nimirum animus propenſus in magnos ſumtus faciendos in res, quas exigit decor, amplitudini patrimonii reſpondentes.

Opponitur adeo luxus magnificentiæ (§. 387.): unde eſt, quod haud raro ad magnificentiam referatur, quod ad luxum referri debebat, & magnificentiam affectent, qui luxui ſe dedunt; cum videri velint, qui non ſunt. Sed de eo diſertius dicendum in Philoſophia morali.

§. 390.

An magnificentia ſit l. n. præcepta. Quoniam in eroganda pecunia habenda etiam ratio eſt decoris, non minus, quam amplitudinis patrimonii (§. 380.); *qui amplum habet patrimonium, ut magnis ſumtibus in res, quas decor exigit, faciendis ſufficiat, magnificus eſſe debet* (§. 389.).

Magnificentia inter virtutes ſemper relata; Quoniam vero virtus non admittit, niſi ad quod lege naturali faciendum obligamur (§. 321. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*); nemo mirabitur, quod magnificentiam lege naturali præceptam ſtatuamus, modo cum luxu non confundat, quemadmodum haud raro fieri modo annotavimus.

§. 391.

Tenax dicitur, idiomate patrio *karg*, qui pauciores & minores pro facultate patrimonii ſui facit expenſas, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel erga alios exigit. *Tenax adeo in eroganda pecunia parcior eſt, quam parſimonia præſcribit* (§. 381.). Atque hinc patet, quid ſit *Tenacitas* (die Kargheit), nimirum vitium, quo pauciores & minores pro facultate patrimonii fiunt expenſæ, quam quas officia erga ſeipſum atque alios exigunt. *Tenacitas quid ſit.*

Tenacitas parſimoniæ opponitur in defectu: unde eſt quod tenacitas cum parſimonia facile confundatur & haud raro confundi ſoleat, ita ut tenax dicatur, qui parſimoniæ deditus, & tenacitas prætextu parſimoniæ defendatur. Quodſi tamen ad ea animum advertas, quæ de eroganda pecunia hactenus demonſtrata ſunt; quid tenacitati, quid parſimoniæ ſit tribuendum, facile a ſe invicem diſcernes.

§. 392.

Quoniam qui tenax eſt in eroganda pecunia parcior eſt, quam parſimonia præſcribit (§. 391.), parſimonia autem expenſas ita moderari jubet, ne qua ex parte deſimus officio alicui erga noſmetipſos, vel erga alios pro facultate patrimonii noſtri (§. 381.); qui tenax eſt, officio alicui erga ſeipſum, vel alios deeſſe debet, cum eidem ſatisfacere poſſet, conſequenter tenacitas lege naturali prohibita (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *An ſit licita.*

Quemadmodum natura homini nullum datur jus in res niſi propter neceſſarium earum uſum (§. 21. *part. 2. Jur. nat.*), ut obligationi ſuæ naturali ſatisfacere poſſit (§. 12, *p. 2. Jur. nat.*); ita dominiis introductis nemo res, adeoque & pecuniam (§. 340.) poſſidet niſi propter eundem uſum (§. 455. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem omnino peccat qui mavult deeſſe officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios, quam pecuniam erogare, aut rebus, quas poſſidet, uti.

§. 393.

In pecunia acquirenda & parta conſervanda non majorem operam ac induſtriam collocare tenemur, quam in poteſtate noſtra eſt. Etenim nemo obligatur ad ea conſequenda, vel vitanda, quæ in poteſtate ſua non ſunt (§. 176. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nec in pecunia acquirenda & parta conſervanda majorem operam ac induſtriam collocare tenemur, quam in poteſtate noſtra eſt. *Quanta in pecunia acquirenda, & conſervanda collocanda ſit opera.*

Quænam in pecunia acquirenda & parta conſervanda collocari debeat opera ac induſtria, ex antea demonſtratis intelligitur; quantum vero ſit in poteſtate noſtra, ex definitione eorum, quæ in poteſtate noſtra ſunt, vel non ſunt, patet (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 394.

Si quis tantam in pecunia acquirenda & parta conſervanda collocavit operam ac induſtriam, quanta in poteſtate ipſius eſt, cetera providentiæ divinæ committere debet. Si quis enim tantam in pecunia acquirenda & parta conſervanda collocavit operam ac induſtriam, quanta in poteſtate ipſius eſt; obligationi ſuæ ſatisfecit, nec ultra eam ad quid tenetur (§. 393.). Quamobrem cum a voluntate noſtra minime pendeat, ut tantum acquiramus, quantum velimus, vel etiam tantum partæ conſervemus, quantum libuerit, quod indies experimur (§. 664. *Log.*), res autem noſtras omnes ac dubios præſertim eventus providentiæ divinæ committere debeamus (§. 1185. 1192. *part. 1. Jur. nat.*); ſi quis tantam in pecunia acquirenda & parta conſervanda collocavit operam ac induſtriam, quanta in poteſtate ipſius eſt, cetera providentiæ divinæ committere debet. *Quenam circa opes providentiæ divinę committenda.*

§. 395.

§. 395.

Qualem in acquirendo animum habere debeamus. Quoniam circa pecuniam acquirendam & partam conſervandam providentiæ divinæ committenda, quæ in poteſtate noſtra non ſunt (§. 394.); *ſi quis tantum acquirere minime valet, ut vitam etiam commode ac jucunde transſigere poſſit, vel in futuros uſus quædam ſervare valeat, futuræ neceſſitati proviſurus, ea propter minime angi debet.*

Convenit hoc officiis erga Deum, quæ quemlibet ſorte ſua contentum eſſe jubent, & animum angi prohibent propter futura, abjecta omni cura, quomodo res in poſterum ſint caſuræ (§. 1197. 1198. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 396.

Continentia quid ſit. *Continentia*, ſeu *animus ſorte ſua contentus* eſt virtus, qua tantum acquirere ſtudemus, quantum in poteſtate noſtra eſt, nec propterea angimur, quod non plus acquirere valeamus. Sermone patrio vocatur die Vergnüglichkeit.

Eſſe continentiam virtutem, patet per ea, quæ modo demonſtrata ſunt (§. 393. & ſeqq.). Ariſtotelici libertatem latius ſumunt pro virtute, quæ circa pecuniam acquirendam & erogandam verſatur. Juxta eos igitur & continentia, & parſimonia ſuo liberalitate comprehenditur. Sed cum hic latior ſignificatus a communi loquendi uſu nimis longo intervallo recedat, nec ulla ſit neceſſitas, cur eundem non reſtringamus ad communem loquendi uſum; quemadmodum ſupra factum eſt (§. 251.); ideo conſultius viſum fuit & continentiam a parſimonia, & utramque a liberalitate diſtinguere. Si quis tamen malit ſignificatum liberalitatis laxum retinere, per nos hoc faciat, modo in demonſtrandis iis, quæ circa pecuniam acquirendam & erogandam obſervanda ſunt, a veritate non recedat.

§. 397.

Effectus continentiæ. Quoniam qui continens eſt, ſeu ſorte ſua contentus, tantum acquirere ſtudet, quantum in poteſtate ſua eſt, nec propterea angitur, quod non plus acquirere valeat (§. 396.), *qui ſorte ſua contentus eſt, minime angitur, etiamſi non plus acquirere valeat, quam quæ præſenti vitæ neceſſitati ſufficiunt, ſi vel maxime mendicando ea acquirere debeat*, conſequenter *nec paupertas, nec ipſa mendicitas tædium, ſeu moleſtiam animi ipſi creat.*

Magnum adeo lucrum eſt animus ſorte ſua contentus, qui enim eum poſſidet, eum paupertas, immo mendicitas reddere nequit infelicem. Sed de eo diſertius dicendum erit in Philoſophia morali. Probe autem notandum eſt, continentiæ non eſſe locum, niſi omnem operam & induſtriam collocaveris in acquirendo; quæ in poteſtate tua eſt (§ 396.): alias enim defectus culpæ tuæ adſcribendus, cujus ſibi conſcius animus patienter eum ferre nequit.

§. 398.

Avaritia quid ſit. *Avaritia* eſt cupiditas plus habendi, quam acquirere in poteſtate noſtra eſt, ſi vel maxime ad vitam commode ac decore agendam, immo futuræ neceſſitati & aliis extraordinariis expenſis ſufficiant, quæ acquiruntur. Idiomate patrio der Geiß appellatur. *Avarus* adeo *non contentus iis, quæ acquirere in poteſtate ſua eſt*, conſequenter *continens non eſt*; ſed *avaritia* potius *continentiæ oppoſita* (§. 396.).

Equidem vulgo avaritia etiam extenditur ad pecuniam erogandam, adeoque tenacitatem una ſub ſe complectitur: quoniam tamen tunc duo conſtituuntur avarorum genera, unum eorum, qui in acquirendo excedunt, alterum eorum, qui in eroganda pecunia, ſeu in dando deficiunt, conſultius eſt hæc duo vitia a ſe invicem diſtingui, cum præſertim non ſemper in uno eodemque

que ſubjecto concurrant, ſed eo ſaltem in caſu, in quo avaritia tenacitatis mater eſt, prouti ſuo loco in Philoſophia morali demonſtraturi ſumus.

§. 399.

Quoniam avarus continens eſſe nequit (§. 398.), quin potius avaritia continentiæ contraria (§. *cit.*), continentia autem lege naturali præcepta (§. 395. 396.); *avaritia lege naturali probibita* (§. 722. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque *vitium eſt* (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Avaritia num ſit prohibita.*

Avaritia omni tempore inter vitia fœdiſſima & maxime nocua relata fuit, nec abſque ratione, prouti ſuo tempore in Philoſophia morali ſumus demonſtraturi. Hic enim ſufficit demonſtraſſe; quod avaritia in genere eſt prohibita; cujus intrinſeca turpitudo pro diverſitate ſubjectorum eorumque ſtatu admodum variat.

§. 400.

Sordidus appellatur, qui in acquirenda & eroganda pecunia nullam habet rationem decori. Idiomate patrio in caſu primo Eigennützig, in altero Filzig appellamus. Hinc *Sordium* nomine venit neglectus decori in acquirendo & erogando. Quamobrem *Sordidus adeo avarus eſt, ut in acquirendo nullam rationem habeat decori* (§. 398.); *vel adeo tenax, ut in erogando decorum prorſus negligat* (§. 392.). *Sordes quid ſint.*

De fœditate hujus vitii agemus ſuo loco in Philoſophia morali; adeoque in præſenti plura non addimus.

§. 401.

Quoniam ſordes ad avaritiam & tenacitatem referuntur (§. 400.), avaritia autem & tenacitas lege naturali prohibita eſt (§. 392. 399.); *Sordes lege naturali probibitæ*, adeoque *vitium ſunt* (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *An l. n prohibitæ.*

Lex naturæ etiam urget decorum (§. 205. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Actio adeo ſordidi duplici nomine vitioſa, tum quatenus ab avaritia, vel tenacitate proficiſcitur, tum quatenus contra decorum eſt. Quamobrem etiam ex eo conſtare poterat, ſordes eſſe contra jus naturæ, quod ſint contra decorum.

§. 402.

Quoniam ſordidus nullam rationem habet decori in erogando (§. 400.), magnificus vero eſt, qui magnos ſumtus facit in res, quas exigit decor pro amplitudine patrimonii (§. 389.); *ſordes in eo, qui amplum babet patrimonium, maxime conſpicuæ ſunt, præſertim quando magnos decori cauſa ſumtus facere debebat.* *Sordes contraria magnificentiæ.*

Inde eſt, quod *Ariſtotelici* ſordes magnificentiæ in defectu opponant.

§. 403.

Incurius dicitur, qui nunquam deliberat, quantum acquirere in poteſtate ſua ſit, & quomodo parta conſervari detur, conſequenter *in acquirendo & partis conſervandis omnem curam abjicit.* Eſt itaque *Incuria* vitium, quo nunquam deliberamus, quantum acquirere in poteſtate noſtra ſit, & quomodo parta conſervari detur. Idiomate Germanico dicimus die Sorgloſigkeit, & de incurio dicere *Incuria quid ſit.*

dicere ſolemus: Er lebt in Tag hinein / fragt nicht / woher es kommt / und wie lange es werden will.

Apparet adeo incuriam peccare in defectu ; quemadmodum avaritia in exceſſu (§. 398.).

§. 404.

Incuria num l. n. probibita. *Incuria lege naturali probibita.* Etenim in pecunia acquirenda & parta conſervanda tantum operæ collocare debemus, quantum in poteſtate noſtra eſt (§. 393.), conſequenter cum omnia fieri debeant animo deliberato (§. 390. *part. 3. Jur. nat.*), de eo etiam deliberandum eſt, quantum acquirere in poteſtate noſtra ſit & quomodo parta conſervare valeamus. Quamobrem cum incurius hoc minime faciat (§. 403.); incuria lege naturali prohibita eſt (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*).

Neglectus omnis curæ in acquirendo & partis conſervandis minime confundi debet cum officio, quo res noſtras providentiæ divinæ committere debemus (§. 1185. *part. 1. Jur. nat.*). hoc enim non excludit deliberationem de acquirendo & partis conſervandis, quantum in poteſtate noſtra eſt (§. 394.).

§. 405.

Quomodo rebus utendum, quæ uſu deteriorantur. *Rebus, quæ uſu deteriorantur, ita utendum, ne culpa noſtra deteriorentur.* Quando enim res deteriorantur, aut iis reficiendis faciendi ſunt ſumtus, aut aliæ in eorum locum comparandæ. Quodſi ergo deteriorentur culpa noſtra, pecuniam erogare tenemur, quam conſervare poteramus (§. 696. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque in pecunia parta conſervanda eam collocare tenemur operam, quæ in poteſtate noſtra eſt (§. 393.); quin rebus, quæ uſu deteriorantur, ita utendum ſit, ne culpa noſtra deteriorentur, dubitandum non eſt.

Nemo dubitare poteſt, quin hæc cura in uſu rerum, quæ eodem deteriorantur, conveniat parſimoniæ (§. 381.): quæ cum lege naturali ſit præcepta (§. 382.), hinc quoque intelligi poterat, illam lege eadem præcipi. Immo quia lex naturæ omnem culpam vitari jubet (§. 299. *part. 1. Jur. natur.*); eidem quoque adverſari debet culpa in deteriorandis rebus commiſſa.

§. 406.

Veſtium, utenſilium, & omnis ſupellectilis quænam habenda ſit cura. Quoniam rebus, quæ uſu deteriorantur, ita utendum, ne culpa noſtra deteriorentur (§. 405.), in earum vero numero ſunt veſtes & utenſilia, ac omne ſupellectilis genus *opera* quoque *danda eſt, ne veſtes, utenſilia ac omne ſupellectilis genus culpa noſtra deteriorentur.*

Quæ forſan nonnullis hic ſuboriri poterant dubia; ea removebimus ſuo loco in Philoſophia morali.

§. 407.

Quamdiu res ſervandæ, quæ ſervando corrumpuntur. *Res, quæ ſervando conſumuntur, vel corrumpuntur, tamdiu ſervandæ non ſunt, donec corrumpantur.* Etenim dominus rem ſuam nulla urgente obligatione naturali deſtruere vel corrumpere non debet (§ 648. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum perinde ſit, ſive eandem deſtruat, vel corrumpat, ſi rem, quæ ſervando conſumitur vel corrumpitur, tamdiu ſervet, donec corrumpatur, nulla vero obligatio fingi poſſit, ut res tamdiu ſervetur, donec corrumpatur, adeoque nulli amplius uſui inſervire poſſit; res, quæ ſervando conſumuntur, vel corrumpuntur, tamdiu ſervandæ non ſunt, donec corrumpantur.

Exem-

Exemplo ſunt, qui eſculenta & potulenta tamdiu ſervant, donec corrumpantur, vel quia adeo ſordidi ſunt, ut ipſi ea conſumere nolint, vel quia aliis dare nolunt ea, quibus ipſi minime indigent. Sunt etiam exemplo illi, qui res corrumpi, quam vili; aut non ſatis caro pretio vendere malunt. Accedit avaritiæ in caſu poſteriori, ſordibus in priori ſtultitia, haud rata avaritiæ ac ſordium comes.

§. 408.

Quoniam *res, quæ ſervando conſumuntur, vel corrumpuntur*, tamdiu ſervandæ non ſunt, donec corrumpantur (§.407.); *ſi ipſe eas conſumere nequis, aut pro pecunia vel rebus aliis, aut operis, dare nolis, gratis eædem dandæ ſunt aliis, qui iiſdem indigent* (§. 124. *part.* 3. *Jur. nat.*), *aut in eum uſum impendendæ, qui in poteſtate eſt.* *Quid faciendum, ſi diutius ſervari nequeant.*

Nunquam deficit occaſio dandi gratis aliis, quæ ipſe conſumere nequis, & pro quibus ab aliis pecuniam, vel aliud viciſſim recipere nequis: immo nec deeſt ſemper occaſio res eas impendendi in aliquem uſum, ut rebus aliis parcas.

§. 409.

Quilibet pecuniam & res ſuas ita cuſtodire debet, ne culpa ſua a furibus ipſi auferri poſſint. Obligamur enim ad omnem operam dandam, ne patrimonio noſtro damnum aliquod inferatur (§. 494. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter ne jacturam rei (§. 486. *part.* 2. *Jur. nat.*), atque pecuniæ noſtræ faciamus (§. 341.), & culpam omnem evitare debemus (§. 299. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum jacturam pecuniæ vel rei noſtræ faciamus, ſi ea a furibus nobis auferatur (§. 487. 498. *part.* 2. *Jur. nat.*); pecuniam & res noſtras ita cuſtodire debemus, ne culpa noſtra a furibus auferri nobis poſſint. *Quomodo pecunia & res cuſtodiendæ.*

Negligentia in cuſtodiendo influit in furtum alterius, quamvis furem non excuſet, qui ab auferenda re aliena etiam non cuſtodita abſtinere debebat, cum lex naturæ ſimpliciter prohibeat alteri invito rem ſuam auferre (§. 497. *p.* 2. *Jur. nat.*).

§. 410.

Quilibet res quaſcunque ſuas ita cuſtodire debet, ne culpa ſua deteriorentur, vel deſtruantur. Oſtenditur eodem modo quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus. *Idem porro expenditur.*

Culpa nimirum tua res deterioratur, vel prorſus deſtruitur ſi diligentius cuſtodia minime deteriorata, aut deſtructa fuiſſet: in hoc enim caſu deterioratio, aut deſtructio rei dependet a negligentia in cuſtodiendo.

§. 411.

In acquirenda pecunia non plus operæ collocare licet, quam ſalva quacunque obligatione naturali fieri poteſt. Etenim cum obligatio naturalis ſit immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nulla de cauſa facere licet, quod lege naturali prohibetur, nec omittere, quod præcipitur, conſequenter nil faciendum, quod obligatione quacunque ſalva fieri nequit. Quamobrem nec in acquirenda pecunia plus operæ collocare licet, quam ſalva quacunque obligatione naturali fieri poteſt. *Quantum operæ in acquirendo collocandum.*

Patet adeo obligationem amplificandi patrimonii reſtringi per officia erga ſeipſum, & erga alios, immo etiam erga Deum. Quamobrem propoſitio præſens principium fœcundiſſimum eſt definiendi multos caſus particulares, ne de acquirenda pecunia nimis ſimus ſolliciti.

§. 412.

An pecunia propter ſe appetenda.

Nemo pecuniam appetere debet propter ſeipſam. Etenim pecuniam inveniri neceſſe fuit, ut quivis ſibi res ac operas comparare queat, quibus indiget (§. 320.). Natura nullum homini competit jus in res præter uſum neceſſarium (§. 21. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter ut obligationi naturali ſatisfaciamus (§. 12. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque cum dominiis introductis jus commune tranſeat in unum (§. 166. *part.* 2. *Jur. nat.*), res ideo dominio ſubjiciuntur, ne deſint ea, quibus opus habemus ad ſatisfaciendum obligationi naturali. Quoniam itaque res, conſequenter etiam operas (§. 437. *part.* 2. *Jur. nat.*), non alio fine appetere debemus, quam ut obligationi naturali ſatisfaciamus; pecuniam quoque non alio fine appetere debemus. Nemo adeo eandem propter ſeipſam appetere debet.

Propter ſeipſam pecuniam appetunt, qui non aliud intendunt, quam ut eam habeant. Unde avari fiunt in acquirendo (§. 398.), tenaces in erogando (§. 391.), ſordidi in utroque (§. 400.). Non tamen convertendo affirmare licet, avaros, tenaces ac ſordidos pecuniam propter ſeipſam appetere. Dantur enim plures avaritiæ, tenacitatis ac ſordium cauſæ: ſed in quas inquirere non eſt hujus loci.

§. 413.

An divitias propter ſe appetere liceat.

Divitiæ non propter ſe appetendæ. Qui pecuniam propter ſeipſam appetit, is non aliud intendit, quam ut multum pecuniæ ſuperfluæ habeat (§. 239.), conſequenter ut dives ſit (§. 352.). Quoniam itaque pecuniam propter ſe ipſam appetere non debemus (§. 412.); nec divitias propter ſe appetere debemus.

Qui divitias propter ſe appetit, non aliud intendit, quam ut ſit dives, non aliter vero vitam tranſigit, quam ſi dives non eſſet. Cur vero divitiæ videantur bonæ ei, cui ſola divitiarum opinio ſatisfacere videbatur, ſuo loco in Philoſophia morali demonſtraturi ſumus. Quamvis enim in Jure naturæ demonſtretur, quænam ſint virtutes, quænam vitia; non tamen virtutum ac vitiorum theoria, qua in praxi opus habemus, in eodem traditur, ſed ea ad Philoſophiam moralem referenda, ubi oſtendendum quomodo uſu facultatum acquirantur virtutes, non uſu vero & abuſu earundem vitia.

§. 414.

Qualem animum quoad divitias habere debeamus.

Providentiæ divinæ committendum, utrum divites eſſe debeamus, nec ne, modo caveamus, ne culpa noſtra in paupertatem aut egeſtatem incidamus. Si quis enim tantam in pecunia acquirenda & parta conſervanda collocat operam & induſtriam, quanta in poteſtate ipſius eſt, cetera providentiæ divinæ committere debet (§. 394.), nec propterea angi, quod non plus acquirere poſſit (§. 395.). Quodſi vero eam in acquirendo & conſervando colloces operam ac induſtriam, quæ in poteſtate tua eſt, ſi non plus acquiris, quam quod rebus neceſſariis comparandis ſufficit, aut minus, quam ſufficit, id culpa tua non fit (§. 757. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter abſque culpa tua in paupertatem, vel egeſtatem incidis (§. 238.). Patet itaque providentiæ divinæ eſſe committendum, utrum pecunia ſuperflua tibi eſſe debeat, nec ne, conſequenter utrum dives eſſe debeas, nec ne, modo caveas, ne culpa tua in paupertatem aut egeſtatem incidas.

Atheus caſui ac fortunæ tribuit, quæ providentiæ divinæ tribuenda ſunt (§. 464. 465. *p.* 2. *Theol. nat.*). Idem facit Deiſta (§. 535 465. *part.* 2. *Theol. nat.*). Etſi adeo athei ac deiſtæ non admittant, providentiæ divinæ committendum eſſe, utrum divites eſſe debeamus, nec ne, modo caveamus, ne culpa noſtra in paupertatem & egeſtatem incidamus; negare tamen nequeunt, idem committendum eſſe fortunæ, ita ut ſtolidus ſit, qui ea appetit, quæ in poteſtate ſua non ſunt, ac ſi in eadem eſſent. Veritas itaque propoſitionis præſentis, etſi mutato nomine, etiam ſubſiſtit in hypotheſi impia, nec per eam everti poteſt.

§. 415.

§. 415.

Divitiæ referendæ ſunt ad fortunæ bona. Quoniam divitiæ in pecunia ſuperflua (§. 353.) & rebus ſuperfluis, quæ pecunia æſtimantur (§. 290.), conſiſtunt (§. 240.), ad ſtatum externum pertinent (§. 706. *Ontol.*), adeoque hunc perficiunt. Quamobrem cum fortunæ bona ſint, quibus ſtatus externus perfectior redditur (§. 555. 556. *Pſych. empir.*); divitiæ fortunæ bona ſunt.

Qualia bona ſint divitiæ.

Oſtendimus alibi honorem, laudem & famam (§. 688. *part.* 1 *Jur. nat.*) & amicitiam eſſe fortunæ bona (§ 773. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum in eorum numerum etiam referendæ ſint divitiæ, quod ibidem demonſtrari non poterat, hic demonſtrandum erat. Quoniam vero divitias acquirere in poteſtate noſtra non eſt; quod experientia ſatis comprobatur; ideo nemo quoque obligatur ad divitias acquirendas (§. 181. *part.* 1. *Jur. nat.*), etſi operam dare debeat, ne culpæ ſuæ tribuendum ſit, quod non ſit dives (§. 394.).

§. 416.

Quoniam paupertas, egeſtas & mendicitas divitiis opponuntur, etſi in diverſo gradu (§. 238. 240.), divitiæ autem bona fortunæ ſunt (§. 415.); *paupertas, egeſtas & mendicitas inter mala fortunæ referenda* (§. 567. *Pſych. empir.*), conſequenter *nobis cavere debemus, quantum in poteſtate noſtra eſt, ne in paupertatem vel egeſtatem incidamus, aut ad mendicitatem redigamur.*

Paupertas, egeſtas & mendicitas qualia ſint mala, & quantum vitanda.

Qui divitias damnant; paupertatem, quidni & egeſtatem, immo mendicitatem laudant, extra oleas omnino vagantur. Divitiæ omnino bona ſunt, paupertas, egeſtas, mendicitas mala: quomodo autem moderandus ſit appetitus, quomodo moderanda averſatio, ne a virtutis tramite deflectas, ex iis, quæ demonſtrata ſunt, abunde intelligitur.

CAPUT III.

De actibus beneficis obligatoriis, ſeu Contractibus beneficis.

§. 417.

Actus obligatorii benefici dicuntur etiam *Contractus benefici*. Eſt itaque *Contractus beneficus*, ex quo una tantummodo pars contrahentium utilitatem quandam gratis percipit, ſeu commodum quoddam gratis habet, etſi mutuæ hinc reſultent obligationes.

Contractus beneficus quid ſit.

Romani ea demum pacta contractus appellarunt, ob quæ datur actio in foro (§. 793. *p.* 3. *Jur. nat.*). Oſtendimus tamen, naturaliter pacta a contractibus non differre (§ 794 *part.* 3. *Jur. nat.*). Cur vero obligationem perfectam, quæ parit actionem in foro, reſtringere recte voluerint Romani, ſuo oſtendetur loco. In Jure autem naturali illius reſtrictionis nulla habenda eſt ratio, ſepoſito adhuc ſtatu civili.

§. 418.

Commodatum eſt contractus beneficus, quo certus quidam rei, quæ uſu non conſumitur, uſus alteri gratis conceditur. Germanis dicitur Leihen, item Verleihen.

Commodatum quid ſit.

In vernaculo ſermone vocabulum Leihen non adeo reſtrictum habet ſignificatum, quemadmodum in Latino vocabulum commodatum, cum ſubinde etiam de mutuo uſurpetur, immo nonnunquam de rei locatione, ubi tamen potius Verleihen, quam Leihen dicimus.

§. 419.

§. 419.

Quaenam res commodari poſſint. Quoniam res non minus incorporales, quam corporales, & corporalium non minus immobiles, quam mobiles ſuum habent uſum, utpote qui rei in genere competit (§. 495. *part.* 1. *Jur. nat.*); *res tam incorporales, quam corporales, immobiles & mobiles commodari poſſunt* (§. 418.).

Ex. gr. Concedo tibi uſum libri mei gratis ad diſſertationem conſcribendam, vel ut in eo per triduum legas. Contractus hic commodatum eſt. Similiter commodo tibi hortum meum, ſi tibi concedo, ut in eo acidulas bibas, vel certo die convivium agas. Commodo tibi jus venandi, ſi concedo, ut certo quodam die in eo diſtrictu, in quo mihi jus venandi competit, veneris.

§. 420.

Quomodo uſus rei determinandus, ut fiat certus. Quoniam in commodato certus rei uſus alteri conceditur (§. 418.), quod vero certum eſt, ſufficienter indigitari debet, ut ab aliis ſui ſimilibus diſtingui poſſit (§. 28. *part.* 3. *Jur. nat.*); *in commodato determinandum eſt tempus, per quod conceditur uſus, vel finis, ob quem conceditur, niſi ex rei natura hoc pateat.*

Ex. gr. Si tibi commodo librum, ut conſcribere poſſis diſſertationem, finis determinatur, ob quem uſum ejus tibi concedo, & tacite ineſt determinatio temporis, etſi hoc quoque adjici poſſit, ſi tibi viſum fuerit. Quodſi eundem tibi commodem, ut per triduum in eo legas, tempus & finis una determinatur. Si commodo hortum meum, ut in eo conviveris certo die, vel acidulas in eo bibas, finis determinatur, ob quem uſus horti conceditur, & temporis determinatio tacite ineſt. Si concedo, ut certo quodam die in eo diſtrictu, in quo mihi jus venandi competit, veneris; tempus determinatur & finis determinatio tacite ineſt, cum animi gratia hoc tibi conceſſum intelligatur.

§. 421.

Commodans, & Commodatarius quinam ſit. *Commodans* dicitur, qui certum rei uſum alteri gratis concedit; *Commodatarius* vero appellatur is, cui uſus rei gratis ab altero conceditur.

Ex. gr. Si tibi concedo uſum libri mei, ut per triduum in eodem legas; ego ſum commodans, tu commodatarius es. Idem patet eodem modo in ceteris, quæ modo dedimus (*not.* §. 418.), exemplis.

§. 422.

Cuinam competat jus rem commodandi. *Nemini competit jus rem alteri commodandi niſi domino.* Jus enim utendi domino competit (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*) & eodem ceteros omnes excludit (§. 138. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem de uſu rei nemo diſponere poteſt pro arbitrio ſuo niſi dominus, conſequenter nec ulli competit jus uſum rei alteri gratis concedendi, adeoque rem commodandi (§. 418.), niſi domino.

Oſtenditur etiam hoc modo. Domino competit jus in alium quemcunque jus ad actum quendam vi dominii ſibi licitum in certum tempus ſuo arbitratu determinandum, transferendi (§. 679. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter etiam uſum rei ſuæ alteri gratis concedendi (§. 136. *part.* 2. *Jur nat.*). Et quoniam omni jure ſuo ceteros omnes excludit (§. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*); jure quoque rem alteri commodandi ceteros omnes excludit (§. 418.), conſequenter nemini hoc jus competere poteſt niſi domino.

423.

§. 423.

Quoniam nemini niſi domino competit jus rem alteri commodandi (§. 422.); *non domino rem alienam alteri commodare non licet ſine domini conſenſu* (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *An rem non ſuam alteri commodare liceat.*

Quodſi non dominus hoc faciat; nullo jure hoc facit, adeoque actus validus non eſt; & naturaliter quoque illicitus.

§. 424.

Quia ſine conſenſu domini nemo rem alteri commodare poteſt (§. 423.); *ſi quis rem tuam ſine tuo conſenſu alteri commodet, tu ex hoc contractu eidem non obligaris*, conſequenter *uſum rei tuæ eidem concedere non teneris*, ſed *rem ſtatim repetere potes, & qui eam utendam a non domino accepit, eam exemplo tibi reſtituere debet* (§. 467. *part. 2. Jur. nat.*). *Quidnam juris competat domino, ſi quis ſine conſenſu re. Eius rem alteri commodet.*

Nemo te præter voluntatem tuam alteri obligare valet, & ex contractu in ſe invalido quoad te nulla naſci poteſt ex parte tui obligatio. Obligatio vero commodatarii, qua tenetur ad rem tibi extemplo reſtituendam, non ex contractu naſcitur, ſed ex dominio tuo (§. *cit.*).

§. 425.

In domini voluntate unice poſitum eſt, num rem ſuam alteri commodare velit, & quomodo uſum alteri concedendum determinare, ſeu qualem uſum & quamdiu eundem concedere velit. Nemo niſi dominus habet jus rem ſuam alteri commodandi (§. 422.). Quamobrem cum ab ejus voluntate unice pendeat, in quem & quomodo jus quoddam ſuum in alterum transferre velit (§. 11. 12. *p. 3. Jur. nat.*); ab ejus quoque voluntate unice pendet, num rem ſuam alteri commodare & quomodo uſum rei eidem concedendum determinare, conſequenter qualem uſum & quamdiu eundem concedere velit. *Jus commodantis in commodato.*

§. 426.

Quoniam a domini unice voluntate pendet, num rem ſuam alteri commodare & qualem uſum & quamdiu concedere velit (§. 425.); *commodatarius commodantem cogere nequit, ut ſibi rem commodet, nec re alterius pro ſuo arbitrio uti ac tamdiu uti poteſt, quamdiu ſibi viſum fuerit.* *An ad rem commodandam quis cogi poſſit.*

Quodſi commodatarius contentus eſſe nolit eo uſu, quem ſibi concedere vult commodans, ab alio eum petat, qui in talem, qualem habere vult, conſentit & rem tamdiu utendam tradit, quamdiu ea uti vult. Quodſi nemo fuerit, qui in talem ac tam diuturnum uſum conſentire velit, hoc ipſi ferendum eſt.

§. 427.

Immo quia a domini ſeu commodantis unice voluntate pendet, quomodo uſum alteri concedendum determinare velit (§. 425.); *commodatario non plus juris competit in rem commodatam, quam in eam conferre voluit commodans*, conſequenter *nec re commodata aliter uti poteſt, nec diutius, quam ipſi a commodante conceſſum*. *Quale jus commodatario competat.*

Ex. gr. Titius commodat Sempronio pallium ſuum, quia pluit, ut domum abiens ſe adverſus pluviam tueri poſſit. Quamobrem nonniſi ad hunc actum ipſi jus competit, nec craſtino die

iter

iter facturus pallio in itinere uti poteſt, inſcio nec conſentiente Titio. Similiter commodo tibi librum meum in triduum, ut in eo legas; tu ſponte tua uſum ultra triduum extendere nequis, neque pro arbitrio tuo margini adſcribere, quæ tibi viſa fuerint, aut ſi qua notatu digna tibi videntur, iis lineas ſubducere. Eodem modo patet, ſi quis tibi commodat MSC. ad uſum legendi, te commodante non conſentiente idem deſcribere non poſſe.

§. 428.

An res commodata denuo a commodatario alii commodari poſſit. *Rem tibi commodatam tertio commodare nequis ſine conſenſu commodantis ſeu ejus, qui eam tibi commodavit.* Etenim commodatario non plus juris competit in rem commodatam, quam in eum conferre voluit commodans (§. 427.). Quamobrem cum commodans ei non conceſſerit niſi rei certum uſum (§. 421.), præter hunc uſum nullum quoque jus aliud in commodatarium contulit. Quoniam itaque nemo rem alienam alteri commodandi jus habet ſine conſenſu domini (§. 423.); nec rem tibi commodatam ſine conſenſu ejus, qui eam tibi commodavit tertio commodare potes.

Cum commodans alteri concedat uſum rei certum (§. 421.), commodare rem eſt diſponere de uſu rei pro arbitrio ſuo, adeoque actus dominii (§. 135. 136. *part. 2. Jur. nat.*). Nemo itaque cum ſibi actum ullum vi dominii domino licitum aut ſaltem permittendum arrogare debeat (§. 652. *part. 2. Jur. nat.*); nec rem ſibi ab alio commodatam denuo alteri commodare debet ſine domini conſenſu.

§. 429.

An ex commodato transferatur dominium. *Commodans non transfert in commodatarium dominium rei commodatæ.* Etenim commodans tantummodo concedit commodatario certum rei uſum (§. 421.), nec præter hunc uſum jus ullum in rem commodatam commodatario competit (§. 427.). Quamobrem cum res uſu non conſumatur (§. 418.), adeoque uſus conceſſus obtineri poſſit ſalva ſubſtantia rei; qui dat rem utendam, in te non transfert jus de re pro arbitrio tuo quocunque modo diſponendi, conſequenter dominium (§. 118. *part. 1. Jur. nat.*). Commodans adeo non transfert in commodatarium dominium rei commodatæ.

§. 430.

Cujus res commodata ſit. Quoniam *commodans* in commodatarium non transfert *dominium rei commodatæ* (§. 429.); ejus dominium ſibi *retinet*, conſequenter *res commodata manet commodantis, nec fit commodatarii* (§. 124. *p. 2. Jur. nat.*).

Exemp. gr. Si tibi commodem librum meum; liber adhuc meus eſt, non tuus, nec dici poteſt tamdiu eſſe tuus; quamdiu utendum habes.

§. 431.

An ex commodato transferatur poſſeſſio. Quia *commodans* dominium rei commodatæ retinet (§. 430.), ideo non vult ut commodatarius, cui eam utendam dedit, eandem detineat tanquam ſuam, conſequenter ut eam poſſideat (§. 150. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem *nec poſſeſſionem in commodatarium transfert, ſed eam ſibi retinet.*

Manet commodatarius ſicuti dominus (§. 430.), ita etiam poſſeſſor rei, quam commodatario utendam dedit, nec commodatarius tamdiu eam poſſidet, quamdiu utendam habet.

§. 432.

Res commodata in cujus poteſtate eſſe debeat.

Res commodata eſſe debet in poteſtate commodatarii. Etenim commodatario conceditur certus rei uſus (§. 421.). Neceſſe igitur eſt ut ipſi ſit potentia phyſica diſponendi de re, quatenus uſus conceſſus exigit. Quamobrem cum res ſit in poteſtate noſtra, quando de ea pro arbitrio noſtro diſponendi potentia phyſica nobis eſt (§. 461. *part.* 2. *Jur. nat.*); res commodata in poteſtate commodatarii eſſe debet.

Non eſt, quod excipias, rem commodatam non eſſe in poteſtate commodatarii, quia de re non diſponere poteſt pro arbitrio ſuo, ſed pro arbitrio commodantis diſponere debet, re non aliter, nec diutius uſurus, quam voluit commodans (§. 427.). Etenim potentia phyſica non confundenda eſt cum morali, quæ jus dicitur (§. 156. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*). Commodatario, penes quem eſt res commodata, utique competit potentia phyſica diſponendi de re pro arbitrio ſuo, cum phyſice impoſſibile non ſit, ut inſtar domini de eadem diſponat omnes actus vi dominii licitos ſibi arrogando; ſed cum non plus juris ipſi competat in rem commodatam, quam in eam transferre voluit commodans (§. 427.), quod phyſice facere poteſt, moraliter facere nequit. Phyſica adeo potentia limitatur potentia morali, non tamen tollitur. Aliud eſt de re pro arbitrio ſuo diſponere phyſice poſſe; aliud eſt de ea diſponere jure ſuo. Qui uſum rei ſuæ alteri concedit, potentiam phyſicam de ea pro arbitrio ſuo diſponendi tollere nequit, ſed eam ſaltem reſtringere poteſt ad certos actus, ne ultra eos quicquam ſit licitum commodatario. Idiomate patrio dicimus: Er hat die Sache bey ſich, hoc eſt, rem penes ſe habet, non vero; Er beſitzt dieſelbe, hoc eſt, rem poſſidet. Nimirum qui rem in poteſtate ſua habet, non ideo eandem poſſidet (§. 463. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 433.

Quinam actus requiratur ad commodatum.

Quoniam res commodata eſſe debet in poteſtate commodatarii (§. 432.), *ad commodatum requiritur actus, quo res utenda conſtituitur in poteſtate commodatarii.*

Nimirum re uti non poteſt, niſi qui eam in poteſtate ſua habet, ut de ea quoad hunc uſum diſponere poſſit. Legere non potes in libro alterius, niſi eundem habeas in manibus tuis. Contractus adeo hic requirit, ut res utenda conſtituatur in poteſtate tua.

§. 434.

Traditio rei utendæ quid ſit.

Actus ille, quo res utenda redigitur in poteſtatem commodatarii, ſignificatu generali vocatur *Traditio*, rei ſcilicet utendæ: quæ adeo *ad certum uſum tradi* dicitur.

Monuimus jam alias (*not.* §. 25. *p.* 3. *Jur. nat.*) traditionem in genere eſſe actum, quo res redigitur in poteſtatem alterius, & hinc fluere ſignificatum ſpecialem, quo denotat actum, quo transfertur poſſeſſio, in eo caſu, ſi traditur ei, in quem dominium vel jam translatum fuit, vel nunc transfertur. Quoniam adeo unus idemque actus phyſicus eſt, ſive res quocunque fine redigatur in poteſtatem alterius, ſive in poteſtatem ejus, in quem dominium translatum, vel nunc transfertur; nil obſtat, quo minus ſignificatu iſto generali utamur, quando eodem opus habemus, cum ex ſubſtrata materia intelligatur, num hac voce denotetur translatio poſſeſſionis, an vero translatio rei in poteſtatem alterius alio fine facta.

§. 435.

An traditio rei utendæ requiratur ad commodatum.

Quoniam ad commodatum requiritur actus, quo res utenda redigitur in poteſtatem commodatarii (§. 433.), quando vero ea in poteſtatem commodatarii redigitur, ad certum uſum eidem traditur (§. 434.); *ad commodatum requiritur traditio rei ad certum uſum*, conſequenter *antequam res utenda tibi tradita fuerit*,

rit, commodata non eſt, adeoque *promiſſio rei commodandæ non confundenda cum commodato.*

§. 436.

Quænam de ea tenenda. Quia traditio rei ad certum uſum & traditio, qua poſſeſſio transfertur, in uno eodemque actu phyſico conſiſtunt (§. 434. *h.* & §. 24. *part.* 3. *Jur. nat.*); *quæ de traditione qua actu transferendi poſſeſſionem demonſtrata ſunt* (§. 27. & *ſeqq. p.* 3. *Jur. nat.*), *ea etiam de traditione rei ad certum uſum valent.*

Quamobrem non opus eſt, ut prolixe inculcemus, quot modis res ad certum uſum alteri tradi poſſit.

§. 437.

Contractus quando re ineatur & obligatio re contrahatur. *Contractus*, qui rei traditionem requirit, *re iniri* dicitur, & quæ ex hoc contractu naſcitur *obligatio*, ea *re contrahi* dicitur.

Modus hic loquendi receptus eſt in Jure Romano. Quamobrem cum a modo loquendi in Jure Romano recepto recedere nolimus, niſi aliqua neceſſitas id exigere videatur; eundem quoque hic explicare eodemque uti conſultum duximus.

§. 438.

Qualis contractus ſit commodatum. Quoniam ad commodatum requiritur traditio rei ad certum uſum, ita ut res tibi commodata dici non poſſit, antequam tradita fuerit (§. 435.), contractus autem re initur, qui rei traditionem requirit (§. 437.); *commodatum eſt contractus, qui re initur, & obligatio ex eo enaſcens re contrahitur* (§. cit.).

§. 439.

Quale jus in commodatarium transferatur. *Commodans in commodatarium transfert jus ad certum, vel certos actus vi dominii ſibi licitos.* Etenim commodans commodatario concedit certum rei uſum (§. 421.). Quamobrem cum vi dominii de uſu rei pro arbitrio diſponi poſſit (§. 135. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*); omnis rerum uſus abſolvitur actibus vi dominii licitis, conſequenter qui concedit certum quendam rei ſuæ uſum alteri, is eidem permittit quoſdam actus vi dominii ſibi licitos, adeoque jus ad eoſdem in ipſum transfert. Commodans itaque in commodatarium transfert jus ad certum, vel certos actus vi dominii ſibi licitos.

Ex. gr. Annulo tuo ornare digitum eſt actus vi dominii tibi licitus. Quodſi eundem commodes Titio, ut in nuptiis, quibus intereſt, eodem digitum ſuum ornet; illum utique actum eidem permittis, qui vi dominii tibi erat licitus, ſed abſque conſenſu tuo nemini alii, conſequenter in Titium transfers jus ad actum, qui vi dominii tibi erat tantummodo licitus, adeoque ad quem nonniſi tu jus habebas. Jus hoc eſt particula aliqua dominii (§. 135. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque non ipſum dominium. Unde denuo patet; quod ſupra jam demonſtravimus (§. 429.), in commodato non transferri dominium. Et quoniam domino competit jus poſſidendi, ut dominium exercere poſſit (§. 157. 649. *part.* 2. *Jur. natur.*); ad unum alterumque actum, qui ad exercitium dominii ſpectat, alteri concedendum, non requiritur, ut poſſeſſio transferatur (§. 150. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſed ſufficit, ut tamdiu in poteſtate ipſius ſit, quamdiu uſus certus eidem permiſſus.

§. 440.

§. 440.

Quando commodans in rei deteriorationem conſentiat.

Si res uſu, qui alteri conceditur, redditur deterior; commodans in hanc deteriorationem conſentit. Commodans enim concedit commodatario rei ſuæ uſum (§. 421.), conſequenter vult, ut is eadem utatur. Quodſi ergo uſu res redditur deterior, *per hyp.* ut adeo eadem uti nequeas, niſi deterior fieri debeat; neceſſe eſt ut commodans etiam velit, rem in tantum deteriorari, in quantum uſu deterioratur (§. 28. *Ontol.*). Quamobrem ſi res uſu, qui alteri conceditur, deterioratur; commodans in hanc deteriorationem conſentit (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 441.

Rei commodatæ deterioratio & deſtructio prohibita.

Commodatarius cavere debet, ne culpa ſua res commodata reddatur deterior, vel prorſus deſtruatur, multo minus autem dolo eandem deteriorare, vel deſtruere debet. Etenim commodatarius non aliud habet jus quam re commodata ita utendi, quemadmodum ipſi conceſſit commodans (§. 427.), nec hic in aliam deteriorationem conſentit, quam ſine qua uſus illi conceſſus obtineri nequit (§. 440.), conſequenter non vult, ut res culpa vel dolo commodatarii reddatur deterior, vel prorſus deſtruatur (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Cavere igitur debet, ne culpa ſua res commodata reddatur deterior, vel prorſus deſtruatur, multo minus autem dolo eandem deteriorare vel deſtruere debet (§. 705. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Oſtenditur etiam hoc modo. Res commodata manet commodantis, non vero fit commodatarii, commodante dominium ſibi retinente (§. 430.). Sed nemo rem alterius deſtruere aut deteriorare debet (§. 647. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſive hoc fiat culpa, ſive dolo (§. 496. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo commodatario culpa ſua, multoque minus dolo rem commodatam deteriorare vel deſtruere licet. Cavendum itaque eſt, ne tale quid fiat.

§. 442.

Quomodo res commodata ſit cuſtodienda.

Quoniam *commodatarius* cavere debet, ne res commodata dolo, vel culpa ſua reddatur deterior, vel prorſus deſtruatur (§. 441.), res autem deteriorari, vel deſtrui poteſt non modo, ſi ea negligenter utamur, vel etiam aliter, quam conceſſit commodans, verum etiam *ſi* negligentius cuſtodiatur; *ſi* commodatarius *in rerum ſuarum uſu & cuſtodia non eam adhibere ſolet diligentiam & curam, quam adhibere debet* (§. 648. *part.* 2. *Jur. nat.*); *in re commodata utenda & cuſtodienda majorem diligentiam & curam adhibere debet, quam in propriis adhibere ſolet.*

Plerumque homines minorem diligentiam & curam adhibere ſolent in rebus commodatis utendis & cuſtodiendis, quam in propriis, propterea quod damnum alienum minus curant, quam proprium. Sed eorum mores honeſtati naturali parum conveniunt.

§. 443.

In quantum commodans in rei deteriorationem conſentire poſſit.

Jure interno commodans conſentire nequit in majorem rei deteriorationem, quam ſine qua uſus conceſſus obtineri nequit. Etenim dominus rem ſuam nulla urgente naturali obligatione deſtruere, corrumpere, vel deteriorem reddere non debet (§. 648. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem nec eidem permittere licet, ut hoc faciat alius. Quodſi ergo uſum rei ſuæ alteri concedit, cum in eam deteriorationem conſentire debeat, ſine qua uſus conceſſus obtineri nequit (§. 440.), non

tamen in majorem ea conſentire poteſt. Quoniam tamen ipſi permittendus eſt rerum ſuarum abuſus, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 169. *part.* 2. *Jur. nat.*), etſi is lege naturali ſit prohibitus (§. 170. *part.* 2. *Jur. nat.*); ferendum quoque eſt, ut ipſe permittat commodatario rei deteriorationem majorem, quam ſine qua uſus conceſſus obtineri poteſt. Atque adeo patet jure interno commodantem conſentire non poſſe in majorem rei deteriorationem, quam ſine qua uſus conceſſus obtineri nequit.

Differentia inter jus internum & externum probe hic attendenda venit, ut de conſenſu commodantis in rei commodatæ deteriorationem recte judicetur. Dantur equidem caſus quidam, in quibus commodans in deteriorationem prævíſam tacite conſentit, quatenus dantur rationes, cur rem alteri commodare teneatur, etiamſi ob deteriorationem prævíſam non commodare mallet; ſed in his datur colliſio officiorum, quæ exceptionem parit, quatenus tantum donare videtur commodatario, quanti eſt damnum deterioratione datum.

§. 444.

Res quando in ſpecie reſtituatur. *Rem in ſpecie reſtituere* dicitur, qui eandem numero reſtituit, quam accepit.

Ex. gr. Commodo tibi hunc librum in individuo; quamobrem ſi eundem numero, quem tibi commodavi, mihi reſtituis, librum in ſpecie mihi reſtituis, non vero ſi reſtituis exemplar aliud ejuſdem libri, numero diverſi ab eo, quem tibi commodavi. In Jure nimirum civili *res in ſpecie* dicitur, quæ individuum appellatur a Philoſophis, & *res in genere*, quæ ab his ſpecies appellatur. Terminum adeo in Jure receptum, etſi non ſatis accuratus ſit, retinere tamen maluimus.

§. 445.

Reſtitutio rei commodatæ finito uſu. *Commodatarius finito uſu rem commodatam commodanti reſtituere debet in ſpecie talem, qualem accepit, aut, ſi uſu deterioratur, non deteriorem, quam fieri debuit uſu conceſſo.* Etenim commodatarius re commodata non aliter uti poteſt, nec diutius, quam ipſi conceſſum fuit a commodante (§. 427.). Quamobrem finito uſu res commodata eſt ſine cauſa in poteſtate ipſius. Quoniam itaque qui rem alterius in ſua poteſtate habet, omnem operam dare debet, ut in poteſtatem ejus veniat, cujus eſt (§. 466. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter eidem reſtituere tenetur (§. 461. *part.* 2. *Jur. nat.*); commodatarius finito uſu rem commodatam commodanti reſtituere debet. Et quoniam res in ſpecie reſtituitur, ſi quis eandem numero reſtituit, quam accepit (§. 444.). Commodatarius finito uſu rem commodatam in ſpecie reſtituere debet commodanti. *Quod erat primum.*

Enimvero commodatarius cavere debet, ne res commodata culpa ſua reddatur deterior, vel prorſus deſtruatur, multo minus autem doloſe eam deteriorare, vel deſtruere debet (§. 441.), nec commodans in majorem rei deteriorationem conſentit, quam ſine qua uſus conceſſus obtineri nequit (§. 440.) immo jure interno in majorem conſentire minime poteſt (§. 443.). Quamobrem cum finito uſu rem in ſpecie reſtituere debeat *per demonſtrata n.* 1.; talem reſtituere debet, qualem accepit, aut, ſi uſu deterioratur, non deteriorem, quam fieri debuit uſu conceſſo. *Quod erat alterum.*

Inde eſt, quod ad formam hujus contractus requiri ſoleat reſtitutio rei in ſpecie uſu finito, ac ideo definitioni inferatur. Enimvero quoniam ex eo ſequitur, rem quæ uſu non conſumitur, in ſpecie eſſe reſtituendam, ſi uſus ejus certus alteri concedatur; ubi definitio commodati conditur in uſum demonſtrationum, reſtitutio eidem inferenda non eſt. Reſtitutio nimirum ſi accurate loqui velis, non eſt determinatio eſſentialis, ſeu requiſitum quoddam eſſentiale commodati, ſed potius attributum (§. 143. 146. *Ontol.*).

§. 446.

Si res commodata dolo vel culpa commodatarii deterioratur, vel prorſus deſtruitur, damnum datum ab eo reſarciendum eſt. Qui enim rem alienam dolo vel culpa ſua deteriorem reddit, in tantum domino tenetur, quanto minoris eſt res deteriorata (§. 618. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum res commodata non ſit commodatarii, ſed commodantis (§. 430.), adeoque ſi eam deteriorem reddit commodatarius, rem alienam deteriorem reddat (§. 146. *part. 2. Jur. nat.*); ſi res commodata dolo vel culpa commodatarii deterioratur, in tantum is commodanti tenetur, quanto minoris eſt res deteriorata, dum eam reſtituit. Quoniam itaque commodanti tantum datur damnum, quanto minus res deteriorata valet (§. 617. *part. 2. Jur. nat.*); ſi res commodata dolo vel culpa commodatarii deterioratur, damnum datum hac deterioratione reſarciendum eſt (§. 572. *part. 2. Jur. nat.*). *Quod erat unum.* *Damnum datum quodnam a commodatario reſarciendum.*

Quodſi dolo vel culpa commodatarii res commodata prorſus deſtruatur, eam commodanti reſtituere nequit in ſpecie (§. 444.), quemadmodum debebat (§. 445.), conſequenter commodans jacturam facit rei ſuæ (§. 487. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque commodatarius eidem damnum dat (§. 488. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque omne damnum dolo vel culpa datum reſarciendum eſt (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); ſi res commodata dolo vel culpa commodatarii prorſus deſtruitur; damnum datum commodanti reſarciendum eſt. *Quod erat alterum.*

In Jure naturæ non opus eſt ut quæramus, quænam culpa in quolibet contractu ſit præſtanda, cum hujus juris rigore præſtanda ſit omnis: cur vero ab eodem recedat jus civile; ſuo demonſtrabitur loco.

§. 447.

Si res commodata quæ non ſui, ſed commodatarii cauſa penes commodatarium eſt interit, eodem caſu penes commodantem non peritura; damnum reſarcire tenetur commodatarius: non vero tenetur, ſi eodem caſu penes commodantem periiſſet. Etenim ſi res caſu perit penes commodatarium, aut damnum ferendum eſt commodanti, aut idem reſarcire tenetur commodatarius. Quoniam res non commodantis, ſed commodatarii cauſa eſt penes commodatarium, nec eodem caſu peritura fuiſſet penes commodantem *per hyp.* cum res periiſſet commodatario, ſi ejus propria fuiſſet, nulla ſane ratio eſt, cur damnum potius ferre debeat commodans, quam commodatarius, cujus ſolius commodo res commodantis penes ipſum erat (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem damnum datum reſarcire tenetur commodatarius, ſi res commodata non ſui, ſed commodatarii cauſa caſu interit penes commodatarium eodem caſu non peritura penes commodantem (§. 70. *Ontol.*). *Quod erat unum.* *Quando commodatarius præſtat damnum caſuale.*

Quodſi eodem caſu peritura etiam fuiſſet penes commodantem, non ideo periit, quod commodatarii commodo penes eundem fuerit, adeoque perinde eſt, ac ſi penes commodantem fuiſſet, conſequenter nulla ratio eſt, cur damnum ferre debeat potius commodatarius, quam commodans. Quamobrem cum commodans ſit dominus rei commodatæ (§. 430), & res ſuo pereat domino (§. 356. *part. 2. Jur. nat.*); damnum quoque commodatarius reſarcire non tenetur, ſi res commodata caſu periit eodem caſu penes commodantem peritura. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Tu mihi commodaſti librum quendam: ſed me abſente oritur incendium, quo cum aliis rebus meis etiam liber tuus conſumitur. Naturaliter ego æſtimationem libri tibi reſtituere teneor. Quodſi vero eaſdem inhabitemus ædes, & eodem incendio non minus res tuæ, quam meæ conſumantur; damnum tu ferre debes, cum liber tuus etiam periiſſet, ſi inter res tuas, non meas fuiſſet, conſequenter non ideo periit, quod commodi mei cauſa penes me fuit. Non ignoro, Jure civili propter caſum, qui nulla providentia humana caveri poterat, non teneri com-

commodatarium §. 2. Inſt. quibus mod. re contrah oblig quod commodatarius non ſit dominus, res vero ſuo pereat domino (§. 356. *p* 2. *Jur. nat.*). Hinc tum demum caſum fortuitum, quem vocant Doctores, hoc eſt, quem nulla commodatarii culpa præceſſit, ad hunc pertinere ſtatuitur, quando is eum & omne periculum in ſe recepit. Vid. *Lauterbachius* tit. Commodat. Enimvero eadem ratio, propter quam quis expreſſe ita convenire poteſt, etiam ſufficit, ut tacite ita contractum fuiſſe intelligatur, quemadmodum mox oſtenſuri ſumus. Quodſi objicias, iniquum eſſe, ut, ſi equus commodatus ſine culpa tua moriatur, æſtimationem præſtare tenearis; facilis eſt reſponſio. Si equus ſine tua culpa moritur, aut idem moriturus quoque fuiſſet, ſi tibi commodatus non fuiſſet, aut propter uſum tibi conceſſum mortuus. In caſu priori vi propoſitionis præſentis damnum commodantis eſt, in poſteriori in periculum is conſenſiſſe intelligitur (§. 440), conſequenter periculum in ſe recepit, adeoque & damnum ferre debet. Quoniam tamen jus civile a naturali ſubinde recte recedit; nondum hinc inferri poteſt, jure civili caſum fortuitum omnem, minus recte referri ad commodantem. Patebit enim ſuo loco, quod jure civili ſtatuendum ſit.

§. 448.

Si res immobilis commodetur ad quem ſpectet caſus.

Quoniam damnum caſu datum rei immobili commodatæ ſemper etiam datum fuiſſet eidem, ſi in poteſtate commodantis fuiſſet, quod per ſe patet, damnum vero caſu datum ferre teneatur commodans, ſi eadem res penes ipſum ſeu in poteſtate ejus conſtituta idem periculum ſubiiſſet (§. 447.), *ſi res immobilis commodetur, propter damnum caſu datum, qui nulla ſcilicet providentia humana evitari poterat, nunquam tenetur commodatarius.*

Ex. grat. Commodo tibi ædes meas. Quodſi fulmine tactæ conflagrent, hoc non ideo accidit, quod tibi ſint commodatæ, cum idem eveniſſet, etiamſi tu eas non inhabitaſſes. Damnum igitur mihi ferendum, nec tu ad idem reſarciendum mihi teneris. Idem intelligitur; ſi grando deſtruit arbores in horto tibi commodato, aut ſi inundatione ſubvertitur ædificium in eodem extructum, vel ventus dejicit tegulas de tecto.

§. 449.

Quando propter caſum teneri videatur commodatarius.

Si in tua poteſtate fuerit effectum caſualem evitare, vel ad actionem omittendam fueris obligatus, ex qua effectus caſualis reſultat; commodatarius non tam propter caſum, quam culpam commodati tenetur. In utroque enim caſu imputatur ipſi actio ſive poſitiva, ſive privativa, quatenus effectum caſualem evitare poterat (§. 639. 640. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque cauſa libera cenſetur illius damni (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter damnum culpa ipſius datum intelligitur (§. 696. 743. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque commodatarius culpam omnem præſtare tenetur (§. 446.); non tam propter caſum, quam culpam tenetur, ſi illum evitare potuerit, vel ad actionem omittendam fuerit obligatus, ex qua idem reſultat.

Nimirum in hypotheſi propoſitionis præſentis commodatarius concurrit ad damnum caſuale actione vel privativa, vel poſitiva una cum cauſis naturalibus, adeoque non minus ad damnum reſarciendum tenetur, quam qui ad damnum dandum concurrit. Et alibi jam monuimus, damnum caſuale abire in culpoſum, ubi culpa noſtra caſui accedit (*not.* §. 491. *part.* 2. *Jur. nat.*). Hinc etiam Imperator §. 2. Inſtit. quibus modis re contr. oblig. etſi nolit propter majorem vim majoreſve caſus teneri commodatarium, eum tamen teneri vult, ſi ipſius culpa caſus intervenerit, veluti ſi id, quod tibi commodatum eſt domi, peregre tecum ferre malueris & vel incurſu hoſtium prædonumve, vel naufragio amiſeris, cum re commodata non aliter ſit utendum, quam tibi a commodante conceſſum (§. 427.).

§. 450.

Cur de caſu ob moram reſtituendi teneatur commodatarius.

Quoniam commodatarius non tam propter caſum, quam culpam tenetur commodanti, ſi illum evitare potuiſſet, vel ad actionem omittendam obligatus fuerit, ex qua effectus caſualis reſultat (§. 449.), ſi vero caſu res deterioratur, vel prorſus deſtruitur, quia finito uſu rem commodatam non reſtituit, quemadmodum debebat (§. 445.), caſus evitari potuiſſet, ſi juſto tempore res com-

commodata reſtituta fuiſſet, & ex actione, quam *commodatarius* omittere non debebat, caſus reſultavit; *non tam propter caſum, quam culpam tenetur, ſi res commodata ob moram reſtituendi caſu quodam deterioratur, vel prorſus deſtruitur.*

Nimirum mora culpa eſt, ſi quis in mora eſt (§. 648. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter ſi eo tempore rem commodatam non reſtituit, quo eam reſtituere debebat (§. 638. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum caſus interveniat culpa, damnum caſuale in culpoſum abit.

§. 451.

An naturaliter commodato ſubſit tacita conditio, ut propter caſum teneatur commodatarius.

Naturaliter commodato ineſt tacita hæc conditio, ut commodatarius teneatur propter caſum, quo res penes te peritura vel deteriorata non fuiſſet. Ponamus enim commodatarium quærere ex commodante, utrum ipſi propter caſum, quo res penes ipſum peritura, vel deteriorata non fuiſſet, teneri debeat, nec ne. Quoniam nonniſi certum rei ſuæ uſum commodans commodatario concedit (§. 421.); adeoque finito uſu rem ſibi reſtitui vult, nec in majorem deteriorationem conſentit, quam quæ cum uſu conceſſo cohæret (§. 440.), ac præterea uſum concedit gratis (§. 417.), conſequenter pro eo nihil viciſſim a commodatario recipit (§. 18.); nullum eſt dubium, quin reſponſurus ſit, nolle ſeſe rem ſuam alteri commodare, niſi caſum præſtare velit, quo penes ſe non ſit peritura, vel deterioranda, præſertim cum hoc jure exigere poſſit (§. 494. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem naturaliter commodato ineſt tacita hæc conditio, ut commodatarius teneatur propter caſum, quo res penes te peritura vel deteriorata non fuiſſet.

Nemo præſumitur, quod propter commodum alterius velit ſubire periculum rei ſuæ vel amittendæ, vel deteriorandæ, cum nemo præſumatur alteri quid gratis dare velle. Quodſi ergo judicium de caſu præſenti ferendum eſt ex eo, quod præſumitur; præſumtio utique militabit pro commodante, non pro commodatario, ut ſcilicet hic ſubeat periculum rei, quæ ipſius unice commodo penes ipſum eſt. Quando enim de commodato ſimpliciter loquimur, in eo unice ſpectari commodum commodatarii ſupponitur, cum hoc ordinarium ſit, rarius vero contingat, ut ſui gratia uſum rei ſuæ alteri concedat commodans, aut ut tam commodantis, quam commodatarii commodum ſimul ſpectetur. Etſi autem ad hanc differentiam animum non attendamus in iis propoſitionibus, quæ de damno reſarciendo a commodatario demonſtrata fuerunt; nullum tamen hinc metuendum eſt veritati præjudicium, cum in eo caſu, quo commodatarii commodum unice non ſpectatur, culpa redundet in commodantem & periculo commodantis res ejus ſit penes ipſum, quemadmodum ex ſequentibus plenius conſtabit.

§. 452.

Quando commodatarius non teneatur ob rem deterioratam, vel deſtructam.

Si res commodata culpa commodantis deterioratur, vel prorſus deſtruitur, eidem ad nihil tenetur commodatarius. Etenim ſi res commodata culpa commodantis deterioratur, vel prorſus deſtruitur, cum culpa imputanda ſit ei, cujus eſt (§. 722. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), non commodatario, ſed commodanti imputandum, quod res commodata deteriorata vel prorſus deſtructa fuerit, conſequenter commodans cenſetur cauſa libera deteriorationis vel deſtructionis rei ſuæ (§. 527. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem nulla ratio eſt, cur damnum reſarcire teneatur commodatarius (§. 56. *Ontol.*). Hinc igitur idem reſarcire non tenetur (§. 70. *Ontol.*), conſequenter ſi res commodata culpa commodantis deterioretur, vel prorſus deſtruatur, eidem ad nihil tenetur.

Equidem hæc propoſitio ſuperflua videri poterat; mox tamen videbimus, nos eadem in aliis demonſtrandis opus habere.

§. 453.

An commodatarius teneatur pro-

Si res commodata a tertio deterioratur, vel prorſus deſtruitur; commodatarius damnum reſarcire tenetur. Damnum enim a commodatario reſarciendum eſt, ſive

pter damnum a tertio datum.

ve dolo, vel culpa ipſius vel deterioretur, vel prorſus deſtruatur (§. 446.), ſive hoc caſu quodam accidat, quo eadem penes commodantem non deteriorata fuiſſet, vel periiſſet (§. 447.). Quamobrem ſive culpa tua accidat, ut res commodata a tertio deterioretur, vel prorſus deſtruatur, ſive abſque culpa tua prægreſſa idem contingat, ut caſui æquiparetur (§. 460. *part.* 2. *Theol. nat.*); damnum datum a te reſarciendum. Patet adeo ſimpliciter, commodatarium teneri ad damnum reſarciendum, ſi res commodata a tertio deterioretur, vel prorſus deſtruatur.

Quando culpa tua accidit, ut res commodata deterioretur, vel prorſus deſtruatur a tertio; jure etiam civili propter damnum datum tenetur commodatarius: aſt ſi nulla culpa tua idem contingat, eodem jure non tenetur (*not.* §. 447.). Ratio diſſenſus patet ex antea dictis (*not.* §. *cit.*). Ex. gr. Commodavi tibi equum. Miles quidam ex improviſo eum vulnerat. Accidit hoc abſque culpa tua: non tamen accidiſſet, ſi equus in ſtabulo meo fuiſſet. Naturaliter de damno reſarciendo mihi teneris. Similiter commodavi tibi ſcyphum vitreum. A famulo tuo, vel a conviva frangitur. Ad damnum reſarciendum mihi teneris.

§. 454.

Quid ſtatuendum de eo, qui ſua duntaxat cauſa commodat.

Si quis ſua duntaxat cauſa commodavit, re ipſe uti cenſetur [1]. Etenim ſi quis ſua duntaxat cauſa commodavit, re alterius uteris non tui, ſed commodantis gratia, conſequenter uſus tibi conceſſus eſt inſtar medii, quo utitur commodans ad finem ſibi propoſitum conſequendum (§. 937. *Ontol.*). Quamobrem cum ipſe re tua utatur, qui uſum impendit ad finem ſibi propoſitum conſequendum, ſi quis ſua duntaxat cauſa commodat, re ipſe uti cenſetur.

[1] In caſu particulari hoc clarius eluceſcit. Ponamus enim te nonnulla in libro, quem legis, contenta non ſatis intelligere, ac mihi commodare librum, ut quando mihi opportunum fuerit, ea legam, quæ non ſatis intelligis, tibique poſtea explicem. Evidens eſt, te tua duntaxat cauſa librum commodare, aut potius tui ſaltem gratia librum tuum in poteſtate mea eſſe. Libro tuo utor non mei, ſed tui gratia, atque adeo cum uſus te reſpiciat, perinde omnino eſt, ac ſi tu eodemютereris, non vero ego uterer. Vulgo datur hoc exemplum, quod affert *Ulpianus* l. 5. § 10. ff. de commod. vel contra, ſi quis commodat ſponſæ ſuæ, ut honeſtius culta ad ſe deducatur. Commodans hic *intendit* tanquam finem ornatum ſponſæ: eum ut conſequatur eidem concedit uſum gemmarum, quas donare non vult, vel etiam non poteſt certa de cauſa. Ipſe adeo utitur gemmis, dum ſui gratia uſum concedit ſponſæ, quatenus hæc conceſſio eſt medium, quo finem a ſe intentum conſequitur.

§. 455.

An in hoc caſu proprie ſit commodatum.

Quoniam qui ſua duntaxat cauſa commodat, re ipſe uti cenſetur (§. 454.), conſequenter uſus rei alteri non conceditur, niſi quatenus continet uſum proprium & hujus ſolius gratia ejus fit conceſſio, quando autem proprie loquendo uſus rei alteri conceditur, conceſſio non conſiſtere debet in uſu proprio, & commodatum in conceſſione uſus rei alteri facta conſiſtit (§. 417. 418.); *ſi quis ſua duntaxat cauſa commodat, commodatum proprie loquendo non eſt, ſed actus alius, quo quis re ſua utitur concedendo ſui commodi cauſa uſum rei alteri.*

Si proprie loquamur, integra definitio convenire debet rei, cui tribuitur definitum (§. 394 *Log.*). Enimvero actui, de quo hic ſermo eſt, non convenit definitio commodati integra. Commodatum enim eſſe debet contractus beneficus, ex quo una tantummodo contrahentium pars commodum quoddam gratis habet (§. 417. 418.). Sed in commodato gratis commodum habere nequit, niſi qui rem utendam accipit. Quamobrem cum hoc non fiat, ubi commodum eſt ſolius commodantis; proprie loquendo actus, de quo hic ſermo eſt, commodatum dici nequit.

§. 456.

Ad quem ſpectet caſus, ſi com-

Si tua duntaxat cauſa commodaſti, ego tibi non teneor ob eum caſum, quo res penes te non peritura, vel deteriorata fuiſſet. Quodſi enim tua duntaxat cauſa com-

modaſti, tu ipſe re uteris, dum ejus uſum mihi concedis (§. 455.), conſequenter eandem periculo exponis, quod imminet a caſu, quo penes te peritura, vel deteriorata non fuiſſet. Quamobrem nulla ratio eſt, cur meo periculo penes me eſſe debeat (§. 56. *Ontol.*), adeoque nec ego tibi teneor propter caſum, quo res penes te peritura, vel deteriorata non fuiſſet (§. 70. *Ontol.*). *modantis ſolius gratia commodetur.*

Etſi enim naturaliter commodato inſit tacita conditio, ut commodatarius teneatur propter caſum, quo res penes ſe perit, vel deterioratur, non autem peritura, vel deteriorata fuiſſet penes commodantem (§. 451.); id tamen cum intelligendum ſit de commodato proprie ſic dicto, trahendum non eſt ad commodatum improprie dictum, quod conſiſtit in actu, quo uſus alteri conceſſus eſt cauſa ipſius commodantis (§. 455.).

§. 457.

Si tua duntaxat cauſa commodas, cavere debeo, ne culpa mea res commodata reddatur deterior, vel prorſus deſtruatur, multo minus dolo eam deteriorare, vel deſtruere licet. Naturaliter enim nemo rem alterius deſtruere, aut deteriorare debet (§. 647. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſed omne potius damnum, quantum in ſe eſt, avertere (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi tua duntaxat cauſa commodaſti, ego cavere debeo, ne culpa mea rés commodata reddatur deterior, vel prorſus deſtruatur, adeoque multo minus dolo eam deteriorare, vel deſtruere licet. *Obligatio interna e jus, qui commodantis cauſa rem utendam accepit.*

Nimirum per hoc, quod tua duntaxat cauſa commodas, adeoque tui commodi cauſa res penes me eſt, non tollitur naturalis obligatio, utpote in ſe immutabilis (§. 142. *p.* 2. *Jur. nat.*), ut nec commodans te ab ea abſolvere poſſit. Peccas itaque, ſi culpa tua etiam commodantis ſolius gratia commodata res reddatur deterior, vel deſtruatur. Non tamen hinc ſequitur, quod jure externo reparationem damni exigere poſſit: neque enim obligatio interna confundenda eſt cum externa, quam contrahere voluiſti.

§. 458.

Commodans reparationem damni dati remittere poteſt. Naturaliter enim homo jus ſuum, adeoque etiam jus exigendi reparationem damni remittere poteſt (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamvis adeo commodanti competat jus exigendi reparationem damni dati a commodatario (§. 446.), immo jure interno etiam idem competeret, ſi ſua duntaxat cauſa commodavit (§. 457. *h.* & §. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); reparationem tamen damni remittere poteſt. *Ad damnum datum commodans remittere poſſit.*

Aliud eſt remittere reparationem damni, aliud vero conſentire, ut quis culpa ſua damnum det. Qui enim reparationem damni remittit, is non vult, ut damnum datum, ad quod reſarciendum alter tenebatur, ipſi reſarciat (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*); aſt qui conſentit, ut alter ſua culpa damnum det, is vult, ut alter in avertendo damno ſit negligens (§. 750. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Hæc duo admodum differre nemo non videt.

§. 459.

Qui ſua duntaxat cauſa commodat, damni culpoſi, non vero dolo dati reparationem remittit tacite. Quodſi enim tua duntaxat cauſa commodas, cum nullum inde commodum accedat alteri (§. 455.), nemo ſe exponet periculo damnum culpa forſan datum reparandi, ſi reparationem urgere velis. Quamobrem cum tua interſit, ut tua cauſa commodes, reparationem autem damni dati remittere poſſis (§. 458.), neceſſe omnino eſt, ut eam remittas, ſiquidem tua cauſa duntaxat commodare velis. Quodſi ergo tua duntaxat cauſa commodas, damni culpoſi reparationem tacite remittis. *Quod erat unum.* *Cujuſnam damni reparationem ſua cauſa commodans remittat.*

Enimvero qui dolo damnum dat, ſciens ac volens hoc facit (§. 705. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum dolus ſemper evitari poſſit (§. 733. *part.* 1. *Phil.*

Phil. pract. univ.), quilibet autem omnem operam dare debet, ne quoad patrimonium ſuum damnum aliquod ipſi inferatur (§. 494. *part. 2. Jur. nat.*); nemo præſumitur remittere damni dolo dati reparationem. Quamobrem ſi tua duntaxat cauſa commodas, damni dolo dati reparationem tacite non remittis. *Quod erat alterum.*

Improbum foret ab altero petere, ut conſentiat in damnum quod dolo datur: immo repugnat, ut quis permittat rem ſuam doloſe deteriorari, vel deſtrui (§. 494. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem abſurdum foret, præſumere remiſſionem reparationis damni doloſi. Aliter vero ſeſe res habet in damno culpoſo, quod non datur a ſciente ac volente (§. 732. p. 1. *Phil. pract. univ.*). Facile enim eſt admittere culpam, quam non ſemper evitare licet, etiamſi animum evitandi habeas, quemadmodum facile perſpicitur, ſi animum ad ea attendas, quæ de culpa in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis prolixe docuimus.

§. 460.

Quando culpa ſit ſua dumtaxat cauſa commodantis.

Si quis ſua duntaxat cauſa homini admodum negligenti commodat, & res commodata culpa ejus deterioratur, vel perit; culpa ipſius commodantis hoc accidit, quando alii magis diligenti commodare eadem cauſa potuiſſet, aut nulla officii ratio urget, ut commodet. Etenim ſi quis ſua duntaxat cauſa commodet, aut officii quædam ratio urget ut commodet, aut nulla. In caſu poſteriori neceſſe non eſt, ut commodet, ſed ſaltem in priori. Quodſi cavere velit, quemadmodum debet (§. 494. *part. 2. Jur. nat.*), ne res commodata deterioretur, vel pereat culpa commodatarii, imprudenter agit, qui commodat homini admodum negligenti, quando magis diligenti commodare poterat, aut, ſi diligentiorem eligere non daretur, actum prorſus intermittere poterat. Quamobrem ſi damnum datur a commodatario, cum imprudentia culpa ſit (§. 777. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ipſius commodantis culpa hoc accidit. Atque adeo patet, ſi quis ſua duntaxat cauſa homini admodum negligenti commodat, & res commodata hujus culpa deterioratur, vel perit; culpa ipſius commodantis hoc accidere, quando alii magis diligenti eadem cauſa commodare potuiſſet, aut nulla officii ratio urget, ut commodet.

Ex. gr. Commodo tibi librum, ut me doceas, quomodo intelligenda ſint ea, quæ non ſatis capere poſſum. Novi te in rebus utendis eſſe admodum negligentem; non tamen eſt alius, qui deſiderio meo ſatisfacere poterat. Quodſi culpa tua atramentum effundatur in librum; id imprudentiæ meæ tribui nequit. Aſt ſi fuiſſet alius, qui intellectu difficilia in libro iſto mihi quoque explicare potuiſſet ac voluiſſet, ac ſollicite admodum cavere ſolet, ne libri, in quibus legit, maculentur; imprudenter omnino egi, quod librum homini negligenti potius commodare voluerim, quam circumſpecte eodem utenti. Atque adeo mea culpa accidit, quod atramentum in eum fuerit effuſum. Ponamus te velle, ut quis tecum interſit nuptiis, qui iiſdem intereſſe nolebat, quod veſte nuptiali caret, & ea cauſa eidem commodare veſtem. Noſti autem ipſum eſſe admodum negligentem & hoc non obſtante eidem veſtem commodas. Quoniam nulla officii ratio urget, ut commodes; tibi omnino imputare debes, ſi culpa ipſius veſtis tua quomodocunque deterioretur. In caſibus particularibus veritas propoſitionis præſentis adeo clare eluceſcit, ut de ea dubitari non poſſit, modo animum ad circumſtantias advertere libuerit.

§. 461.

Ad quid teneatur commodatarius ſua dumtaxat cauſa commodanti.

Si quis ſua duntaxat cauſa commodat, commodatarius ad ſolum dolum, non vero culpam præſtandam jure externo tenetur. Etenim qui ſua duntaxat cauſa commodat, damni culpoſi, non autem doloſi reparationem tacite remittit (§. 459.), & propria ipſius culpa res commodata deterioratur, vel perit, ſi homini admodum negligenti commodat, quando alii magis diligenti eadem cauſa commodare poterat, vel nulla officii ratio urget, ut commodet (§. 460.), conſequenter ad nihil ipſi tenetur commodatarius (§. 452.). Quamobrem etſi jure interno ad omne damnum ſive culpa, ſive dolo datum reſarciendum ſimpliciter obligemur

gemur (§. 580. *p.* 2. *Jur. nat.*); ſi quis tamen ſua duntaxat cauſa commodat, commodatarius ad ſolum dolum, non vero culpam præſtandam jure externo tenetur.

Conſentit *Ulpianus* l. 5. §. 10. ff. Commod. l. contra.

§. 462.

Idem ulterius expenditur.

Si alteri duntaxat tua cauſa commodas & is ad culpam præſtandam expreſſe ſe obligat; eam præſtare tenetur. Etenim ſi tua duntaxat cauſa commodas & alter ad culpam præſtandam expreſſe ſe obligat; damni culpoſi reparationem eidem non remittis. Quamobrem manet naturalis obligatio damnum culpoſum reſarciendi (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque jure interno obligatur ad culpam præſtandam. Et quoniam ad culpam præſtandam expreſſe ſe obligat, ſeu eam præſtare promittit (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*), promiſſa autem ſervanda ſunt (§. 431. *part.* 3. *Jur. nat.*)); damnum quoque culpoſum præſtare tenetur jure externo (§. 430. 396. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 656. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem patet commodatarium teneri ad præſtandam culpam, ſi ſua duntaxat cauſa commodanti ad hoc expreſſe ſe obligaverit.

Quæ ex promiſſo oritur obligatio, eam eſſe externam ac inde ortum jus externum eſſe alibi jam oſtendimus (*not.* §. 396. *part.* 3. *Jur. nat.*). Unde etiam obligatio omnis ex pacto, ſeu contractu externa eſt, & jus, quod quis ex eo habet, externum eſt (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo in jure externo æquitatis habenda ratio, neceſſe eſt ut ad nihil te obliges alteri, ad quod non jam jure interno tenearis, ſeu naturaliter ſis obligatus. Unde ſi agitur in Jure naturæ de jure externo, quod naſcitur alteri ex obligatione externa; ſemper diſpiciendum eſt, quid velit naturalis obligatio. Nec ab hiſce principiis abhorrent JCti Romani. Sane *Ulpianus*, qui jus civile effici agnoſcit, ſi naturali quid addimus, vel detrahimus l. 6. ff. de Juſt. & Jur. dolum ſolum præſtandum eſſe fatetur l. 5. §. 10. ff. Commod. l. contra, ſi quis ita convenit: ita enim conveniri poteſt, quia commodans jus ſuum remittere poteſt (§. 458.). Nec alia de cauſa recte ad præſtandum caſum tenetur commodatarius juxta jus civile, quando pacto caſus fortuitos in ſe recepit, quam quia naturaliter jam obligatur ad præſtandum caſum, quo res penes commodantem non peritura, vel deteriorata fuiſſet (§. 447.). Quodſi vero quis ſeſe etiam obligaret ad præſtandum caſum, quo eadem res peritura, vel deteriorata etiam fuiſſet penes commodantem; pactum omnino foret iniquum, utpote legi naturali parum conveniens. Tanto minus adeo paradoxum videbitur, quod ſupra caſum retulerimus ad commodatarium, quo eadem res peritura aut deteriorata non fuiſſet penes commodantem (§. 447.), cum non iniquum cenſeatur, ut pacto in ſe recipiat caſum ac omne periculum commodatarius. Quodſi jus civile cum naturali accuratius conſentire deberet, dicendum foret, commodatarium ordinarie, quando ſcilicet ipſius commodum eſt, ad præſtandum caſum non teneri, ſi expreſſe ita conventum fuerit, adeoque jus ſuum remiſerit commodans (§. 458.), quod taciteremiſiſſe non videtur, quando non ſui, ſed commodatarii commodo commodavit. Velim hactenus dicta probe perpendant, qui cum juris civilis principiis imbutum habeant animum, ſtatim damnant, quæ cum iis non conveniunt, aut parum convenire videntur.

§. 463.

Quando commodatarius ſolum dolum præſtet.

Commodatarius ſolum dolum præſtare tenetur, ſi is ita convenit. Quando enim commodatarius ita convenit, ut ſolum dolum præſtet; commodans jus ſuum remittit (§. 446. *b.* & §. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum reparationem damni dati remittere poſſit commodans (§. 458.), adeoque licite ita conveniatur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); commodatarius ſolum dolum præſtare tenetur, ſi is ita convenit.

Loquimur hic de eo caſu, quo commodatarii ſolius ſpectatur utilitas, utpote ordinario, & qui ſemper intelligitur, niſi expreſſe contrarium moneatur (§. 455.). Conſentit *Ulpianus* l. 5. § 10. ff. Commod. & contra.

§. 464.

Quando commodatarius præſtare debeat damnum, ſi commodantis cauſa commodetur.

Si quis ſua duntaxat cauſa commodat, tu vero finito uſu rem non ſtatim reſtituis, vel etiam interea, dum uſus conceditur, re aliter uteris, & tum ob moram reſtituendi, tum ob uſum alium datur quomodocunque damnum; illud reſarcire teneris. Commodans enim ſui duntaxat cauſa damni culpoſi reparationem remittit tacite, quatenus ſui commodi cauſa commodat, re ipſe utens, dum uſum tibi concedit (§. 454. 459.), conſequenter non remittit, niſi quatenus in uſu tibi conceſſo & interea temporis, quo hujus gratia res penes te eſt, culpa tua res deterioratur, vel perit. Quamobrem non remittit, ſi re aliter adhuc uteris tui, non ipſius commodi cauſa, vel quando ſine cauſa res penes te eſt. Quoniam itaque damnum culpa datum reſarciendum, niſi reparatio damni fuerit remiſſa (§. 580. *part. 2. Jur. nat.* & §. 117. *part. 3. Jur. nat.*); ſi quis ſua duntaxat cauſa commodat, tu vero finito uſu rem non ſtatim reſtituis, vel etiam interea, dum uſus conceditur, re aliter uteris, & utraque de cauſa damnum quomodocunque datur, id reſarcire teneris.

Sive moram nectas in reſtituendo, ſive re aliter utaris, quam commodatum eſt, caſus mutatur, nec amplius dici poteſt, commodatum eſſe ſola commodantis cauſa. Quamobrem quæ valent in eo caſu, quo ſolius commodandis cauſa commodatum, ea trahi non poſſunt ad alios ab eo prorſus diverſos.

§. 465.

Quando commodatarius furtum uſus committat.

Si commodatarius re aliter vel diutius utitur, quam commodatum eſt, furtum uſus committit. Quando enim commodatarius re aliter utitur, quam commodatum eſt, vel etiam utitur diutius, inſcio ac invito domino de uſu rei alienæ diſponit inſtar domini, cujus quippe ſolius eſt jus de ejus uſu pro arbitrio ſuo diſponendi (§. 138. 135. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum furtum uſus committat, qui inſcio ac invito domino de uſu rei alienæ inſtar domini diſponit (§. 503. *part. 2. Jur. nat.*); furtum uſus committit commodatarius, ſi re aliter vel diutius utitur, quam commodatum eſt.

Hinc furti tenetur jure Romano l. 5. ff. §. 8. Commod. l. contra, qui re aliter utitur, quam commodatum eſt. Quamvis vero conſultius viſum fuerit, ab infami noſtris moribus furti appellatione in iſtiuſmodi caſibus abſtinere, quibus injuria fit domino circa uſum rei ſuæ (*not.* §. 503. *part. 2. Jur. nat.*); nihil tamen abſurdi ea continet, ſed nomen ſatis convenit rei ſuæ. Nimirum uſus, qui conceditur, res incorporalis eſt (§. 497. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi quis uſum quendam rei ſibi arrogat, quem dominus ipſi minime conceſſit, rem incorporalem alienam inſcio ac invito domino aufert & ſuam facit. Quamobrem cum furtum ſit ablatio rei alienæ inſcio ac invito domino animo ſuam faciendi facta (§. 498. *part. 2. Juris nat.*); arrogatio uſus a domino ſibi non conceſſi apte furtum uſus appellatur.

§. 466.

Alius caſus quo furtum uſus committitur.

Si quis inſcio ac invito domino rem utendam aufert animo eam reſtituendi finito uſu, furtum uſus committit. Oſtenditur eodem modo, quo propoſitionem præcedentem oſtendimus.

Nemo ſibi ipſi rem alterius commodare poteſt, cum commodatum conſiſtat in conceſſione uſus certi (§ 418.), nemo autem ſibi arrogare poſſit jus ad actum quendam vi dominii ſoli domino liciti (§. 652. *part. 2. Jur. nat.*). Nec voluntas alterius metienda ex voluntate tua, ut ex eo præſumi poſſet commodandi voluntas, ſi tu eam commodares alteri, poſito quod res eſſet tua. Immo ad contractum, qualis eſt commodatum, expreſſus requiritur contrahentium conſenſus (§. 699 793. *part. 3. Jur. natur.*).

§. 467.

Si utriuſque gratia commodatum, commodatarius præſtare tenetur præter dolum etiam culpam, ſi minorem diligentiam adhibuerit, quam in rebus ſuis adhibere ſolet. Quodſi enim tui tantummodo cauſa commodatum fuerit, tu præſtare teneris & dolum, & culpam quamvis (§. 446.), immo etiam caſum, quo eadem res apud me non peritura aut deteriorata fuiſſet (§. 447.): aſt ſi mea duntaxat cauſa fuerit commodatum, tu præſtare debes nonniſi dolum (§. 461.), niſi ad culpam quoque præſtandam te obligaveris (§. 462.). Quamobrem ſi utriuſque cauſa commodatum, nec ſufficit dolum ſolum præſtari, nec culpa quævis tibi imputanda videtur. Quodſi ergo eam diligentiam adhibueris, quam in rebus tuis adhibere ſoles, quod extra eam eſt periculum in me recepiſſe cenſendus ſum, conſequenter culpam præſtare non teneris, niſi minorem diligentiam adhibueris, quam in rebus tuis adhibere ſoles, quando utriuſque cauſa commodatum. *Quidnam præſtandum commodatario, ſi utriuſque gratia commodetur.*

Gajus l. 18. ff. pr. Commod. & contra caſum hunc proponit, ſi communem amicum ad cœnam invitavimus, tuque ejus rei curam ſuſcepiſti & ego tibi vaſa argentea commodavi. Monet autem quoſdam JCtos Romanos in ea fuiſſe opinione, quaſi commodatarius dolum ſaltem præſtare debeat; ipſe autem cenſet, præſtandam etiam eſſe culpam, ita tamen ut culpæ fiat æſtimatio. Quodſi naturaliter culpam æſtimare voluerimus, non attenta diviſione in latam, levem & leviſſimam, quæ Juris Romani, non vero naturalis eſt (*not.* §. 759. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); non majorem diligentiam tacite ab alio requirere poſſumus, quam in rebus ſuis adhibere ſolet, cum homines ex conſuetudine agere ſoleant, niſi peculiare adſit motivum, ut agant cautius: id quod & experientiæ, & principiis pſychologicis convenit. Quamobrem qui non expreſſe ea majorem diligentiam exigit, quam quis in rebus ſuis adhibere ſolet, is tacite ad majorem alterum obligare nequit, quia præſumi nequit, eum in caſu præſenti, quo in commodato non minus dantis, quam accipientis ſpectatur utilitas, ad majorem diligentiam ſe obligare voluiſſe. Neque enim hic agitur de eo, ad quod quis naturaliter obligatus; ſed ad quod quis ex contractu ſeſe obligaverit. Præſtaret omnino expreſſe conveniri, ad quid præſtandum quis velit eſſe obligatus; ſed cum hoc minime fieri ſoleat, quid tacite voluerint ex circumſtantiis definiendum.

§. 468.

Commodatarius rem commodatam cuſtodire tenetur. Cavere enim debet, ne res commodata deterioretur, vel prorſus deſtruatur (§. 441.). Quamobrem cum hoc facile accidere poſſit, niſi cuſtodiatur, vel etiam furto auferri; commodatarius rem commodatam cuſtodire tenetur. *Res commodata cuſtodienda.*

Nimirum quod ex negligentia in cuſtodiendo reſultat damnum, id culpoſum eſt (§. 758. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque reſarciendum (§. 446.). Hinc commodatarius cuſtodiam præſtare dicitur. Quanta vero diligentia in re cuſtodienda ſit adhibenda, ex anterioribus intelligitur.

§. 469.

Res, quæ uſu conſumitur, æquipollet rei, quæ uſu non conſumitur, ſi uſus ſaltem conſiſtat in oſtentatione. Etenim ſi re non aliter utaris, niſi ut eandem oſtentes; ea hoc uſu non conſumitur, etſi alias uſu, quem habet, conſumatur. Quamobrem ſi uſus ſaltem conſiſtat in oſtentatione, res, quæ uſu conſumitur, æquipollet rei, quæ uſu non conſumitur. *Quando res, quæ uſu conſumitur, æquipolleat rei, quæ eodem non conſumitur.*

Ex. gr. Bellaria uſu conſumuntur: quodſi vero ad pompam & oſtentationem tantummodo apponantur, ut nemo iiſdem fruatur, finito convivio adhuc ſuperſunt. Quoad eum igitur, quem in convivio habuerunt, uſum æquipollent rebus, quæ uſu non conſumuntur, veluti vaſis argenteis aut poculis vitreis.

§. 470.

§. 470.

Quando res, quæ uſu conſumuntur, commodari poſſint.

Quoniam res, quæ uſu conſumuntur, æquipollent rebus, quæ uſu non conſumuntur, ſi uſus ſaltem conſiſtat in oſtentatione (§. 469.), res autem, quæ uſu non conſumuntur, commodari poſſunt (§. 418.); *res, quæ uſu conſumuntur, ad pompam & oſtentationem commodari poſſunt.*

Monuit hoc *Ulpianus* l. 3. ff. Commod. l. contra. §. 6. Ne tamen contractum hunc cum alio confundas, probe tenendum eſt, te rem, quæ uſu non conſumitur, ad pompam & oſtentationem gratis accipere debere, ut ſit commodatum (§. 418.).

§. 471.

Pecuniam ad res, quæ uſu conſumuntur, referenda.

Pecunia refertur ad res, quæ uſu conſumuntur. Uſus enim pecuniæ in eo conſiſtit, ut pro ea res & operæ ab aliis comparentur (§. 293.), conſequenter eadem ſi uti velis, ea eroganda eſt, dominio ejus in alium translato. Cum igitur finito hoc uſu quoad te perinde ſit, ac ſi ea non amplius extaret, uſu eam conſumſiſſe videris. Pecunia igitur refertur ad res, quæ uſu conſumuntur.

Loquimus hic de uſu primario, quem pecunia in ſe habet, non de ſecundario, qui ex accidente ſuperaccedit, veluti ſi avarus pecuniam corradit & in ciſta condit, ut ex pecunia numerata, quæ divitem probant (§. 344 352.) voluptatem percipiat. Quando enim pecunia utitur ad animum voluptate perfundendum, uſus ſecundarius eſt, cum non eo fine inventa ſit pecunia, ſed ad definiendum rectius rerum ac operarum pretia (§. 290.) & eas ab aliis facilius ſibi comparandum (§. 293). Ex accidente igitur eſt, quod avarus alium faciat pecuniæ uſum, quam quem per ſe habet.

§. 472.

Quomodo commodari poſſit.

Quoniam pecunia refertur ad res, quæ uſu conſumuntur (§. 470.), res vero, quæ uſu conſumuntur, ad pompam vel oſtentationem commodari poſſunt (§. 470.); *pecunia etiam ad pompam & oſtentationem commodari poteſt.*

Ex. grat. Si a me accipis centum aureos per breve tempus ad oſtentationem, mihi in ſpecie reddendos, tibi commodati ſunt.

§. 473.

Principium generale commodandi res, quæ uſu non conſumuntur.

Si rerum, quæ uſu conſumuntur, alius adhuc excogitari poſſit uſus, quo non conſumuntur; quoad hunc commodari poſſunt. Quodſi enim aliquis rerum, quæ uſu conſumuntur, excogitari poſſit uſus, quo non conſumuntur, quoad hunc uſum, æquiparantur rebus, quæ uſu non conſumuntur, quod per ſe patet. Quamobrem cum res, quæ uſu non conſumuntur, commodari poſſint (§. 418.); ſi rerum, quæ uſu conſumuntur, alius adhuc excogitari poſſit uſus, quo non conſumuntur, quoad hunc commodari poſſunt.

Ex. gr. Ponamus te habere uvam inſolitæ magnitudinis, & me eandem a te accipere, ut eam Titio oſtendere valeam: uvam mihi commodas. Etenim in me transfers jus ad actum quendam vi dominii tibi ſoli licitum (§. 135. 136. *part. 2. Jur. natur.*): quo re tua utor ſalva ſubſtantia ejus, ut finito uſu eandem tibi reſtituere poſſim: id quod commodantis eſt (§. 439. 445.). Similiter commodatur moneta nova ſive aurea, ſive argentea, ut eam oſtendere poſſis aliis.

§. 474.

Si res, quæ uſu conſumuntur, commodantur ad uſum quendam, quo non conſumuntur, & vel totæ, vel pars quædam uſu conſumantur; in caſu priori perinde eſt, ac ſi res, quæ uſu non conſumitur, dolo vel culpa commodantis periiſſet, in poſteriori autem deteriorata fuiſſet. In caſu enim priori non amplius extat, ut finito uſu, qui conceſſus fuerat, reſtitui poſſet (§. 445.), adeoque perinde eſt ac ſi res, quæ uſu non conſumitur, periiſſet. Quoniam vero re aliter uti non debebas, quam commodatum erat (§. 427.), nec tibi eam conſumere, nec ut ab aliis conſumeretur permittendum tibi erat. Quamobrem cum in caſu priori ſciens ac volens hoc feceris, dolo res periiſſe cenſetur (§. 705. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); in poſteriori autem cum aliis interdicere eo uſu commode non poſſes, res culpa tua periiſſe intelligitur (§. 732. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.* *Quando res, quæ uſu conſumitur, in commodato perire, vel deteriorari intelligatur.*

Quodſi vero ſaltem pars quædam rerum, ad alium uſum, quam quo conſumuntur, commodatarum uſu conſumatur; cum finito uſu rem talem reſtituere non poſſis, qualem accepiſti, quemadmodum fieri debebat (§. 445.); perinde omnino eſt, ac ſi res, quæ uſu non conſumitur, deteriorata fuiſſet, ut minoris jam ſit, quam fuerat antea, pretii. Patet vero ut ante, quod vel dolo, vel culpa tua deterioratio facta videatur. *Quod erat ſecundum.*

Nimirum quando res, quæ uſu conſumitur, ad alium uſum conceditur, quo non conſumitur, uſus, quo conſumitur, in commodato non habetur pro uſu, ſed pro actione agentis, qua vel deſtruitur, vel deterioratur, prouti vel toti, vel ex parte conſumitur.

§. 475.

Si ultro ad commodandum te obtuleris, ad culpam & caſum, quo res apud commodantem non peritura vel deteriorata fuiſſet præſtandum non tenetur commodatarius, ſed dolum ſaltem præſtat. Etenim ſi ultro ad commodandum te offers, aut alter uſum rei, quem ipſi concedis, parum curat, aut ſibi metuit a damno, quod culpa ſua facile dari poſſet. In caſu priori ex parte tua aliqua eſſe debet ratio, quæ te ad commodandum movet (§. 889. *Pſych. empir.*), adeoque tua cauſa videris commodaſſe. Quamobrem cum commodatarius ad ſolum dolum præſtandum teneatur, non vero ad culpam, vel caſum, quando commodans ſua duntaxat cauſa commodat (§. 461.); ad illum quoque ſolum, non vero ad culpam vel caſum præſtandum tenetur, quando ultro ad commodandum te obtuleris, uſum rei, quem concedis, parum curanti. *Quod erat unum.* *Ad quid teneatur commodatarius, ſi commodans ultro ad commodandum ſe offerat.*

In caſu poſteriori cum commodans ſibi commodari nolit, quia ſibi metuit a damno, quod forſan culpa ſua dari poſſet, & tu ultro te offeras ad commodandum, reparationem damni, ſi quod detur, remittere videris (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum commodans reparationem damni dati remittere poſſit (§. 458.); nec de damno culpa dato in hoc caſu tenebitur commodatarius, adeoque multo minus caſum præſtabit, quo eodem res commodata non peritura, aut deteriorata fuiſſet apud commodantem. *Quod erat alterum.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Si ultro ad commodandum te offers, ultro rem exponis periculo, quod a culpa aliena vel caſu apud commodatarium imminere poterat, cum id evitare potuiſſes, ſi voluiſſes. Quamobrem aut in periculum conſentis, conſequenter damni reparationem tacite remittis, quemadmodum tibi facere integrum eſt (§. 458.), aut culpa tua accidit, ſi res culpa commodatarii pereat, vel deterioretur, cum id evitare potuiſſes, conſequenter commodatarius ad nihil tibi tenetur (§. 452.). Patet itaque, ad præſtandum culpam non teneri commodatarium, nec ad caſum, quo res apud te non peritura, nec deteriorata fuiſſet, quando ultro ad commodandum te offers.

Ex

Ex circumſtantiis caſuum particularium facile perſpicitur, num commodatarius nolit ſubire periculum rei commodatæ, & num tua interſit, ut commodare ultro velis. Tua culpa unice eſt, ſi ultro commodes homini negligenti, aut non perpendas periculum, quod a culpa aliena facile imminere poterat, ſiquidem commodes. Immo cum is, qui non rogat, ut ſibi commodetur, aut uſu rei alienæ facile carere poſſit, aut periculum ejus ſubire nolit; malle ſibi potius non commodari præſumitur, quam conſentire in reparationem damni culpa ſua forſan dandi. Quoniam hic non agitur de jure interno, quo quilibet obligatur ad damnum culpa datum reſarciendum (§. 580. *p.* 2. *Jur. nat.*), ſed de externo, quo quis ſe alteri ad culpam præſtandam obligavit vi contractus; ad conſenſum præſumtum omnis caſus præſentis definitio redit, ſcilicet ad quid ſeſe obligare voluiſſe præſumatur commodatarius, niſi ex circumſtantiis particularibus colligatur, commodantem noluiſſe ad præſtandum culpam obligare commodatarium, ſed periculum omne in ſe recepiſſe, aut commodatarium noluiſſe in ſe recipere periculum, conſequenter eo uſu rei alienæ abſtinere, quam idem ſubire malle. Particulares circumſtantiæ præſumtionem quoque faciunt fortiorem, veluti ſi commodes homini, qui damnum culpa datum reparare nequit, aut difficulter poteſt.

§. 476.

Quando naturaliter ad commodandum non obligemur.

Naturaliter nemo obligatur ad uſum rei ſuæ alteri concedendum, quando ipſemet eodem indiget; aut rei familiaris ratio in conſervanda re ſummam diligentiam exigit. Etenim ſi alteri concedis uſum rei tuæ, in eum transfers jus ad certum vel certos actus vi dominii tibi licitos (§. 439.), conſequenter das alteri rem incorporalem (§. 497. *part.* 1. *Jur. nat.*). Enimvero nemo tenetur dare alteri, quo ipſe opus habet (§. 127. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam nemo naturaliter obligatur ad uſum rei ſuæ alteri concedendum, quando ipſemet eodem indiget. *Quod erat unum.*

Quodſi rei familiaris ratio in re conſervanda, ſummam diligentiam exigit, nemo non intelligit, aut tenue tibi eſſe patrimonium, ut non facile tibi rem novam comparare poſſis aut rem rariorem eſſe vel ſingularis pretii, ut, ſi pereat, vel deterioretur, alia vix aut prorſus non comparari queat. In priori itaque caſu perinde eſt ac ſi uſu rei ipſemet indigeres, adeoque naturaliter ad eum aliis concedendum non teneris *per demonſtrata*; in poſteriori damnum, quod dari poterat, irreparabile cenſetur. Quamobrem cum quilibet operam dare debeat, ut damnum quodvis, quantum in ſe eſt, avertat (§. 493. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque multo minus periculo damni irreparabilis ſeſe in gratiam alterius exponere teneatur (§. 609. 610. *part.* 1. *Jur. nat.*); uſum rei ſuæ alteri concedere naturaliter non obligatur. *Quod erat alterum.*

Prudentia eſt, rem, quam ſumma diligentia conſervare debes, non exponere periculo, quod evitari poteſt (§. 256. *part.* 1. *Jur. natur.*): id quod nemo non ultro largitur. Quamobrem cum prudentes eſſe debeamus (§. 258. *part.* 1. *Jur. nat.*); vel hinc etiam patet, quando rei familiaris ratio exigit ſummam in re conſervanda diligentiam, nos non obligari naturaliter ad rem alteri commodandam.

§. 477.

Quando naturaliter roganti uſum rei denegare liceat.

Quoniam naturaliter nemo obligatur ad *uſum rei ſuæ* alteri concedendum, *quando ipſemet eodem indiget, aut rei familiaris ratio in re conſervanda ſummam diligentiam exigit* (§. 476.); *roganti* eum *denegare naturaliter licet.*

Ponamus hoc jus tibi non competere: eris ergo obligatus ad uſum rei alteri concedendum, contra ea, quæ modo demonſtravimus (§. 476.).

§. 478.

An rem alteri commodare te-

Nemo tenetur alteri commodare rem, quam ſibi ipſe comparare poteſt & qua ſæpius indiget. Qui enim alteri rem commodat, ejus uſum gratis ipſi concedit (§. 418.). Quodſi ergo quis ipſe ſibi comparare poſſit rem, qua ſæpius indiget; is non

is non opus habet, ut alter uſum rei ſuæ eidem gratis concedat, conſequenter non cenſetur indigere re alterius. Quamobrem cum ad dandum, conſequenter etiam ad uſum rei ſuæ alteri gratis concedendum, nemo alteri teneatur, qui eadem non indiget (§. 124. *part.* 3. *Jur. nat.*); nemo etiam tenetur alteri commodare rem, quam ipſe ſibi comparare poteſt & qua ſæpius indiget.

neamur quam ipſe ſibi comparare valet.

Perinde omnino eſt, ac ſi quis gratis ſibi dare vellet, cum viciſſim dare poſſet. Sed nemo in hoc caſu alteri gratis dare tenetur (§.268.). Quamobrem nec rei uſum gratis dare, adeoque commodare tenetur (§.418.), quando alter rem, qua non ſemel indiget, aut rarius, ſibimetipſe comparare valet.

§. 479.

Si quis uſum rei pro certa mercede accipere poteſt ab alio, naturaliter ei commodare non tenemur. Etenim ſi adſit alius, qui uſum rei pro certa mercede concedit, & tu eandem ſolvere poſſis, cum ego naturaliter dare gratis non tenear, ſi viciſſim dare poſſis (§. 268.), nec ego uſum rei meæ gratis tibi concedere naturaliter obligatus ſum. Quamobrem cum uſus rei gratis concedatur alteri, ſi commodetur (§. 418.); naturaliter quoque commodare non tenemur, ſi quis uſum rei pro certa mercede ab alio accipere poteſt.

An ſi uſum rei ab alio pro certa mercede accipere poſſit.

§. 480.

Quoniam itaque naturaliter alteri commodare non tenemur, *ſi* quis *uſum rei pro certa mercede ab alio accipere* (§. 479.). *vel rem, qua ſæpe indiget, ſibimetipſe comparare valet* (§.478.); in utroque etiam caſu *roganti, ut commodetur, denegare hoc licet.*

Quando naturaliter roganti denegare liceat commodatum.

Loquimur hic de obligatione interna: quoad externam enim obligationem denegare licet, quandocunque viſum fuerit (§. 425.). In Jure enim naturæ non minus demonſtranda ſunt ea, quæ ſunt juris interni, quam externi ſunt.

§. 481.

Nemo tenetur alteri rationem reddere, cur commodare nolit. In domini voluntate unice poſitum eſt, num rem ſuam alteri commodare velit (§.425.), nec cogi quiſquam poteſt, ut commodet (§.426.). Quoniam itaque in ejus voluntate ſimpliciter acquieſcendum, nemo etiam alteri rationem reddere tenetur, cur commodare nolit.

An rationem reddere teneamur, cur commodare nolimus.

Etſi enim jure interno nemo denegare debeat rem utendam abſque ratione ſufficiente (§. 477. 480.); jure tamen externo nemo a domino exigere poteſt rationem, cur ita potius, quam aliter de re ſua diſponat (§. 169. *p.* 2. *Jur. nat.*). Stat igitur hic pro ratione domini voluntas.

§. 482.

In commodato pactio hæc, ne dolus præſtetur, valida non eſt. Etenim dominus rem ſuam nulla urgente naturali obligatione deſtruere, corrumpere vel deteriorem reddere (§.648. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter nec conſentire debet, ut hoc faciat alius, qui ne hoc faciat, ipſe naturaliter jam obligatus eſt (§.647. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque ut ſibi hoc facere permittatur rogare nequit. Quoniam itaque legi naturali ab utraque contrahentium parte repugnat ita conveniri, ut commodatario liceat ſcienti ac volenti rem deſtruere, vel deteriorem reddere, nec de refarciendo damno teneatur, conſequenter ne dolus præſtetur (§.705. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 446. *h.*); pactio hæc legi naturali repugnat. Quamobrem cum pactum, quod legi naturali repugnat, validum non ſit (§. 483.); in commodato pactio hæc, ne dolus præſtetur, valida non eſt.

An paciſci liceat, ne dolus præſtetur.

Agnovit hoc *Paulus* l. 15. ff. Commod. l. contra. Aliud nimirum eſt remittere reparationem damni etiam dolo dati; aliud conſentire in damnum dolo dandum. In illo nihil fit, quod obligationi internæ repugnet, ſive tuæ, ſive alterius; aſt in hoc concurris ad factum alienum illicitum: id quod nullo modo fieri debet (§. 720. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi dicas, eandem rationem adhuc ſubſiſtere, ſi pactio hæc fiat, ne culpa præſtetur, cum etiam ad culpam evitandam ſimus obligati (§. 299. *p.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter nec hoc pactum commodato adjici poſſe; probe tenendum eſt; actionem culpoſam fieri nec a ſciente, nec a volente (§. 732. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque non in hoc conſentis, ut quicquam faciat, quod obligationi ſeu legi naturali repugnat, ſed infirmitatis humanæ tibi conſcius in imputando facto ſummum rigorem obſervare non vis, immo nec in ipſum confers jus culpa damnum dandi, ſed potius vis, ut ab eo ſibi caveat commodatarius, jus tamen urgendi reparationem damni te remiſſurum promittis, ſi forſan tale quid dari contingat.

§. 483.

Pactum legi naturæ contrarium, num ſit validum.

Nulla pactio valet, quæ legi naturæ contraria. Etenim ſi pactio legi naturæ contraria, ad id faciendum te obligas, quod lege naturali prohibetur, vel non faciendum, quod præcipitur, conſequenter quod obligationi naturali repugnat. Enimvero obligatio naturalis neceſſaria & immutabilis eſt (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque te ad hoc obligare nequis, quod eidem repugnat, nec obligare tibi ad idem potes alterum. Pactio igitur in genere nulla valet, quæ legi naturæ contraria.

Principium hoc generale hic demonſtrare libuit; cum eodem in demonſtrandis aliis ſimus uſuri, & utamur in propoſitione ſequente.

§. 484.

Quid fieri debeat, ſi rei non apparentis pretio ſoluto, ea veniat in poteſtatem commodantis.

Si rem commodatam perdidiſti & pro ea pretium mihi dediſti, & poſtea res in poteſtatem meam venit; ego aut rem tibi præſtare, aut, quod a te accepi reddere debeo. Etenim rem commodatam finito uſu mihi reſtituere teneris (§. 445.). Sed quoniam eam perdidiſti *per hyp.* hoc fieri nequit. Quamobrem cum damnum datum ſit reſarciendum (§. 446.), pretium ejus dare debes (§. 572. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi vero poſtea res venit in poteſtatem meam, cum nemo locupletior fieri debeat cum damno alterius (§. 585. *part.* 2. *Jur. nat.*), rem & pretium ſimul retinere nequeo. Quia igitur mihi rem in ſpecie reſtituere debebas (§. 445.), adeoque eandem numero, quam acceperas (§. 444.); optio omnino mihi danda, utrum rem retinere & pretium tibi reddere, an vero pretium retinere & rem tibi præſtare velim. Quare ſi rem commodatam perdidiſti & pro ea pretium mihi dediſti, ac poſtea res in poteſtatem meam venit; ego aut rem tibi præſtare, aut, quod a te accepi, reddere debeo.

Naturalem æquitatem ſequitur *Paulus* l. 17. §. 5. ff. Commod. l. contra.

§. 485.

Quando commodatario competat jus rem commodatam, quæ amiſſa fuerat, ſibi vindicandi.

Quoniam ſi rem commodatam accepiſti & pro ea pretium mihi dediſti, ac poſtea res in poteſtatem meam venit, ego aut rem tibi præſtare, aut, quod a te accepi, reddere debeo (§. 484.); *ſi pretio ſoluto innotuerit, penes quem res commodata ſit, & ego pretium reſtituere nolim, ipſo jure res jam ſit tua, adeoque tibi tanquam domino competit jus eam vindicandi* (§. 544. *part.* 2. *Jur. nat.*).

Non eſt quod excipias, ſumtus in rei vindicationem forſan eſſe faciendos: cum enim culpa tua res commodata fuerit amiſſa, ſi ad eam recuperandam fieri debeant ſumtus, iidem omnino pertinent ad damnum, quod tibi, non mihi ferendum (§. 446.). In ſtatu naturali, in quo viget jus naturæ, non demum opus eſt, ut dominium, vel jus vindicandi cedatur, niſi quatenus ceſſione opus habes ad probandum dominium (§. 545. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 486.

Res in genere reſtitui dicitur, ſi non eadem numero, ſed alia ejuſdem ſpeciei reſtituatur. *Res in genere quando reſtituatur.*

Ex. gr. Commodo tibi hunc librum in individuo: quodſi mihi reſtituis aliud ejuſdem libri exemplar, rem in genere reſtituis. Similiter do tibi decem aureos: quodſi mihi non reſtituis eoſdem decem aureos, ſed alios decem, eos in genere reſtituis.

§. 487.

Si res commodatæ perierit, aut amiſſa, vel admodum deteriorata fuerit, & tu eam in genere reſtituere velis; commodans eam accipere non tenetur. Etenim tu rem commodatam in ſpecie reſtituere debes (§. 445.), adeoque numero eandem, quam accepiſti (§. 444.). Quodſi hoc facere non poſſis, quia res commodata periit, aut amiſſa, vel valde deteriorata fuit; ad damnum reſarciendum (§. 446.), adeoque rei pretium dandum teneris (§. 572. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi res commodata perierit, aut amiſſa vel admodum deteriorata fuerit, & tu eam in genere reſtituere velis, adeoque non eandem numero, ſed aliam ejuſdem ſpeciei (§. 486.), eam accipere commodans non tenetur. *An reſtitutio rei amiſſæ in genere locum habeat in commodato.*

Variæ commodanti poſſunt eſſe rationes, cur malit pretium rei accipere, quam rem aliam ejuſdem ſpeciei, ſeu ſimilem, quemadmodum vulgo dicitur, ubi numero eandem, quam utendam dedit, recipere nequit. Quamobrem ea invito obtrudi nequit. Satisfacere tenetur commodatarius obligationi, quam contraxit.

§. 488.

Si res refertur per eum, per quem ut remitteretur a commodatario voluiſti, & dum refertur, perit vel deterioratur, periculum tuum eſt, non commodatarii. Quodſi enim velis per hunc tibi rem commodatam remitti; ejus in ea referenda miniſterio uteris (§. 721. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque qui per miniſtrum cum alio agit, vel expreſſe eidem ſeſe obligat, vel tacite obligatur, quod a ſe actum habere velit, quicquid is voluntati ſuæ indicatæ convenienter acturus eſt (§. 728. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi eidem res commodata reſtituitur, perinde eſt ac ſi tibi reſtituta fuiſſet & tu eandem recepiſſes. Quamobrem cum commodatarius ſatisfecerit obligationi ſuæ rem reſtituendi (§. 445.); ſi res, dum refertur, perit aut deterioratur, cum hoc culpa ejus non accidat (§. 717. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nulla quoque amplius ratio eſt, cur is damnum datum reſarcire teneatur (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*). Periculum igitur tuum eſt, non commodatarii. *Cujuſnam ſit periculum, ſi res remittatur per eum, quem voluit commodans, ut remitteretur.*

Quodſi dolo vel culpa ejus, per quem res remittitur, perit vel deterioratur, accidit hoc imprudentia commodantis, qui eum elegit, de cujus fide aut diligentia non magis erat certus (§. 776. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter ipſius culpa res perit, vel deterioratur (§. 777. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Eidem adeo ad nihil tenetur commodatarius (§. 452.).

§. 489.

Si tu rem tibi commodatam remittis per eum, quem volueris, & dum ea refertur, perit, vel deterioratur, periculum tuum eſt, non commodantis. Quoniam enim per hunc rem commodatam remittis, tu ejus in ea referenda miniſterio uteris (§. 721. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum is, qui per miniſtrum cum alio agit, vel expreſſe, vel tacite ſe eidem obliget, quod a ſe actum haberi velit, quicquid is voluntati ſuæ convenienter acturus eſt (§. 728. *part.* 3. *Jur. nat.*) *Cujuſnam ſit, ſi commodatarius eligat miniſtrum, per quem rem remittit.*

 perin-

perinde omnino eſt ac ſi ipſe eam referres. Quoniam itaque non ante ab obligatione tua, quam contraxiſti, liberaris, quam rem reſtitueris (§. 445.); ſi res, dum eam referres, periret, vel deterioraretur, tuum foret periculum (§. 446.). Erit igitur adhuc tuum, ſi eandem per alium, quem volueris, remittis, & dum refertur, ea perit, vel deterioratur.

Patet nimirum ut ante (*not.* §. 488.), imprudentiæ tuæ eſſe tribuendum, quod in eligendo miniſtro non fueris circumſpectior, conſequenter damnum hujus dolo vel culpa datum tua culpa datum cenſeri. Res periculo tuo tamdiu eſt penes te, donec reſtituta fuerit: ante autem reſtituta non eſt, niſi commodans vel ipſe, vel ejus juſſu alius acceperit.

§. 490.

Cujuſnam ſit periculum, ſi res remittatur per eum, qui ut te monere deberet, monere debebat commodatarium.

Si tu per eum rem commodatam remittis, quem miſi, ut te moneret de ea reſtituenda, &, dum refertur, ea perit vel deterioratur periculum tuum eſt. Etenim ſi tu hunc tantummodo elegiſti, ut me moneret, ad aliud quoque te non obligaſti, niſi quod a me ad remittendum monitus cenſearis (§. 728. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo tu per eum rem remittis, tu quoque eidem committis, ut eandem ad me referat. Quamobrem cum periculum tuum ſit, ſi tu rem commodatam remittis, per quem volueris (§. 489.); tuum etiam erit periculum ſi tu per eum rem commodatam remittis, quem miſi te moniturum, ut reſtitueres, &, dum refertur, ea perit, vel deterioratur.

Ex eo nimirum, quod commodans hunc hominem idoneum judicavit, qui te moneret, ut rem commodatam ipſi reſtitueres, colligi nequit, quod etiam idoneus ſit, ut ea recte perferatur. Imprudentiæ adeo tuæ tribuendum, ſi minus idoneum elegeris (§. 776. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 491.

Cujuſnam ſit, ſi per famulum commodantis remittatur.

Si per famulum meum, ſed ſine juſſu meo, rem commodatam mihi remittis, tuum eſt periculum. Etenim ſi ſine juſſu meo per famulum meum rem commodatam mihi remittis, cum ignores, utrum eum idoneum judicem, ut recte perferatur, nec ne, adeoque velim, ut per eum remittatur, tu eum eligis, cujus miniſterio utaris, conſequenter per eum remittis rem, per quem voluiſti. Enimvero ſi rem tibi commodatam remittis per eum, quem volueris, periculum tuum eſt (§. 489.). Tuum igitur etiam erit periculum, ſi per famulum meum, ſed ſine juſſu meo, rem commodatam mihi remittis.

§. 492.

Quid de commodata re aliena tenendum.

Si quis rem alienam tibi utendam dat & tu noſti, quinam ſit dominus; eam domino reſtituere naturaliter teneris: in caſu tamen dubio & quando non noſti, quinam ſit dominus, reſtituenda eſt commodanti. Etenim ſi quis tibi rem alienam utendam dat, ea in poteſtatem tuam venit (§. 432.). Enimvero qui rem alienam in poteſtate ſua habet & novit, cujuſnam ea ſit, eam domino reſtituere debet, ſive hic norit, quod in ipſius poteſtate ſit & eandem poſcat, ſive ignoret (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo ſi quis rem alienam tibi utendam dat & tu noſti, quinam ſit dominus; eam domino reſtituere naturaliter teneris. *Quod erat unum.*

Etſi vero noris rem tibi commodatam eſſe alienam, ignores vero, quinam ſit dominus; aut dubium ſit, num qui dominus perhibetur revera ſit, circumſpectus tamen eſſe debes, ne res, quam domino reſtituere intendis, veniat in poteſtatem non domini (§. 470. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ei, qui tibi rem commodavit, te obligaveris ad eam reſtituendam (§. 445.), &, ubi eam poſſidet, tibi nullum competit jus eum de poſſeſſione ſua dejiciendi, etiamſi

fur

fur vel prædo fuerit (§. 720. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi quis rem alienam tibi commodavit, quando non noſti, quinam ſit dominus, eſt in caſu dubio ea reſtituenda commodanti. *Quod erat alterum.*

Recte igitur in Jure Romano l. 15. 16. ff. Commod. l. contra contractus validus pronunciatur, ita ut ex eo, ſi fur vel prædo commodaverit, habeat commodati actionem. Nimirum contractus ſubſiſtit quoad commodantem; non vero quoad dominum rem ſuam vindicantem (§. 424.); ut maneas obligatus commodanti tamdiu, donec dominus rem ſuam vindicet, aut repetat.

§. 493.

De re una pluribus commodata.

Si duobus vel pluribus eadem res commodatur, unuſquiſque obligatus ad eam reſtituendam, ſinguli autem culpam præſtare tenentur, niſi aliter convenerit, ut ſcilicet ſinguli teneantur in ſolidum. Etenim commodatarius finito uſu rem commodatam reſtituere tenetur (§. 445.), conſequenter ſi duobus eadem res commodetur, vel pluribus, omnes ad eam reſtituendam obligantur: cum vero nonniſi ſemel reſtitui poſſit, unuſquiſque obligatur ad eam reſtituendam. *Quod erat unum.*

Quoniam vero naturaliter damnum reſarcire non tenetur, niſi qui dolo vel culpa dedit (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſinguli quoque naturaliter ſuam præſtare tenentur culpam. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi vero aliter fuerit conventum, nimirum ut ſinguli teneantur in ſolidum; unuſquiſque ſeſe commodanti obligavit, quod ſolus omnem culpam, ſive propriam, ſive alienam præſtare velit (§. 683 *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ubi ita conventum fuerit, ſinguli in ſolidum tenentur, ſeu unuſquiſque præſtare tenetur etiam culpam alterius, cui una res commodata fuit. *Quod erat tertium.*

Ex. gr. Commodo tibi ac Titio poculum vitreum ad communem uſum. Titii culpa vitrum frangitur; hic igitur ad æſtimationem reſtituendam tenetur ſolus. Aſt ubi finito uſu integrum eſt poculum, uterque veſtrum ad idem reſtituendum æqualiter obligatur, &, ubi unus hoc fecerit, alterum ab obligatione ſua liberat. Similiter commodo tibi ac Titio librum quendam, ut eodem utamini, prouti unicuique veſtrum commodum viſum fuerit. Quodſi a Titio deterioretur, damnum datum hic ſolus reſarcire tenetur; etſi uterque veſtrum eadem obligatione teneatur, ut elapſo tempore, per quod uſus conceſſus fuerat, reſtituatur. Enimvero ſi ea lege tibi ac Titio commodavero ſive poculum, ſive librum, ut, ſive tua, ſive Titii culpa, ſive culpa utriuſque damnum detur, uterque veſtrum in ſolidum teneatur; tu etiam culpam Titii præſtare teneris, & culpam tuam præſtare tenetur Titius, mihique adeo integrum eſt damni reparationem exigere ab eo, a quo viſum fuerit.

§. 494.

De mora, ſi res eadem pluribus commodetur.

Quoniam ſi eadem res pluribus una commodetur, unuſquiſque ad eam reſtituendam obligatur (§. 493.); *finito uſu, nemo eorum, quibus ea una commodata, ferre debet, ut alter ſit in mora, ne reſtituatur*, conſequenter *ſi patiatur alterum in mora eſſe, ne reſtituatur, ipſe in mora erit* (§. 638. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque *ſi culpa alterius damnum contingit, ipſius culpa hoc contigiſſe cenſetur* (§. 648. *part.* 3. *Jur. nat.*), *& culpam alterius præſtare tenetur, etiamſi ita conventum non fuerit.* Et quoniam quilibet ſuam præſtare tenetur culpam, *ſi ea communis fuerit, pro rata ſinguli tenentur.*

Videmus adeo, cur diſtinguenda ſit obligatio rei reſtituendæ ab obligatione damni reſarciendi, ſi eadem res pluribus una commodetur, ita ut illa ſingulos æqualiter tangat, hæc vero nonniſi eum, qui dolo vel culpa ſua damnum dat. Quod enim poſt moram contingit damnum, de eo aliter ſtatuendum, quam quod intra tempus accidit, quo uſus concedebatur.

§. 495.

§. 495.

Quando commodatum unius rei multiplicetur.

Si uno actu pluribus eadem res ea lege commodetur, ut finito uſu a primo detur ſecundo, ſecundo deinde tertio & ita porro, tot ſunt diverſi contractus, quot ſunt commodatarii, & unuſquiſque non tenetur niſi ex contractu ſuo, qui cum primo ſtatim initur, cum ſecundo demum perficitur, quando rem utendam a primo accipit & ita porro. Quoniam enim tu ipſe rem utendam das primo, ſecundus vero eam demum accipit a primo, finito qui ipſi concedebatur uſu, & ita porro *per hypoth.* commodatum autem contractus realis eſt (§. 438.), adeoque non initur niſi rei traditione (§. 437.); cum primo ſtatim contrahis, cum ſecundo & ceteris, ſi qui ſunt, contrahere promittis, & contractus demum perficitur, quando a primo traditur res utenda ſecundo & ita porro. *Quod erat primum.*

Quoniam itaque contractus cum primo ſtatim incipit, quando rem utendam das, cum ſecundo autem finito demum uſu, qui eidem fuerat conceſſus, conſequenter ipſo contractu (§. 418.), *per demonſtrata*, quin tot diverſi ſint contractus, quot commodatarii, patet. *Quod erat ſecundum.*

Et quia obligatio in commodato re contrahitur (§. 438.), adeoque non incipit niſi re tradita (§. 437.); primus ſtatim contrahit obligationem, dum res utenda datur, ſecundus demum, quando eam a primo accipit & ita porro. Unuſquiſque adeo non tenetur niſi ex contractu ſuo. *Quod erat tertium.*

Nimirum cum primo ſtatim contrahis, cum ceteris ſuo ordine contrahere promittis & primo mandas, ut, finito uſu, rem tibi reſtituendam det ſecundo ac ita porro, adeoque in contrahendo cum ſecundo uteris miniſterio primi, in contrahendo cum tertio miniſterio ſecundi & ita porro.

§. 496.

Quando res reſtituenda, antequam ea uti potueris.

Si commodatum ſit ad certum tempus, eo finito res commodata reſtituenda, etiamſi ea uti caſu quodam impeditus fueris. Etenim ſi commodetur ad certum tempus, commodans uſu rei ſuæ diutius carere non vult, & tu te obligas ad eam finito tempore reſtituendum. Quamobrem cum re commodata diutius uti non poſſis, quam a commodante conceſſum, nec diutius jus quoddam in rem commodatam habes, quam tibi conceſſit commodans (§. 427.); finito tempore res commodata omnino reſtituenda, etiamſi ea nondum uſus fueris caſu quocunque impeditus.

Nimirum commodantem tibi obligare nequis ultra voluntatem ſuam (§. 426.). Quodſi ergo commodans expreſſe definivit tempus, per quod tibi uſum concedere voluit, ultra hoc tempus tibi obligatus eſſe noluit ad uſum rei ſuæ tibi concedendum. Jus adeo tuum cum metiendum ſit ex voluntate commodantis (§. 425.); tempore definito elapſo jus tuum exſpirat & contractus finitur, conſequenter tibi ſatisfaciendum obligationi rei reſtituendæ. Quando uſus tempore circumſcribitur, finito tempore ipſe etiam finitus cenſetur, ſive re uſus fueris, ſive minus.

§. 497.

Conditio tacita inexiſtens commodato.

Commodatum tacitam hanc habet conditionem, niſi interea propriis uſibus res fuerit neceſſaria. Quoniam commodans rei ſuæ uſum gratis concedit (§. 421.), adeoque nihil viciſſim pro eo accipit a commodatario (§. 18.); non præſumitur re ſua carere velle, qua ipſe opus habet, in gratiam alterius, præſertim cum ad hoc faciendum naturaliter non obligetur (§. 127. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 439. *h.*). Quodſi ergo commodatarius ex te quæreret, num etiam uſum rei ipſi concedere voluerit, etiamſi caſu quodam emergente ipſemet eodem haberet opus; dubium non videtur, quod reſponſurus ſit, te hoc petere non poſſe. Quamobrem patet commodatum tacitam hanc habere conditionem, niſi interea propriis uſibus res fuerit neceſſaria.

§. 498.

§. 498.

Quoniam commodatum tacitam hanc habet conditionem, niſi interea propriis uſibus res fuerit neceſſaria (§. 497.); *ſi caſus quidam emergit, quo res propriis uſibus neceſſaria, antequam uſus commodatario conceſſus finitus, aut tempus definitum elapſum, res commodata nondum finito uſu vel tempore reſtituenda, immo antequam ea uſus fuerit commodatarius.* *Quando res commodata reſtituenda, nondum finito, vel inchoato uſu.*

Nimirum ſi caſus hic emerſiſſet, cum alter peteret, ut rem utendam dares, ipſi ſtatim reſpondiſſes, te hoc facere non poſſe, propterea quod re ipſemet habeas opus. Et ſi tempus certo dierum vel horarum numero non circumſcribitur, dicere ſolemus, quod alter re tamdiu uti poſſit, donec ipſi eadem habuerimus opus. Unde facile colligitur, nemini eſſe animum alteri rem commodandi, quando ipſemet eadem indiget, niſi ſingularis quædam ratio ſuadeat, ut uſu rei ipſemet carere malit, quam alteri eam non concedere. Præſumitur autem in dubio, quod ordinarium eſt (§. 248. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 499.

Commodans rem commodatam intempeſtive, hoc eſt, nondum finito uſu, propter quem fuerat commodata, vel tempore nondum elapſo, quod expreſſe fuerat definitum, repetere nequit, niſi propriis uſibus eam neceſſariam probaverit. Etenim cum commodatum contractus ſit, quo certus rei uſus alteri conceditur (§. 418.); commodans ſe obligat ad hunc uſum ipſi concedendum &, ubi tempus expreſſe definitur, quod tamdiu rem penes ſe habere debeat, donec id fuerit præterlapſum (§. 193. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter ſe obligat ad rem non ante repetendam, quam uſus fuerit finitus, vel tempus, quod expreſſe finitum, præterlapſum. Quamobrem eam repetere nequit, antequam uſus, propter quem commodatum, fuerit finitus, vel tempus, quod expreſſe fuerat definitum, præterlapſum. *Quod erat primum.* *Obligatio commodantis quoad repetitionem rei commodatæ.*

Enimvero ſi caſus quidam emergit, quo res propriis uſibus neceſſaria, antequam uſus commodatario conceſſus finitus, aut tempus definitum elapſum, res commodata nondum finito uſu vel tempore reſtituenda, immo antequam ea uſus fuerit commodatarius (§. 498.), commodatarius tamen ad eam reſtituendam non obligatur, niſi certum fuerit hunc caſum exiſtere *per demonſtrata*; ideo ad rem intempeſtive repetenti reſtituendam non obligatur, niſi eam propriis uſibus neceſſariam probaverit. *Quod erat ſecundum.*

Commodans in commodatarium transfert jus ad certum, vel certos actus vi dominii ſibi licitos (§. 439.), quod ubi re tradita acquiſivit (§. 435.), invito auferri nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamvis adeo propria neceſſitas exceptionem pariat (§. 498.); neceſſe tamen eſt eandem probari, niſi licere debeat commodanti rem repetere, adeoque jus acquiſitum commodatario auferre, quandocunque viſum fuerit; ita ut uſus rei eidem concedendus etiam poſt contractum unice pendeat a voluntate commodantis, quemadmodum ante eundem (§. 425.); id quod repugnat *per demonſtrata*. Quod ante contractum erat voluntatis, poſt contractum fit neceſſitatis.

§. 500.

Si commodetur ea lege, ut res commodata reſtituatur, quandocunque viſum fuerit commodanti; nude repetenti ſtatim reſtituenda. Quoniam enim in voluntate domini unice poſitum eſt, quomodo rem ſuam alteri commodare velit, ſeu quam legem præſcribere velit (§. 425.); ideo etiam commodare poteſt ſub hac lege, ut res reſtituatur, quandocunque ſibi viſum fuerit. Quamobrem cum commodatario non plus juris competat in rem commodatam, quam in eam conferre voluit commodans, nec ea diutius uti poteſt, quam ipſi a commodante conceſſum (§. 427.); ſi commodetur ea lege, ut res commodata reſtituatur, quan- *Quando nulla probatione opus.*

quandocunque viſum fuerit commodanti, eam repetenti ſtatim reſtituere tenetur, nec opus eſt, ut probetur, eam propriis uſibus neceſſariam eſſe, conſequenter nude repetenti reſtituenda.

Non eſt quod excipias, fieri hoc pacto poſſe, ut commodatarius ſentiat aliquod damnum, quod rem reſtituere teneatur, antequam ea uſus fuerit, quemadmodum intenderat. Sibi enim imputare debet, quod non aliter contraxerit, aut, ſi commodans aliter contrahere noluerit, quod non contraxerit cum alio. Nec eſt, quod dicas, non fuiſſe alium, cum quo aliter contrahere potueris. Quoniam enim commodantem cogere nequis, ut commodet (§. 426.); ferendum tibi erat, ſi tecum contrahere noluiſſet.

§. 501.

Ad quid teneatur commodatarius, ſi rem nude repetenti non ſtatim reſtituat ubi ita fuerit commodatum.

Quoniam res commodata nude repetenti ſtatim reſtituenda, quandocunque viſum fuerit commodanti, ſi ea lege commodatum fuerit (§. 500.), ubi hoc non facit commodatarius, ſtatim in mora eſt (§. 638. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter cum ad id, quod intereſt, teneatur, qui in mora eſt, ubi alter damnum patitur, vel lucrum ejus ceſſat (§. 655. *part.* 3. *Jur. nat.*); *ſi ſub ea lege fuerit commodatum, ut res reſtituatur, quandocunque viſum fuerit, nec ea nude repetenti ſtatim reſtituatur, commodatarius tenetur ad id, quod intereſt, rem ſtatim reſtitutam non fuiſſe.*

Videmus adeo, non ſine utilitate ita contrahi, ut res commodata nude repetenti reſtituatur, quandocunque viſum fuerit commodanti. Alias enim commodans demum probare debet, rem commodatam propriis uſibus neceſſariam eſſe (§. 499.), conſequenter ſi damnum quoddam emergat, vel lucrum ceſſet, quod non ſtatim rem recipere poſſit commodans, hoc ipſi ferendum eſt.

§. 502.

Res vitioſa quænam dicatur.

Res vitioſa dicitur, quæ uſui inſervire nequit, cui inſervire debet.

Utimur termino uſu recepto in Jure Romano. Ita enim *Gajus* l. 18. ff. Commod. l. contra §. 3. vas vitioſum appellat, ſi ibi infuſum vinum, vel oleum corruptum effuſumve eſt.

§. 503.

De re vitioſa commodata.

Si ſciens tibi non monito commodavero rem vitioſam, & tu ea uſurus damnum quoddam patiaris, aut lucrum quoddam tuum ceſſet, propterea quod ea uteris; ego tibi teneor ad id, quod intereſt. Etenim ſi ſciens tibi non monito commodavero rem vitioſam, & tu ea uſurus damnum quoddam patiaris, aut lucrum quoddam tuum ceſſet, propterea quod ea utaris; negligentiæ meæ tribuendum, quod te non monuerim, ſi damnum incurris, vel lucrum quoddam tuum ceſſat (§. 750. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 502.), conſequenter damnum tibi datur, vel lucrum tuum ceſſat culpa mea (§. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi culpa mea damnum quoddam incurris, aut lucrum quoddam tuum ceſſat, ad id, quod intereſt, tibi teneor (§. 623. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam ego tibi teneor ad id, quod intereſt, ſi ſciens tibi non monito commodavero rem vitioſam, & tu ea uſurus damnum quoddam patiaris, aut lucrum quoddam tuum ceſſet, propterea quod ea utaris.

Ita in exemplo *Gaji* (*not.* §. 502.) ego tibi præſtare debeo æſtimationem vini vel olei corrupti aut effuſi. Similiter ſi in exemplo *Pauli* l. penult. Commod. l. contra ſervus, quem tibi commodavi, furtum fecerit, ego autem ſciens talem eſſe ſervum ignoranti commodavero; ob furtum a ſervo commiſſum tibi teneor. Aliud exemplum eſt, ſi ſciens ignoranti commodavero equum calcitroſum & vel ego, vel alius damnum inde acceperimus.

§. 504.

Si rem commodatam intempeſtive repetis, aut uſum revocas, ad id quod intereſt teneris. Etenim ſi rem commodatam intempeſtive repetis, aut uſum revocas, & ego damnum quoddam ea de cauſa incurro, vel lucrum quoddam meum ceſſat, ideo damnum incurro, vel lucrum meum ceſſat, quod obligationi tuæ ſatisfacere non vis (§. 499.). Enimvero ſi damnum incurro, vel lucrum meum ceſſat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti, ad id quod intereſt mihi teneris (§. 629. *part. 3. Jur. nat.*). Teneris igitur etiam mihi ad id, quod intereſt, ſi rem commodatam intempeſtive repetis. *De re intempeſtive repetita.*

Ex. gr. Si equum tuum mihi commodes, ut debitorem fugientem perſequar, dum vero venio ad te equum conſcenſurus, tu uſum mihi conceſſum revoces, atque ideo debitor evaſerit, antequam equum alium nactus eum perſequi potuerim; tu mihi debitum ſolvere teneris, immo teneris ad reliquum, ſi quod intereſt. Nimirum tu in cauſa es, quod debitor fuga ſibi conſulere potuerit, conſequenter ego debitum ab eo conſequi non potuerim. Culpa igitur tua damnum incurro, quia animo non ſatis deliberato commodaſti, ut commodati te pœnituerit.

§. 505.

Si ita commodatum, ut res reſtituatur certo loco; eo etiam loco reſtituere eam tenetur commodatarius propriis ſumtibus, quod poſterius ſemper facere tenetur, ſi ſine ſumtu reſtitutio fieri nequit. A commodantis enim voluntate unice pendet, ſub qua lege commodare velit (§. 425.). Quamobrem ubi voluerit rem commodatam ſibi reſtitui debere certo loco; hoc etiam facere tenetur commodatarius. *Quod erat unum*. *De re certo loco reſtituenda.*

Quodſi ergo certi requirantur ſumtus, ut ea reſtituatur, cum uſum gratis conceſſerit commodans (§. 418.), ſine ſuo etiam ſumtu eandem ſibi reſtitui voluiſſe præſumitur. Quamobrem ſi qui faciendi ſunt ſumtus ut reſtituatur; propriis ſumtibus commodatarius eam reſtituere tenetur. *Quod erat alterum*.

Satis patet ex parte altera demonſtrationis reſtitutionem propriis commodatarii ſumtibus ſemper fieri debere, ſi ſine ſumtibus reſtitui res commodata nequit, niſi ſuis ſumtibus eam reſtituendam eſſe expreſſe dixerit commodans.

§. 506.

Si uſus rei ſine certis impenſis fieri nequit; eas facere tenetur commodatarius. Quando enim tibi commodo, in te transfero jus ad certum, vel certos actus vi dominii mihi licitos (§. 439.), conſequenter re mea uti debes tanquam tua, ut adeo quoad uſum perinde ſit ac ſi ea tamdiu eſſet tua, quamdiu ea uteris. Enimvero ſi res eſſet tua, eas impenſas facere deberes, ſine quibus uſus fieri nequit, ſiquidem eadem uti velles. Ergo etiam eaſdem impenſas facere teneris, ſine quibus uſus rei fieri nequit, quando tibi eam commodo. *Quinam præſtare debeat impenſas ad uſum neceſſarias.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Quando tibi commodo, uſum rei meæ concedo gratis (§. 418.). Quamobrem ſi is ſine certis impenſis fieri nequit, non præſumor me eas facere velle. Tu igitur ſi uſum habere velis, eas facere teneris.

Ex. gr. Si tibi commodo equum, ſumtus ordinarii in itinere neceſſarii a te ſunt faciendi. Similiter ſi commodo famulum meum per aliquot dies, cibaria tuo ſumtu ſuppeditanda. Neque enim commodans ſe obligat niſi ad uſum concedendum, non vero ad faciendos ſumtus, ut uti poſſis, niſi expreſſe hoc dixerit.

§. 507.

De impenſis extraordinariis præſertim majoribus. *Si extra uſum rei faciendæ ſunt impenſæ neceſſariæ extraordinariæ, veluti ad rei conſervationem; eas reſtituere tenetur commodans, præſertim ſi pretium uſus excedunt.* Etenim commodatarius ſeſe non obligat, niſi ad cavendum, ne culpa ſua res commodata reddatur deterior, vel prorſus deſtruatur (§. 441.), nec tenetur niſi de eo caſu, quo apud commodantem res deteriorata non fuiſſet (§. 447.). Quodſi ergo extra uſum rei faciendæ ſunt impenſæ neceſſariæ extraordinariæ, cum eas etiam facere debuiſſet commodans, ſi res penes ipſum manſiſſet; ad eas faciendas te non obligaſti. Immo ſi impenſæ neceſſariæ extraordinariæ multum ſuperent uſum rei, cum uſus gratis concedatur (§. 418.), multo minus ad eas faciendas te obligare potuiſti. Quamobrem patet, commodantem reſtituere debere impenſas, præſertim majores, quæ pretium uſus excedunt, ſi extra uſum rei faciendæ ſunt impenſæ neceſſariæ extraordinariæ, veluti ad conſervationem rei, præſertim majores, quæ pretium rei ſuperant.

Ex. gr. Commodo tibi ædes, quas per biennium inhabites. Si tectum reficiendum, ne pluvia damnum det ædificio, impenſas reſtituere tenetur commodans: alias enim culpa tua ædes deteriores factæ fuiſſent, quod ne fieret curare debebas (§. 441.), & commodans ipſe eas impenſas facere debuiſſet, etiamſi uſum ædium tibi non conceſſiſſet. Similiter ſi equus in itinere ægrotaverit abſque culpa tua; impenſas, quas feciſti, commodans reſtituere tenetur.

§. 508.

Quomodo uſus rei, quæ uſu conſumitur, alteri concedi poſſit. *Si uſus rei, quæ uſu conſumitur, alteri concedendus; dominium ejus in eum transferendum, nec res reſtitui poteſt in ſpecie, ſed ſaltem tantundem ejuſdem generis.* Quodſi enim res uſu conſumatur, ea uti nequit, niſi qui de ipſa re diſponere poteſt pro ſuo arbitrio, conſequenter dominium in re habet (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi ergo alteri concedere velis uſum rei tuæ, quæ uſu conſumitur, neceſſe eſt ut dominium ejus in eum transferas. *Quod erat unum.*

Et quoniam res uſu conſumitur *per hypot.* poſt uſum amplius non extat, adeoque impoſſibile eſt, ut eadem numero, conſequenter in ſpecie reſtituatur (§. 444.). Quamobrem ſi uſum ſaltem concedis, re autem carere non vis, conſequenter ea tibi reſtituenda; neceſſe eſt ut tantundem ejuſdem generis reſtituatur. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Concedo tibi uſum trium modiorum avenæ pro equis tuis. Cum avenæ nullus ſit uſus, niſi ab equis conſumatur; dominium ejus in te transferre debeo; & tu alios tres modios avenæ mihi reſtituere teneris.

§. 509.

Res fungibilis quænam dicatur. *Res fungibilis* dicitur, quæ vice fungitur rei alterius ejuſdem generis; ita ut æquipolleat eidem ſpeciei, ſeu, philoſophice loquendo, rei numero eidem, ſeu individuo eidem. *Rem adeo fungibilem unam ſubſtituere licet pro altera ejuſdem generis.*

Ex. gr. Ova gallinarum ſunt res fungibiles. Etenim quindecim quæcunque ova funguntur vice aliorum quindecim quorumcunque, cum idem ſit eorum pretium & idem eorundem uſus; ut adeo perinde ſit, ſive illa quindecim habeas, ſive hæc.

§. 510.

Quænam ſint. *Res, quæ numero, pondere ac menſura æſtimantur, ſeu quarum pretium numero, ponderi ac menſuræ proportionale eſt, fungibiles ſunt.* Etenim ſi pretium rerum fue-

fuerit numero, ponderi vel menſuræ proportionale, res ejuſdem generis totidem numero, vel ejuſdem ponderis aut menſuræ fungi poſſunt vice rerum aliarum ejuſdem generis, ita ut tantundem ejuſdem generis ſubſtitui poſſit pro re vel rebus aliis. Enimvero res, quæ fungitur vice rei alterius ejuſdem generis, ita ut eidem ſubſtitui poſſit, fungibilis eſt (§. 509.). Res igitur, quæ numero, pondere ac menſura æſtimantur, ſeu quarum pretium numero, ponderi ac menſuræ proportionale eſt, fungibiles ſunt.

Pretium ovorum eſt numero; argenti ponderi, avenæ menſuræ proportionale. Sunt igitur ova, argentum & avena res fungibiles. Eodem modo intelligitur, pecuniam, panem, teſtas, lateres, metalla quævis, ſacharum, aromata, vinum, oleum, cereviſiam, frumenta, legumina eſſe res fungibiles.

§. 511.

Rerum fungibilium pretium numero, ponderi vel menſuræ proportionale eſſe debet & res fungibiles ipſæ ejuſdem qualitatis ſint neceſſe eſt. Res enim fungibilis vice fungitur rei alterius ejuſdem generis, ita ut æquipolleat eidem ſpeciei, ſeu eidem individuo (§. 509.), conſequenter rem numero eandem habere videaris, ſi eam habeas. Neceſſe igitur eſt, ut, ſi numero totidem, aut pondere vel menſura tantundem habeas, eandem numero habere videaris. Pretium adeo rerum fungibilium numero, ponderi vel menſuræ proportionale eſſe debet. *Quod erat unum.* *Requiſita rei fungibilis.*

Enimvero cum pretium numero, ponderi vel menſuræ proportionale eſſe nequeat, ita ut earum, quæ ſunt numero totidem, vel quæ ſunt ejuſdem ponderis aut menſuræ, idem ſit pretium, niſi eædem etiam ſint ejuſdem qualitatis; neceſſe eſt ut res fungibiles ejuſdem etiam ſint qualitatis. *Quod erat ſecundum.*

Vinum Rhenanum generoſum & vilius non ſunt ejuſdem pretii, etſi quantitas fuerit eadem: etenim amphora vini generoſi plus valet, quam amphora vilioris. Quamobrem amphora vini vilioris fungi nequit vice amphoræ generoſi; conſequenter vinum generoſum & vilius ad ſe invicem relata non ſunt res fungibiles, licet abſolute loquendo utrumque rebus fungibilibus accenſeatur. Quamobrem neceſſe eſt, ut res fungibiles non modo numero, pondere ac menſura æſtimari poſſint, verum etiam ut ſint ejuſdem qualitatis. Atque adeo patet, aliud eſſe, ſi rem fungibilem dicas abſolute, aliud vero, ſi dicas reſpective.

§. 512.

Res adeo *inter ſe fungibiles ejuſdem generis, quantitatis & qualitatis eſſe debent* (§. 509. 511.). *Idem porro expenditur.*

Ita duæ amphoræ vini Rhenani generoſi & duæ aliæ amphoræ vini Rhenani æque generoſi ſunt res inter ſe fungibiles, ſunt enim ejuſdem generis, cum utrumque vinum ſit Rhenanum; ſunt quantitate eadem, cum utriuſque menſura ſint duæ amphoræ; ſunt denique qualitate eadem, cum utrumque ſit æque generoſum. Duæ igitur vini unius amphoræ ſubſtitui poſſunt pro duabus alterius & haberi pro re numero eadem.

§. 513.

Contractus beneficus, quo rei, quæ uſu conſumitur, uſus alteri gratis conceditur, *Mutuum* dicitur. Qui mutuo dat, *Creditor*, qui mutuo accipit, *Debitor* appellatur. Ille etiam vocatur *Mutuans*; hic vero *Mutuatarius*. Illa nomina generalia ſunt (§. 96. *part.* 3. *Jur. nat.*); hæc contractui huic propria. Vulgo tamen utimur nominibus generalibus, præſertim quando de pecunia mutuo data ſermo eſt, ita ut *Creditor* dicatur, cui pecunia debetur; & *Debitor*, qui eam debet. *Mutui, creditoris & debitoris definitio.*

Ex. gr. generali ſignificatu maritus ex promiſſione dotis creditoris loco habetur; quia dos promiſſa ipſi debetur, & qui promiſit debitor eſt. Et viciſſim uxor dotem repetens in creditorum numero eſt, quia ipſi dos reſtituenda. Nihil vero hic mutuo datum & acceptum.

§. 514.

In mutuo fit dominii translatio & res mutuata reſtituitur in genere.

Quoniam in mutuo rei, quæ uſu conſumitur, uſus alteri gratis conceditur (§. 513.), ſi vero uſus rei, quæ uſu conſumitur, alteri concedendus, dominium ejus in eum transferendum, nec res reſtitui poteſt in ſpecie, ſed ſaltem tantundem ejuſdem generis (§. 508.); *in mutuo dominium transferendum in mutuatarium & tantundem ejuſdem generis reſtituendum.*

Ex. gr. Si tibi mutuo do tres modios avenæ, avenæ dominium in te transfero, & tu tres modios avenæ, non tamen numero eandem avenam, mihi reſtituere debes.

§. 515.

An tempus in mutuo definiendum.

Quoniam res mutuata in genere reſtituenda (§. 514.); ideo *mutuo datur ad certum tempus, quo præterlapſo reſtitutio fieri debet*, adeoque *tempus in mutuo expreſſe definiendum, niſi ex re mutuata vel aliis circumſtantiis intelligatur.*

Ex. gr. Mutuo tibi do tres modios avenæ, ut proximo die Sabbathi, vel poſt meſſem alios tres avenæ modios mihi reſtituas. Hic tempus expreſſe definitum. Quando vero mutuo a me accipis aliquot modios avenæ, quia deficit, nec ante meſſem avena tibi ſuppetit propria; nulla temporis facta mentione; ex ipſis circumſtantiis intelligitur, te mihi avenam poſt meſſem, quando propria ſuppetet, reſtituere velle.

§. 516.

Cur ad ipſum requiratur traditio.

Quia in mutuo transfertur dominium rei uſus gratia (§. 513. 514.), eadem autem uti non potes, niſi res tradatur (§. 24. *part. 3. Jur. nat.*); *ad mutuum requiritur rei, quæ mutuo datur, traditio.*

Ita ſi tibi mutuo do tres modios avenæ certo die reſtituendæ, tres illi modii tibi ſunt tradendi, nec ante dici poteſt avena tibi mutuo data, antequam traditam acceperis.

§. 517.

Mutuum qualis contractus.

Mutuum eſt contractus realis. Ad mutuum requiritur traditio rei (§. 516.), ut adeo res mutuata dici non poſſit, antequam fuerit tradita. Quamobrem cum contractus re ineatur, adeoque realis ſit, qui rei traditionem requirit (§. 438.); mutuum contractus realis eſt.

§. 518.

Quænam res mutuo dentur.

Quæ mutuo dantur, res fungibiles eſſe debent. In mutuo enim tantundem ejuſdem generis reſtituendum (§. 514.). Quamobrem neceſſe eſt, ut res aliæ ejuſdem generis fungantur vice rerum mutuatarum, ita ut ſpeciei mutuatæ æquipolleant. Enimvero res fungibiles ſunt, quæ funguntur vice rei alterius ejuſdem generis, ita ut æquipolleant eidem ſpeciei (§. 509.). Quæ igitur mutuo dantur, res fungibiles eſſe debent.

Hinc vulgo dicitur, mutuum eſſe contractum realem, quo datur alteri res fungibilis ea lege, ut tantundem ejuſdem generis & qualitatis reſtituat.

§. 519.

Quoniam res fungibiles mutuo dantur (§. 518.), hæ autem ejuſdem generis, quantitatis & qualitatis eſſe debent (§. 512.), & quod datum in genere reſtituendum (§. 514.); *quod reſtituitur, ejuſdem generis, quantitatis & qualitatis eſſe debet, cujus fuerat mutuatum.* *Quænam reſtituendæ.*

Ex. gr. Mutuo tibi do tres amphoras vini generoſi Rhenani: tu adeo tres amphoras vini Rhenani æque generoſi reſtituere teneris. Quia reſtituis vinum Rhenanum, quod reſtituitur ejuſdem generis eſt cum eo, quod erat mutuatum. Quia reſtituis tres amphoras hujus vini, quod reſtituitur quantitatis ejuſdem eſt. Denique quia vinum, quod reſtituis, eſt æque generoſum, quod reſtituitur ejuſdem etiam qualitatis eſt. Nimirum qui mutuo dat; non vult alteri rem dare gratis, ſed ſaltem uſum rei (§. 513.), conſequenter vult ſibi reſtitui, quod fuerat datum: quod cum reſtitui non poſſit in ſpecie, quippe uſu conſumtum (§. *cit.*), neceſſe eſt ut reſtituatur tantundem ejuſdem generis & qualitatis, cum ita perinde ſit, ac ſi res in ſpecie fuiſſet reſtituta.

§. 520.

Nemo rem mutuo dare poteſt, niſi dominus. Etenim qui mutuo dat, dominium rei in alterum transfert (§. 514.). Quamobrem cum non dominus dominium rei alienæ transferre nequeat (§. 667. *part. 2. Jur. nat.*); nemo præter dominum rem mutuo dare poteſt. *Quinam mutuo dare poſſit.*

§. 521.

Quoniam nemo niſi dominus rem mutuo dare poteſt, *qui pro parte dominus eſt, rem communem nonniſi pro parte mutuo dare poteſt.* *De re communi mutuo data.*

Ex. gr. Si certa quantitas frumenti nobis fuerit communis, tu nonniſi pro parte dominus es, adeoque nonniſi pro ea parte mutuo dare frumentum potes, veluti pro tertia, ſi pro parte tertia dominus es. Idem intelligitur de certa quantitate argenti infecti, item de pecunia communi.

§. 522.

Quoniam nonniſi dominus rem ſuam mutuo dare poteſt (§. 520.); *ſi quis rem alienam mutuo dat, contractus ipſo jure nullus eſt*, ſed cum dominium non fuerit translatum (§. 667. *part. 2. Jur. nat.*), *res manet domini ſui*. Eodem modo patet, *ſi quis rem communem mutuo dat, contractum non ſubſiſtere niſi pro ea parte, pro qua dominus eſt, reliquam vero partem manere domini ſui.* *De re aliena mutuo data.*

§. 523.

Quia ſi res aliena mutuo datur, res manet domini ſui (§. 522.), domino autem competit jus rem extantem vindicandi adverſus quemlibet poſſeſſorem (§. 544. *part. 2. Jur. nat.*); *ſi res aliena mutuo datur, domino competit jus adverſus mutuatarium eam vindicandi*, conſequenter *hic eam conſumere nequit, ſed ſtatim reſtituere tenetur.* Eodem modo intelligitur, *ſi res communis mutuo datur, eam partem, pro qua alter dominus eſt, vindicari ab eo poſſe.* *Jus domini, cujus res mutuo data ab alio.*

§. 524.

Si res aliena mutuo data fuerit conſumta, mutuatarius ad præſtandam æſtimationem *De re aliena mutuo data conſumta.*

nem domino tenetur. Etenim ſi res adhuc extaret, eam dominus vindicare poſſet, eaque ipſi ſtatim eſſet reſtituenda (§. 523.). Enimvero cum conſumta fuerit, *per hypoth.*, adeoque reſtitui non poſſit; pretium ejus reſtituendum eſt, conſequenter mutuatarius ad præſtandam æſtimationem domino tenetur.

Non eſt quod excipias, reſtituendam eſſe rem in genere, ſeu tantundem ejuſdem generis & qualitatis. Ita enim valeret contractus, tanquam a domino cum mutuatario initus (§. 514. 519.), quem eſſe invalidum, ſeu ipſo jure nullum demonſtravimus (§. 522.). Dominus a mutuatario rem ſuam repetit non ex contractu, ſed vindicat vi dominii, conſequenter exigere poteſt aut rem extantem, aut pretium conſumtæ; adeoque mutuatarius tenetur domino ad præſtandam æſtimationem conſumtæ. Invito itaque obtrudi nequit res alia ejuſdem generis, licet ſit ejuſdem quantitatis & qualitatis.

§. 525.

Ad quid creditor teneatur domino re conſumta.

Si creditor rem alienam bona fide mutuo dedit, domino ad nihil tenetur: ſin mala fide mutuo dederit, tenetur ad id, quod intereſt, mutuatum non fuiſſe. Poſſeſſor enim bonæ fidei ex facto & non facto ſuo, qualecunque tandem fuerit, domino non tenetur (§. 594. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi ergo rem alienam bona fide mutuo dedit, cum hoc fieri non poſſit, niſi bona fide poſſideat (§. 153. *part. 2. Jur. nat.*); domino ea de cauſa ad nihil tenetur. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi mala fide mutuo det, poſſeſſor malæ fidei ſit neceſſe eſt (§. 153. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum poſſeſſor malæ fidei teneatur domino ex facto quocunque & non facto (§. 595. *p. 2. Jur. nat.*); etiam ea de cauſa tenebitur, quod rem ipſius mutuo dederit. Quodcunque igitur damnum incurrit dominus, & quodcunque lucrum ejus ceſſat, propterea quod mutuatum eſt, de eo tenetur creditor domino, conſequenter creditor rei alienæ, ſi mala fide mutuo dederit, ad id, quod intereſt mutuatum non fuiſſe, tenetur (§. 625. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Poſterius etiam oſtenditur hoc modo. Si quis mala fide mutuo det, is novit ſe eſſe non dominum (§. 153. *part. 2.* Jur. *nat.*). Quamobrem cum non dominus rem mutuo dare non poſſit (§. 520.), ſi quis mala fide mutuo dat, is facit, quod omittere debebat, conſequenter ſi dominus damnum incurrit, vel lucrum quoddam ejus ceſſat, propterea quod mutuatum eſt, ideo ille damnum incurrit, vel lucrum ipſius ceſſat, quia creditor non ſatisfecit obligationi ſuæ. Enimvero ſi quis damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod alius non ſatisfecit obligationi ſuæ, hic eidem ad id, quod intereſt, tenetur (§. 629. *part. 3. Jur. nat.*). Creditor igitur domino rei mutuatæ tenetur ad id, quod intereſt, mutuatum non fuiſſe, ſi mala fide mutuo dederit.

Cui principia demonſtrandi, quibus hic utimur, ſatis fuerint perſpecta, quemadmodum ſupponitur & ſupponi debet, ei circa propoſitionem præſentem nihil dubii ſupereſſe poteſt.

§. 526.

Quando creditor rei alienæ æſtimationem præſtare teneatur.

Quoniam *qui mala fide rem alienam mutuo dat*, domino tenetur ad id, quod intereſt, mutuatum non fuiſſe (§. 525.), *ſi hic a mutuatario rei conſumtæ æſtimationem conſequi nequit, ad eam præſtandam tenetur creditor.*

Aliter vero ſeſe res habet, ſi bona fide mutuatum (§. 525.): tunc enim damnum ferre debebat tenetur dominus, ſi reſarcire non poſſit; qui

§. 527.

Quando mutuatarius teneatur do-

Si mutuatarius mala fide rem mutuatam conſumſit, domino tenetur ad id, quod intereſt, mutuatum non fuiſſe. Quoniam enim in mala fide verſatur mutuatarius,

rius, omnino novit rem, quam a mutuante accepit, eſſe alienam (§. 153. *p.* 2. *Jur. nat.*), adeoque eam mutuo ſibi dari ab eo non potuiſſe (§. 520.). Quando igitur res conſumitur, mutuatarius facit, quod non facere debet, conſequenter obligationi ſuæ non ſatisfacit. Quamobrem cum ad id quod intereſt alteri teneatur, qui obligationi ſuæ non ſatisfaciendo eidem damnum dat, vel lucrum ejus ut ceſſet in cauſa eſt (§. 629. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi mutuatarius mala fide rem mutuatam conſumſit, domino tenetur ad id, quod intereſt, mutuatum non fuiſſe. *mino ad id quod intereſt.*

Si bona fide rem conſumſit, non tenetur niſi ad præſtandam æſtimationem (§. 524.), cum non præterea teneatur ex facto quodam ſuo; nempe quod rem alienam conſumſerit doloſe.

§. 528.

Si quis rem alienam mutuo dedit, mutuatarius rem conſumtam eidem in genere reſtituere tenetur, niſi dominus contradicat. Etenim dum rem alienam mutuo accepit, ſeſe mutuanti obligavit ad rem conſumtam in genere reſtituendam (§. 514.). Quodſi ergo dominus non contradicat, cui ad præſtandam æſtimationem tenetur (§. 524.); nulla ratio eſt, cur eam mutuanti in genere reſtituere nolit & ex re alterius locupletior fieri velit. Quamobrem neceſſe eſt, ut eandem reſtituat in genere. *Ad quid mutuatarius rem alienam mutuanti teneatur.*

Quemadmodum commodatarius commodanti; etiam furi, rem commodatam in ſpecie (*not.* §. 492.); ita mutuanti, ſi vel maxime fur fuerit, mutuatarius rem quoque in genere reſtituere tenetur: cumque obligatio reſtituendi naſcatur ex contractu, non opus eſt ut dominium probetur. Sufficit enim in caſu primo rem eſſe commodatam; in altero eam eſſe mutuatam. Commodatum vero non eſt modus acquirendi dominium, nec mutuum acquirendi dominium ſine onere reſtituendi, adeoque commodatario & mutuatario quemadmodum nullum competit jus rem alienam a poſſeſſore etiam malæ fidei vindicandi; ita nec jus competit eam, quando commodatum eſt, vel mutuatum, retinendi vel in genere non reſtituendi, quod in mutuo perinde eſt ac eam retinere, cum genus ſuccedat in locum ſpeciei in mutuo. Aliud eſt, ſi noveris, quinam ſit dominus: eum enim ſi monueris rem ſuam tibi eſſe mutuatam, & a te conſumtam, antequam noſſes, eam non eſſe mutuantis, utique facis, quod naturali obligationi convenit (§. 466. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ipſius autem arbitrio relinquendum, utrum a te, an a mutuante dominus exigere velit, quod ipſi debetur.

§. 529.

Si dominus mutuum ratihabet, etiamſi res mutuata jam fuerit conſumta; mutuum convaleſcit & mutuatarius ipſi tanquam mutuanti tenetur. Etenim ſi res aliena mutuatur, contractus mutui nullus eſt, ſeu mutuum non contrahitur (§. 522.). Quodſi tamen dominus re mutuata jam conſumta mutuum ratihabet, ſeu in id conſentit; perinde omnino eſt, ac ſi ipſe mutuatario rem mutuo dediſſet, conſequenter cum dominus rem mutuo dare poſſit (§. 520.), mutuum validum fit. Enimvero actus in genere, quemadmodum promiſſio in ſpecie, convaleſcit, qui cum initio eſſet invalidus, poſtea validus efficitur (§. 588. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo dominus mutuum ratihabet, etiamſi res mutuata jam fuerit conſumta, mutuum convaleſcit. *Quod erat primum.* *Quomodo mutuum rei alienæ convaleſcat.*

Quando mutuum convaleſcit, validum efficitur (§. 588. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter dominus jam revera ſuſtinet perſonam mutuantis & viget jam obligatio mutuatarii, quæ ex contractu mutui reſultat. Quamobrem ſi dominus mutuum ratihabet, etiam ſi res mutuata jam fuerit conſumta, mutuatarius ipſi tanquam mutuanti tenetur. *Quod erat alterum.*

§. 530.

§. 530.

Obligatio mutuantis quoad repetitionem rei mutuatæ. *Mutuans rem mutuatam in genere repetere nequit, antequam tempus effluxerit, quod expreſſe fuerat definitum, vel quod tacite ineſt contractui.* Etenim mutuo datur ad certum tempus, quo præterlapſo reſtitutio fieri debet, quod vel expreſſe definitur, vel ex re mutuata, aut aliis circumſtantiis colligitur (§. 515.), conſequenter tacite ineſt contractui. Vi igitur contractus, ex quo naſcitur reſtituendi obligatio (§. 514.), mutuatarius non obligatur ad rem in genere reſtituendam, niſi poſtquam tempus effluxerit, quod expreſſe fuerat definitum, vel quod tacite ineſt contractui. Quamobrem cum ex hac obligatione naſcatur jus mutuantis (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*); mutuans rem mutuatam in genere repetere nequit, antequam tempus effluxerit, quod expreſſe fuerat definitum, vel quod tacite ineſt contractui.

Ex. grat. Si tibi mutuo dedi quinque modios frumenti poſt meſſem futuram reſtituendos, antequam meſſis peracta fuerit & grana frumenti trituratione excuſſa fuerint, eos repetere nequeo. Nec mutuo ineſt tacita exceptio, quemadmodum commodato (§. 497), niſi interea res propriis uſibus neceſſaria fuerit. Etenim in mutuo transfertur dominium (§. 514.), quod in commodato retinetur (§. 430.), conſequenter nihil amplius de re mutuata diſponere poteſt mutuans (§. 118. *p. 2. Jur. nat.*), ſed mutuatarius ipſum omni jure, quod in re habuerat, excludit (§. 120. *p. 2. Jur. nat.*). Expectandum adeo eſt, donec tempus effluxerit, quo elapſo reſtitutio fieri debet, nec ab hac obligatione ſe ipſum liberare poteſt mutuans (§. 674. *part. 3. Jur. natur.*).

§. 531.

Obligatio domini in mutuum conſentientis, re conſumta. Quoniam mutuans *rem mutuatam in genere* repetere nequit, niſi tempore, quod ineſt contractui, præterlapſo (§. 530.); *nec dominus, ſi re conſumta ratihabet mutuum*, eandem *repetere poteſt, niſi poſtquam tempus effluxerit, quod vel expreſſe definitum, vel tacite ineſt contractui* (§. 529.).

Atque adeo apparet, quænam ſit differentia, ſi dominus mutuum ratihabuerit, vel ſi non ratihabuerit. Quodſi enim ratihabuerit, ſuccedit in jus mutuantis (§. 529.); ſi non ratihabuerit, ſuo utitur jure tanquam dominus (§. 524. 526. 527.). In caſu priori rem conſumtam ſtatim in genere reſtituere tenetur mutuatarius (§. 523.), in poſteriori nonniſi tempore, quod contractui ineſt præterlapſo (vi *præſ.*).

§. 532.

Obligatio mutuantis porro expenditur. *Mutuans rem extantem repetere nequit a mutuatario, etiamſi propriis uſibus neceſſaria fuerit.* Tranſtulit enim in mutuatarium dominium rei mutuatæ (§. 514.), adeoque nihil amplius juris in eadem ipſi competit (§. 120. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem nec rem extantem repetere poteſt, etiamſi propriis uſibus neceſſaria fuerit.

Nulla ſane res valide alienaretur, ſi contractus ideo reſcindi deberet, quod propriis alienantis uſibus neceſſaria ſit caſu quodam emergente: quo ipſo tolleretur naturalis pacta ſervandi obligatio, quod utique abſurdum (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 533.

Obligatio domini in mutuum conſentientis re adhuc extante. Quoniam mutuans rem extantem repetere nequit a mutuatario, etiamſi propriis uſibus neceſſaria fuerit (§. 532.), ſi vero dominus mutuum ratihabet, mutuatarius ipſi tanquam mutuanti tenetur (§. 529.); *ſi dominus mutuum ratihabet, rem extantem* a mutuatario repetere, conſequenter eam *vindicare nequit*, adeoque *jus ſuum vindicandi remittit* (§. 95. *part. 3. Jur. nat.* & §. 523. *h.*), quod naturaliter ipſi licitum (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*).

Valent etiam hic, quæ paulo ante annotata ſunt de differentia, ſi dominus mutuum ratihabuerit & ſi non ratihabuerit, mutatis mutandis (*not.* §. 531.).

§. 534.

Si dominus mutuum ratihabet, mutuatarius non ante ipſi obligatur, quam dominio probato. Etenim mutuatarius obligatur domino mutuum ratihabenti ad rem in genere reſtituendam, (§. 529. 514.). Quamobrem cum reſtitutio rei conſumtæ in genere in mutuo ſuccedat in locum reſtitutionis in ſpecie (§. 514.), dominus vero eum, qui rem in poteſtate ſua habet, vi adigere nequit, ut reſtituat, antequam dominium probavit (§. 546. *part.* 2. *Jur. nat.*); nec mutuatarius ante ipſi obligatur, ſi mutuum ratihabuerit, quam dominio probato. *Quando naſcatur obligatio mutuatarii, mutuo a domino ratihabito.*

Etenim ſi dominus rem in genere repetit a mutuatario, ea de cauſa hoc facit, quod res mutuata fuerit ſua, & ipſe in mutuum conſentiat, conſequenter jam mutuantis perſonam tueatur (§. 529.). Mutuatarius, cum nude aſſerenti fidem habere non teneatur, dominium utique ille probare debet.

§. 535.

Si res aliena fuerit mutuo data, mutuans jus mutuantis domino cedere poteſt. Etenim ſi quis rem alienam mutuo dedit, mutuatarius rem conſumtam eidem in genere reſtituere tenetur, niſi dominus contradicat (§. 528.). Enimvero non contradicit dominus, ſi jus mutuantis a mutuante ſibi cedi vult. Quamobrem cum quilibet jus ſuum alteri cedere poſſit (§. 117. *part.* 3. *Jur. natur.*); ſi res aliena fuerit mutuo data, mutuans jus mutuantis domino cedere poteſt. *Jus mutuantis quando domino cedi poſſit.*

Ceſſio hæc non inutilis videri debet. Etenim ſi dominus vi dominii vel vi ratihabitionis rem a mutuatario in genere repetere velit, neceſſe eſt ut ante dominium probet (§. 546 *p.* 2. *Jur. nat.* & §. 534 *h.*). Quando autem ceſſione facta ex mutuo agit, probatione dominii, quæ haud raro difficilis eſt, non habet opus. Hinc & in Jure Romano cautum eſt, ut dominus, ſi res aliena fuerit mutuata, agere poſſit actionibus a contrahente ceſſis l. 2. C. ſi cert. pet. Ceſſio hic locum habet, ſive bona, ſive mala fide rem alienam mutuo dederit mutuans.

§. 536.

Mutuatarius rem in ſpecie reſtituere poteſt, ſi ea non habuerit opus. Quoniam enim in mutuo res uſu conſumitur, qui a mutuante mutuatario conceditur (§. 515.), hic ideo eam in genere reſtituere tenetur, quia in ſpecie reſtituere nequit. Quamobrem ſi ea non habuerit opus, nulla ſane ratio eſt, cur eam in ſpecie reſtituere nequeat. Eam igitur, ſi eadem opus non habuerit, in ſpecie reſtituere poteſt, cum res in ſpecie ſit eadem etiam in genere. *An mutuatarius rem in ſpecie reſtituere poſſit.*

Si mutuans rem in ſpecie recipit, nihil ex contractu damni in eum redundat, ſed eadem reſtituenda perinde eſt, ac ſi mutuatum non fuiſſet: cum enim uſum rei gratis concedat mutuatario (§. 513.), nihil præterea recipere poteſt (§. 18.). Nihil autem in mutuo intenditur, quam ne beneficium ſit mutuanti damnoſum.

§. 537.

Mutuatarius rem reſtituere poteſt, antequam tempus in mutuo expreſſum, & quod tacite contractui ineſt, fuerit præterlapſum, niſi expreſſe fuerit conventum, ne ante reſtituatur. Etenim ante tempus mutuatarius non obligatur ad rem reſtituendam (§. 530.), non vero obligatur ad non reſtituendam, cum tempus ſaltem definiatur, ne re diutius carere teneatur mutuans (§. 515.), vel mutuatarius cogi poſſit ad eam ante terminum reſtituendam (§. 530.). Quamobrem mutuata- *An res reſtitui poſſit ante terminum definitum.*

tario integrum eſt rem reſtituere, antequam tempus in mutuo expreſſum, vel quod eidem tacite ineſt, fuerit præterlapſum. *Quod erat primum.*

Quodſi vero expreſſe fuerit conventum, ne ante certum tempus reſtituatur, cum ſtandum ſit pacto (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec ante reſtituere poteſt mutuatarius. *Quod erat ſecundum.*

Ex mutuo per ſe non ſequitur, reſtitutionem rei fieri non poſſe ante terminum præfixum, nec is ordinarie præfigitur, niſi eo fine, ne mutuatarius rem reſtiturus in mora ſit. Quodſi vero expreſſe conveniatur, ne ante terminum reſtituatur, mutuanti eſſe debent rationes ſingulares, cur rem ante eundem recipere nolit. Quod vero extraordinarium eſt, non præſumitur (§. 248. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 538.

Quando naturaliter ad mutuandum non obligemur.

Naturaliter nemo obligatur ad mutuandum, qui re ſua ipſemet indiget. Etenim qui mutuo dat, rei ſuæ dominium in alterum transfert (§. 514.), conſequenter rem dat (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero nemo tenetur id dare alteri, quo ipſe opus habet (§. 127. *part.* 3. *Jur. nat.*). Naturaliter itaque nemo obligatur ad mutuandum, qui re ſua ipſemet indiget.

Mutuum beneficium eſt (§. 513. 22.). Naturaliter autem homines ſibi invicem obligantur ad beneficia mutua, quantum in poteſtate eſt (§. 23.). Quando autem re ipſe indiges, in poteſtate tua non eſt eam dare alteri (§. 610. *p.* 1. *Jur. nat.*).

§. 539.

A cujus voluntate mutuum pendeat.

In domini voluntate unice poſitum eſt, utrum mutuo dare velit, nec ne, & quam legem contractui dare velit. Etenim in mutuo transfertur dominium rei ſuæ (§. 514.). Enimvero in domini voluntate unice poſitum, utrum dominium transferre velit, nec ne, & quomodo transferre velit (§. 11. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo & in domini voluntate unice poſitum eſt, utrum mutuo dare velit, nec ne, & quam legem contractui dare velit.

Etſi enim naturaliter homines ſibi invicem obligentur ad mutuo dandum, niſi quando ipſimet re indigeant (§. 23. 538.): jure tamen externo acquieſcendum eſt in voluntate domini; cum obligatio naturalis imperfecta ſit (§. 354. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 540.

An ad mutuum quis cogi poſſit.

Quoniam in domini voluntate unice poſitum eſt, utrum mutuo dare velit, nec ne, & quam legem contractui dare velit (§. 539.), *nemo alterum cogere poteſt, ut ſibi mutuo det, vel mutuanti præſcribere legem, ſub qua mutuare debet, & ſi mutuum denegatur, in voluntate denegantis acquieſcendum.*

§. 541.

An ei ad mutuandum obligemur, qui debitum ſolvere nequit.

Naturaliter nemo mutuo dare debet ei, qui quod creditum reſtituere nequit, ſeu debitum, quod contraxit, ſolvere non poteſt. Qui enim ei mutuo dat, qui creditum reſtituere nequit, is jacturam facit rei ſuæ (§. 487. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque damnum ipſi datur quoad patrimonium ſuum (§. 438. 452. 448. *part.* 2. *Jur. nat.*). Sed omnem operam dare debemus, ut caveamus, ne nobis quoad patrimonium noſtrum damnum aliquod inferatur (§. 494. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem naturaliter nemo mutuo dare debet ei, qui quod creditum reſtituere nequit, ſeu debitum, quod contraxit, ſolvere non poteſt.

Non hinc ſequitur, naturaliter illicitum eſſe gratis dare alteri. Sunt enim donationes licitæ (§. 124.

(§. 124. 112. & *ſeqq.*), quibus gratis datur non uno in caſu (§. 48.). Dandæ etiam ſunt eleemoſynæ (§. 220 229.). Sed rem gratis dare & uſum rei, quæ uſu conſumitur, dare gratis, non ſunt unum idemque, atque adeo diverſas habent determinationes. Non prohiberis aliquid donare, vel etiam eleemoſynam dare ei, cui mutuo dare non debes, ſiquidem donum, vel eleemoſynam mereatur.

§. 542.

Quoniam naturaliter nemo mutuo dare debet ei, qui, quod creditum reſtituere nequit, *mutuo daturus certus eſſe debet, mutuatarium quod creditum eſt reſtituere poſſe*, conſequenter *nihil eorum omittere debet, quæ faciunt ad ſecuritatem crediti*.

Qua circumſpectione in mutuando opus ſit.

Quomodo proſpiciatur ſecuritati crediti, patebit ſuo loco, quando de pignore & fidejuſſione ſumus acturi.

§. 543.

Pecunia mutuo dari poteſt. Pecunia enim refertur ad res, quæ uſu conſumuntur (§. 471.). Enimvero mutuo dantur res, quæ uſu conſumuntur (§. 513.). Ergo etiam pecunia mutuo dari poteſt.

An pecunia mutuo dari poſſit.

Nimirum ſi quis tibi mutuo dat pecuniam, eandem in ſpecie reſtituere nequis: uteris enim pecunia, dum eam erogas. Quamobrem nonniſi in genere reſtitutio fieri poteſt, quemadmodum obtinet in mutuo (§. 514.).

§. 544.

Bonitas intrinſeca pecuniæ, ſive monetæ eſt, quæ æſtimatur ex materia & pondere. *Extrinſeca* vero eſt valor arbitrio hominum eidem impoſitus. Materia monetæ idiomate patrio dicitur Korn/ item Gehalt; pondus vero Schrot/ item Gewichte: valor vero impoſititius die Würdigung/ it. Valvation Müntz-Sorten/ vel der Werth.

Bonitas intrinſeca & extrinſeca monetæ.

Noſtris moribus materia monetæ raro eſt metallum purum, ſed plerumque mixta: unde contingit eandem eſſe bonitatem extrinſecam, etſi intrinſeca admodum differat, præſertim in Germania, ubi jus monetandi plurimis imperii ſtatibus competit.

§. 545.

Moneta reproba eſt, cujus bonitas intrinſeca parum reſpondet extrinſecæ, ſeu ſi valor impoſititius ſuperat valorem intrinſecum, quem a materia ac pondere habet. Aſt *proba moneta* eſt, cujus bonitas extrinſeca determinatur per intrinſecam, ſeu ſi valor impoſititius reſpondet valori intrinſeco, quem a materia ac pondere habet.

Moneta reproba, & proba quænam ſit.

Idiomate patrio monetam probam (gute Müntz-Sorten) dicimus, wenn die Valvation dem Schrot-Kon gemäß iſt; reprobam vero (ſchlechte Müntz-Sorten)/ wenn die Valvation gröſſer iſt/ als ſie nach dem Schrot und Korn ſeyn ſollte. Præſtaret utique materiam monetæ eſſe argentum vel aurum purum ponderis determinati, & valorem eidem imponi ponderi materiæ proportionalem, quemadmodum ſuo loco oſtendetur. Sufficit hic annotaſſe, quod hoc pacto omnis monetæ bonitas intrinſeca & extrinſeca futura ſit eadem, adeoque quælibet pecuniæ ſumma æſtimari poſſit ex numero.

§. 546.

De reſtitutione pecuniæ mutuo datæ. *Si pecunia mutuo datur, eadem ſumma in moneta ejuſdem bonitatis intrinſecæ & extrinſecæ reſtituenda.* Quod enim ex contractu mutui reſtituitur, ejuſdem generis, quantitatis & qualitatis eſſe debet (§. 519.). Quamobrem ſi pecunia mutuo detur, pecunia quoque reſtituenda, & eadem reſtituenda ſumma in moneta ejuſdem bonitatis intrinſecæ & extrinſecæ.

Facta nimirum reſtitutione nec plus, nec minus habere debet creditor, quam antequam fuerat mutuatum. Quodſi ergo moneta reproba reſtitueretur pro proba, minus haberet, quam habuerat, antequam mutuo daret: ſi proba pro reproba reſtitueretur, plus utique haberet. Neutrum contractui convenit: quod ut clarius eluceſcat, ſequentem propoſitionem addere lubet.

§. 547.

Effectus mutui. *Si mutuatum fuerit, facta reſtitutione perinde eſſe debet, ac ſi mutuatum non fuiſſet.* Mutuans enim primario non intendit dare mutuatario niſi uſum rei (§. 513.), nec dat rem ipſam niſi quatenus uſus ſine dominio rei obtineri nequit (§. 514. & rei fungibilis, quæ mutuo datur (§. 518.), vice alia ejuſdem generis fungi poteſt, ita ut genus æquipolleat ſpeciei (§. 509.). Quamobrem non vult hoc contractu deteriorem reddi conditionem ſuam, ut, facta reſtitutione minus habeat, quam ante eundem habebat. Dat vero uſum rei gratis (§. 513.), conſequenter nihil pro eo recipere vult (§. 18.), adeoque nec hoc contractu fieri vult locupletior, conſequenter facta reſtitutione plus habere non vult, quam ante eandem habebat (§. 582. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem patet, ſi mutuatum fuerit, facta reſtitutione perinde eſſe debere, ac ſi mutuatum non fuiſſet.

Mutuum conditionem mutuantis nec meliorem, nec deteriorem reddere debet. Eadem ergo eſſe debet poſt contractum, quæ fuerat ante eundem; ita ut contractus nullam prorſus invexerit mutationem.

§. 548.

Idem porro expenditur. Quoniam *ſi mutuatum fuerit*, facta reſtitutione perinde eſſe debet, ac ſi mutuatum non fuiſſet (§. 547.), ſi vero mutuatum non fuiſſet, res, quæ mutuo datur, manſiſſet penes mutuantem; *facta reſtitutione perinde eſſe debet, ac ſi res, quæ mutuo data, manſiſſet penes mutuantem, conſequenter ſi pecunia mutuata, ac ſi pecuniam ſuam in ciſta ſervaſſet creditor.*

§. 549.

An variatio pretii in reſtitutione attendenda. *Si interea, donec quod mutuatum reſtituatur, pretium rei mutuo datæ mutetur, ſive idem augeatur, ſive minuatur; non tamen ideo plus, vel minus reſtituendum, quam datum fuerat.* Etenim facta reſtitutione perinde eſſe debet, ac ſi res, quæ mutuo data, manſiſſet penes mutuantem (§. 548.). Enimvero ſi res manſiſſet penes mutuantem, & pretium ejus creviſſet, eo tempore, quo reſtitutio fit, rem majoris pretii habuiſſet, quam illo, quo mutuo data fuit, & ſi pretium imminutum fuiſſet, rem minoris pretii habuiſſet. Quamobrem ſi tantundem reſtituatur, quantum datur, propterea quod mutuatum eſt, nulla rei mutatio accidit. Non igitur ideo plus, vel minus reſtituendum, quam datum fuerat, quod interea, donec quod mutuatum reſtituatur, pretium rei mutuo datæ mutetur, ſive idem augeatur, ſive diminuatur.

Mu-

Mutuum reduci poteſt ad commodatum, ſi genus ſpectetur tanquam ſpecies, quod in rebus fungibilibus, quæ mutuo dantur (§. 518.) succedit (§. 509.). Unde & in ſermone patrio commodare & mutuare uno vocabulo Leihen dicimus, & tam commodatarius quam mutuatarius dicitur Borgen. Quemadmodum itaque in commodato, quando ſpecies reſtituitur, nulla habetur ratio pretii; ita etiam in mutuo, quando genus reſtituitur, pretii nulla ratio habenda: in utroque caſu recipitur, quod ante erat ſuum, nec plus nec minus. Commodo mutuantis accidit, ſi interea temporis, quo mutuum ſubſiſtit, pretium rei augeatur, ipſius etiam incommodum eſt, ſi diminuatur.

§. 550.

Si pecunia mutuo datur, aut datur mutuo certa ſumma monetæ genere non expreſſo, vel expreſſo, aut mutuo datur genus. *Summa pecuniæ mutuo datur*, quando pecunia annumeratur, ſuppoſita bonitate intrinſeca & extrinſeca, v. gr. ſi 100. thaleri dentur mutuo in moneta aurea, quæ ex auro puro conſtat, & idem ei attribuitur valor, quem tempore obligationis obtinet. Aſt *genus pecuniæ mutuo* datur, ſi annumerantur corpora, non attento valore extrinſeco, quem ſingula tunc habent, v. gr. ſi decem mutuo dentur ducati, non attento valore, quem tunc temporis, quo dantur, habent. *Quando ſumma pecuniæ, quando genus mutuo detur.*

§. 551.

Quoniam a domini voluntate unice pendet, quomodo mutuo dare velit (§. 539.); *in ipſius arbitrio poſitum eſt, utrum ſummam expreſſo vel non expreſſo monetæ genere, an genus mutuo dare velit* (§. 550.). *Quod utrumque recte fiat.*

Obtinet nimirum hoc jure externo, cum ad idem pertineat, quicquid ex dominio deſcendit. Jure enim interno ſemper cenſetur eadem ſumma expreſſo monetæ genere mutuo data, quemadmodum mutuo datur certum genus frumenti datæ bonitatis.

§. 552.

Si ſumma pecuniæ mutuo datur, expreſſo monetæ genere, eadem ſumma reſtituenda eſt in eodem monetæ genere juxta bonitatem extrinſecam & intrinſecam, quam tempore contractus habebat. Etenim in mutuo tantundem ejuſdem generis reſtituendum, quod datum (§. 514.). Quamobrem ſi certa pecuniæ ſumma mutuo data, cum pecunia annumeretur (§. 550.), eadem quoque ſumma reſtituenda eſt. Et quoniam genus monetæ exprimitur *per hypoth.* reſtituenda ea eſt in eodem monetæ genere, quod fuit datum. Supponitur autem eadem bonitas intrinſeca & extrinſeca (§. 550.). Annumeratio itaque fieri debet in moneta ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quam habebat tempore contractus, ſecundum bonitatem extrinſecam, quam eodem tempore habebat. *Quid reſtituendum, ſi ſumma mutuo detur expreſſo monetæ genere.*

Nimirum reſtituendum hic eſt præciſe, quod dedisti, non quidem in ſpecie quod in mutuo fieri nequit (§ 513.), attamen in genere. Sed idem præciſe non eſt, quod reſtituitur, niſi ſit idem genus monetæ & bonitas intrinſeca atque extrinſeca eadem, quæ fuit tempore contractus. Et hoc demum pacto perinde eſt, ac ſi pecuniam mutuo non dediſſes, ſed ea in ciſta repoſita penes te manſiſſet, quemadmodum requirit mutuum (§ 548.).

§. 553.

Si ſumma pecuniæ mutuo datur, non expreſſo monetæ genere, eadem ſumma reſtituenda eſt, ſed eam reſtituere licet in alio monetæ genere ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quæ erat monetæ datæ, ſecundum bonitatem extrinſecam, quam tempore contractus habebat data. Quodſi enim mutuatum fuerit, facta reſtitutione perinde eſſe debet, ac ſi mutuatum non fuiſſet (§. 547.), conſequenter tantundem habere debet creditor poſt contractum, quantum habuerat ante eundem. Quodſi *Quid reſtituendum, ſi ſumma mutuo detur non expreſſo monetæ genere.*

ergo

ergo certam pecuniæ ſummam mutuo dedit, neceſſe eſt ut eadem ſumma ipſi reſtituatur. Quoniam vero pecuniam mutuo dans ſupponit monetæ bonitatem intrinſecam & extrinſecam, quam tunc habet, quando dat (§. 550.), genus autem monetæ non exprimit *per hypoth.* creditori perinde eſt, ſive hoc, ſive alio monetæ genere ſolutio fiat, modo ratio habeatur bonitatis intrinſecæ & extrinſecæ, quæ erat tempore contractus monetæ datæ. Quamobrem ſi ſumma pecuniæ mutuo datur, non expreſſo monetæ genere, eadem ſumma reſtituenda eſt, ſed eam reſtituere licet in alio monetæ genere ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quæ erat monetæ datæ, ſecundum bonitatem extrinſecam, quam tempore contractus habebat.

Nimirum tantundem habes poſt contractum, quantum habebas ante eundem, ſi pecunia, quam habes, eandem habuerit bonitatem intrinſecam, quæ data, etſi ſit moneta alterius generis & valor extrinſecus idem ſpectetur, qui erat tempore contractus. Hoc ſane pacto itidem perinde eſt, ac ſi pecunia mutuo data non fuiſſet, ſed in ciſta tua repoſita penes te manſiſſet, quemadmodum mutuum requirit (§. 548.). In hoc caſu moneta cujuſcunque generis ejuſdem bonitatis intrinſecæ & extrinſecæ fungitur vice monetæ alterius generis, ita ut unum genus in locum alterius ſurrogari poſſit: id quod in mutuo ſufficit (§. 509. 518.). Non tamen hinc inferre licet, ſemper adeo reſtitutionem fieri poſſe in quocunque alio monetæ genere, modo ratio habeatur bonitatis extrinſecæ, & intrinſecæ quæ erat tempore contractus. Poſſunt enim creditori eſſe rationes ſufficientes, cur pecuniam ſuam conſervari velit in hoc potius, quam in alio monetæ genere. Quamobrem cum præciſe ſtandum ſit mutuantis voluntati (§. 539.), ipſo invito non licet ſubſtituere aliud monetæ genus, quam dedit, etſi quoad bonitatem intrinſecam & extrinſecam iſti æquivaleat. Ex. grat. Mavult habere creditor nummos aureos, quam argenteos, propterea quod minus moleſta ſit cuſtodia & numeratio.

§. 554.

Quid reſtituendum, ſi genus mutuo detur.

Si genus pecuniæ mutuo datur, tot reſtituenda ſunt corpora, quot data, ejuſdem bonitatis intrinſecæ. Etenim ſi genus mutuo datur, corpora annumerantur, non attento valore extrinſeco, quem ſingula habent (§. 550.). Quodſi ergo totidem reſtituantur corpora, quot data, ejuſdem tamen bonitatis intrinſecæ; finito contractu idem habes, quod ante eundem, conſequenter perinde eſt ac ſi pecunia in ciſta tua repoſita penes te præciſe manſiſſet. Quamobrem cum facta reſtitutione ex mutuo perinde eſſe debet, ac ſi pecunia in ciſta tua repoſita penes te manſiſſet (§. 548.), ſi genus pecuniæ mutuo datur, tot reſtituenda ſunt corpora ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quot data.

Ex. gr. Si decem ducati juſti ponderis mutuo dati fuerint, decem quoque ducati juſti ponderis reſtituendi, ſive valor extrinſecus tempore ſolutionis idem fuerit, qui erat tempore contractus, ſive fuerit diverſus. Convenit hoc maxime mutuo, cum idem præciſe recipias in genere, quod in ſpecie fuerat datum.

§. 555.

Æſtimatio nummorum quando creditur.

Æſtimatio nummorum mutuo dari dicitur, ſi certa pecuniæ ſumma in genere ſeu in moneta uſuali currente & proba ſub æſtimato valore creditur.

Ex. grat. Si tibi mutuo do centum thaleros, non attento monetæ genere, ſeu quod pecuniæ numeratæ valor tunc temporis ſit centum thalerorum; centum tibi thaleros in ſpecie uſuali currente & proba credidi, & æſtimationem nummorum, non ipſa corpora credidi. Hic adeo non ſpectatur moneta, quæ datur, tanquam id, quod mutuo datur; ſed valor extrinſecus ſpeciei uſualis currentis ac probæ eſt id, quod in mutuum deducitur.

§. 556.

Quid reſtituendum, ſi æſtimatio nummorum credatur.

Quoniam quod mutuo datum, idem in genere reſtituendum (§. 514.); *ſi æſtimatio nummorum mutuo data fuerit, æſtimatio quoque reſtituenda.*

Ita

Ita nimirum poſt contractum idem habere cenſetur creditor, quod habuerat ante eundem, cum is nonniſi æſtimationem nummorum conſervari vellet, v. gr. ut, cum ante contractum haberet bis mille thaleros in ſpecie uſuali currente & proba, totidem etiam habeat in ſpecie uſuali currente & proba poſt contractum.

§. 557.

Idem ſpecialius expenditur.

Si æſtimatio nummorum mutuo datur, eadem pecuniæ ſumma in quocunque monetæ genere probo ac uſuali reſtituenda. Reſtituenda enim eſt æſtimatio nummorum, qui dati fuerant (§. 556.). Sed qui æſtimationem nummorum mutuo dat, is certam pecuniæ ſummam in moneta uſuali currente & proba credit (§. 555.). Ergo ipſi reſtituenda eſt eadem pecuniæ ſumma in quocunque monetæ genere probo ac uſuali.

Ex. gr. Mutuo tibi dedi viginti duos thaleros annumerando octo ducatos, quorum quatuor communi uſu tunc temporis valebant undecim thaleros. Tu mihi reſtituere potes triginta duos florenos, quorum tres valent communi uſu duos thaleros. Ita nimirum facta reſtitutione habes viginti duos thaleros in moneta uſuali currente ac proba, quemadmodum habebas, antequam mutuo dares. Si enim ſolam æſtimationem reſpicis, contentus es, te triginta duos florenos eodem valore expendere poſſe, quo octo ducatos.

§. 558.

De reſtitutione, ſi ſumma mutuo data expreſſo monetæ genere.

Si ſumma pecuniæ mutuo data fuerit, expreſſo monetæ genere, ac interea, donec reſtitutio fiat, bonitas extrinſeca ſalva intrinſeca fuerit aucta, debitor eandem ſummam reſtituens incrementum detrahere debet; ſin illa fuerit diminuta, defectum ſupplere debet. Etenim ſi ſumma pecuniæ mutuo data fuerit, expreſſo monetæ genere, eadem ſumma reſtituenda eſt in eodem monetæ genere juxta bonitatem extrinſecam & intrinſecam, quam tempore contractus habebat (§. 552.). Tanta igitur reſtituenda eſt ſumma in eodem monetæ genere ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quanta juxta bonitatem extrinſecam, quæ erat tempore contractus, computata conficiebatur. Quamobrem ſi ſalva bonitate intrinſeca aucta fuerit extrinſeca in iſto monetæ genere; ut eadem prodeat ſumma, quæ in iſto monetæ genere mutuo data, incrementum, quod æſtimationi veteri acceſſit, detrahendum eſt. *Quod erat unum.*

Quodſi vero contingat in eo genere monetæ, in quo reſtitutio fieri debet, bonitatem extrinſecam fuiſſe diminutam, ut eadem conficiatur ſumma, quam debitor accepit, defectum utique ſupplere debet. *Quod erat alterum.*

Nimirum quando ſumma creditur, eadem præciſe ſumma reſtituenda, quam accepiſti. Ex. gr. Si viginti duo crediti ſint thaleri, viginti duos thaleros reſtituere tenetur debitor. Quoniam vero expreſſum eſt monetæ genus; in eodem monetæ genere reſtitutio fieri debet: v. g. Si ſummam credidi in ducatis, eadem quoque in ducatis reſtituenda. Quoniam vero creditor non plures quam viginti duos thaleros, quos accepit, reſtituere tenetur, qui æſtimantur juxta ducatorum valorem tempore contractus; iidem quoque juxta eorundem valorem æſtimari debent tempore ſolutionis. Quodſi ergo valor unius ducati auctus fuerit uno groſſo tibique pecunia annumerata in octo ducatis: octo detrahendi ſunt groſſi ab octo ducatis, ſeu ducati 7. cum 59. groſſis ſolvendi; quod ſi valor uno groſſo fuerit diminutus, octo groſſi præter octo ducatos ſolvendi. Hoc enim pacto creditor conſervat eandem pecuniæ ſummam in eodem genere monetæ ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quod intendit, qui mutuo dat ſummam expreſſo monetæ genere (§. 550.). Idiomate patrio dicimus: wir leihen z. E. 22. Thaler an guten wichtigen nud vollgültigen Ducaten.

§. 559.

De reſtitutione, ſi ſumma mu-

Si ſumma pecuniæ mutuo datur, non expreſſo monetæ genere, & alterius monetæ, quam quæ fuerit data, ſed quæ cum ea ejuſdem bonitatis intrinſecæ eſt, bonitas extrinſeca interea fuerit aucta, donec reſtitutio fiat; eandem ſummam reſtituens

in iſto

tuo detur non expreſſo monetæ genere, & alterius monetæ ejuſdem bonitatis intrinſecæ extrinſeca bonitas mutata.

in iſto monetæ genere detrahere debet incrementum, ſin bonitas extrinſeca fuerit diminuta, defectum ſupplere tenetur debitor. Quodſi enim ſumma pecuniæ mutuo datur, non expreſſo monetæ genere, eadem pecuniæ ſumma reſtituenda, ſed eam reſtituere licet in alio monetæ genere ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quæ erat monetæ datæ, ſecundum bonitatem extrinſecam, quam tempore contractus habebat data, computata (§. 553). Tanta igitur reſtituenda eſt ſumma in alio quocunque monetæ genere, modo ejuſdem bonitatis intrinſecæ ſit cum data, quanta conficiebatur computatione juxta bonitatem extrinſecam datæ. Quamobrem ſi interea iſtius monetæ generis bonitas extrinſeca, ſalva intrinſeca fuerit mutata, eodem quo ante modo porro patet, incrementum detrahendum, defectum ſupplendum eſſe, prouti vel aucta, vel imminuta fuerit bonitas extrinſeca.

Nimirum ſi mutuo dati fuerint viginti duo thaleri, iidem etiam reſtituendi. Quoniam vero genus monetæ, in quo reſtitutio fieri debet, non eſt expreſſum; totidem thaleros in quocunque monetæ genere reſtituere licet, modo ſit ejuſdem bonitatis intrinſecæ cum data. Ex. gr. Si dediſti ducatos, reſtitui poſſunt floreni, quorum eadem eſt bonitas extrinſeca, quæ ducatorum. Aſt ponamus florenorum bonitatem extrinſecam creviſſe, ut non amplius 33. conficiant ſummam 22. thalerorum, ſed eandem ſuperent ex. gr. 11. groſſis cum dimidio; utique hoſce 11. groſſos cum dimidio detrahere debet debitor, qui nonniſi 22. thaleros in florenis datæ bonitatis ſolvere tenetur. Et eodem modo patet, eos eſſe ſupplendos, ſi bonitas extrinſeca 11. groſſis cum dimidio fuerit imminuta. Hoc nimirum pacto creditor conſervat eandem pecuniæ ſummam in probo monetæ genere, etſi non eodem, quod intendit, qui mutuo dat ſummam non expreſſo monetæ genere (§. 550.). Idiomate patrio dicimus: Wir leiħen z. E. 22. Thaler an guten gültigem oder gangbaħren Gelde.

§. 487.

De reſtitutione, ſi ſumma creditur expreſſo moneta genere & intrinſeca bonitas mutetur ſalva extrinſeca.

Si ſumma pecuniæ mutuo data fuerit, expreſſo monetæ genere, ac interea, donec reſtitutio fiat, bonitas intrinſeca mutetur, ſalva extrinſeca; moneta ad eam bonitatem intrinſecam reducenda, quam tempore contractus habebat. In hypotheſi enim propoſitionis eadem ſumma reſtituenda in eodem genere monetæ ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quam habebat data, & extrinſecæ, quæ erat tempore contractus (§. 552.). Tanta igitur reſtituenda eſt ſumma in eodem monetæ genere, quanta juxta bonitatem extrinſecam, quæ erat tempore contractus, computata conficiebatur, ſed eadem eſſe debet bonitas intrinſeca. Quoniam itaque bonitas extrinſeca eadem eſt, ſed intrinſeca mutata; eadem ſumma in monetæ genere eodem non amplius eadem cenſetur, ſi juxta valorem extrinſecum computetur. Quamobrem moneta, cujus intrinſeca bonitas aucta, vel minuta fuit, reducenda eſt ad bonitatem intrinſecam, quæ erat tempore contractus, ut ſumma, quæ ſolvitur a debitore, æquivaleat ei, quam acceperat.

Ex gr. Mutuo tibi dedi viginti duos thaleros in florenis, quorum intrinſeca bonitas mutatur, ita ut quoad eandem florenus unus æquivaleat tribus quartis unius eorum, qui fuerant dati. Quodſi 33. reſtituantur floreni recentes, viginti duos equidem recipis thaleros, non tamen revera tantundem, quantum dediſti, cum tui 33. floreni juxta valorem extrinſecum præſentem valeant 44. florenos Reſtituendi igitur ſunt 44. floreni, ut eandem habeas ſummam, quam habiturus fuiſſes, ſi pecuniam non credidiſſes, ſed eam in ciſta repoſitam ſervaſſes, quemadmodum exigit contractus mutui (§. 548.). Ita nimirum perinde eſt ac ſi eadem ſumma conſervaretur in moneta ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quod intendit, qui mutuo dat ſummam expreſſo monetæ genere (§. 550.). Germanico ſermone dicimus: Wir leiħen 22. Thaler an guten zu der Zeit gangbaħren Gülden.

§. 561.

De reſtitutione, ſi ſumma mu-

Si ſumma pecuniæ mutuo data, non expreſſo monetæ genere, & alterius monetæ, quæ tempore contractus ejuſdem bonitatis intrinſecæ erat, bonitas intrinſeca interea fuerit

fuerit mutata, in qua ſit reſtitutio; debitor detrahere debet incrementum valoris extrinſeci, ſi aucta, ſupplere autem defectum, ſi diminuta fuerit. Etenim ſi ſumma pecuniæ mutuo data, non expreſſo monetæ genere, eadem ſumma reſtitui poteſt in alio quocunque monetæ genere ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quæ erat monetæ datæ, juxta bonitatem extrinſecam, quam tempore contractus habebat (§. 553.), conſequenter perinde eſt, ac ſi pecunia in hoc monetæ genere data fuiſſet. Enimvero ſi ſumma pecuniæ mutuo data fuerit, expreſſo monetæ genere, ac interea, donec reſtitutio fiat, bonitas intrinſeca mutetur, ſalva extrinſeca, moneta ad eam bonitatem intrinſecam reducenda, quam tempore contractus habebat (§. 560.), conſequenter debitor detrahit incrementum, ſupplet defectum. Quamobrem idem faciendum, ſi ſumma pecuniæ mutuo data, non expreſſo monetæ genere, & alterius monetæ, quæ tempore contractus ejuſdem bonitatis intrinſecæ erat, bonitas intrinſeca fuerit mutata, in qua reſtitutio fit: debitor nimirum detrahere debet incrementum, ſupplere defectum, prouti illa vel aucta, vel diminuta fuerit.

tuo detur non expreſſo genere monetæ & ejus, in qua ſit reſtitutio bonitas intrinſeca mutetur.

Caſus præſens non differt a præcedente, niſi quod monetæ datæ ſubſtituatur alia ejuſdem bonitatis intrinſecæ tempore contractus. Quodſi ergo hæc ſumatur tanquam credita, caſus præſens cum præcedente coincidit, ſeu ad eundem reducitur, ut conſiderari poſſit tanquam idem. Exemplo eſſe poteſt, ſi mutuo dentur in ducatis 22, thaleri, quibus quoad bonitatem intrinſecam tempore contractus æquivalent 33, aſt tempore ſolutionis nonniſi 44 floreni. Defectum igitur bonitatis intrinſecæ ſupplere debet debitor ſolvendo 44 florenos novos, loco 33. veterum. Atque idem exemplum aperte loquitur vera omnino eſſe, quæ de reductione caſus præſentis ad præcedentem diximus (*not.* §. 559.).

§. 562.

Si ſumma pecuniæ mutuo data, expreſſo monetæ genere, ac interea temporis, donec reſtitutio fiat, bonitas tam intrinſeca, quam extrinſeca mutetur; moneta reducenda eſt ad bonitatem intrinſecam, quam habebat tempore contractus, & in reducta quoad bonitatem extrinſecam incrementum detrabitur, defectus ſuppletur. Quodſi enim ſumma mutuo data fuerit, expreſſo monetæ genere, ac interea temporis, donec reſtitutio fiat, bonitas intrinſeca mutetur, ſalva extrinſeca, moneta ad eam bonitatem reducenda, quam habebat tempore contractus (§. 560.). Quamobrem ſi præterea ſupponatur ſolam extrinſecam bonitatem fuiſſe mutatam, & moneta ad bonitatem intrinſecam reducatur, quam tempore contractus habebat, hoc pacto conſtat, quanta ſumma nunc reſtitui deberet, ſi ſola bonitas extrinſeca fuiſſet mutata. Quodſi ergo jam porro ſumatur eandem ſummam in moneta bonitatis intrinſecæ præſentis fuiſſe mutuo datam; perinde erit, ac ſi ſalva bonitate intrinſeca ſola extrinſeca mutationem ſubiiſſet. Quamobrem cum debitor incrementum detrahat, defectum ſuppleat, ſi ſumma pecuniæ mutuo data fuerit, expreſſo monetæ genere, ac interea, donec reſtitutio fiat, bonitas extrinſeca fuerit mutata ſalva intrinſeca (§. 558.); incrementum quoque in moneta ad bonitatem intrinſecam, quam tempore contractus habebat, reducta detrahendum, defectus ſupplendus, ſi ſumma pecuniæ mutuo data, expreſſo monetæ genere, ac interea temporis, donec reſtitutio fiat, bonitas tam intrinſeca, quam extrinſeca mutetur.

De reſtitutione, ſi ſumma mutuo detur, expreſſo monetæ genere, & ejus bonitas extrinſeca & intrinſeca mutetur.

Ex. gr. Mutuo tibi dedi viginti duos thaleros in florenis, quorum bonitas intrinſeca quarta ſui parte mutatur, ita ut unus tempore ſolutionis æquivaleat tribus quartis unius eorum, qui fuerant dati, cum vero unus datorum valeret ſexdecim groſſos, unus novorum jam valeat quatuordecim groſſos. Facta reductione ad bonitatem intrinſecam, quæ erat tempore contractus, eadem extrinſeca retenta, perinde erit ac ſi tibi dati fuiſſent 44 floreni, quorum unus valet 12. groſſos. Enimvero valet jam tantummodo 14. groſſos; aucto valore extrinſeco reſpectu intrinſeci, juxta tempus contractus æſtimati. Quamobrem 88. groſſi ſunt detrahendi, ut eadem præciſe conficiatur ſumma in moneta, quæ tempore contractus eandem habuiſſet bonitatem, ſolvendo 37. florenos cum 10. groſſis. Nimirum viginti duo thaleri, quorum unus valet 24 groſſos, conficiunt ſummam 528. groſſorum. Hanc ſummam tempore contractus conficiebant floreni 33. quorum unus valebat [illegible] groſſos. Ob mutatam bonitatem extrinſecam, ſuppoſita ea,

quam floreni habebant; tempore contractus, unus novorum æſtimari nequit, niſi 12. groſſorum, quot ſcilicet valuiſſet tempore contractus. Atque adeo eorum 44. conficiunt ſummam 528. groſſorum, quæ mutuo data. Quoniam vero crevit valor extrinſecus, ut florenus unus valeat 14. groſſos; eandem ſummam 528. groſſorum jam conficiunt floreni 37. additis 10 groſſis. Quare ſi 37. florenos novos additis 10. groſſis ſolvat debitor, creditor habet eandem pecuniæ ſummam in moneta ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quam habebat in moneta iſtiuſmodi bonitatis tempore contractus. Non eſt quod excipias, ſi pecuniam ſuam retinuiſſet in ciſta depoſitam, eum nunc habiturum fuiſſe pecuniam, quæ 44. novis florenis æquivalet. Non enim mutuo data fuerunt corpora, ſed mutuo data fuit ſumma, qualis tempore contractus impendebatur a debitore, & non corpora; ſed hanc ſummam in moneta ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quæ tempore contractus erat, conſervare voluit creditor: id quod obtinetur, ſi 37. floreni novi additis 10. groſſis ſolvantur. Nimirum valor extrinſecus non attenditur tempore contractus, niſi in computanda ſumma quatenus uſualis eſt cum alias corpora crederentur, non vero ſumma. Quamobrem in computanda ſumma denuo attendendus eſt valor uſualis, qui eſt tempore ſolutionis. Quoniam tamen eandem monetæ bonitatem intrinſecam conſervare vis, ideo ea attendenda eſt, quæ fuerat tempore contractus. Atque ea de cauſa primum definiendus eſt valor extrinſecus, qui eidem tribuendus fuiſſet tempore contractus, ut eadem prodiiſſet ſumma, quæ mutuo data.

§. 563.

De reſtitutione, ſi ſumma mutuo detur non expreſſo genere, & bonitas intrinſeca cum extrinſeca mutetur in eo genere, in quo fit reſtitutio.

Si ſumma pecuniæ mutuo data, non expreſſo monetæ genere, & reſtitutio fiat in genere quodam monetæ, cujus bonitas intrinſeca & extrinſeca a tempore contractus mutata, ea reducitur ad bonitatem intrinſecam, quam habuit tempore contractus, & in reducta quoad extrinſecam mutatam incrementum ſubtrahitur, vel defectus ſuppletur. Si ſumma pecuniæ mutuo data non expreſſo monetæ genere, eadem reſtitui debet in alio quocunque monetæ genere, quæ tempore contractus ejuſdem bonitatis intrinſecæ erat cum data juxta bonitatem extrinſecam computata, quam tempore contractus habebat (§. 553.), conſequenter perinde eſt, ac ſi in hoc monetæ genere pecunia fuiſſet mutuo data. Enimvero ſi in hoc monetæ genere pecunia fuiſſet mutuo data, cum ſumma mutuo data ſit, ac interea temporis, donec reſtitutio fiat, bonitas tam intrinſeca, quam extrinſeca mutata fuerit, *per hypoth.* moneta reducenda foret ad bonitatem intrinſecam, quam habebat tempore contractus, & in reducta quoad bonitatem extrinſecam incrementum detrahendum, defectus ſupplendus (§. 562.). Ergo idem fieri debet, ſi ſumma pecuniæ mutuo data, non expreſſo monetæ genere, & reſtitutio fiat in alio genere monetæ, cujus bonitas intrinſeca & extrinſeca a tempore contractus mutata.

Ex. gr. Mutuo tibi dedi 22. thaleros in ducatis, quibus tempore contractus æquivalebant 33. floreni. Perinde igitur eſt, ac ſi 33. florenos tibi mutuo dediſſem, quos tibi ſolvere poteram, ſiquidem nulla mutatio intrinſeca & extrinſeca contigiſſet. Quodſi vero ponamus bonitatem intrinſecam diminutam eſſe quarta ſui parte, extrinſecam vero auctam nonniſi octava: per ea, quæ modo uberius expoſuimus (*not.* §. 562.). reſtituendi ſunt 37. floreni novi additis 10. groſſis.

§. 564.

De reſtitutione, ſi genus mutuo datum, & bonitas extrinſeca mutetur.

Si genus mutuo datur, bonitatis extrinſecæ mutatio prorſus non attenditur. Si enim genus mutuo datur, tot reſtituenda ſunt corpora, quot data, non attento valore extrinſeco, quem habent (§. 554.). Quamobrem nec plura reſtituuntur, quam data fuerunt, etiamſi valor extrinſecus diminutus; nec pauciora, ſi fuerit auctus, conſequenter genus ſi mutuo detur, perinde eſt, ſive bonitas extrinſeca mutetur, ſive non mutetur. Bonitatis igitur extrinſecæ mutatio prorſus non attenditur.

Ex. gr. Si decem ducati juſti ponderis mutuo dati fuerint, toidem reſtituendi, etiamſi ponamus tempore contractus valorem unius fuiſſe duorum thalerorum & viginti groſſorum, tempore autem ſolutionis nonniſi duorum thalerorum & octodecim vel ſexdecim groſſorum, aut contra.

§. 565.

§. 565.

Si æſtimatio mutuo detur, pecunia annumeranda tempore contractus juxta valorem extrinſecum, quem illo tempore habet; tempore autem ſolutionis ſecundum eum, quem monetæ genus, in quo fit reſtitutio, iſto tempore habet. Etenim ſi æſtimatio mutuo detur, eadem pecuniæ ſumma reſtituenda in quocunque monetæ genere probo ac uſuali (§. 557.). Quemadmodum itaque debitor iſtam ſummam accepit tempore contractus in probo quodam monetæ genere, juxta valorem extrinſecum confectam, quo pecuniam impendere poterat (§. 555.); ita eadem ipſi annumeranda eſt tempore ſolutionis in uſuali quodam monetæ genere juxta valorem extrinſecum, quem tunc temporis habet, & quo creditor pecuniam, quam recipit, impendere poteſt. *De reſtitutione, ſi æſtimatio mutuo detur, & bonitas extrinſeca, vel intrinſeca mutetur.*

Pecunia duplici modo conſiderari poteſt, vel tanquam res corporalis conſtans ex materia, quæ perinde ac res corporales aliæ ſuum habent pretium; vel tanquam pecunia, quatenus valorem quendam impoſititium habet, quo mediante vice rerum aliarum fungitur. Quando igitur ſpectatur tanquam pecunia, in eſſe ſuo conſtituitur per valorem iſtum impoſititium, qui bonitatem dat extrinſecam, & pretium materiæ, ex qua conſtat, bonitatem intrinſecam determinat (§. 544.). Atque hoc pacto quoad valorem extrinſecum, ſeu formam ſuam, certum conſtituit rerum fungibilium genus, quemadmodum avena, triticum, hordeum; quoad valorem intrinſecum vero ſeu materiæ pretium genus hoc rerum fungibilium diverſos admittit bonitatis gradus, quemadmodum non avena omnis, non triticum omne, non hordeum omne ejuſdem bonitatis eſt. Quando itaque pecunia mutuatur, habenda eſt ratio bonitatis extrinſecæ, ſine qua pecunia non concipitur, habenda vero etiam eſt ratio bonitatis intrinſecæ, quatenus res ejuſdem bonitatis reſtituenda (§. 519.): quantitas vero pecuniæ æſtimatur numero, quemadmodum ova numerare ſolemus (§. 289.), vel etiam ponderare, quemadmodum aromata vel metalla ponderamus. Quodſi ergo pecuniæ materia non mutaretur, veluti ſi conſtaret ex metallo puro, bonitas intrinſeca ſemper foret eadem in eodem monetæ genere: ſi valor impoſititius non mutaretur, eadem quoque foret bonitas extrinſeca. Et hoc pacto nulla foret in eo, quod reſtituendum, difficultas, cum ſic pecunia eodem modo ſeſe haberet, quomodo avena, vel hordeum, aut triticum ejuſdem bonitatis, conſequenter inter mutuationem ſummæ, generis & æſtimationis nulla foret differentia, ſed ſemper reſtitui deberet eadem ſumma. Sed quia tam intrinſeca, quam extrinſeca bonitas mutari ſolet; ideo diſpiciendum eſt, ne plus, vel minus reſtituatur, nec actus gratuitus alterutri contrahentium parti damnoſus evadat. Quoniam tamen homines jus ſuum remittere (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque per pacta, quibus ſtandum (§. 789. *p. 3. Jur. nat.*), diverſimode immutare poſſunt; ideo quoque diſpiciendum, quomodo fuerit conventum. Hactenus dicta qui probe perpenderit, ei circa ea, quæ hactenus demonſtrata ſunt, nihil reſtabit difficultatis, ut uberius eadem demonſtrare ſuperfluum exiſtimemus.

§. 566.

Si ſpecies æſtimatæ mutuo dentur, eadem ſumma, quam conficiunt tempore contractus, reſtituenda in probo quodam monetæ genere, juxta valorem extrinſecum, quem tempore ſolutionis habet, computata. Quodſi enim ſpecies æſtimatæ mutuo dentur, æſtimatio nummorum creditur (§. 555.), non ipſum genus (§. 550.). Enimvero ſi æſtimatio mutuo datur, eadem pecuniæ ſumma in quocunque monetæ genere probo ac uſuali reſtituenda (§. 557.). Quamobrem ſi ſpecies æſtimatæ mutuo dentur, eadem ſumma, quam conficiunt tempore contractus, reſtituenda in probo quodam monetæ genere juxta valorem extrinſecum, quem tempore ſolutionis habet, computata. *De reſtitutione, ſi ſpecies æſtimatæ mutuo datæ.*

Ex. gr. Do tibi mutuo octo ducatos, ducatum unum æſtimando duos thaleros cum octodecim groſſis, qui adeo conficiunt ſummam viginti duorum thalerorum. Tu igitur mihi reſtituere potes viginti duos thaleros in probo quodam ac uſuali monetæ genere, v. gr. in florenis, quorum unus valet ſedecim groſſos. Quodſi enim voluiſſes reſtitui totidem corpora, quot dediſti, nimirum octo ducatos, non opus erat ut eorum valorem extrinſecum exprimeres, conſequenter non eos æſtimatos mutuo dare debebas.

§. 567.

Quid ferendum, ſi reſtitutio fiat in eodem monetæ genere. Quoniam ſi ſpecies æſtimatæ mutuo dantur, eadem ſumma, quam conficiunt tempore contractus, reſtituenda eſt in probo quodam monetæ genere, adeoque etiam eodem, quod datum, juxta valorem extrinſecum, quem tempore ſolutionis habet, computata (§. 566.); *ſi ſpecies æſtimatæ mutuo dantur & in eodem genere monetæ quod mutuo datum reſtituitur, ejus attenditur valor extrinſecus, qui tempore ſolutionis eſt*, conſequenter *corpora pauciora ſolvit debitor, quam accepit, bonitate extrinſeca aucta, plura vero, eadem diminuta.*

Ex. gr. Si octo ducatos tibi mutuo dedi, qui æſtimantur viginti duo thalerorum, ſeu quorum unus æſtimatur duorum thalerorum cum tribus quartis, & valor extrinſecus auctus uno groſſo; cum jam ſeptem ducati & 59 groſſi conficiant ſummam viginti duorum thalerorum, tu mihi ſolvere teneris 7. ducatos cum 59. groſſis. Quodſi vero valor extrinſecus unius ducati diminutus fuerit, ut non valeat niſi duos thaleros cum 17. groſſis; tu mihi reſtituere teneris octo ducatos cum octo groſſis.

§. 568.

De reſtitutione, ſi genus monetæ haberi nequeat. *Si genus monetæ, quod mutuo datum, tempore ſolutionis non amplius extet, aut nonniſi maximo impendio haberi poſſit; reſtitutio fieri debet in alio monetæ genere ejuſdem bonitatis intrinſecæ cum dato, aut, ſi nec talis haberi poſſit, moneta, quæ ſolvitur, ad bonitatem intrinſecam datæ reducenda.* Quodſi enim tempore ſolutionis non amplius extet monetæ genus, quod mutuo datum, cum ad impoſſibile nemo obligetur (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec creditor tenetur ſolvere idem monetæ genus. Perinde igitur eſt ac ſi credidiſſet ſummam, non expreſſo monetæ genere. Enimvero ſi ſumma pecuniæ mutuo datur, non expreſſo monetæ genere, eandem ſummam reſtituere licet in alio monetæ genere ejuſdem bonitatis intrinſecæ, quæ erat monetæ datæ, ſecundum bonitatem extrinſecam, quam tempore contractus habebat, computatam (§. 553.) &, ubi bonitas intrinſeca mutata, moneta reducenda ad eam bonitatem intrinſecam, quam tempore contractus habebat (§. 560.). Quamobrem ſi genus monetæ, quod mutuo datum, non amplius extet, reſtitutio fieri debet in alio monetæ genere ejuſdem bonitatis intrinſecæ cum dato, aut, ſi nec talis haberi poſſit, ad bonitatem intrinſecam datæ reducenda. *Quod erat unum.*

Quodſi vero nonniſi maximo impendio haberi poſſit iſtud monetæ genus, quod mutuo datum, cum eorum nummorum, quos in id obtinendum impendere teneretur debitor, jacturam faceret (§. 487. *part. 2. Jur. nat.*), damnum is incurreret (§. 486. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque creditor obligatur ad omne damnum, quantum in ſe eſt, ab altero avertendum (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*), ipſe vero nihil damni patitur, ſi pecunia, quæ debetur, reſtituatur in alio monetæ genere, quam quod creditum, ejuſdem cum hoc bonitatis intrinſecæ, aut, ſi tale haberi non poſſit, moneta alia ad eandem bonitatem reducatur (§. 487. *part. 2. Jur. nat.*); quando nonniſi maximo impendio haberi poteſt iſtud monetæ genus, quod mutuo datum, reſtitutio fieri debet in alio monetæ genere ejuſdem bonitatis intrinſecæ cum dato, aut, ſi nec tale haberi poſſit, moneta, quæ ſolvitur, ad bonitatem intrinſecam datæ reducenda. *Quod erat alterum.*

Nimirum ſtandum eſt pacto, quamdiu ſtari poteſt, adeoque idem genus monetæ ſecundum bonitatem intrinſecam & extrinſecam, quæ erat tempore contractus, reſtituendum, quamdiu reſtitui poteſt: reſtitui autem poteſt, ſi iſtiuſmodi genus monetæ tempore ſolutionis extet & facile haberi poteſt. Phyſice impoſſibile eſt, ut reſtituatur, ſi non amplius extet, aut haberi non poſſit: aſt moraliter impoſſibile eſt, ſi damnum haud leve incurrere deberet debitor, ubi idem genus reſtituere cogeretur. Qui mutuo dat, beneficium præſtat (§. 513.). Aſt be-

neficium non foret; quod cum damno haud exiguo conjunctum foret debitoris, cum non minus debitor, quam creditor indemnis ſit, ſiquidem ſolutio ita fiat; quemadmodum præcipitur.

§. 569.

De præſtatione, ſi mutuatarius in mora fuerit.

Si mutuatarius in mora fuerit, & pretium rei mutuatæ interea minuatur, præſtanda eſt æſtimatio, quæ erat eo tempore ac loco, quo reſtitutio fieri debebat: quodſi vero augeatur præſtandum eſt, quanti res plurimi fuerit, quamdiu debitor in mora fuerit. Quodſi enim mutuatarius in mora fuerit, eo tempore non reſtituit, quod reſtituendum erat, quod reſtituere debebat ac poterat (§. 638. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi pretium rei mutuatæ interea minuatur, dum in mora eſt, tanti omnino jacturam facit creditor, quanti minoris eſt res, quam erat eo tempore, quo reſtitutio fieri debebat (§. 487. *part.* 2. *Jur. natur.*), conſequenter damnum incurrit (§. 486. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque qui in mora eſt ad id, quod intereſt tenetur, ſi alter propterea damnum patitur (§. 655. *part.* 3. *Jur. nat.*); æſtimatio utique præſtanda eſt, quæ erat eo tempore ac loco, quo reſtitutio fieri debebat. *Quod erat unum.*

Quodſi mutuatarius in mora fuerit, quamdiu in mora eſt, tempus ſemper adeſt, quo eam reſtituere tenetur, conſequenter eam quoque reſtituere tenetur eo tempore, quo ea plurimi fuerit. Quodſi ergo hoc non faciat, ſed in mora perſeveret, & pretium deinceps rurſus minuatur; perinde omnino eſt, ac ſi terminus reſtitutionis fuiſſet tempus, quo plurimi fuit res reſtituenda. Quamobrem ſi mutuatarius fuerit in mora & pretium rei augeatur, præſtandum omnino eſt, quanti res plurimi fuerit, quamdiu in mora fuerit *per demonſtrata n. 1. Quod erat alterum.*

Nimirum quamdiu mutuatarius in mora eſt; tenetur ad id quod intereſt rem mutuatam toto iſto tempore reſtitutam non fuiſſe (§. 655. *p.* 3. *Jur. nat.*). Intererat autem mutuantis, ut reſtitueretur eo tempore, quo plurimi erat, cum eodem ad reſtitutionem teneretur. Quamobrem æquum eſt, ut æſtimatio eius, quod reſtitui debet, conveniat tempori, quo res reſtituenda plurimi erat.

§. 570.

Terminus moræ mutuatarii a quo.

Quodſi tempus quo reſtitutio fieri debet, expreſſe definitum, vel ex re mutuata aut aliis circumſtantiis intelligitur, mora mutuatarii ab eodem incipit; in caſu autem oppoſito ab eo tempore, quo primum interpellatus fuit. Quodſi enim tempus, quo reſtitutio fieri debet, expreſſe definitum, vel ex re mutuata aut aliis circumſtantiis intelligatur, eo præciſe tempore res mutuata in genere reſtituenda (§. 530.). Quodſi ergo hoc non faciat mutuatarius, in mora eſt (§. 638. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter mora incipit ab eo tempore, quod expreſſe definitum, vel ex re mutuata aut aliis circumſtantiis colligitur. *Quod erat unum.*

Quodſi vero tempus, quo reſtitutio fieri debet, non definitum, nec ex re mutuata vel aliis circumſtantiis intelligatur, cum a mutuantis voluntate pendeat, quam legem contractui dare velit (§. 539.), id actum videtur, ut mutuans rem repetere poſſit, quando ipſi viſum fuerit. Quamobrem mutuatarius eam reſtituere tenetur, quando primum interpellatur, conſequenter in mora eſt, ſi hoc non fecerit (§. 638. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ab eo igitur tempore, quo primum interpellatus eſt, in mora eſſe incipit. *Quod erat alterum.*

Propoſitionem hanc addere neceſſarium duximus, ne in applicatione præcedentis aberretur.

§. 571.

An commodatum vel mutuum ſit, ſi pro uſu quid exigitur.

Si pro uſu rei, quæ uſu non conſumitur, vel conſumitur, quid exigitur, in caſu priori commodatum non eſt, nec in poſteriori mutuum. Etenim in commodato uſus rei, quæ uſu non conſumitur (§. 418.), in mutuo rei, quæ uſu conſumitur, conceditur gratis (§. 513.), conſequenter commodans pariter ac mutuans pro eo nihil viciſſim recipit (§. 18.). Quodſi ergo pro uſu rei, quæ uſu non conſumitur, vel etiam rei, quæ uſu conſumitur, aliquid exigitur, in caſu priori commodatum non eſt, in caſu poſteriori mutuum non eſt.

Non tamen hinc ſequitur pro uſu rei, ſive eadem uſu conſumatur, ſive non conſumatur, nihil exigi poſſe. Quales vero ſint contractus, ſi quid exigitur, ſuo loco oſtendetur.

§. 572.

Quando pecuniæ uſus non conſtituat mutuum.

Quoniam mutuum non eſt, ſi pro uſu rei, quæ uſu conſumitur, quidpiam exigitur (§. 571.), pecunia autem ad eas res refertur, quæ uſu conſumuntur (§. 471.); *ſi pro uſu pecuniæ quid exigitur, mutuum non eſt.*

Inferius adeo demum docebitur, quænam tenenda ſint de contractu, quo pro uſu pecuniæ aliquid exigitur. Nemo igitur miretur, quod hic non agatur de uſuris ac fœnore; nec de honorario, quod quidam in commodato & mutuo admittunt.

§. 573.

An in mutuo aliud pro alio reddi & ſpecies æſtimatæ dari poſſint.

Si ita conveniatur, ut pro eo, quod datur, reddatur aliud, vel res dentur æſtimatæ; mutuum non eſt. Etenim in mutuo reſtituendum tantundem ejuſdem generis (§. 514.), conſequenter pro eo, quod datur, reddi nequit aliud, nec pretium rei, quod habet attenditur, ut ideo plus vel minus, quam datum, ſit reſtituendum (§. 549.). Quamobrem mutuum non eſt, ſi ita conveniatur, ut pro eo, quod datur, reddatur aliud, veluti triticum pro hordeo, nec mutuum eſt, ſi creditur avena, quæ tempore contractus valet 10. thaleros, ut reſtituatur itidem ea avenæ quantitas, quæ tempore ſolutionis tanti valet.

Non negamus ita contrahi poſſe; ſed negamus iſtiuſmodi contractus ad mutuum eſſe referendos. Diverſo nimirum reguntur jure, prouti ſuo loco videbimus.

§. 574.

Si res deterioretur, vel pereat ante uſum, cujuſnam ſit damnum.

Si res, quæ mutuo data, interit, vel quomodocunque deterioratur, antequam ea uti potuerit mutuatarius; ejus eſt damnum, & hoc non obſtante ad tantundem ejuſdem generis reſtituendum tenetur. In mutuo enim transfertur dominium in mutuatarium (§. 514.), conſequenter hic ejus dominus eſt. Enimvero res ſuo domino perit (§. 356. *part. 2. Jur. nat.*), &, ſi ea quomodocunque deterioretur, res ipſius deterioratur. Quamobrem ſi res, quæ mutuo data, interit, vel quomodocunque deterioratur, antequam ea uti potuerit mutuatarius, ejus damnum eſt (§. 486. *part. 2. Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Quoniam mutuatarius obligatur ad tantundem ejuſdem generis reſtituendum (§. 514.), ſi vero res mutuata perit, vel quomodocunque deterioratur, antequam ea uti potuerit, damnum ipſius eſt, non mutuantis, *per demonſtrata*; hoc non obſtante obligatur mutuatarius ad tantundem ejuſdem generis reſtituendum. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. mutuo tibi do octo ducatos: tu eos amittis, caſu quocunque. Tuorum jam nummorum jacturam facis & damnum tuum eſt. Nec propterea liberaris ab obligatione octo alios ducatos

catos

catos mihi reſtituendi. Similiter mutuo tibi do avenam bonam: humore apud te corrumpitur, ut equi eadem veſci nequeant. Damnum tuum eſt, non meum, & tu nihilominus aliam avenam ejuſdem bonitatis & quantitatis cum data mihi reſtituere teneris. Quibus hoc durum videtur, hi minime perpendunt, ſe ex contractu mutui perinde dominium rei mutuo datæ acquiſiviſſe, ac ex contractu emtionis venditionis. Ecquis vero eſt qui ſibi perſuadeat rei emtæ periculum ſpectare ad venditorem, ut vel pretium, vel partem pretii reſtituere teneatur, ſi res emta vel interit, vel deterioratur?

§. 575.

Si tibi rem aliquam cuſtodiendam trado & tu eam gratis cuſtodiendam ſuſcipis, eam *deponere* dicor. Unde *Depoſitum* vocatur contractus beneficus, quo res aliqua gratis cuſtodienda traditur & ſuſcipitur. Qui rem cuſtodiendam committit, *Deponens*, qui eam cuſtodiendam ſuſcipit, *Depoſitarius* appellatur. *Depoſitum quid ſit, quinam deponens, quinam depoſitarius.*

Ex. gr. Si peregre profecturus tibi trado pecuniam interea, dum abſens ſum, cuſtodiendam & tu eam gratis cuſtodiendam ſuſcipis; contractus, quem inimus, depoſitum eſt. Similiter deponuntur vaſa argentea, vel res pretioſæ, eadem de cauſa tibi traditæ.

§. 576.

Quoniam res cuſtodiri nequit, niſi tradatur (§. 434.), contractus vero realis eſt, qui rei traditionem requirit (§. 437.); in depoſito autem res cuſtodienda alteri committitur (§. 575.); *Depoſitum contractus realis eſt, ſeu re initur.* *Qualis contractus ſit depoſitum.*

Nemo exiſtimet; propoſitionem præſentem inutilem eſſe. Neceſſe enim eſt, ut conſtet, quomodo obligatio contrahatur, & quandonam contractus pro perfecto haberi debeat, ſiquidem extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe debeat, quandonam incipiat contrahentium obligatio.

§. 577.

Quia in depoſito tantummodo cuſtodia rei depoſitæ committitur depoſitario (§. 575.), *dominium in hoc contractu non transfertur* (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter *deponens manet rei dominus & res deponentis eſt, non depoſitarii, nec depoſitarius re uti poteſt.* *Cujuſnam ſit res depoſita & num depoſitarius ea uti poſſit.*

Ex. gr. Depono apud te pecuniam: tu eam cuſtodire debes, ſed eam erogare nequis, tantundem pecuniæ mihi reſtituturus. Similiter ego depono vaſa argentea: manent ea mea, nec præter cuſtodiam ullum tibi in ea jus competit, conſequenter nec iiſdem uti potes, ſi forte convivium ſit agendum.

§. 578.

Depoſitarius obligatur ad rem depoſitam omni diligentia cuſtodiendam & deponenti eam repetenti in ſpecie reſtituendam. Etenim depoſitarius ſuſcipit rem cuſtodiendam a deponente (§. 575.), conſequenter cum ex contractu, qualis eſt depoſitum (§. *cit.*), naſcatur obligatio perfecta (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*), ad eam cuſtodiendam obligatur. Quoniam vero unuſquiſque, quantum in ſe eſt, damnum omne ab altero avertere debet (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*); depoſitarius nihil eorum omittere tenetur, quæ fieri debent, ne res pereat, aut quocunque modo deterioretur (§. 617. 487. 488. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum diligens ſit, qui nihil eorum omittit, quæ certo fine fieri debent (§. 751. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & depoſitarius ad rem cuſtodiendam obligetur *per demonſtrata*; idem ad eandem omni diligentia cuſtodiendam obligatur. *Quod erat unum.* *Obligatio depoſitarii.*

Manet vero res depoſita deponentis, nec fit depoſitarii, neque etiam hic eadem uti poteſt (§. 577.). Quamobrem deponenti numero eandem, quam accepit, reſtituere tenetur, adeoque in ſpecie (§. 444.). *Quod erat alterum.*

Deponens rem non tradit depoſitario eo animo, ut ſit ipſius (§. 577.), conſequenter ne eam reſtituere teneatur; ſed ſaltem ut cuſtodiatur (§. 575.), conſequenter ut ſibi in ſpecie reſtituatur. Unde & in Jure civili definitioni inſeritur; quod tradatur eo animo, ut ipſi in ſpecie reſtituatur; ut tanto clarius pateat, ad quod deponens civiliter ſit obligatus. Quoniam vero hoc ipſum ſequitur ex natura contractus, in Jure naturali non convenit ea definitioni ingerere, quæ ex aliis in ea contentis demonſtrari poſſunt (§. 730. *Log.*).

§. 579.

Quamdiu duret depoſitum.

Deponens rem depoſitam repetere poteſt, quandocunque ipſi viſum fuerit: quodſi tamen cuſtodia ad certum tempus reſtricta, ultra id depoſitarius non obligatur. Quoniam enim deponens depoſitario tantummodo committit gratuitam rei ſuæ cuſtodiam (§. 575.), adeoque nullam depoſitarii, ſed ſuam ſaltem ſpectat utilitatem (§. 18.); nulla ſane ratio eſt, cur eam repetenti non ſtatim reſtituere debeat depoſitarius (§. 56. *Ontol.*), conſequenter deponens eam repetere poteſt, quandocunque ipſi viſum fuerit.

Oſtenditur idem etiam hoc modo. Quoniam in depoſito nec dominium, nec jus re utendi in depoſitarium confertur (§. 577.), ſed is ſaltem obligatur ad rem omni diligentia cuſtodiendam (§. 578.), deponenti quidem competit jus exigendi cuſtodiam rei diligentem (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſed depoſitario nullum jus competit in rem depoſitam (§. 118. 136. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum jus ſuum quilibet remittere poſſit (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*); nec rem repetendo injuriam faciat depoſitario deponens (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); omnino rem ſuam repetere poteſt, quandocunque viſum fuerit. *Quod erat unum.*

Quoniam deponenti competit jus rem depoſitam repetendi, quandocunque ipſi viſum fuerit, *per demonſtrata*; ſi tempus definiatur, quamdiu rem cuſtodire debeat depoſitarius, id non alio fine adjectum intelligitur, quam ne depoſitarius diutius ad eam cuſtodiendam obligetur. Quamobrem cum ex contractu teneatur ad eam cuſtodiendam (§. 793. *part. 3. Jur. nat.*); ultra tempus eidem adjectum depoſitarius non obligatur. *Quod erat alterum.*

§. 580.

Quando reſtitutio fieri poſſit deponenti invito.

Quia *depoſitarius* non obligatur ad cuſtodiam rei depoſitæ ultra tempus, *quod contractui adjectum* (§. 579.); *elapſo tempore, rem etiam invito deponenti reſtituere poteſt depoſitarius.*

Nimirum depoſitarius ſeſe non obligavit deponenti niſi ad tempus in contractu expreſſum. Quando igitur hoc tempus effluxit, obligatio ejus exſpirat, ut adeo ſine omni cauſa res deponentis jam ſit apud depoſitarium, conſequenter naturaliter is jam obligatus ſit ad rem deponenti reſtituendam (§. 466. *part. 2. Jur. nat.*), niſi depoſitum renovetur (§. 816. *part. 3. Jur. natur.*).

§. 581.

Num furtum uſus committi poſſit in depoſito.

Si depoſitarius re depoſita utitur, furtum uſus committit. Etenim depoſitario nullum competit jus re utendi (§. 577.), conſequenter ſi ea utitur, inſcio ac invito domino, de uſu rei alienæ inſtar domini diſponit (§. 138. 135. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque furtum uſus committit, qui inſcio ac invito domino de uſu rei alienæ inſtar domini diſponit (§. 503. *part. 2. Jur. nat.*); ſi depoſitarius re depoſita utitur, furtum uſus committit.

Conferantur ea, quæ ſupra de furto uſus in commodato commiſſo annotavimus (*not.* §. 466.). Non opus eſſe exiſtimavimus, ut in propoſitione præſente adjiceretur reſtrictio, quod depoſitarius re utatur citra voluntatem domini: quodſi enim uſus concedatur, contractus mixtus eſt, vel in alium degenerat, prouti ſuo loco conſtabit. Si cui forſan circa demonſtrationem dubium ſuboriri poſſit ex eo, quod etiam res aliena deponi queat, quemadmodum mox oſtenſuri ſumus; id ex mox demonſtrandis evaneſcet.

§. 582.

Jus depoſitarii in depoſito.

In voluntate depoſitarii unice poſitum eſt, utrum cuſtodiam rei in ſe ſuſcipere velit, nec ne. Quoniam enim depoſitum actus beneficus eſt, qui ſolam deponentis utilitatem reſpicit (§. 575. 3.); cuſtodia rei gratuita inſtar beneficii eſt (§. 17.). Enimvero vi libertatis naturalis arbitrio benefactoris relinquendum, cuinam beneficium dare velit (§. 29.). Ergo in voluntate depoſitarii unice poſitum eſt, utrum cuſtodiam rei in ſe ſuſcipere velit, nec ne.

§. 583.

An ad rei cuſtodiam quis cogi poſſit.

Quoniam in voluntate depoſitarii unice poſitum eſt, utrum cuſtodiam rei in ſe ſuſcipere velit, nec ne (§. 582.); *deponens depoſitarium cogere nequit, ut cuſtodiam rei ſuæ in ſe ſuſcipiat, vel diutius eam cuſtodiat, quam voluit.*

Hinc ulterius eluceſcit, quod elapſo tempore in depoſito expreſſo rem depoſitam etiam invito reſtituere poſſit depoſitarius (§. 580.).

§. 584.

Ad quid teneatur depoſitarius.

Si res depoſita dolo vel culpa depoſitarii perit, vel deterioratur; depoſitarius damnum reſarcire tenetur: non tamen præſtare tenetur caſum. Qui enim alteri culpa ſive dolo dat damnum, id eidem reſarcire tenetur (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum damnum detur deponenti a depoſitario dolo vel culpa, ſi ejuſdem dolo vel culpa res pereat (§. 488. 355. *part. 2. Jur. nat.*), vel deterioretur (§. 617. *part. 2. Jur. nat.*; depoſitarius damnum reſarcire tenetur, ſi res depoſita dolo vel culpa ſua perit, vel deterioratur. *Quod erat unum.*

Enimvero res depoſita ſolius deponentis gratia penes depoſitarium eſt (§. 575.), adeoque perinde eſt ac ſi penes ipſum deponentem eſſet, & hic manet rei depoſitæ dominus (§. 577.). Quamobrem cum deponentis eſſet damnum, ſi res caſu penes ipſum periiſſet, vel deteriorata fuiſſet (§. 356. *part. 2. Jur. nat.*); damnum quoque erit deponentis, ſi caſu pereat, vel deterioretur, adeoque quaſi pars ejus pereat (§. 617. *p. 2. Jur. nat.*), penes depoſitarium. *Quod erat alterum.*

Hæc quidem ita ſeſe habent, ſi jus mere naturale reſpicias, quod per pactionem nullo modo immutatum, quippe quod culpam omnem prohibet (§. 299. *p. 1. Jur. nat.*), neque adeo in damno reſarciendo inter gradus culpæ diſtinguit (*not. §. 580. part. 2. Jur. nat.*). Præcipit rem depoſitam omni diligentia cuſtodiri (§. 578.): quodſi ergo deponens eam adhibere nolit, vel viribus ſuis diffidat, cuſtodiam quoque in ſe ſuſcipere non debet, quippe quod contrariatur obligationi damni omnis ab altero avertendi (§ 495. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 585.

Quando non omni culpa teneatur depoſitarius.

Si depoſitarius non promittit majorem diligentiam in re depoſita cuſtodienda, quam in ſuis adhibere ſolet; ultra eam jure externo non tenetur. Etenim cum nemo ſeſe alteri perfecte obligare poſſit niſi promittendo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*); ſi depoſitarius non majorem diligentiam in re depoſita cuſtodienda promittit, quam in ſuis adhibere ſolet; nec ad majorem adhibendam deponenti obligatur, conſequenter ultra eam jure externo non tenetur.

Nimirum in voluntate depoſitarii unice poſitum eſt, utrum cuſtodiam rei in ſe ſuſcipere velit, nec ne (§. 582.), conſequenter ab ejus etiam voluntate pendet, ad quamnam diligentiam ſe obligare velit. Ultra voluntatem vero nam jure externo obligari nequit: alias enim a deponente ad cuſtodiam ſuſcipiendam, qualem deſiderat, cogi poſſet, quod abſurdum (§. 583.). Cum ex depoſito nulla ad depoſitarium redundet utilitas, ſed ea tota ſit deponentis (§. 575.); illius etiam, non hujus eſt legem contractui præſcribere.

§. 586.

Officium deponentis & depoſitarii. *Deponens ſibi cavere debet, ne cuſtodiam rei committat homini negligenti; depoſitarius vero, ne ſe obliget ad majorem diligentiam, quam præſtare valet aut in rebus ſuis cuſtodiendis adhibere ſuevit.* Quoniam enim abſque animo deliberato nil agere (§. 390. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter ſingula probe perpendere debemus, antequam decernamus (§. 387. *part.* 3. *Jur. nat.*); deponens etiam probe perpendere tenetur, utrum cuſtodiam rei committat homini, omnem diligentiam adhibituro ne deterioretur, vel prorſus pereat, nec ne, ut eam in ſpecie reſtituere poſſit, qualem accepit (§. 578.), ne ſuo vel depoſitarii damno contrahat (§. 493. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque negligens rem cuſtodiæ ſuæ commiſſam male cuſtodit (§. 750. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ut periculum ſit, ne pereat, vel deterioretur, conſequenter ut vel tu damnum ferre tenearis, ſi depoſitarius idem reſarcire nequit, vel hic damnum incurrat, ſi idem reſarcire tenetur (§. 584.); deponens ſibi cavere debet, ne cuſtodiam rei committat homini negligenti. *Quod erat unum.*

Similiter cum etiam depoſitarius animo deliberato cuſtodiam rei alienæ in ſe ſuſcipere (§. 390. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 575. *h.*), adeoque probe perpendere debeat, num eam diligentiam adhibere poſſit, vel ſoleat, quæ requiritur, ne res depoſita deterioretur, vel prorſus pereat (§. 387. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 578. *h.*), ſibi autem cavere teneatur, ne vel deponens, vel ipſe damnum incurrat (§. 493. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*), quando id reſarciendum (§. 582.); ideo is ſibi cavere debet, ne ad majorem diligentiam ſe obliget, quam præſtare valet, aut in rebus ſuis cuſtodiendis adhibere ſolet. *Quod erat alterum.*

Hanc circumſpectionem cum a deponente, tum a depoſitario exigit lex naturæ, ut adeo peccet, qui eam in ſe deſiderari patitur (§. 440. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), quamvis jure externo de animo deliberato deponentis non ſtatuendum ſit depoſitario (§. 423. *part.* 3. *Jur. natur.* & §. 575. *h.*), nec de animo deliberato depoſitarii deponenti (§. 422. *part.* 3. *Jur. naturæ*, & §. 575. *h.*), conſequenter in contractu, qui producit obligationem externam (§. 793. 405. *part.* 3. *Jur. nat.*), officium deponentis & depoſitarii non attendatur, cujus tamen ratio habenda, ut honeſte vivas (§. 968. 969. *part.* 1. *Juris nat.*).

§. 587.

Officium contrahentium. *In genere quilibet contrahentium ſibi cavere debet, ne vel ipſe, vel is, cum quo contrahit, damnum quoddam incurrat, vel periculum ſubeat.* Nimirum ex contractu naſcitur perfecta obligatio contrahentium (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*); conſequenter nemo cum altero contrahere debet abſque animo deliberato (§. 391. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque unuſquiſque, quantum in ſe eſt, non minus ab altero, quam a ſeipſo damnum omne avertere debet (§. 493. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*), quilibet contrahentium ſibi cavere debet, ne vel ipſe, vel is, cum quo contrahit, damnum quoddam incurrat, vel periculum ſubeat.

Ex hoc principio generali demonſtrari quoque poterat propoſitio præcedens. Et vi ejuſdem facile intelligitur, qua cautione opus ſit etiam in commodato & mutuo, aliove quocunque contractu, modo animum advertas ad obligationes, quas contrahentes contrahunt.

§. 588.

Culpa deponentis in contrahendo. *Si deponens rem cuſtodiendam committit homini negligenti, quem eſſe negligentem noſſe poterat; in culpa eſt.* Etenim deponens ſibi cavere debet, ne cuſtodiam rei committat homini negligenti (§. 586.). Quodſi ergo noſſe poterat, eum eſſe negligentem *per hypoth.* cum in id non inquiſiverit, antequam rem deponeret, ipſe negligens eſt (§. 750. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum negligen-

gligentia culpa ſit (§. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſi deponens rem cuſtodiendam committit homini negligenti, quem eſſe negligentem noſſe poterat, in culpa eſt.

Cum culpa agenti imputetur (§. 722. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); Doctores juris civilis a vero non aberrant, quando depoſitarium a culpa præſtanda abſolventes affirmant, deponentem ſibi imputare debere, quod non commiſerit rem cuſtodiendam alii magis diligenti. An vero hoc principio recte utantur, de eo jam non diſquirimus.

§. 589.

Culpa contrahentis in contrahendo.

In genere ſi quis contrahentium ſibi cavere poterat, ne vel ipſe, vel is, cum quo contrahit, damnum quoddam incurrat, vel periculum ſubeat; uterque culpa ipſius damnum incurrit, vel periculum ſubit. Quoniam enim quilibet contrahentium ſibi cavere debet, ne vel ipſe, vel is, cum quo contrahit, damnum quoddam incurrat, vel periculum ſubeat (§. 587.); eodem, quo ante (§. 588.), modo patet, ipſius culpa ſeipſum, vel alterum damnum incurrere, aut periculum ſubire.

Abſit, ut exiſtimes, talia demonſtrari ſine omni utilitate. Patet enim ex antea dictis (*not.* §. 586.), ea eſſe tenenda, ſiquidem honeſte vivere velis. Immo ad talia animum advertere debemus, ubi jus civile ex naturali efficiendum, vel an recte effectum fuerit ſtatuendum. *Generoſi* vulgo *animi* eſſe dicitur, ſi quis ea remittit, quæ jure externo exigere poterat; vel non facit, quæ eodem jure licita ſunt, ne ſit iniquus, ſed æquum potius ſe præbeat. Habet vero generoſus etiam animus ſuas leges, in quarum numero propoſitiones hactenus demonſtratæ. Iſtiuſmodi adeo principiis opus eſt, ne parum recte agas, dum generoſus eſſe velis.

§. 590.

Quando culpa deponentis negligentia depoſitarii damnum detur.

Si deponens rem cuſtodiendam committit homini, quem negligentem eſſe novit, & negligentia ejus detur damnum; ipſe in culpa eſt. Etenim ſi novit hominem, cui rem cuſtodiendam committit, eſſe negligentem, cum ſibi cavere debeat, ne cuſtodiam rei committat homini negligenti (§. 586.), imprudenter agit, quod facit (§. 776. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque imprudentia culpa eſt (§. 777. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſi negligentia depoſitarii detur damnum, deponens in culpa eſt.

Culpa depoſitarii non potuiſſet dari damnum, niſi culpa deponentis res cuſtodiæ ipſius fuiſſet tradita. Quamobrem ſi damnum datur, deponens & depoſitarius culpam communicant: quæ cum imputanda veniat (§. 722. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), utrique imputanda.

§. 591.

Quando damnum communicent deponens & depoſitarius.

Si deponens rem cuſtodiendam committit homini negligenti, quem negligentem eſſe novit, vel noſſe poterat, & res depoſita negligentia depoſitarii vel perit, vel deterioratur, damnum inter deponentem & depoſitarium dividendum in ratione culpæ utriuſque. Etenim ſi res depoſita negligentia depoſitarii perit, vel deterioratur, damnum culpa depoſitarii datur (§. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): ipſe vero etiam deponens, qui novit depoſitarium eſſe negligentem, vel ſaltem noſſe poterat, in culpa eſt (§. 588. 590.). Uterque igitur culpa non vacat, & quoniam damnum aut deponentis, aut depoſitarii eſſe debet, damnum deponentis cum damno depoſitarii colliditur. Enimvero ſi damnum tuum colliditur cum damno alterius, nec uterque veſtrum culpa vacat, illud dividendum eſt in ratione culpæ (§. 632. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi deponens rem cuſtodiendam committit homini negligenti, quem negligentem eſſe novit, vel noſſe poterat, & res depoſita perit vel deterioratur, damnum inter deponentem & depoſitarium dividendum in ratione culpæ utriuſque.

Propoſitio præſens applicari etiam poteſt ad commodantem & commodatarium, cum quod de circumſpectione deponentis demonſtravimus (§. 586.) etiam valeat de circumſpectione commodantis perinde, ac illud, quod de culpa deponentis oſtendimus (§. 588. 590.), ad culpam etiam commodantis applicari poteſt. Ex hactenus demonſtratis definiendum, qualem culpam præſtare teneatur depoſitarius jure civili, quemadmodum ſuo loco patebit.

§. 592.

Oligatio deponentis.

Deponens obligatur ad reſtituendum impenſas in rei depoſitæ conſervationem a depoſitario factas. Etenim depoſitarius obligatur ad rem depoſitam omni diligentia cuſtodiendam & deponenti eam repetenti in ſpecie reſtituendam (§. 578.), immo ad damnum reſarciendum, ſiquidem ipſius culpa perierit, vel deteriorata fuerit (§. 584.). Quamobrem ipſi competit jus impenſas in rei depoſitæ conſervationem faciendi, ſine quibus impediri nequit, ne pereat, vel deterioretur. Quoniam vero vi contractus tantummodo ſeſe obligavit ad rem depoſitam gratis cuſtodiendam (§. 575.), conſequenter ne quid pro cuſtodia exigere velit (§. 18.), minime vero, quod impenſas, ſine quibus res conſervari, aut impediri nequit, ne pereat, vel deterioretur, de ſuo facere, adeoque deponenti gratis quid dare velit (§. *cit.*); impenſas in rei depoſitæ conſervationem factas deponens ipſi reſtituere tenetur.

Deponens vult rem a depoſitario conſervari: ergo etiam velle debet, ut depoſitarius eas faciat impenſas, ſine quibus conſervari nequit (§ 937. *Ont.*). Dum vero alterum ſibi obligat ad rem depoſitam gratis cuſtodiendam, eundem ſibi non obligat ad eam ſuis impenſis conſervandam, ſed jus transfert impenſas neceſſarias faciendi: quæ juris translatio ſine obligatione eas reſtituendi concipi nequit.

§. 593.

Quando depoſitarius caſum præſtare teneatur, & quando teneatur ad id, quod intereſt.

Si deponenti rem depoſitam repetenti ſtatim reſtituere nolit depoſitarius, caſum is etiam præſtare tenetur, quo ea penes deponentem non periiſſet, vel deteriorata fuiſſet, immo tenetur etiam ad id, quod intereſt rem ſtatim reſtitutam non fuiſſe. Depoſitarius enim obligatur ad rem depoſitam deponenti ſtatim reſtituendam, quando eam repetit (§. 578. 579.), quod ubi non fecerit, in mora eſt (§. 638. *part.* 3. *Jur. nat.*) & mora culpa eſt (§. 648. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo caſu quodam res depoſita perit, vel deterioratur, quo eodem penes deponentem non peritura, vel deteriorata fuiſſet; culpa depoſitarii damnum datur, adeoque ab eodem reſarciendum (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi depoſitarius deponenti rem depoſitam repetenti non ſtatim reſtituat, caſum præſtare tenetur, quo eodem penes deponentem non periiſſet, vel deteriorata fuiſſet. *Quod erat primum.*

Porro ſiquis damnum patitur, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod tu in mora es; ad id, quod intereſt, teneris (§. 655. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque depoſitarius in mora eſt, ſi deponenti rem repetenti non ſtatim reſtituat *per demonſtrata*; idem tenetur ad id quod intereſt, rem depoſitam non ſtatim fuiſſe reſtitutam. *Quod erat ſecundum.*

Ex demonſtratione liquet, obligationem præſtandi caſum ad id, quod intereſt, rem ſtatim reſtitutam non fuiſſe, non naſci ex contractu, ſed ex culpa, quæ mora in reſtituendo contrahitur. Quamvis enim culpa hæc interveniat mediante contractu, non tamen ex eo manat. Quamobrem ex principiis quoque generalibus propoſitio præſens demonſtrata fuit, neque ea contrariatur iis, quæ ſupra demonſtrata ſunt. (§. 584.).

§. 594.

Cujusnam ſit curare, ut res de-

Deponentis eſt curare, ut res depoſita ad ſe redeat ſeu ad ſe referatur; non vero ad hoc obligatur depoſitarius. Etenim vi contractus depoſitarius non obligatur

niſi

niſi ad rem depoſitam diligenter cuſtodiendam & deponenti eam repetenti in ſpecie reſtituendam (§. 575. 578.). Quamobrem vi contractus non curare tenetur, ut res depoſita redeat ad deponentem, ſeu ad eum referatur; ſed hæc cura ad deponentem pertinet. *poſita redeat ad deponentem.*

Aliud nimirum eſt rem repetenti reſtituere; aliud eam alicui tradere, ut ad alterum referatur. Si deponens depoſitario indicat, per quem rem depoſitam remitti ſibi velit, & depoſitarius huic rem deferendam committit; uterque facit, quod ſuum eſt. Idiomate patrio dicimus de deponente, er ſol es abhohlen laſſen; de depoſitario; er ſol es abfolgen laſſen. Non vero ſuperflua exiſtimari debet quæſtio, cujuſnam eſſe debeat cura, ut res depoſita redeat ad deponentem. Hinc enim patet, depoſitarium imprudenter agere, ſi ſponte ſua ſubeat periculum in re referenda, quemadmodum ex iis, quæ ſequuntur, patet.

§. 595.

Quoniam deponentis eſt curare, ut res depoſita ad ſe redeat, ſeu ad ſe referatur, non vero ad hoc obligatur depoſitarius (§. 594.); *deponens* etiam *mandare debet, per quem rem depoſitam ad ſe remitti velit, non vero ipſo inconſulto depoſitarius eligere debet eum, per quem remittatur, & ſi impenſas facere tenetur depoſitarius, ut res depoſita revertatur ad deponentem, hic eas reſtituere tenetur.* *Per quem nam & cujus ſumtu res depoſita remittenda.*

Nimirum res depoſita remittenda ſumtu deponentis & per eum, cujus fidei eam committit deponens, ſeu committi vult. Ex eo enim, quod depoſitarius gratis in ſe ſuſcepit cuſtodiam rei alienæ, minime naſcitur obligatio ſuo ſumtu & periculo eandem remittendi. Quicquid in re remittenda facit depoſitarius, niſi ultro fecerit, ex mandato facere debet.

§. 596.

Si res depoſita remittitur per eum, per quem ut remittatur vult deponens; periculum deponentis eſt. Si vero depoſitarius remittit per eum, quem ipſe voluerit; inconſulto deponente ipſius eſt periculum. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo utrumque oſtendimus de re commodata remittenda (§. 488. 489.). *Cujuſnam ſit periculum in re depoſita remittenda.*

Patet etiam hic, quemadmodum ſupra (*not.* §§. *cit.*), in caſu priori imprudentiæ deponentis, in poſteriori depoſitarii eſſe tribuendum, ſi res depoſita referenda committatur homini, cujus dolo vel culpa perit, aut deterioratur: conſequenter in illo culpa deponentis, in hoc culpa depoſitarii damnum dari.

§. 597.

Quoniam depoſitarii periculum eſt, ſi inconſulto deponente rem depoſitam remittat per eum, quem voluerit (§. 596.), ipſe autem curare non tenetur, ut res depoſita redeat ad deponentem (§. 594.). *Si inconſulto deponente rem remittit per eum, quem ipſe voluerit, ſponte ſua periculum ſubit.* *Quando depoſitarius ſponte ſubeat periculum rei remittendæ.*

Adverſatur hoc officio erga ſeipſum, quo operam dare tenemur, ut damnum quodvis, quantum in nobis eſt, avertamus (§. 493. *p. 2. Jur. nat.*). Quamvis vero officioſi in omnes eſſe debeamus (§. 899. *p. 1. Jur. nat.*), & officioſitatis utique ſit ſua etiam ſponte per eum, quem eligimus, rem depoſitam remittere deponenti (§. 898. *part. 1. &* §. 466. *part. 2. Jur. natur.*): in colliſione officii erga ſeipſum & erga alios exceptio fit in favorem ſui (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univerſ.*). Officioſitas nomen ſuum non tuetur, quando alteri præſtas quod officio erga teipſum repugnat: videtur nimirum officioſitatis eſſe, quod non eſt, quippe quæ cum lege naturali ſit præcepta (§. 889. *part. 1. Jur. nat.*), non admittit eidem parum convenientia (609. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 598.

§. 598.

An res depoſitæ præferendę propriis in communi periculo.

In communi periculo, quod nulla depoſitarii culpa præcedit, depoſitarius res depoſitas ſuis præferre non tenetur, ſi utraſque ſervare nequit. In communi periculo, quo res proprias & depoſitas ſimul ſervare nequit depoſitarius, cum aut ipſe jacturam facere debeat rerum ſuarum, aut jactura fieri debeat rerum depoſitarum (§. 487. *part. 2. Jur. nat.*), damnum depoſitarii proprium colliditur cum damno deponentis (§. 486. *part. 2. Jur. nat.* & §. 206. *p. 1. Phil. pract. univ.*), uterque autem tam deponens, quam depoſitarius culpa vacat *per hypoth.* Enimvero ſi damnum tuum collidatur cum damno alterius, uterque autem culpa vacet, damnum ejus eſſe debet, qui damnum caſuale patiatur neceſſe eſt (§. 631. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum caſum præſtare non teneatur depoſitarius (§. 584.); in communi periculo, quod nulla depoſitarii culpa præcedit, depoſitarius res depoſitas ſuis præferre non tenetur, ſi utraſque ſervare nequit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Cuſtodia rei alienæ gratuita in ſe ſpectata beneficium eſt (§. 20.), conſequenter cum naturaliter ad beneficia mutua ſibi invicem obligentur homines, quantum in poteſtate eſt (§. 23.) naturaliter officium humanitatis eſt (§. 655. *part. 1. Jur. nat.*), quod vi contractus tranſit in perfecte debitum (§. 437. 793. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem nec ultra id teneris ad cuſtodiam rei alienæ in depoſito, quam quantum in poteſtate tua eſt. Enimvero in poteſtate tua non eſt, quod alteri præſtare non vales, niſi cum neglectu officii erga teipſum)§. 610. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque imminente periculo opera danda, ut res tuas ſerves (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*), ſi in communi periculo, quod culpa tua nulla præcedit, ad quam præſtandam deponenti teneris (§. 584.), res depoſitæ una cum tuis ſervari nequeunt, depoſitas tuis præferre non teneris.

Equidem non ignoro diſſenſum Doctorum & quomodo ſe torqueant nonnulli in quæſtione præſente decidenda; noſtrum tamen non eſt eundem diſcutere, qui ex principiis Juris naturalis demonſtramus, quæ inde conſequuntur, non attenta Juris civilis interpretum autoritate, cui in jure naturæ locus non eſt. In depoſito depoſitarius ſeſe obligat ad gratuitam rei depoſitæ cuſtodiam: neque adeo jure externo obligatur ultra id, ad quod ſeſe expreſſe obligavit. De quibus vero non cogitatum eſt, cum contraheretur, ea decidenda ſunt ex obligatione naturali, quæ cum ante contractum eſſet imperfecta; per eundem perfecta evaſit (§. 439. *part. 3. Jur. nat.*). Nimirum quando te contrahendo obligas ad id, quod erat humanitatis, ut jam fiat neceſſitatis, jus tantummodo alteri perfectum tribuis ad ea omnia, quæ humanitatis erant: nulla vero ratio eſt, cur ſtatuatur, te alteri obligatum eſſe voluiſſe ultra ea, quæ naturaliter, ſeu imperfecte ex humanitate debebantur. Quamvis enim jure externo valeat iſtiuſmodi obligatio, recte tamen non contrahitur jure interno.

§. 599.

De re depoſita pretioſiori, ſi in communi periculo cum propriis ſervari nequeat.

Si in communi periculo, quod nulla tua culpa accidit, res depoſitas pretioſiores præferre malueris tuis, deponens tibi tenetur reſtituere æſtimationem rerum tuarum, quas ſervare potuiſſes, niſi depoſitas ſervare maluiſſes: ac ideo jure interno res pretioſiores depoſitas tuis præferre debes. In communi enim periculo, quod nulla culpa tua accidit, res depoſitas tuis præferre non teneris, ſi utraſque ſervare nequis (§. 598.). Quamobrem ſi res pretioſiores depoſitas tuis præfers; perinde cenſetur ac ſi res eas, quas ſervare potuiſſes, niſi depoſitas prætuliſſes, & partem rerum depoſitarum, quæ exceſſu pretii æſtimantur, una ſervaſſes. Neceſſe igitur eſt, ut deponens tibi reſtituat æſtimationem rerum tuarum, quas ſervare poteras, niſi depoſitas ſervare maluiſſes.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si in communi periculo res depoſitas pretioſiores præferas tuis, quas alias ſervare poteras, niſi illas ſervare maluiſſes; res tuas in conſervationem depoſitarum impendis, quippe quas in gratiam deponentis

per-

perdere non obligaris (§. 598.). Enimvero deponens obligatur ad reſtituendum impenſas in rei depoſitæ conſervationem a depoſitario factas (§. 592.). Ergo etiam tibi reſtituere tenetur æſtimationem rerum tuarum, quas ſervare poteras, niſi res pretioſiores depoſitas iis præferre maluiſſes. *Quod erat primum*.

Porro ſi res pretioſiores depoſitas tuis præfers, cum a deponente præſtanda ſit æſtimatio tuarum, quas ſervare poteras, niſi illas prætuliſſes *per demonſtrata*, damnum tam proprium, quam alienum, quantum datur, avertis (§. 486. 487. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque jure interno non minus a ſe (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*), quam ab alio damnum avertere debemus, quantum datur (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*); jure interno ad res pretioſiores depoſitas propriis præferendas tenetur depoſitarius, ſi utraſque una ſervare nequit. *Quod erat ſecundum*.

Ex demonſtratione ſecunda partis primæ clariſſime perſpicitur, id, quod reſtituendum eſt, non æſtimari ex eo, quod ſervatum, ſed ex eo, quod ex rebus tuis eodem actu ſervare potuiſſes. Quodſi vero demonſtrationem partis poſterioris attente conſideres, facile percipies, obligationem internam præferendi res pretioſiores depoſitas propriis non contrariari propoſitioni præcedenti, qua res depoſitas propriis non eſſe præferendas oſtendimus (§. 598.). Etenim vi propoſitionis præſentis non tam res alienas his præfers, quam eas una cum tuis ſervas, quia uno eodemque actu ſervari utræque poſſunt. Neque adeo hic adeſſe intelligitur officiorum colliſio, quæ exceptionem facit in favorem depoſitarii, vi demonſtrationis propoſitionis præcedentis, quemadmodum ex ipſa demonſtratione partis ſecundæ hujus abunde patet. Nec eſt, quod urgeas, vi demonſtrationis ſecundæ deponentem teneri ad præſtandam æſtimationem rerum, quas ſervare potuiſſet depoſitarius, niſi depoſitas ſervare maluiſſet, etiam hæ ſint ejuſdem, vel prorſus minoris pretii. Si enim plus reſtituere debet deponens, quam res depoſita valet, vel tantundem, quantum valet; perinde omnino foret, ac ſi res depoſita ſervata non fuiſſet, & in caſu priori damnum una incurreret culpa tua deponens, quippe qui ad rem depoſitam tuæ præferendam non obligabaris (§. 598.): id quod utique abſurdum (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 600.

Quando ad damnum reſarciendum teneatur deponens.

Si occaſione depoſiti dolo vel culpa deponentis depoſitario obveniat aliquod damnum; deponens id reſarcire tenetur. Patet ex principio generali de damno, quod dolo vel culpa datur alteri, reſarciendo (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*).

Ex. gr. Depoſui penes te equum, quem novi eſſe calcitroſum, vel canem, quem novi eſſe mordacem, neque te monui, ſed ſtudio reticui, ne cuſtodiam in te recipere abnueres. Quodſi ergo equus, vel canis det damnum; ego tibi damnum reſarcire teneor.

§. 601.

De re aliena depoſita.

Si res aliena deponitur & tu noſti, quinam ſit dominus, naturaliter eam domino reſtituere teneris: in caſu tamen dubio & quando non noſti, quinam ſit dominus, reſtituenda eſt deponenti. Oſtenditur eodem modo, quo ſupra idem de re aliena commodata oſtendimus (§. 492.).

§. 602.

Si res depoſita denuo apud alium deponatur.

Si depoſitarius inſcio deponente rem depoſitam deponat apud alium; deponenti ſuo tenetur etiam ob dolum vel culpam ejus, apud quem ipſe depoſuit, hic vero ipſi tenetur. Etenim vi contractus tu obligatus es deponenti ad rem cuſtodiendam (§. 578.). Quodſi ergo cuſtodiam illo inſcio alteri committis, tuo utique periculo hoc facis, conſequenter ſi ejus dolo vel culpa detur damnum, tanquam a te datum intelligitur, adeoque tu deponenti tuo teneris ob dolum vel culpam ejus, apud quem depoſuiſti (§. 584.). *Quod erat primum*.

Enimvero dum rem, quæ apud te depoſita fuerat, iterum apud alium deponis,

nis, hic tibi obligatur ad eam cuſtodiendam (§. 578.), & ad damnum dolo vel culpa datum reſarciendum (§. 584.), cum contractum, ex quo naſcitur obligatio iſta (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*), cum te inierit. *Quod erat ſecundum.*

Nimirum hæc ita conſequuntur jure externo, quatenus contrahuntur obligationes pactione. Ex pacto enim obligatus alteri non eſt, niſi qui cum eo pactus eſt: id quod per ſe patet.

§. 603.

Quodnam jus ceſſione conſequi deceat. Quoniam tibi dolum & culpam præſtare tenetur is, apud quem rem penes te depoſitam iterum depoſuiſti (§. 602.), jure autem naturali etiam unusquisque jus ſuum alteri cedere poteſt (§. 117 *part.* 3. *Jur. nat.*); *ſi ego rem meam apud te depoſui & tu eam iterum apud alium depoſuiſti, hic vero tibi dolum vel culpam præſtare tenetur, jus tuum mihi cedere potes.*

Vi dominii dolum & culpam tibi præſtare tenetur etiam is, apud quem res a depoſitario iterum depoſita fuit (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſed vi contractus non tenetur niſi ei, qui apud ipſum depoſuit, adeoque tibi ex contractu obligatus eſſe nequit niſi ceſſione juris a depoſitario tuo facta.

§. 604.

Quando depoſitum in mutuum vel commodatum abeat. *Si res deponatur a deponente ea lege, ut, ſi ea opus habueris, eadem utaris, depoſitum abit in mutuum, ſiquidem res fungibilis fuerit; in commodatum vero, ſi eadem uſu non conſumitur.* Quoniam enim uſum rei tibi concedi non vis niſi ſub ea conditione, ſi contingat te eadem indigere; res initio tantummodo ad cuſtodiendam traditur, donec conſtet, utrum ejus uſus tibi fuerit neceſſarius, nec ne, conſequenter contractus depoſitum eſt (§. 575.). Enimvero quando eadem uti incipis, ſeu quam primum contingit, ut ejus uſus tibi ſit neceſſarius, cum is a me tibi fuerit conceſſus ſub hac conditione, res jam ad uſum tradita cenſetur (§. 468. *part.* 3. *Jur. nat.*), atque adeo eo ipſo momento mutuum contrahis, ſi res fungibilis fuerit (§. 513 518.), aſt commodatum, ſi ea uſu non conſumitur (§. 418.). In caſu adeo priori depoſitum in mutuum, in poſteriori in commodatum abit.

Ex. gr. Hortum emere conſtituiſti ſub haſta vendendum. Cum tamen nondum certum ſit, utrum eum ſis empturus, nec ne, adeoque mutuum contrahere nolis; a me peregre abituro petis, ut certam pecuniæ ſummam apud te deponam, ea uſurus, ſiquidem contractus emtionis venditionis perficiatur. Hoc igitur perfecto, dum pecunia uteris pretium ſoluturus: depoſitum in mutuum abit. Similiter ſperas amicum adventurum & a me petis, ut vaſa argentea cuſtodiæ tuæ committam, iiſdem uſurus, ſiquidem advenerit. Eodem adveniente dum illis uteris, depoſitum in commodatum tranſit.

§. 605.

Quando depoſitarii cauſa deponatur. *Si res te petente deponatur ea lege, ut, ſiquidem eadem opus habueris, ea utaris, tui duntaxat cauſa deponitur.* Etenim ſi uſu rei opus habueris, depoſitum tranſit vel in mutuum, vel in commodatum (§. 604.): uterque autem contractus gratuitus eſt (§. 418. 513.), conſequenter deponens a te nihil viciſſim recipit (§. 18.), adeoque ex depoſito ne quidem quid ſperat (§. 800. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi te petente res ea lege deponatur, ut, ſiquidem eadem opus habueris, ea utaris; tui duntaxat cauſa deponitur.

Non mei cauſa rem cuſtodis, quippe qui cuſtodia tua non habeo opus; ſed tui cauſa cuſtodis, ut ea uti poſſis, ſiquidem ea opus habueris. Unde ſine probatione ſumi poterat propoſitio præſens.

§. 606.

§. 606.

Si depoſitarii duntaxat cauſa deponitur, depoſitarius præſtare tenetur caſum, quo eodem res penes deponentem non peritura, vel deteriorata fuiſſet. Patet eodem modo, quo ſupra oſtendimus, commodatarium præſtare debere caſum, quo eodem res penes deponentem non peritura, vel deteriorata fuiſſet (§. 447.). *Quando depoſitarius præſtare tenetur caſum.*

Conferri etiam poteſt demonſtratio tacitæ conditionis, ut propter caſum teneatur commodatarius, quæ ineſt naturaliter commodato (§.451.), & ad caſum præſentem applicari. Nec inutiles redisuntur, quæ ibidem annotavimus. In exemplo particulari æquitas naturalis, cum qua nobis hic negotium eſt, magis elucefcit. Quodſi enim commodati contrahendi gratia vaſa argentea apud te depoſui (*not.* §.604.); volui ut res in ſpecie mihi reſtituatur ſive ex depoſito (§. 578.), ſive ex commodato (§.445.), nec factam deteriorem, quam eam tradidi (§.584. 445.): non igitur periculum ſubire ullum volui, adeoque dici non poteſt, meo periculo tui duntaxat cauſa me rem depoſuiſſe, niſi ita expreſſe fuerit conventum. Nimirum quemadmodum periculum in ſe non ſuſcipit depoſitarius, ſi mei duntaxat cauſa deponitur; ita nec ego ſuſcipio periculum, ſi depoſitarii duntaxat cauſa deponitur. Quamobrem ſicuti in caſu priori præſumi nequit, quod depoſitarius in ſe ſuſceperit periculum; ita nec idem præſumi poteſt in poſteriori de deponente. Nemo ſane alterius gratia periculum ſubire velle præſumitur ſine ullo ſuo commodo, ſolo alterius commodo. Quodſi hoc faciat, particulares adeſſe debent rationes, quibus ad commodum alterius ſuo incommodo præferendum permovetur.

§. 607.

Naturaliter perinde eſt, ſive mutuum vel commodatum ſtatim contrahatur, ſive mutui vel commodati contrahendi cauſa deponatur: niſi quod in mutuo omne periculum ſit mutuatarii. Mutuatarius enim rem in ſpecie reſtituere poteſt, ſi eadem opus non habuerit (§. 536.) & cum in mutuo tranſeat dominium (§. 514.); omne periculum ſtatim eſt penes mutuatarium (§. 356. *part. 2. Jur. nat.*). Similiter commodatarius rem in ſpecie reſtituere tenetur, qualem accepit (§. 445.) damnum vero culpa vel dolo datum reſarcire (§. 446.) & caſum præſtare, quo eodem peritura vel deteriorata non fuiſſet penes commodantem (§. 447.). Enimvero ſi mutui vel commodati contrahendi cauſa deponitur, depoſitarius rem etiam reſtituit in ſpecie (§. 578.), non modo dolum & culpam (§. 584.), verum etiam caſum præſtat, quo eodem res depoſita ipſius duntaxat cauſa (§. 605.), non peritura vel deteriorata fuiſſet penes deponentem. Inter eum adeo, cui commodatum, & eum, apud quem commodati contrahendi cauſa deponitur differentia nulla eſt, ſed eadem utriuſque vi contractus conditio: inter eum vero, cui mutuatum, & eum apud quem mutui contrahendi gratia deponitur, hæc ſola differentia intercedit, quod ad illum etiam ſpectet caſus, quo eodem res mutuata etiam peritura fuiſſet apud mutuantem, ad hunc vero caſus iſte non pertineat. Naturaliter igitur perinde eſt, ſive mutuum vel commodatum ſtatim contrahatur, ſive mutui vel commodati contrahendi cauſa deponatur, niſi quod in mutuo omne periculum ſit ſtatim mutuatarii. *An mutuare & commodare ac mutui vel commodati contrahendi cauſa deponere differat.*

Sermo nobis eſt de mutuo & commodato veri nominis, quo uſus rei alteri gratis conceditur (§. 418. 513.), conſequenter non intereſt concedentis, ſive re utatur mutuatarius, vel commodatarius, ſive non; ſive eam reſtituat ante tempus definitum, ſive demum eo elapſo.

§. 608.

Si quis ſui duntaxat cauſa rem deponit, liberum tamen relinquit depoſitario, ut, ſi ea uti poſſit, eadem utatur; quamprimum is ea utitur, depoſitum in commodatum, vel, ſi res fungibilis fuerit, in mutuum abit; uſu tamen rei finito, commodatum redit ad depoſitum. Oſtenditur prius eodem modo, quo ſupra oſtendimus idem in eo caſu, quo res commodati, vel mutui contrahendi cauſa deponitur. *Si liberum relinquatur depoſitario, num re depoſita uti velit.*

Poſterius ita demonſtratur. Quamprimum uſus tibi conceſſus finitus, res commodata ſtatim reſtituenda (§. 445.) Enimvero quoniam res apud te depoſita fuit, nec tu eam reſtituere potes ante tempus definitum, niſi deponens velit (§. 578. 579.), res apud te manet tanquam depoſita, non tanquam commodata. Quamobrem patet, uſu rei finito, commodatum redire ad depoſitum.

Non unum idemque eſt, ſive res mutui vel commodati contrahendi cauſa deponatur, ſive deponens liberum tantummodo relinquat depoſitario, ut ſiquidem ea uti poſſit eadem utatur. Etenim in caſu priori depoſitarii gratia, in poſteriori deponentis cauſa ſit depoſitio. Cur vero duo hi caſus ſint diſtinguendi, ex antea demonſtratis, propoſitione præſertim præcedente, facile intelligitur.

§. 609.

De reſtitutione rei depoſitæ, cujus uſus conceditur. *Si ſui cauſa deponens liberum relinquat depoſitario, ut re depoſita, ſi velit, utatur; res petenti ſtatim reſtituenda, niſi tempus depoſitionis fuerit expreſſe definitum: quodſi vero mutui vel commodati contrahendi cauſa res fuerit depoſita, deponens eam repetere nequit, niſi prout patitur mutuum vel commodatum ſive contractum, ſive contrahendum.* Qui enim ſui duntaxat cauſa deponit, is vult rem repetenti ſibi ſtatim reſtitui (§. 579.). Quamobrem etſi liberum relinquat depoſitario, ut re ſua utatur, ſi velit, cum tamen eo ipſo non remittat jus ſuum rem repetendi, quandocunque voluerit (§. 95. *part.* 3. *Jur. natur.*), res repetenti ſtatim reſtituenda. *Quod erat primum.*

Et quoniam tempus expreſſum indicat, per quodnam depoſitarium ad rem ſuam cuſtodiendam ſibi voluerit eſſe obligatum (§. 579.), ſi uſum concedit rei depoſitæ, ſiquidem is eodem uti potuerit, per totum illud tempus liberum ipſi feciſſe rei depoſitæ uſum intelligitur, niſi ex ipſo uſu contrarium appareat. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero ſi commodati vel mutui contrahendi gratia deponatur, expectandus eſt caſus, qui obvenire poſſe putatur, & in quo commodatum vel mutuum contrahendum erat, antequam res depoſita repeti poſſit (§. 467. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi vero commodatum vel mutuum actu fuerit contractum, per ſe patet, reſtitutionem fieri non poſſe niſi ex lege contractus initi. Quamobrem patet, ſi mutui vel commodati contrahendi cauſa deponatur, deponentem non poſſe eandem repetere, niſi prout patitur mutuum vel commodatum ſive jam contractum, ſive adhuc contrahendum. *Quod erat tertium.*

Ex. gr. Depono mei cauſa apud te pecuniam, & liberum relinquo, ut, ſi velis, ea utaris. Tempus, quo uſus tibi conceſſus intelligitur, ultra tempus, quo durare debet contractus, extendi nequit, cum tempore depoſitionis de alio non fuerit cogitatum, niſi expreſſe uſus alio tempore circumſcribatur. Perinde nimirum eſt ac ſi dicerem, te re depoſita uti poſſe, ſi interea temporis, quo apud te deponitur, eadem te uti poſſe contingat. Non præjudicare voluiſſe præſumor juri meo, ne rem repetere poſſim, quando viſum fuerit. Quando vero te mihi obligavi ad certo temporis intervallo rem meam cuſtodiendam, & uſum tibi concedo, quia in te ſuſcipis ejuſdem cuſtodiam; ſi certum tempus cuſtodiæ fuit præfixum, per idem quoque jus eadem utendi, ſiquidem uſu opus habueris, conceſſiſſe tibi intelligor, neque adeo ante iſtud tempus pecuniam, quam apud te depoſui, mihi reſtituere teneris. Aliter vero ſeſe res habet in exemplo ſuperiori, quo mutui contrahendi cauſa depoſitum (*not.* §. 604.). Tum enim depoſitam pecuniam reſtituere non teneris, ſi nondum conſtat, num ædes, quas emere conſtituiſti, empturus ſis, vel emere potueris. Ubi vero emtis ædibus mutuum actu fuerit contractum, pecunia reſtituenda eo tempore, quo ex contractu mutui ad eam reſtituendam obligaris.

§. 610.

Depoſitum irregulare quid ſit. *Depoſitum irregulare* dicitur, ſi depoſitario liberum relinquitur, ut re fungibili poſſit uti, & eam in genere reſtituere. Unde patet *depoſitum irregulare vel eſſe revera mutuum, ſi rem tanquam utendam ſtatim accipit depoſitarius, vel continere*

tinere promiſſionem mutui, ſi tanquam utendam ſub ea conditione accipit, ubi ea uti opus habuerit.

Ex. gr. Depono centum aureos & tibi dico; quod iiſdem uti poſſis, ſiquidem volueris. Tu uſum acceptas, dum eos accipis: dubium non eſt, quin mutuum ſtatim contrahatur loco depoſiti, quod contrahere volebas. Enimvero ſi alter reſpondet, ſi forſan contingat, ſe iis opus habere, tunc ſe uti iiſdem velle; mutuum non ſtatim contrahit, adeoque depoſitum contrahitur & mutuum a te nonniſi promiſſum intelligitur.

§. 611.

De reſtitutione rei depoſitæ communi.

Si res communis fuerit depoſita, ea reſtitui nequit uni, ſed reſtituenda omnibus ſimul, ſeu omnium, quibus communis eſt, conſenſu: quodſi tamen dividua fuerit, nec partes diviſæ obnoxiæ ſint electioni, pro rata ſingulis reſtitui poteſt. Quodſi enim res depoſita fuerit communis, plures in re indiviſa dominium omnibus conjunctim competens pro parte rata habent (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque omnes, quibus ea communis eſt, deponentis perſonam repræſentant, ſinguli vero non cenſentur depoſuiſſe niſi ratam ſuam. Quoniam itaque depoſitarius obligatur deponenti rem depoſitam reſtituere (§. 578.), totam reſtituere nequit uni, ſed omnibus ſimul, ſeu in reſtitutionem totius omnes ſimul conſentire debent, ſingulis autem reſtituere nequit niſi ratam ſuam. Quoniam itaque poſterius non ſuccedit, niſi res depoſita ſit dividua & partes, in quas dividitur, non ſint obnoxiæ electioni, ita ut unicuique perinde ſit, ſive hanc, ſive aliam partem accipiat, depoſitario ſingulis ratam reſtituere non licet, niſi quando res depoſita fuerit dividua & partes diviſæ non obnoxiæ ſint electioni.

Ex. grat. Depoſita eſt apud te pecunia mille aureorum. Ea communis eſt Mævio, Titio & Sempronio, ita ut Mævio competant partes tres, Titio duæ, Sempronio nonniſi una. Mille aurei reſtitui nequeunt ſoli Titio, vel Mævio, ſed reſtituendi ſunt Titio, Mævio & Sempronio ſimul: Sempronio non obligaris niſi ad reſtituendum ſextam pecuniæ partem, Titio reſtituendæ duæ ſextæ, ſeu pars tertia, Mævio tres ſextæ, ſeu dimidium totius pecuniæ. Quodſi ergo in aureis ſingulis non ſpectatur niſi valor extrinſecus, ut Mævio perinde ſit, quoſcunque 500 acceperit, poteris eidem reſtituere 500, inconſultis ceteris. Enimvero ponamus aureos eſſe rariores, ita ut non æſtimentur ab iis, quorum ſunt, ſolo valore extrinſeco, ſed pretium accedat affectionis, ut quis hos potius habere malit, quam alios: cum depoſitarius tantummodo obligatus ſit ad rem communem iis reſtituendam, quorum eſt, nullum ipſi competit jus eligendi nummos, quos huic vel alteri dare velit. In hoc igitur caſu ratam reſtituere nequit uni petenti. Aliter ſeſe res habet, ſi Titio, Mævio & Sempronio reſtituendi eſſent 60. modii frumenti. Tunc enim dubio caret, Mævio reſtitui debere 30, Titio & Sempronio 10, ſi commune depoſitum in eadem proportione dividendum, quam ante ſumſimus.

§. 612.

Quando reſtitutione rei communis depoſitarius non liberetur ab obligatione, qua ſingulis tenetur.

Quoniam res communis depoſita reſtitui nequit uni (§. 611.); *ſi depoſitarius rem communem uni reſtituat, ceteris adhuc obligatur ad reſtituendum ratam ſuam.*

Ex. gr. Tu reſtituis Mævio 60. modios frumenti, quorum 20. Titio, 10. vero Sempronio competunt, vel mille aureos, in quibus pro eadem rata dominium competit ſingulis; hoc non obſtante obligatus manes Titio ad reſtituendum 20. modios, Sempronio ad reſtituendum 10 modios frumenti, vel in caſu poſteriori ad reſtituendum Titio tertiam, Sempronio ſextam partem aureorum depoſitorum. Nimirum nemo ſe pro ſuo arbitrio liberare poteſt ab obligatione qua tenetur alteri (§. 674. *part. 3. Jur. natur.*). Nec minus patet, alium te liberare non poſſe ab obligatione, qua non ipſi, ſed alii teneris, ſine hujus conſenſu: hoc enim perinde foret ac de jure proprio alterius pro arbitrio ſuo ſtatuere velle, quod utique abſurdum (§. 119. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 613.

Quando reſtitutione rata non liberetur. Similiter quoniam *depoſitarius* ratam ſingulis reſtituere nequit, niſi quando rei dividuæ partes electioni obnoxiæ non ſunt (§. 611.), conſequenter ipſius non eſt rem communem pro ſuo arbitrio dividere; *ſi is rem communem depoſitam, circa cujus diviſionem, vel partium diviſarum electionem difficultates moveri poſſunt, pro rata uni reſtituit, ceteris tenetur ad id quod intereſt, rem communem ab ipſo diviſam & reſtitutionem uni pro rata factam non fuiſſe* (§. 626. *p.* 3. *Jur. nat.*).

Res communes dividere & diviſarum partes eligere, aut de iis aſſignandis ſtatuere univerſorum eſt, qui in communione ſunt, non unius multo minus alterius, cujus nihil prorſus in re dominii eſt. Quodſi ergo depoſitarius ſibi arrogat jus aliis competens, injuriam ipſis facit (§ 859. *part.* 1. *Jur. nat.*), a qua abſtinendum (§ 911. *p.* 1. *Jur. nat.*).

§. 614.

Plures ſpecies communes an ſint res individuæ. *Si plures ſpecies fuerint communes; ſinguli, qui ſunt in communione, ratam in ſingulis habent tanquam individuis.* Quoniam enim ſpecies plures ſunt individua diverſæ ſpeciei (§. 339. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſimul ſumtæ ens unum per aggregatum conſtituere nequeunt, quemadmodum grana frumenti, vel nummi, qui tantummodo ſpectantur quoad valorem extrinſecum, (§. 339. *Ontol.*). Quamobrem omnes ſimul ſumtæ tanquam totum aliquod in partes æquales dividi nequeunt, quemadmodum acervus frumenti dividitur, in ſex v. gr. partes, quarum una modium implet. Singulæ igitur ſpecies conſiderantur tanquam individuæ, conſequenter cum ſingulæ ſint communes *per hypoth.* qui in communione ſunt, ſinguli in ſingulis partem ratam habent tanquam rebus individuis (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 615.

De ſpeciebus pluribus communibus depoſitis. Quoniam ſi plures ſpecies fuerint communes, ſinguli, qui in communione ſunt, ratam in ſingulis tanquam in individuis habent (§. 614.); *Si ſpecies plures fuerint communes, quoad ſingulas tanquam rem individuam pro rata tenetur depoſitarius ſingulis, qui in communione ſunt*, conſequenter *nullam earum uni, inconſultis ceteris, reſtituere poteſt* (§. 611.), ſed, *ſi reſtituit, ceteris adhuc ad ratam ſuam reſtituendam obligatur* (§. 612.).

Ex. grat. Depoſita ſunt apud te poculum argenteum, annulus aureus, cui gemmæ incluſæ, veſtes & linteamina, quæ ſpecies omnes ſunt Mævio & Sempronio communes. Sempronio inconſulto Mævio reſtituere nequis veſtem quandam, etſi minoris multo pretii, quam poculum argenteum, aut annulus; ſed ubi feceris, quoad veſtem hanc Sempronio pro rata teneris, quæ ipſi competit in ſpeciebus communibus, veluti pro duabus tertiis, ſi ſpecierum communium pro duabus tertiis fuerit dominus.

§. 616.

Res fungibiles plures ejuſdem generis num ſint dividuæ. *Res fungibiles communes intelliguntur actu diviſæ.* Rem enim fungibilem unam ſubſtituere licet pro altera ejuſdem generis (§. 509.), adeoque tantundem ejuſdem generis æquivalet rei in ſpecie (§. 444.). Quodſi res fungibiles fuerint communes, ſingulis, qui in communione ſunt, dominium pro rata in iiſdem competit (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſingulorum tantundem eſt, quantum earum ratam conficit, conſequenter perinde eſt ac ſi res pro rata actu eſſent diviſæ.

Ex. gr. Ponamus acervum frumenti, qui continet 30. modios, eſſe mihi ac tibi communem. Quodſi mei ſint modii 20, tui 10; perinde omnino eſt, ac ſi acervus frumenti in ratione dupla eſſet actu diviſus, ita ut unus acervus contineat modios 20, alter vero 10.

§. 617.

De reſtitutione rerum fungibilium communium.

Quoniam res fungibiles actu diviſæ intelliguntur (§. 616.), ſi vero res dividua fuerit communis, nec partes diviſæ electioni obnoxiæ, pro rata ſingulis ea reſtitui poteſt (§. 611.). *Si res fungibiles depoſitæ fuerint communes, depoſitarius ſingulis ratam ſuam reſtituere poteſt, nec de eo, quod uni reſtituerit, tenetur ceteris.*

Ex. grat. Si 30. modii frumenti depoſiti mihi ac tibi fuerint communes in ratione dupla, & depoſitarius mihi reſtituerit viginti, qui mei ſunt; tibi non tenetur de eo, quod mihi reſtituerit. Tibi non obligatus eſt niſi ad reſtituendum modios frumenti decem.

§. 618.

Ad quid teneatur conſortibus, qui rem communem depoſitam totam recepit.

Si res depoſita communis uni tota reſtituatur, qui totam accepit, ceteris conſortibus pro rata tenetur. Quodſi enim res depoſita fuerit communis, unuſquiſque conſortium nonniſi pro rata dominus eſt (§. 127. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi ergo res depoſita uni tota reſtituatur, is non modo accipit quod ſuum eſt, verum etiam quod ceterorum conſortium eſt (§ 124. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter quod ceterorum eſt in poteſtate ſua habet (§. 461. *part.* 2. *Jur. nat.*). Naturaliter igitur obligatur ad id ipſis reſtituendum (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter cenſortibus pro rata tenetur.

Per ſe patet, & ipſa quoque demonſtratio loquitur, propoſitionem præſentem valere, ſive conſenſu conſortium, ſive iiſdem inſciis rem totam recepit unus. Nec obſtat, quod in caſu poſteriori depoſitarius adhuc obligetur ad ratam ſuam ceteris reſtituendam (§ 612), depoſitarii enim obligatio naſcitur ex contractu, ejus autem, qui totam accepit, ex dominio, aut, ſi mavis, communione poſitiva. Liberum adeo conſortibus eſt ſuum repetere vel a depoſitario, vel a conſorte, qui totum recepit, prouti commodum viſum fuerit, vel ſuum quis conſequi poteſt.

§. 619.

An qui ratam rei dividuæ accepit communicare eam teneatur.

Si res depoſita fuerit dividua, nec partes obnoxiæ ſint electioni, qui ratam ſuam recepit nihil communicare tenetur cum conſortibus, quamvis partes reliquæ intereant, vel deteriorentur. Quodſi enim res depoſita fuerit dividua, nec partes obnoxiæ ſint electioni, qui ratam ſuam recipit, quod ſuum eſt recipit (§. 127. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter non habet, quod ceterorum eſt, neque intereſt ceterorum ratam ſuam uni reſtitutam fuiſſe (§. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*), quemadmodum licebat depoſitario (§. 611.). Quamvis ergo partes reliquæ intereant, vel deteriorentur, ut ſuum recipere non poſſint conſortes, nil tamen habet, qui ratam ſuam accepit, quod ipſis ſit reſtituendum, nec ulla adeſt ratio, cur teneatur ad aliquod intereſſe, quale non adeſt. Nihil igitur cum conſortibus ſuis communicare tenetur, qui ratam ſuam accepit, ſi res depoſita fuerit dividua, nec partes electioni ſint obnoxiæ.

Conſortibus in hoc caſu tantummodo obligatur depoſitarius ad ratam reſtituendam, quam ſi ab eo quacunque de cauſa conſequi nequeunt, nulla prorſus adeſt ratio, cur qui accepit quod ſuum eſt de ſuo quicquam iiſdem dare debeat.

§. 620.

Idem expenditur quoad

Quoniam res fungibiles communes actu diviſæ intelliguntur (§. 616.) nec partes ulli electioni ſunt obnoxiæ (§. 509.), ſi vero res depoſita fuerit dividua,

nec

res fungibiles. nec partes ulli electioni obnoxiæ, qui ratam ſuam recepit nihil cum conſortibus communicare tenetur., quamvis partes reliquæ intereant, vel deteriorentur (§. 619.); *Si rerum fungibilium depoſitarum ratam unus recipit, is cum conſortibus nihil communicare tenetur, quamvis cetera intereant, vel quomodocunque deteriorentur.*

Ex. grat. Ponamus ut ante (*not.* §. 617.), me pro rata accepiſſe 20 modios frumenti, ceteros 10. modios, quos tu accipere debebas, quocunque caſu periiſſe, vel quomodocunque corruptos fuiſſe, aut te eos quacunque de cauſa a depoſitario accipere non poſſe: ego non teneor 20. modios frumenti, quos accepi, pro rata tecum dividere, ita ut tibi reddam $6\frac{2}{3}$.

§. 621.

Ad quid teneatur conſortibus, qui unam vel plures ſpecies communes recepit ſolus. *Si plures ſpecies communes fuerint depoſitæ & tu unam vel alteram accepiſti ſolus, ad ratam reſtituendam conſortibus teneris.* Si enim ſpecies plures fuerint communes, ſingulæ ſpectantur tanquam res individuæ (§. 614.), conſequenter ſi fuerint depoſitæ, tot intelliguntur depoſita, quot ſunt ſpecies. Enimvero ſi res depoſita communis uni tota reſtituatur, qui totam accepit ceteris conſortibus pro rata tenetur (§. 618.). Quamobrem ſi plures ſpecies communes fuerint depoſitæ & tu unam vel alteram acceperis ſolus, ad ratam conſortibus præſtandam teneris.

Valet propoſitio præſens, ſive ſpecies, quas recepiſti, ſuperent valorem ratæ, ſive eundem adæquent, ſive ab eodem deficiant; valet etiam, ſive ſpecies ceteræ adhuc extent, ſive perierint, aut quomodocunque corruptæ fuerint. Species una in depoſito fungi nequit vice ſpeciei alterius. Etſi enim in diviſione ſpecierum communium una tota cedere nequeat niſi uni; diviſio tamen fieri debet omnium conſortium conſenſu, nec unus inconſultis ceteris capere poteſt, quas voluerit. Unde ſpecies ſunt electioni obnoxiæ, quod aliter ſeſe habet in rebus fungibilibus.

§. 622.

De re depoſita non deponenti, ſed alii reſtituenda. *Si deponens rem depoſuit ea lege, ut eandem mihi reſtituas; tu eam mihi reſtituere debes.* Etenim ſi deponens rem depoſuit ea lege, ut eandem mihi reſtituas, & tu hac lege cuſtodiam in te ſuſcipis; depoſito adjicitur pactum (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*), quo idem rem deponenti reſtituere jubens alteratur (§. 778.). Quamobrem cum pacta ſint ſervanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); rem depoſitam ea lege, ut eandem mihi reſtituas, mihi quoque reſtituere debes.

Valet propoſitio præſens, ſive dominus rem deponat & eam certæ perſonæ reſtitui jubeat; ſive non dominus rem deponat alienam, quam domino reſtitui vult. Demonſtratio enim in omni caſu ſubſiſtit.

§. 623.

Caſus particularis de re depoſita denuo apud alium depoſita. Quoniam res depoſita ea lege, ut certæ cuidam perſonæ reſtituatur, huic reſtituenda eſt (§. 622.), *ſi quis rem apud ſe depoſitam iterum apud alium deponit ea lege, ut eam domino vel deponenti primo reſtituat, eam ipſi reſtituere tenetur.*

Ex. gr. Ego apud te depono vaſa argentea. Tu peregre abiturus ea iterum deponis apud alium, ſed ea lege, ut mihi repetituro eadem reſtituat. Quodſi ergo ego vaſa iſta repeto, ille ea mihi reſtituere tenetur. Tu enim pacto, quod depoſito adjeciſti, eundem mihi obligaſti. Neque adeo opus eſt, ut, ſi res mea fuerit, jure dominii eam vindicem; ſed ex pacto, quod adjectum depoſito, eam repeto. Quamobrem nec opus eſt, ut dominium probem.

§. 624.

Si res eadem apud plures depoſita, unus ſolus ceteris inſciis eandem reſtituere poteſt deponenti. Quodſi enim res eadem apud plures depoſita fuerit, ipſi etiam obligantur ad eam deponenti reſtituendam, ſive ſinguli in ſolidum ſe obligaverint, ſive communi periculo rem cuſtodiendam ſuſceperint (§. 578. 579.). Enimvero res depoſita cum ſit eadem *per hypoth.* nonniſi ſemel reſtitui poteſt. Quamobrem cum perinde ſit, a quonam deponens eandem accipiat, modo recipiat; unus ſolus ceteris inſciis eandem reſtituere poteſt deponenti. *A quoniam res apud plures depoſita reſtituenda.*

Alia eſt obligatio rem depoſitam reſtituendi, alia vero obligatio damnum datum reſarciendi. Illa æqualiter tenet ſingulos; hæc vero ſola partitionem admittit. Ex reſtitutione nullum naſcitur lucrum vel commodum depoſitarii, nec ea damnum datur eidem, ſi res deponenti reſtituatur. Quamobrem ſi plures fuerint depoſitarii & unus eandem ſolus reſtituat, ceterorum non intereſt rem depoſitam reſtitutam non fuiſſe. Reſtitutione ab uno facta omnes liberantur ab obligatione ſua reſtituendi. Alius caſus eſt, ſi occaſione depoſiti deponens, aliquid præſtare teneatur depoſitario (§. 592. 600.): de quo ſuo loco, quando de jure retentionis agetur.

§. 625.

Quoniam *ſi res eadem apud plures depoſita*, unus ſolus ceteris inſciis eandem reſtituere poteſt deponenti (§. 624.); *deponenti ab uno eorum eandem repetenti denegari nequit reſtitutio, propterea quod ceteri nondum norint rem reſtituendam eſſe.* *Cur ab uno petita reſtitutio denegari nequeat.*

Exceptio hæc nulla eſt, cum nulla prorſus ratione nitatur. Ratio nimirum nulla eſt, cur omnibus depoſitariis conſciis ac conſultis reſtitutio fieri debeat, cum nemo eorum contradicere poſſit, ne reſtituatur, quippe ad eam reſtituendam obligatus.

§. 626.

Quia ſi res apud plures depoſita, deponenti ab uno eorum rem repetenti reſtitutio denegari nequit, propterea quod ceteri nondum norint eam reſtituendam eſſe (§. 625.); *ſi rem ſtatim reſtituere nolit, ſtatim in mora eſt* (§. 638. part. 3. Jur. nat.), conſequenter *depoſitario ſolus tenetur ad omne id, quod intereſt, rem ſtatim reſtitutam non fuiſſe* (§. 655. part. 3. Jur. nat.). *Quidnam ex denegatione ſequatur.*

Ipſe nimirum ſolus in mora eſt, cum ceteri, ad quorum notitiam non pervenit rem a deponente repeti, facti denegantis non ſint participes, conſequenter nec ex eodem teneantur.

§. 627.

Si res eadem apud plures depoſita fuerit, ſinguli dolum vel culpam ſuam, communem pro rata præſtare tenentur, niſi conventum expreſſe fuerit, vel ut ſinguli teneantur in ſolidum, vel ut teneantur pro rata, eo ſcilicet, quod reſarciendum eſt, inter depoſitarios æqualiter diviſo. Naturaliter damnum reſarcire tenetur, qui dolo vel culpa ſua dedit (§. 580. *part. 2. Jur nat.*), dolum vero vel culpam alienam cur quis præſtet ratio nulla eſt. Quamobrem ſi res eadem apud plures depoſita fuerit, cum in depoſito præſtari debeat dolus & culpa (§. 584.), quilibet dolum vel culpam ſuam, communem vero pro rata præſtare tenentur. *Quod erat unum.* *De præſtatione doli ac culpæ, re apud plures depoſita.*

Si res apud plures deponatur, ſinguli nonniſi dolum vel culpam ſuam, communem vero pro rata præſtare tenentur *per demonſtrata*, conſequenter iiſdem competit jus non præſtandi dolum, vel culpam alterius, adeoque denegandi præſtationem deponenti eam petenti (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Deponens igitur obli-

obligatus eſt ad præſtationem doli vel culpæ non exigendi niſi ab eo, cujus dolus vel culpa. Enimvero naturaliter quilibet jus ſuum remittere poteſt (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem rem apud plures deponens eandem, ita etiam convenire poteſt, ut ſinguli ſibi in ſolidum, vel pro rata teneantur, cujuſcunque tandem culpa damuum detur (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter cum pactis ſit ſtandum (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), ſi ita conveniatur, ut ſinguli teneantur in ſolidum, vel pro rata, ſinguli etiam in ſolidum, vel pro rata tenentur. *Quod erat alterum.*

Si nihil conveniatur, ſeu nullum de præſtatione culpæ adjiciatur pactum depoſito, res apud plures deponitur periculo ejus, qui dolum, vel culpam admiſerit, adeoque nonniſi communi periculo in eo caſu, quo ſinguli doli vel culpæ ſunt participes. Quodſi vero ſinguli in ſolidum teneri debeant, vel etiam communi periculo res deponenda, ut non attendatur, cujuſnam ſit culpa, neceſſe eſt, ut ita conveniatur.

§. 628.

An in depoſito pro cuſtodia quid exigi poſſit.

Si pro cuſtodia quid exigitur, depoſitum non eſt. In depoſito enim cuſtodia præſtatur gratis (§. 575.), conſequenter deponens nihil viciſſim præſtat (§. 18.). Quamobrem ſi pro cuſtodia quid exigitur, depoſitum non eſt.

Qualis ſit contractus, ſi pro cuſtodia quid exigatur, ſuo docebitur loco. Non hic quæritur, utrum pro cuſtodia rei quid exigere, vel etiam ea finita ſponte oblatum accipere liceat; de eo enim diſpiciemus ſuo loco: ſed hic tantummodo quæritur, utrum depoſitum maneat; an vero contractus ab eodem diverſus ſit, ſi pro cuſtodia quid exigatur. Relegenda hic ſunt, quæ in caſu ſimili de commodato & mutuo ſupra annotavimus (*not.* §. 571.).

§. 629.

Res litigioſa quænam ſit.

Res litigioſa dicitur de cujus dominio inter duos vel plures controvertitur. *Controvertitur* vero *de dominio*, quando plures affirmant, rem eſſe ſuam, ſive ea corporalis fuerit, ſive incorporalis.

E. gr. Ponamus me hunc agrum habere pro meo, te vero contendere, quod ſit tuus: erit ager hic res litigioſa. Similiter ſi ego affirmo annulum hunc, vel vas argenteum eſſe meum, tu vero itidem affirmas eſſe tuum; annulus, vel vas argenteum res litigioſa eſt.

§. 630.

Sequeſtrum quid ſit.

Si res litigioſa a litigantibus apud tertium deponitur, depoſitum *Sequeſtrum* appellatur, & depoſitarius vocatur *Sequeſter*. Unde *Sequeſtrum* eſt depoſitum rei litigioſæ: *ſequeſter* vero is, qui cuſtodiam rei litigioſæ gratis in ſe ſuſcipit. Et quando res litigioſa deponitur, *ſequeſtrum* dicitur.

In Jure civili *Sequeſtrum voluntarium* appellatur, quando res litigioſa ab ipſis litigantibus, vel eorum conſenſu, deponitur apud tertium, in oppoſitione ad *neceſſarium*, quando deponitur a judice, cujus voluntatem ſequi tenentur litigantes. Enimvero cum hic loci ſequeſtrum ſpectetur in ſtatu naturali, quo litigantes non ſunt alterius poteſtati ſubjecti, conſequenter res litigioſa apud tertium nonniſi ab ipſis fieri poteſt; diſtinctione inter voluntarium & neceſſarium non eſt opus. E. gr. ſi res litigioſa fuerit vas argenteum, ac interea, donec conſtet, an meum, an tuum ſit, apud tertium deponitur; idem ſequeſtratur, & ſequeſter cuſtodiam ejus in ſe gratis ſuſcipit.

§. 631.

Obligatio ſequeſtri.

Quoniam *ſequeſter* depoſitarius eſt (§. 630.); *deponentibus ad eadem tenetur, ad quæ obligatur depoſitarius*, quatenus ſcilicet res non ſpectatur, niſi tanquam depoſita.

Nimi-

Nimirum res ſequeſtrata duplici modo ſpectari poteſt, vel tanquam depoſita, vel tanquam litigioſa. Quatenus ſpectatur tanquam depoſita, ſequeſtrum ſub depoſito tanquam ſpecies ſub genere continetur, conſequenter ad ſequeſtrum applicari poſſunt; quæ de depoſito demonſtrata fuerunt. Sed quatenus res ſequeſtrata ſpectatur tanquam litigioſa, ſequeſtrum a depoſito communi differt, & quæ hinc deducuntur ſequeſtro propria ſunt.

§. 632.

Sequeſter rem ſequeſtratam reſtituere tenetur litigantibus eam repetentibus; ſed non poteſt reſtituere uni, ſine conſenſu ceterorum. Sequeſter enim litigantibus, qui rem deponunt, ad eadem tenetur, ad quæ obligatur depoſitarius (§. 631.). Quamobrem cum depoſitarius deponenti rem depoſitam repetenti ſtatim reſtituere teneatur (§. 578.); ſequeſter etiam rem ſequeſtratam ſtatim reſtituere tenetur litigantibus eam repetentibus. *Quod erat unum.* *Cuinam restituenda res ſequeſtrata.*

Enimvero res litigioſa non alia de cauſa deponitur, quam quod litigantes inter ſe convenire nequeunt, quinam eorum interea rem poſſidere debeat, donec controverſia de dominio fuerit definita; conſequenter omnium intereſt, ne reſtituatur uni, inſciis ceteris. Quamobrem patet vi contractus, quo ad rem omnibus ſimul, qui eam depoſuerunt, reſtituendam ſe obligavit, *per demonſtrata;* eandem reſtitui non poſſe uni ſine conſenſu ceterorum. *Quod erat alterum.*

In Jure civili definitioni ſequeſtri inſeritur, quod res reſtitui debeat victori: ſed hoc intelligendum eſt de ſequeſtro neceſſario, non vero de ſequeſtro voluntario, de quo hic agitur. Si enim ſequeſtrum fuerit voluntarium, repetitio rei depoſitæ, ſeu revocatio ſequeſtri ſemper pendet, etiam durante adhuc lite, a voluntate litigantium omnium ſimul, non vero a voluntate unius, cum rem ſequeſtrantes inter ſe convenerint ſive expreſſe, ſive tacite, ne quis ipſorum rem litigioſam interea poſſideat, donec controverſia de dominio fuerit deciſa, atque adeo nemo eorum jus habeat ſine conſenſu ceterorum eam repetendi, ſeu ſequeſtrum revocandi. Immo ex notione ſequeſtri ne quidem ſequitur, quod victori ſit reſtituenda ceteris inſciis, ſeu abſque eorum conſenſu. Lis enim ita terminari poteſt, ut unus quidem declaretur dominus rei depoſitæ, ſed una obligetur ad præſtationes quaſdam, antequam ad poſſeſſionem admittatur; quo in caſu intereſt ceterorum rem victori ipſis inſciis non reſtitui.

§. 633.

Si lis ita terminetur, ut unus litigantium declaretur dominus rei ſequeſtratæ, nec is propterea ad aliquid præſtandum ceteris teneatur, antequam poſſeſſionem nanciſcatur, vel ſi præſtanda præſtiterit; ſequeſter rem ſequeſtratam victori nondum impetrato conſenſu ceterorum reſtituere tenetur. Quando enim res litigioſa deponitur, litigantes inter ſe convenire nequeunt, quinam ipſorum interea, dum litigatur, eandem poſſidere debeat, alias enim cuſtodiam alteri cuidam non committerent, conſequenter rem non ſequeſtrarent (§. 630.). Patet itaque eos conſentire, ne quis ad poſſeſſionem admittatur, antequam dominus fuerit declaratus, conſequenter antequam vicerit (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque jus poſſidendi competit domino (§. 157. *part.* 2. *Jur. nat.*), qui vicit rem ſequeſtratam tanquam ſuam a ſequeſtro repetere poteſt, & hic eam ipſi reſtituere tenetur (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi tamen lis de dominio ea lege fuerit terminata, ut, qui dominus declaratus fuit, non ante ad poſſeſſionem admittatur, quam aliquid præſtiterit ceteris; cum ſtandum ſit pactis (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec victor ante repetere poteſt rem ſequeſtratam, quam præſtitis præſtandis, conſequenter nec ſequeſter eam ante reſtituere debet, quam ubi conſtiterit, præſtanda præſtita fuiſſe, utpote qui in reſtituendo ſequi tenetur omnium ſimul voluntatem (§. 632.). Patet itaque, quod ſequeſter rem ſequeſtratam victori abſque ceterorum conſenſu tum demum reſtituere teneatur, ſi lis ita terminetur, ut unus litigantium declaretur dominus rei ſequeſtratæ, nec is propterea ad aliquid præſtandum ceteris teneatur, antequam poſſeſſionem nanciſcatur, vel ſi præſtanda præſtiterit. *Quando victori reſtituenda.*

§. 634.

Quamdiu reſtitutio eidem deneganda.

Quoniam ſequeſter abſque conſenſu omnium rem ſequeſtratam reſtituere non debet, niſi lis ita fuerit terminata, ut unus litigantium declaretur dominus, nec is ad aliquid propterea præſtandum ceteris teneatur, antequam poſſeſſionem nanciſcatur, vel ſi præſtanda præſtiterit (§. 633.); *antequam abſque omnium conſenſu uni reſtituere rem ſequeſtratam poſſit ſequeſter, ipſi conſtare debet, quomodo lis fuerit terminata, & , ſi ad quædam præſtanda victor ſe obligavit, antequam ad poſſeſſionem admittendus, num præſtanda præſtiterit.*

Hæc probe notanda ſunt, ne intempeſtive rem reſtituat ſequeſter, & ut conſtet, quamdiu naturaliter reſtitutionem denegare poſſit, ne ſit in mora (§. 638. *part. 3. Jur. natur.*).

§. 635.

De re fructuoſa depoſita.

Si res fructuoſa deponitur, fructus reſtituendi ſunt deponenti: ſi tamen fructus percipi nequeunt ſine impenſis, cura ac operis, deponens reſtituere tenetur impenſas, & mercedem operarum atque curæ. Deponens enim cuſtodiam rei gratis in ſe recipit (§. 575.), conſequenter fructus ex re depoſita percepti ipſius eſſe nequeunt (§. 18.). Eos igitur una cum re deponenti reſtituere tenetur. *Quod erat primum.*

Enimvero depoſitarius vi contractus tantummodo obligatur ad rem depoſitam gratis cuſtodiendam (§. 575.), conſequenter nequid pro cuſtodia exigere velit (§. 18.), adeoque ſeſe non obligat, quod impenſas, ſine quibus fructus percipi nequeunt, de ſuo facere, vel etiam curam ac operas eo fine gratis præſtare velit. Quamobrem cum nemo locupletari debeat cum alterius damno (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*), ſi ſine impenſis, cura ac operis fructus percipi nequeunt, deponens impenſas & operarum atque curæ mercedem reſtituere tenetur. *Quod erat alterum.*

Si depoſitarius fructus perciperet ex re depoſita, ex re aliena locupletaretur (§. 584. *part. 2. Jur. nat.*), ſi deponens non reſtitueret impenſas & operarum atque curæ mercedem, re alterius locupletaretur (§. 583 *part. 2. Jur. nat.*). In caſu priori depoſitarius locupletior fieret cum damno deponentis, in poſteriori deponens cum damno depoſitarii. Utrumque repugnat juri naturali (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*), nec convenit contractui (§. 575), ut quis dici poſſet jus ſuum remiſiſſe (§. 95. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 636.

Quænam in reſtitutione a fructibus detrahenda.

Quoniam, ſi res fructuoſa deponitur, fructus reſtituendi deponenti, ſi tamen fructus percipi nequeunt ſine impenſis, cura ac operis, deponens reſtituere tenetur impenſas & mercedem operarum atque curæ (§. 635.), *depoſitarius rem fructuoſam una cum fructibus reſtituens detrahit impenſas & mercedem operarum atque curæ.*

Vulgo dicitur, fructus non intelligi, niſi deductis impenſis: his vero etiam accenſetur operarum atque curæ merces. Quodſi enim depoſitarius ipſe operas atque curam præſtare nolit, eam ſolvere tenetur præſtanti. Atque adeo pars fructuum impenditur in earum perceptionem, quando quis non impenſas facere tenetur de ſuo, nec ipſe operas atque curam præſtat. Hoc pacto clariſſime perſpicitur, cuſtodiam rei, ad quam quis ſolam obligatur ex depoſito (§. 575.), non involvere impenſarum ac operæ atque curæ præſtationem, ſi res fructuoſa deponatur, ſed tantummodo curam, ne fructuum perceptio negligatur & percepti vel in natura conſerventur, niſi conſervando intereant, vel eorum æſtimatio conſervetur.

§. 637.

§. 637.

De ſequeſtro rem fructuoſam reſtituente.

Quoniam depoſitarius rem fructuoſam reſtituens una cum fructibus (§. 635.) ab iis detrahit impenſas & mercedem operarum atque curæ, ſine quibus fructus percipi non potuiſſent (§. 636.), ſequeſter vero depoſitarius eſt (§. 630.), *ſequeſter rem fructuoſam reſtituens etiam fructus reſtituere debet, ſed detrabit impenſas & mercedem operarum ac curæ, ſine quibus fructus nulli percipi potuiſſent.*

Sequeſtrum itaque non recedit a depoſito, ſi pro adminiſtratione rei fructuoſæ eidem merces detur, aut ſalarium: neque enim niſi cuſtodia gratuita eſt, quæ in eo conſiſtit, ne res depoſita in alterius poteſtatem veniat, nec deterioretur, neque pereat, ſicuti ex anterioribus abunde intelligitur. Quamobrem nec neceſſe eſt, ut ipſe ſequeſter rem fructuoſam adminiſtret; ſed poteſt adminiſtrare alius & fructus tantummodo tradendi ſequeſtro, qui deductis deducendis intelliguntur. E. gr. Si prædium deponatur, hoc locari poteſt alteri, & depoſitarius vel ſequeſter tantummodo in cuſtodiam ſuam recipit a conductore mercedem, vel adminiſtratio alii committi poteſt, & ſequeſter tantummodo ſuſcipit cuſtodiendos fructus deponenti ſuo tempore reſtituendos una cum re depoſita.

§. 638.

An ſequeſter & depoſitarius poſſideant.

Sequeſter rem ſequeſtratam non poſſidet, nec in genere depoſitarius rem poſſidet. Sequeſter enim & depoſitarius rem a deponente in cuſtodiam ſuam ſuſcipiunt (§. 575. 630.), adeoque eam non detinent tanquam ſuam, ſed tanquam alienam. Quoniam itaque non poſſidet, qui rem non detinet tanquam ſuam (§. 150. *part. 2. Jur. nat.*); ſequeſter rem ſequeſtratam non poſſidet, nec in genere depoſitarius rem depoſitam poſſidet.

§. 639.

Quinam poſſideat, quamdiu res depoſita vel ſequeſtrata.

Quoniam adeo ſequeſter rem ſequeſtratam, aut in genere depoſitarius rem depoſitam non poſſidet (§. 638.); *poſſeſſio manet ejus, cujus fuerat ante depoſitum & in ſequeſtratione ſuſpenditur*, cum ante eandem eſſet nullius, aut rem ſequeſtrantes eandem adhuc nullius eſſe debere vellent.

Non eſt, quod excipias, quando res deponitur, eam non amplius detineri a deponente, adeoque actu non poſſideri. Poſſeſſio enim tamdiu retinetur, quamdiu res in eo permanet ſtatu, ut dominium ſive per te, ſive per alios exercere poſſis (§. 740. *p. 2. Jur. nat.*) adeoque tibi non adempta eſt potentia phyſica de ea pro arbitrio tuo diſponendi (§. 649 118. *part. 2. Jur. nat.*). Adempta vero hæc non eſt, cum deponens eam reſtituere teneatur, quamprimum volueris (§. 579.). Quamvis vero ſequeſtrum voluntarium hodie ſit rarius, ubi in ſtatu civili vivitur, nec ea hominum plerorumque indoles eſt, ut æquitatem præferant utilitati, & abſque animorum commotione litigent, non tamen ideo vel prorſus inutilia, vel parum utilia exiſtimari debent, quæ hic demonſtrantur. Etenim ex iis, quæ de ſequeſtro voluntario demonſtrantur, reddenda eſt ratio eorum, quæ de judiciali recte ſanciuntur in civitate.

§. 640.

Mandatum quid ſit.

Mandatum eſt contractus beneficus, quo alteri quid noſtro nomine faciendum committitur & commiſſum ab eo gratuito ſuſcipitur. Qui alteri quid faciendum committit, *Mandans* vel *Mandator*: qui quod faciendum committitur gratis ſuſcipit, *Mandatarius*, vel etiam *Procurator* appellatur. Idiomate patrio mandatum vocatur eine Vollmacht.

E. gr. Committo tibi, ut mihi agrum emas, vel equos: tu hoc negotium gratis exequendum in te ſuſcipis. Contractus, quem inimus, mandatum eſt: ego ſum mandans, tu mandatarius. Contractus gratuiti, de quibus hactenus dictum eſt, verſantur circa res; mandatum vero circa facta,

facta, ut, quæ ipſi facere nolumus, vel non poſſumus, per alios faciamus; quam contractus hujus rationem jam dedit *Ulpianus* l. 1. §. f. ff. de proc.

§. 641.

Committere faciendum quid ſignificet.

Committere quid faciendum alteri dicimur, ſi eum volumus ad hoc faciendum nobis perfecte obligatum.

E. gr. Si tibi committo, ut mihi agrum emas, vel equos; ego volo, ut tu mihi perfecte te obliges ad agrum emendum, vel equos, neque adeo tuæ amplius ſit voluntatis, utrum hoc facere velis, nec ne, ſed neceſſe ſit ut facias (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 642.

Intentio committentis.

Quoniam nemo ſeſe alteri perfecte obligare poteſt niſi promittendo (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), qui vero alteri quid faciendum committit, eum ad hoc faciendum perfecte ſibi obligatum eſſe vult (§. 641.), *Qui alteri quid faciendum committit, is vult, ut promittat ſe hoc facturum eſſe.*

E. gr. Si tibi committo, ut mihi agrum; vel equos emas, ego volo, ut tu promittas, te mihi agrum, vel equos empturum.

§. 643.

Commendare quod faciendum quid ſignificet.

Commendare quod faciendum alteri dicimur, ſi ſignificamus gratum nobis fore, ubi facere voluerit, quod eum facere volumus. *Differt* adeo *commendatio a commiſſione* (§. 641.).

E. gr. Si volo, ut in nundinis librum mihi emas, quem legere aveo; & quocunque modo indico, gratiſſimum mihi futurum, ubi eundem emere volueris, rogans ne obliviſcaris; emtionem libri tibi commendo, non committo. Commendare etiam poſſumus ei quod faciendum, cui mandatum dedimus.

§. 644.

Rogare ut faciat quid ſignificet.

Rogare idem eſt ac ſufficienter indicare, quod enixe velimus, ut faciat alter, nec facere abnuat. *Rogare* igitur & *committere differunt* (§. 641.).

E. gr. Si te rogo, ut mihi emas librum in nundinis, non modo volo, ut hoc facias, verum etiam ne hoc facere abnuas. Quodſi definitiones, quas dedimus, inter ſe conferre volueris, haud difficulter animadvertes, quomodo committere, commendare & rogare inter ſe differant. Nimirum ſi alterum quid facere volumus, aut liberum adhuc ipſi relinquimus, utrum facere velit, nec ne, aut volumus, ne liberum ipſi relictum ſit, utrum facere velit, an nolit, ſed ut neceſſe ſit ipſum nobis hoc facere. In caſu poſteriori ipſi committimus, quod faciendum. Si libertati adhuc alterius relinquimus, utrum facere velit, nec ne, quod, ut faciat volumus, aut hoc utimur motivo, quod, ubi fecerit, hoc nobis vel alteri cuidam ſit gratiſſimum futurum, aut motivo utimur, quod noſtra plurimum referat, ut hoc faciat. In caſu priori quod faciendum commendamus, in poſteriori rogamus, ut faciat. Quando enim tua refert, ut alter hoc faciat, utique vis, ne hoc facere abnuat.

§. 645.

An commendare & rogare ſimul poſſimus.

Quoniam alterum rogamus, ut faciat, ſi ſufficienter indicemus, nos enixe velle ut faciat, nec facere abnuat (§. 644.), commendamus vero, ut faciat, ſi ſufficienter ſignificamus, gratiſſimum nobis fore, ſi fecerit (§. 643.), per ſe autem patet, non repugnare, ut una ſignificemus & enixam voluntatem noſtram,

ſtram, ne facere abnuat, quod ut faciat, volumus, & quod hoc nobis gratiſſimum futurum ſit, ubi fecerit; *quod faciendum commendare & ut alter faciat rogare ſimul poſſumus*.

E. gr. Scribo ad te, ut amico meo pecuniam credas, & ne hoc facere abnuas, addens me ipſum tibi propterea ad quodvis officiorum genus fore devinctum, perinde ac ſi mihi ipſi officium aliquod præſtitiſſes. Hic & te rogo, ut pecuniam amico meo credas, & ſimul commendo, ut facias. Aliud vero eſt commendare rem, ſeu id quod faciendum, aliud commendare perſonam. Quando enim *perſonam commendamus*, ejus recenſemus merita, ob quæ ipſi faciendum ſit, quod ſibi fieri vult, veluti ſi quis ambit munus aliquod, & nos recenſemus ea, ob quæ dignus judicatur, cur eidem conferatur, aut ſimpliciter ſignificamus eum dignum eſſe, cui id conferatur.

§. 646.

Commendando & rogando alterum perfecte nobis non obligamus. Qui enim commendat, quocunque modo ſignificat gratum ſibi fore, ſi alter faciat, quod eum facere vult (§. 643.); qui vero rogat, ſufficienter indicat, ſe enixe velle, ut faciat alter, nec facere abnuat (§. 644.). Enimvero propterea quod quis ſignificat, gratum ſibi futurum, ſi alter fecerit, aut ſe enixe velle, ut faciat, nec facere abnuat, non vult ut alter in ſe transferat jus exigendi, ut faciat, conſequenter, ſi noluerit, eum cogendi ut faciat: id quod per ſe patet. Quamobrem cum alterum perfecte nobis non obligemus, niſi hoc jus in nos transferat (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*); commendando & rogando alterum perfecte nobis non obligamus. *An commendando & rogando alterum perfecte nobis obligemus.*

Nimirum ſi alterum ad quid faciendum nobis perfecte obligare velimus, neceſſe eſt ut velimus ipſum libertati ſuæ naturali renunciare, ita ut non amplius eidem relictum ſit, num facere velit, ſed ut facere debeat (§. 236 *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero poteſt quis affirmare, ſe facere velle, quod ut faciat volumus, & hoc non obſtante libertati ſuæ relictum malle, ut faciat, quam ut agendi neceſſitas ſibi imponatur, immo haud raro abſonum foret ab altero exigere velle, ut libertati ſuæ renunciet. Quamobrem ex eo ſolo, quod ſignificamus vel enixam noſtram voluntatem, ut alter faciat, vel etiam quocunque modo prodamus, quam gratum nobis ſit futurum, ſi faciat, colligere nondum licet, quod velimus eum perfecte nobis eſſe obligatum, nec ſi vel maxime alter dicat, ſe facturum, ideo libertati ſuæ in agendo renunciaſſe cenſetur.

§. 647.

Quoniam commendando & rogando alterum perfecte nobis obligare non poſſumus (§. 646.); *Qui commendat vel rogat, non contrahit* (§. 793. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter *nec commendans vel rogans ex eo alteri obligatur ullo modo, quod commendaverit, vel rogaverit* (§. *cit.*). *An commendare & rogare ſit contractus.*

Nimirum qui commendat, vel rogat, quod commendat, vel rogat, tanquam officium humanitatis ab altero petit. Quamobrem cum obligatio perfecta ad officia humanitatis repugnet libertati naturali (§. 660. *part 1. Jur. nat.*); abſonum foret, ſi quis propterea ſibi alterum perfecte obligatum vellet, quod commendaverit, vel rogaverit, & is commendanti, vel roganti annuerit. Qui adeo commendat, vel rogat, cum altero non contrahit (§. *cit.*). Qui vero cum altero non contrahit, nec ipſi ſeſe perfecte obligat. E. gr. ſi tibi commendo, vel te rogo, ut cuidam certam pecuniæ ſummam credas; tu hoc facis tuo periculo, nec ego propterea ad quicquam tibi ſum obligatus, quemadmodum non neceſſitatis, ſed voluntatis adhuc erat, ut crederes.

§. 648.

Quoniam qui commendat, vel rogat, non contrahit (§. 647.), qui vero mandat contrahit (§. 640.); *Qui commendat, vel rogat, non mandat*. *An commendans vel rogans mandet.*

Com-

Commendantis & rogantis verba non ſunt obligatoria: talia vero eſſe debent verba mandantis. Subinde tamen ex circumſtantiis colligendum, utrum ea pro obligatoriis habenda ſint, nec ne.

§. 649.

Obligatio mandatarii. *Mandatarius obligatur ad id omni diligentia faciendum, quod ipſi faciendum committitur: nec quicquam facere debet, niſi quod ipſi fuerit commiſſum.* Mandans enim mandatario faciendum ſuo nomine committit, quod ut faciat vult (§. 640.), adeoque eum ſibi perfecte obligare vult, ut faciat (§. 641.). Quoniam itaque mandatarius quod committitur faciendum ſuſcipit (§. 640.), adeoque in id, quod vult mandans, conſentit (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ad id faciendum mandanti ſeſe perfecte obligat. Quamobrem cum negligentia culpa ſit (§. 758 *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque vitanda (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*), diligens vero eſſe debet, qui negligens non eſt (§. 757. *part. 1. Jur. nat.*); mandatarius obligatur ad id omni diligentia faciendum, quod ipſi faciendum committitur. *Quod erat unum.*

Enimvero quicquid facit mandatarius, non ſuo nomine, ſed mandantis unice nomine facit (§. 640.). Quamobrem non facere debet, quod ſibi viſum fuerit, ſed quod vult mandans, conſequenter jus mandatarii metiendum ex voluntate mandantis (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Mandatarius itaque nil quicquam facere debet, niſi quod a mandante ipſi fuerit commiſſum. *Quod erat alterum.*

E. gr. Ego tibi mando, ut emas equos certo pretio. Tu obligatus es ad equos mihi emendos, ſi eo pretio emere poſſis. Omnem diligentiam adhibere debes, ut equos emas, qui nullo vitio laborant, nec pro iis ſolvas pretium juſto majus. Neque vero majori pretio emere licet, quam expreſſe fuerit definitum. Hæc contractui convenientia ſunt, vi cujus unice ſtandum voluntati mandantis. Hæc agendi norma eſt, a qua pro arbitrio ſuo diſcedere non licet. Qui alieno nomine agit, ei voluntas alterius eſt loco voluntatis propriæ: alias enim non alterius, ſed ſua ageret voluntate, nec in agendo perſonam alterius repræſentaret.

§. 650.

Mandatum generale & ſpeciale. *Mandatum ſpeciale* eſt, quo aliquod negotium in ſpecie gerendum alteri committitur: *Generale* autem vocatur, quo univerſa quædam negotia alteri gerenda in genere committuntur.

E. gr. Si tibi mando, ut mihi emas ædes, vel equos, mandatum ſpeciale eſt: aſt ſi mando, ut in promotione doctorali mei abſentis locum ſubeas, omnia facturus, quæ candidato præſenti incumbunt, mandatum generale eſt, neque enim in ſpecie hic ſingulos actus mando, veluti ut in animam meam jurare debeas.

§. 651.

Mandatum cum libera & ſine libera. Mandatum utrumque vel eſt cum libera agendi poteſtate conjunctum, vel ſine libera, ſed cum reſtricta agendi poteſtate. Nimirum *Mandatum ſine libera* eſt, quo quid a mandatario fieri debeat, præciſe definitur, ita ut nihil arbitrio ejus relinquatur. Aſt *mandatum cum libera* eſt, quo tantummodo in genere determinatur, quid a mandatario fieri debeat, ceteris arbitrio ejus relictis.

E. gr. mando tibi, ut mihi emas ædes, vel equos: ſed tuo arbitrio relinquo, ut ædes vel equos eligas, & pretium pro iis ſolvendum determines, prout tibi viſum fuerit. Mandatum cum libera eſt. Enimvero mando tibi, ut mihi emas ædes Titii, vel equos Sempronii, & pretium ædium definio 4000. thalerorum, pretium equorum 150. nimirum ne majus ſolvas. Mandatum ſine libera eſt.

§. 652.

§. 652.

Mandatum manifeſtum eſt, quod ad notitiam ejus, cum quo agitur, pervenit. *Arcanum* vero eſt mandatum, quod ad ejus notitiam, cum quo agitur, non pervenit. Quamobrem *mandatum manifeſtum eſſe poteſt cum libera, arcanum vero ſine libera.* *Mandatum manifeſtum & arcanum.*

Ex. grat. Mandato manifeſto tibi mando, ut mihi emas ædes, arcano autem, ne emas ædes alias, quam Titii, etſi præterea aliæ proſtent venales, nec pretio majori, quam quater mille thalerorum. Hic mandatum manifeſtum cum libera eſt; arcanum vero ſine libera. Docet autem hoc ipſum exemplum; mandanti poſſe eſſe rationes prægnantes, cur præter mandatum manifeſtum mandatario det arcanum, cum interſit mandantis, ne is, cum quo agit per mandatarium, norit, intra quos fines mandatum coarctare voluerit.

§. 653.

Quoniam mandatum arcanum non pervenire debet ad notitiam ejus, cum quo agitur (§. 652.), *mandatarius* autem nil facere debet, niſi quod ipſi fuerit commiſſum (§. 649.), *nec is mandatum arcanum ei, cum quo agitur, manifeſtare poteſt.* *An mandatum arcanum manifeſtare liceat.*

Quodſi enim mandans vellet, quæ in mandato arcano continentur, ei innoteſcere debere, cum quo agitur, nec ipſius intereſſet, ne huic ea innoteſcerent, duplici mandato non foret opus. Quodſi excipias, ubi mandatarius mandatum arcanum adimplevit, cum jam omnia, quæ in eodem continentur, ipſo facto innotuerint ei, cum quo agitur, conſequenter mandantis non amplius interſit, ne hic norit, quæ arcano fuerint mandata, mandatum arcanum manifeſtari poſſe; adhuc fieri poſſe negandum exiſtimo. Mandatarius enim obligatus eſt ad mandatum arcanum non manifeſtandum, vi propoſitionis præſentis, & rationes eſſe etiam poſſunt mandanti, cur nolit mandatum arcanum jam adimpletum innoteſcere ei, cum quo actum fuit. Quamobrem ſtandum eſt ſimpliciter voluntati mandantis.

§. 654.

Quoniam mandatarius nil quicquam facere debet, niſi quod ipſi fuerit commiſſum (§. 649.), mandatum vero arcanum ipſi non alio fine detur, quam ut norit, quid fieri velit mandans (§. 652.); *mandatarius non ex mandato manifeſto, ſed ex arcano agere debet, nec fines hujus excedere poteſt.* *Mandatarii obligatio ex mandato arcano.*

Mandatum ſcilicet arcanum continet agendi normam, quam præſcribit mandatario mandans. Quamobrem nil quicquam facere is poteſt, quod eidem adverſatur. Obligatur mandanti ad non agendum niſi ex præſcripto, etſi alter, cum quo agitur, ignoret, quid fuerit præſcriptum; cui quippe perinde eſt, ſive mandatarius agat cum libera, ſive cum reſtricta poteſtate, prouti ex ſequentibus clarius eluceſcet.

§. 655.

Quia mandatum arcanum innoteſcere non debet ei, cum quo agit mandatarius (§. 652.); *mandatum arcanum tantummodo attenditur in obligatione, qua mandatarius mandanti tenetur (§. 654.), non vero in obligatione, quæ naſcitur ex contractu cum eo inito, cum quo agitur.* *Quemnam reſpiciat mandatum arcanum.*

Nimirum mandans mandato arcano ſibi tantummodo obligare voluit mandatarium, ut non agat, niſi ex præſcripto (§. 654.), conſequenter ne agat, quæ vi mandati manifeſti agere poterat. Quod vero obligetur ei, cum quo mandatarius egit ex hujus facto, id ex mandato manifeſto eſt, non ex arcano, quoniam illud continet voluntatem alteri, cum quo agitur, hoc autem voluntatem nonniſi mandatario ſignificatam. De mea igitur voluntate ſtatuendum eſt mandatario ex mandato arcano; alteri vero, cum quo is meo nomine agit, ex manifeſto.

§. 656.

§. 656.

Obligatio mandatarii ex mandato ſine libera.

Si mandatum fuerit ſine libera, mandatarius nil agere debet, niſi quod expreſſe definitum. Quodſi enim mandatum fuerit ſine libera, mandans præciſe definit, quid a mandatario fieri debeat, nihil arbitrio ejus relinquit (§. 651.). Quamobrem cum mandatarius facere non debeat, niſi quod ipſi commiſſum fuerit (§. 649.), commiſſum vero non eſt, niſi quod expreſſe definitum (§. 651. 641.); ſi mandatum fuerit ſine libera, mandatarius nil facere debet, niſi quod expreſſe definitum.

Ex. gr. mando tibi, ut mihi Titii ædes emas, non tamen majori pretio, quam quater mille thalerorum. Tu non alias ædes quam Titii emere teneris, etſi aliæ, quæ tibi videntur meliores, eodem, vel minori pretio emere poſſis. Neque etiam majus pretium ſolvere licet, quam fuerit mandatum, veluti 4000. thalerorum. Alterutrum enim ſi feceris, fines mandati excedis, tuo arbitrio faciens, quod eidem non relictum.

§. 657.

De quantitate mandata.

Si tibi uſque ad certam quantitatem mando, ut eam in negotium quoddam impendas, totam impendere licet. Quodſi enim uſque ad certam quantitatem mando, ut eam in negotium quoddam impendas; non aliud intendo, quam ne majorem quantitatem impendas, etſi minorem impendere poſſis, ſiquidem res tulerit. Quamobrem cum majorem quantitatem non impendas, ſi eam impendis totam, ad quam uſque fuit mandatum; tota illa quantitas intra fines mandati continetur, ad quam uſque fuerit mandatum, adeoque totam impendere licet.

Ex. gr. Mando tibi uſque ad 4000. thaleros; ut emas ædes. Si 4000. thaleros pro ædibus ſolvis, mandati fines non excedis. Similiter mando uſque ad 12. aureos, ut eos alteri dones. Si 12 aureos dones, mandati fines non excedis. Monet Imperator §. 8. Inſtit. de Mand. veteres JCtos in eo diſſenſiſſe, num terminus quantitatis intra fines mandati contineatur. *Sabino & Caſſio* placuiſſe, quod nonniſi minor quantitas intra fines mandati contineatur, ita ut in priori exemplo pro ædibus non ſint ſolvendi 4000. thaleri, nec in poſteriori donari poſſint 12. aurei. Aliis vero arriſiſſe benigniorem ſententiam, quæ in propoſitione præſente continetur & ab Imperatore approbatur. Atque hæc omnino verior eſt, quemadmodum ex demonſtratione liquet. Standum extra omnem controverſiam eſt voluntati mandantis, quæ ea fuiſſe ſtatuitur, quam verba produnt (§ 427. p. 3. *Jur. natur.*). Jam mandans aut ſimpliciter definit pretium maximum, quod ſolvere vult pro eo, quod emendum, vel quantitatem maximam alio fine impendendam, aut cum ſignificatione, quod mallet pretio minori rem emi, vel quantitatem minorem alio fine impendi. Verba in caſu primo mandantis ſunt: mando ut emas ædes pretio quater mille thalerorum, in altero autem: mando uſque ad quater mille thaleros, ut ædes mihi emas. Quamvis adeo in caſu altero non lubenter vult pretium quater mille thalerorum in ædes emendas impendere, non tamen ideo in hoc pretium non conſentire dici poteſt: conſentit enim, ſiquidem fieri non poſſit, ut minori ematur, adeoque tanto arctius mandatarium obligare vult ad fines mandati non excedendum, ſeu ne majus pretium ſolvat, quam quater mille thalerorum, nec quicquam intentatum prætermittat, quo conſenſum venditoris in minus pretium impetrare forſan poterat. Sane ſi uſque ad certam quantitatem mandans de eo, quod diximus, non aliter eum reſponſurum eſſe, quam *diximus*, non eſt quod dubitemus.

§. 658.

Alius caſus.

Si tibi uſque ad certam quantitatem mando, ut res quaſdam mihi compares; non minorem quantitatem comparare debes, ſi fieri poteſt. Quodſi enim uſque ad certam quantitatem mando, ut res quaſdam mihi compares; non aliud intendo, quam ne minorem, nec majorem compares. Quoniam tamen nemo obligari poteſt ad impoſſibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ideo nec abſolute mandans obligare poteſt mandatarium, ut totam quantitatem ſibi comparet. Quodſi ergo uſque ad certam quantitatem mandem, ut res comparentur; id ideo feciſſe

ciſſe intelligor, ut ſignificem velle, ne minorem compares, ſiquidem fieri poſſit, ut compares totam. Quamobrem ſi tibi uſque ad certam quantitatem mando, ut res quaſdam compares, non minorem quantitatem comparare debes, ſi fieri poteſt.

Ex. gr. Si tibi mando uſque ad ſexaginta modios frumenti, ut mihi emas, quod velim, ne plures emas, quam ſexaginta, ſtatim patet. Enimvero cur non præciſe mando ſexaginta modios, ſed uſque ad ſexaginta: non alia ratio eſſe poteſt, quam quod vel dubitem, num ſexaginta comparare poſſis. Quodſi enim ſexaginta præciſe habuerim opus, vel aliæ ſint rationes prægnantes, cur plures emi minime debeant, utique mando, ne pauciores emas, quam ſexaginta, etſi etiam hic valeat tacita exceptio, ſiquidem haberi hæc quantitas poſſit pro circumſtantiis natis, veluti ſi omnino neceſſe ſit, ut ne omni careas frumento. Quoniam ſimpliciter ſtandum eſt voluntate mandantis, res tota redit ad verborum interpretationem, quemadmodum in caſu præcedenti. Cumque in dubio valere debeat, quod ordinarium eſt; verba uſque ad certam quantitatem mandantis, ut res comparentur, ita interpretanda ſunt, ut ne pauciores compares, ſiquidem fieri poteſt. Qui enim abſolute vult, non pauciores modios frumenti emendos eſſe, quam ſexaginta, is utique mandat, quod nihil emere debeas, niſi præciſe ſexaginta habere poſſis. Sed talibus plenior lux affundetur per ea, quæ de interpretatione ſuo tempore ac loco demonſtraturi ſumus. Ecce vero tibi aliud adhuc exemplum. Mando tibi uſque ad duodecim perdices, ut mihi emas. Facile apparet, me duodecim habere opus. Quamobrem etiam dicere ſubinde ſolemus, nos duodecim habere opus. Quoniam tamen non dico, ne pauciores emas; utique mando, ut emas duodecim, ſiquidem haberi poſſint. Hinc etiam, ſi pauciores te emiſſe contingat, ſignificare ſolemus, tædium, quod ex eo percipitur, additis verbis, nobis gratius fuiſſe futurum, ſi duodecim comparare potuiſſes, immo ex te quærere ſolemus, an non plures habuerit is, a quo emiſti, vel an non noverit, ubinam plures haberi poſſint, & quæ ſunt his gemina. In caſibus particularibus, ubi circumſtantiæ manifeſtæ ſunt, mentem mandantis haud difficulter aſſequi datur, ut de veritate propoſitionis præſentis non ſit dubitandum. Quamvis etiam negare non auſim, circumſtantias particulares, quæ hic non attenduntur, variare poſſe ut caſum, ita etiam jus.

§. 659.

Si mandatum fuerit cum libera, mandatarius idem adimplere debet ex bono & æquo, hoc eſt, *facere quod ſibi bonum vel melius videtur, & quod æquitati minime repugnat*. Quodſi enim mandatum fuerit cum libera, mandans non præciſe definit, quid a mandatario fieri debeat, ſed id arbitrio mandatarii relinquit (§. 651.), adeoque ejus judicio ſtare vult. Quoniam itaque quod volumus, id nobis repræſentamus tanquam bonum (§. 892. *Pſych. empir.*); mandans cum libera utique vult, ut mandatarius faciat, quod ſibi bonum videbitur, adeoque mandatum adimplet ex bono. Et quoniam nemo quicquam facere debet, quod eſt contra jus alterius (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quod non modo injuſtum, verum etiam iniquum eſt (§. 240. *part. 1. Phil. pract. univ.*); mandans cum libera velle nequit, ut mandatarius quicquam faciat, quod æquitati adverſum. Quamobrem mandatarius mandatum quoque adimplere debet ex æquo. *Obligatio mandatarii ex mandato cum libera.*

Ex. gr. Mando tibi, ut mihi ædes emas. Non definio, quænam ſint illæ ædes, quas emere debes, nec pretium, quod pro iis ſolvendum: tuo igitur arbitrio hæc determinanda relinquo. Emere igitur debes ædes, quas mihi commodas & conditioni meæ convenientes judicaveris, pretio non nimis iniquo, nec me inconſulto tales, quibus reparandis multum pecuniæ impendere debemus. Suppono nimirum circumſtantias ex parte mea attendendas tibi cognitas atque perſpectas eſſe, aut, ſi quas ignores, te me inconſulto nil eſſe facturum, quod earum intuitu fieri non debebat. Atque adeo confido, te nil imprudenter eſſe facturum (§ 776. *p. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 660.

Mandatum cum libera adimpletur ex conſenſu præſumto mandantis. Etenim mandatarius nihil facere debet, niſi quod ipſi fuerit commiſſum (§. 649.), conſequenter ſtare debet voluntate mandantis (§. 641.). Quoniam itaque in mandato cum libera expreſſe non definit mandans, quid fieri velit, ſed in genere tantummodo determinat, quid facere debeat mandatarius (§. 651.); hic quid velit *Qualis ſit conſenſus mandantis in mandato cum libera.*

velit mandans præſumere tenetur (§. 244. *part. 2. Jur. nat.*). Mandatum itaque cum libera adimplendum ex conſenſu præſumto mandantis (§. 245. *part. 2. Jur. nat.* & §. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Ex. grat. Si tibi in genere mandavi, ut mihi emas ædes, non definiens quænam vel quales ſint emendæ, nec determinans pretium, quod pro iis ſolvendum; tu tales emere debes, quas me empturum præſumis, & id ſolvere pretium, quod me daturum præſumis. Quamvis enim tibi liberum fecerim; ut facias quod tibi bonum ac æquum videbitur (§. 659.); cum tamen meo nomine agas (§. 640.), id non aliter intelligi poteſt ac debet, quam ut judices, quid mihi bonum ſit, conſequenter non facias, niſi in quod me conſenſurum præſumis.

§. 661.

Mandatarius perſonam mandantis repræſentat in exequendo mandato. *Quod Mandatarius facit intra fines mandati, tu feciſſe putandus es.* Etenim mandatarius tuo nomine facit, quod facit, dum mandatum exequitur (§. 640.), & quamdiu fines mandati non excedit, non ſua, ſed tua voluntate agit. Quamvis enim in mandato cum libera non omnia præciſe definiantur, quæ ab eo fieri debent, ſed multa aut quædam arbitrio ipſius relinquantur (§. 651.), ex conſenſu tamen præſumto mandatum adimplet (§. 245. *part. 2. Jur. natur.*), quatenus nimirum te idem velle, quod facturus eſt, tu declaraſti. Quamdiu itaque mandatarius facit quod intra fines mandati continetur; perinde omnino eſt ac ſi tu ipſe hoc faceres, conſequenter tu hoc feciſſe putandus es.

In gerendo negotio ſibi commiſſo mandatarius perſonam mandantis repræſentat, quamdiu fines mandati non excedit. Quando autem hos excedit, cum non amplius tua, ſed propria voluntate agat, nec perſonam tuam amplius repræſentat, neque dici poteſt te feciſſe, quod facit.

§. 662.

Notanda quoad mandatum duplex. Quoniam mandatum arcanum non attenditur, quatenus mandatarius cum altero tuo agit nomine (§. 655.), conſequenter hic ſaltem mandati manifeſti habenda ratio (§. 652.), *quod mandatarius facit intra fines mandati manifeſti, id a te factum eſſe recte ſumit is, cum quo tuo nomine agitur* (§. 661.).

Nimirum quoad eum, cum quo per mandatarium agitur, perinde eſt, ac ſi mandatum arcanum abeſſet, & mandatarius ex ſolo præſcripto mandati manifeſti agere teneretur. Quamdiu itaque hujus fines non excedit, tamdiu tu feciſſe putandus es, quod facit: ſit ita, quod vi mandati arcani, quo agendi modus reſtringitur, facere non potuerit, quod fecit. Quodſi enim arcani fines excedit, de eo tibi ſoli tenetur (§. 655.).

§. 663.

Quænam obligationes contrahantur a mandatario. Quoniam quod *mandatarius* intra fines mandati manifeſti facit mandans ipſe feciſſe putatur (§. 661.); *Quod intra fines mandati manifeſti promittit ei, cum quo agitur, hoc ipſe mandans promiſiſſe, & quod acceptat, mandans ipſe acceptaſſe putatur*, conſequenter eum promittendo perfecte obligemur acceptanti (§. 363. 381. *p.* 3. *Jur. nat.*), *mandatarius promittendo intra fines mandati manifeſti non ſe, ſed mandantem ei obligat, cum quo agit, & acceptando hunc ſibi, ſed non mandante obligat.*

Nimirum quod extra fines mandati manifeſti facit mandatarius, quando nomine alterius cum altero agit, ſua, non mandantis voluntate facit, adeoque mandantem ſine conſenſu ipſius alteri obligare, nec alterum ipſi obligare valet, niſi quatenus vi arcani ſe obligavit ad idem ratihabendum (§. 667.).

§. 664.

Neceſſitas mandati manifeſti. *Si mandatarius nomine mandantis cum altero agere debet; mandato manifeſto opus eſt.* Etenim mandatarius mandantem alteri, cum quo agit nomine mandantis, obliga-

obligare nequit, nec hunc mandanti obligare valet, niſi quamdiu fines mandati non excedit (§. 663.), conſequenter nonniſi intra fines mandati valide cum altero mandantis nomine agit. Neceſſe igitur eſt, ut ei, cum quo agitur, conſtet, quidnam mandatum fuerit. Quamobrem cum mandatum manifeſtum ſit, quod ad notitiam ejus, cum quo mandatarius nomine mandantis agit, pervenit (§. 652.); ſi mandatarius nomine mandantis cum altero agere debet, mandato manifeſto opus eſt.

Incautus eſt, qui ſine mandato manifeſto cum aliquo nomine alterius agit. Ignorat enim fines mandati, quos mandatarius excedere nequit, ut valide agat, conſequenter imprudentiæ ſuæ tribuere debet, ſi nihil fuerit actum (§. 776. *p. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 665.

Mandatarius num ſit miniſter.

Mandatarius eſt miniſter obligationis contrahendæ. Etenim per mandatarium obligatio contrahitur tum ex parte mandantis, tum ex parte ejus, cum quo nomine mandantis agitur (§. 663.). Enimvero miniſter contrahendæ obligationis eſt, per quem obligationem contrahi volumus ſive ex parte noſtri, ſive ex parte alterius (§. 721. *part. 3. Jur. nat.*). Mandatarius itaque eſt miniſter obligationis contrahendæ.

Quæ igitur de miniſtro demonſtrata ſunt & annotata (§. 722. & ſeqq. *part. 3. Jur. nat.*), ea de mandatario accipienda.

§. 666.

Obligatio mandantis ad ratihabendum factum mandatarii.

Mandans ſe obligat mandatario, quod ratum ſit habiturus, quicquid is intra fines mandati facturus. Mandatarius enim miniſter mandantis eſt (§. 663.). Quamobrem cum is, qui per miniſtrum cum altero agit, miniſtro ſeſe obligare teneatur, quod ratum habere velit, quicquid voluntati ſuæ ipſi ſufficienter indicatæ convenienter ſit acturus (§. 727. *part. 3. Jur. nat.*); mandans mandatario ſeſe obligat, quod ratum ſit habiturus, quicquid intra fines mandati facturus.

Ex. gr. Si tibi mando, ut mihi emas fundum pretio trium millium thalerorum, ego me tibi obligo, quod contractum a te initum ratum ſim habiturus. Quamobrem ſi fundum tanto pretio emis, emtionem ratam habere teneor, &, ſi pœnitere velim, tibi competit jus me vi adigendi, ut pretium ſolvam & ædes mihi tradi patiar.

§. 667.

Eadem porro expenditur.

Quoniam mandatarius ex mandato arcano agere debet, non ex manifeſto (§. 654.), adeoque quoad ipſum perinde eſt, ac ſi manifeſtum datum non fuiſſet, mandans vero ſeſe eidem obligat, quod ratum ſit habiturus, quicquid is intra fines mandati facturus (§. 666.); *mandans mandatario obligatur ad ratihabendum, quicquid intra fines mandati arcani egit.*

Ex. gr. Si tibi dedero mandatum manifeſtum uſque ad ducentos aureos, ut emas mihi fundum; arcanum vero uſque ad 250. & tu eundem emis pretio 250, quaſi ſub ſpe ratihabitionis & quod hac non ſubſecuta a te emtum videri velis; ego obligatus tibi ſum ad contractum ratihabendum.

§. 668.

Quando mandata-

Si mandato arcano aliter mandatum, quam manifeſto & mandans ſtare nolit manifeſto; quando tu egiſti ex arcano, tu ei, cum quo actum eſt quaſi proprio nomine, tene-

rius proprio nomine tenetur ei, cum quo actum.

teneris proprio nomine, niſi mandatum arcanum manifeſtaveris. Mandatarius enim mandantem ei, cum quo nomine mandantis agit, obligare nequit, niſi intra fines mandati manifeſti (§. 663.). Quamobrem ſi mandato arcano aliter mandatum, quam manifeſto, & tu ex arcano cum altero agis quaſi proprio nomine; tu non mandantem, ſed te ipſi obligas, conſequenter proprio nomine ipſi teneris. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi mandatum arcanum manifeſtas, cum ex manifeſto cum altero contrahere non poſſis; mandatum arcanum abit in manifeſtum (§. 652.). Quicquid ergo intra fines hujus arcani agis, ad id mandantem alteri, cum quo agis, obligas. *Quod erat alterum.*

Ex.grat. In exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 667.), ſi tu quaſi proprio nomine conſentis in pretium 250. aureorum, tu cum venditore contraxiſſe videris. Aſt ubi venditor conſentire noluerit in pretium ducentorum aureorum, quod offertur in mandato manifeſto, & tu ulterius ſpondens 50. mandato arcano producto, jam tu non proprio nomine venditori obligaris, ſed mandantem eidem obligas ad ſolvendum 250. aureos.

§. 669.

Quomodo ſe gerere debeat mandatarius ſi manifeſte aliter mandetur, quam arcano.

Si mandato arcano aliter mandatum, quam manifeſto, nec intereſt mandantis, ne arcanum manifeſtetur; arcanum manifeſtare licet: quodſi vero interſit mandantis, ne manifeſtetur, ex arcano agendum vel ſpe ratihabitionis, vel quaſi proprio nomine. Quodſi enim mandato arcano aliter mandatum, quam manifeſto, mandans utique vult, ut, niſi negotium intra fines manifeſti perfici queat, intra fines arcani geratur, conſequenter mandatarius obligatur mandanti, ut primum negotium gerat intra fines mandati manifeſti, ubi vero negotium intra ejus fines perfici nequit, intra fines arcani idem gerat (§. 649.). Quodſi ergo non intereſt mandantis, ne arcanum manifeſtetur; in arcani manifeſtationem conſentire præſumitur (§. 245. *part. 2. Jur. nat.* & §. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*), niſi expreſſe eandem mandaverit, adeoque jus manifeſtandi in mandatarium contulerit. Mandatum adeo arcanum manifeſtare licet. *Quod erat unum.*

Quodſi vero interſit mandantis, ne manifeſtetur, in arcani manifeſtationem conſentire præſumi nequit. Quamobrem cum ex arcano, niſi manifeſtetur, valide cum altero agere non poſſis nomine mandantis (§. 663.); ne tecum agere detrectet, cum mandans tibi obligatus ſit ad ratihabendum, quicquid intra fines mandati arcani egiſti (§. 667.), aut agendum eſt ex arcano ſub ſpe ratihabitionis, aut, ſi ſub eadem agere noluerit, quaſi proprio nomine, ſiquidem negotium tale ſit, ut proprio nomine cum eo agere poſſis. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Si tibi mando manifeſto ducentos aureos, arcano autem 250; ut emas fundum & venditor conſentire non vult in pretium minus quam 250; nil obſtat, quo minus mandatum arcanum manifeſtes, ut nomine mandantis ematur. Aſt ſi conſentit in pretium minus, veluti in 230; quoniam venditorem emtori obligare nequis niſi intra terminos mandati manifeſti (§. 663.) non conſultum eſt, ut arcanum manifeſtetur; antequam contractus ſit validus. Contrahendum igitur eſt ſub ſpe ratihabitionis & ſub hac conditione, ſi ratihabuerit. Quodſi vero ita contrahere nolit, non reſtat aliud, quam ut cum eo contrahas quaſi proprio nomine, vel ut a te res emta videatur, vel ut tu 30 aureos ſolvas, ſi mandans ſolvere nolit niſi 200, qui fuerant mandati.

§. 670.

Quomodo ſe gerere debeat ſi arcano tantum mandatum erit.

Si mandatarius ſolo mandato arcano inſtructus agit, jus ſuum ſine conſenſu ejus, cum quo egit, cedere poteſt. Quoniam mandatum arcanum non pervenit ad notitiam ejus, cum quo agitur (§. 652.), mandatarius cum eo agere nequit niſi proprio nomine, conſequenter contrahendo non mandanti, ſed ſibi jus acquirit, nec alteri, cum quo contrahit, mandantem, ſed ſe obligat. Enimvero man-

mandato arcano mandans ſe tibi obligavit ad ratihabendum, quod intra fines mandati acturus es (§. *666.*), conſequenter etiam ad acceptandum jus, quod intra eos cum altero agens acquiſiviſti, & tu eodem obligatus es non tibi, ſed mandanti jus acquirere (§. *649.*). Quamobrem cum jus alteri cedamus, quando quod nobis competit in alterum transferimus (§. 81. *part.* 3. *Jur. nat.*), qui mandato arcano ſolo inſtructus agit, jus ſuum, quod acquirit, mandanti cedere debet. *Quod erat unum.*

Ceſſio autem fieri poteſt invito eo, qui cedenti ad aliquid præſtandum obligatur (§. 89. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem non opus eſt, ut is conſentiat (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Mandatarius adeo ſi ſolo mandato arcano inſtructus egit, ſine conſenſu ejus, cum quo egit, jus ſuum cedere poteſt. *Quod erat alterum.*

Ex. grat. Si tibi arcane mando ducentos aureos, ut fundum emas, & tu eum emas ſive tanto pretio, ſive minori, jus tuum mihi cedere debes, ut fundus mihi fit emtus, nec opus eſt, ut in ceſſionem conſentiat venditor (§. 89. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 671.

Si fines mandati arcani excedas, quo ſolo inſtructus eras, & mandans ceſſionem acceptare nolit; tu manes ei obligatus, cum quo contraxiſti. Patet enim ex demonſtratione præcedente, te ex contractu obligari ei, cum quo egiſti. Quoniam vero mandans ſeſe tibi non obligavit niſi ad ratihabendum, quod intra fines mandati arcani facturus es (§. *667.*); ceſſionem acceptare non tenetur, ſi fines illos exceſſiſti. Quamobrem cum jus a te acquiſitum cum adhærente obligatione non tranſeat in mandantem (§. 81. *part.* 3. *Jur. nat.*); jus illud manet tuum & tu ei, cum quo contraxiſti, obligatus manes. *Quid ſi fines mandati arcani excedat mandatarius*

Ex. gr. Si arcane mando ducentos aureos, ut emas fundum, & tu eum emis pretio 250. ego autem ceſſionem acceptare nolo; fundus tibi emtus eſt & manet.

§. 672.

Si intra fines mandati arcani vel etiam manifeſti, quo ſolo inſtructus es, cum altero nil agere potes: tuo nomine & tui cauſa cum eo agere potes. Quoniam enim fines mandati excedere non licet (§. *649.*); ſi intra eos cum altero nil agere potes, ad non agendum cum altero nomine mandantis teneris. Quamobrem cum mandanti quoad hoc negotium non amplius ſis obligatus, nil obſtat, quo minus jam tuo nomine ac tui cauſa cum eo agas. Agere igitur potes (§. 941. *Ontol.*). *Quando mandato unico inſtructus ſui cauſa agere poſſit.*

Ex. grat. Si tibi arcane vel manifeſte mando uſque ad ducentos aureos, ut fundum emas, venditor autem conſentire non vult, niſi in pretium 250. aureorum, tibi vero viſum fuerit, tanto pretio tibi fundum emere, tu eum tibi emere potes, nec eum cedere teneris mandanti, etiamſi is 250 aureos ſolvere velit. Ceterum hic probe notandum, ſi mandato manifeſto aliter mandetur, quam arcano, nec ex manifeſto cum altero quicquam agere potes, perinde eſſe ac ſi ſolo arcano ſis inſtructus. Mandatum enim manifeſtum inutile eſt, quamprimum intra ejus fines nil agi poteſt, atque adeo perinde eſt ac ſi datum non fuiſſet. E. gr. manifeſte tibi mando 200, arcane 250. aureos, ut emas fundum. Si in 200. conſentire nolit venditor, cum tibi jam agendum ſit ex mandato arcano; perinde omnino eſt ac ſi tibi tantummodo mandati fuiſſent aurei 250.

§. 673.

Si mandatarius contra fines mandati agit, nihil agit, ſeu actus geſtus nullus eſt. Etenim mandatarius nil quicquam facere debet, niſi quod ipſi fuerit commiſ- *Quando mandatarius nihil agit.*

ſum

ſum (§. 649.). Quodſi ergo contra fines mandati agit, mandans non obligatur ad id ratihabendum (§. 666.), conſequenter alteri, cum quo actum eſt, non obligatur (§. 652.). Enimvero quoniam mandatarius cum hoc non egit proprio nomine, ſed nomine mandantis, & alter cum eo ſic contraxit (§. *cit.*); eidem quoque ipſe non obligatur. Nihil igitur actum eſt.

Ex. gr. Si tibi manifeſte mando ducentos aureos, ut emas fundum Titii, tu vero conſentis in ducentos quinquaginta, ut mihi ſit emtus. Ego emtionem ratihabere non teneor, conſequenter fundus non emtus eſt. Sibi imputet Titius, quod, cum ei conſtaret, tibi non mandatos aureos niſi ducentos, ultra hoc pretium contrahere voluerit.

§. 674.

Quando actus contra fines mandati geſtus jure interno ratihabendus.

Si mandatarius contra fines mandati quidem agit, ſed non in damnum tui; jure interno actum ejus ratihabere debes, ſed non externo. Quodſi enim mandatarius nil agit in tui damnum, dum contra fines mandati agit, ſibi perſuadet te in hunc actum conſenſurum, adeoque agit bona fide commodum tuum promoturus, utpote gratis agens (§. 640.), adeoque nullam utilitatem propriam inde percipiens (§. 18.). Quoniam itaque ratio nulla eſt, cur actum ratihabere nolis, qui commodi tui cauſa eum agere voluiſti; quin naturaliter, adeoque jure interno (§. 396. *part. 3. Jur. nat.*), obligeris ad eum ratihabendum dubitandum non eſt (§. 56. 118. *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Quoniam tamen mandans te non obligaſti mandatario niſi ad ratihabendum quicquid intra fines mandati ſit acturus (§. 666.); jure externo ad actum contra fines mandati, etſi in nullum tui damnum geſtum, ratihabendum non obligaris. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Mando tibi ducentos aureos, ut emas fundum Titii. Is conſentire non vult niſi in pretium 220. pretium hoc cum non ſit iniquum, tu eundem tanto pretio emis, tibi perſuadens male me dare 220. aureos, quam fundum iſtum non emere. Nulla ſane ratio eſt, cur emtionem cum nullo meo damno conjunctam ratihabere nolim, quamvis me tibi externe non obligaverim, niſi ad ratihabendum pretium ducentorum aureorum. Æquum igitur eſt, ut ratihabeam, etſi minore pretio emtum fundum maluiſſem. Supponitur nimirum, tua non referre, ut 20. aureos in emtionem fundi adhuc impendas, ſecus enim emtio in tui damnum facta foret contra hypotheſin.

§. 675.

De mandato executioni non dato.

Si mandatarius mandatum non exequitur, tenetur mandanti ad id quod intereſt, mandatum executioni datum non fuiſſe. Mandatarius enim obligatur ad mandatum omni diligentia exequendum (§. 649.), conſequenter ſi mandatum non exequitur, & mandans damnum incurrit, vel lucrum quoddam ejus ceſſat, id ideo fit, quod mandatarius non ſatisfacit obligationi ſuæ. Enimvero ſi quis damnum incurrit, vel lucrum quoddam ejus ceſſat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti, ad id quod intereſt teneris (§. 629. *part. 3. Jur. nat.*). Ergo ſi mandatarius mandatum non exequitur, tenetur mandanti ad id quod intereſt, mandatum executioni datum non fuiſſe.

Mando tibi, ut mihi certas merces in nundinis emas. Tu non emis, & ego majori pretio eas emere teneor. Teneris ergo mihi reſtituere, quod ultra pretium, quo in nundinis emi poterant, ſolvendum.

§. 676.

An mandatarius executionem

Mandatarius in favorem tertii executionem mandati intermittere nequit. Obligatus enim eſt ad omni diligentia faciendum, quod ipſi faciendum committitur (§. 649.), adeoque ipſius arbitrii non eſt, utrum mandatum exequi velit, an qua-

an quacunque de cauſa exequi nolit (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec ipſe ſe ab hac obligatione liberare poteſt (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem nec in favorem tertii executionem mandati intermittere poteſt.

mandati in favorem tertii intermittere nequeat.

Ex. gr. Mando tibi ædes Titii, ut mihi emes. Rogat te Sempronius amicus tuus, ut ſibi emendas relinquas: tu in ejus favorem mandati executionem intermittere non debes, ſed quamdiu intra fines mandati emere potes, ab executione non deſiſtendum. Quodſi enim is majus pretium offerat, quam tibi mandatum, cum tu fines mandati excedere nequeas, agere non amplius potes, adeoque ab executione mandati non deſiſtis in favorem ipſius. Non eſt quod excipias, Sempronium ædibus iſtis magis indigere, quam me, & has ipſi adeo commodas eſſe, ut alias commodiores facile reperire non poſſit, cum ego reperire alias mihi commodiores facile queam, adeoque officium humanitatis eſſe ut locus relinquatur precibus ejus. Cum enim tu non agas propria, ſed mea voluntate, tuum nullum eſt de re emenda judicium, & quoniam mihi obligatus es ad hoc faciendum, officium humanitatis præſtare alteri, ut ne facias, in poteſtate tua non eſt.

§. 677.

De eo, quod ex re tua ad alterum pervenit.

Quod ex re mea ad te pervenit, id mihi reſtituere teneris. Quoniam enim dominium eſt jus de re pro arbitrio ſuo diſponendi (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), & dominus hoc jure excludit ceteros omnes (§. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*); ipſe quoque ſolus utilitatem ex ea percipere poteſt, nec quiſquam alius. Quamobrem cum utilitatem quandam ex re mea percipias, ſi quid ex ea ad te perveniat, id ipſum meum eſt. Quoniam itaque quod meum eſt mihi reſtituere teneris (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*); quod ex re mea ad te pervenit, id mihi reſtituere teneris.

§. 678.

An ex re aliena locupletiorem fieri liceat.

Nemo locupletior fieri debet ex re alterius. Quoniam locupletior fis ex re mea, quando ex ea aliquid ad te pervenit, vel in locum rei meæ, quam habueras, ſuccedit (§. 584. *part.* 2. *Jur. nat.*); id vero reſtituendum eſt, quod ex re mea ad te pervenit (§. 677.), nec minus reſtituendum mihi tantundem, quantum ex re mea non amplius extante locupletior factus es (§. 586. *part.* 2. *Jur. nat.*); ideo in genere patet, te ex re mea locupletiorem fieri non poſſe.

Nimirum dominio repugnat, ut quis ex re aliena lucrum quoddam percipiat, adeoque locupletior fiat, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis facile intelligitur. Nulla ſane ratio eſt, cur quis alius præter dominum utilitatem quandam ex re percipere debeat ipſius, qui omni jure in eadem excludit quemvis alium (§. 120 *p.* 2. *Jur. nat.*).

§. 679.

De eo, quod præter rem commodanti & deponenti reſtituendum.

Si commodatarius, vel depoſitarius, pro uſu rei ſibi commodatæ, vel apud ſe depoſitæ alteri conceſſo aliquid accipit; id commodanti vel deponenti reſtituere tenetur. Quod enim commodatarius vel depoſitarius pro uſu rei ſibi commodatæ, vel apud ſe depoſitæ alteri conceſſo accipit, id ex re commodantis, vel deponentis ad eum pervenit. Enimvero quod ex re alterius ad aliquem pervenit, id eidem reſtituere tenetur (§. 677.). Quamobrem quod commodatarius vel depoſitarius pro uſu rei ſibi commodatæ, vel apud ſe depoſitæ alteri conceſſo accipit, id commodanti vel deponenti reſtituere tenetur.

Nec refert, quod ſine conſenſu commodantis, vel deponentis uſum rei alteri conceſſeris, adeoque nec is conſenſerit in lucrum pro eodem accipiendum, conſequenter tu lucrum tibi quæſiveris tuo periculo (§. 446. 600.). Neque enim quod ſine conſenſu domini tibi arrogaveris jus minime competens (§. 652. *p.* 2. *Jur. nat.*), ideo ex re ipſius locupletari potes (§. 678.).

Neque

Neque etiam excipi poteſt, quod pro periculo, quod ſubiiſti, lucrum acceperis, adeoque id dici minime poſſit ex re aliena ad te perveniſſe: etenim tuum jam ante erat periculum vi contractus (§. 446 600.), quod adeo ſponte ſubire non voluiſti, aliud a domino averſurus.

§. 680.

De eo, quod mandatarius occaſione mandati reſtituere tenetur.

Mandatarius mandanti reſtituere tenetur, quicquid occaſione mandati ad eum pervenit, etiam ſi quoad hoc, quod ad ipſum pervenit, præter mandatum egit. Mandatarius enim non proprio, ſed tuo nomine agit (§. 640), adeoque quod occaſione mandati ad eum pervenit, ex re tua ad eum pervenire intelligitur. Quoniam itaque alteri reſtituendum, quod ex re ipſius ad alium pervenit (§. 677.), nec mandatarius, cum negotium mandantis gratis gerat (§. 640.), aliquid viciſſim recipere poſſit (§. 18.); quod occaſione mandati ad mandatarium pervenit, id ipſe eidem reſtituere tenetur. *Quod erat primum.*

Quamvis vero in exequendo mandato fines non excedat, adeoque hoc pacto facit, quod facere debebat (§. 649.); non tamen ideo, quod occaſione mandati ad ipſum pervenit, dum præterea agit præter mandatum, dici poteſt, id ad ipſum minime perveniſſe occaſione mandati. Quamobrem cum mandanti reſtituendum ſit, quod occaſione mandati ad eum pervenit *per demonſtrata*; idem adhuc reſtituendum erit, etiamſi quoad hoc, quod ad ipſum pervenit, præter mandatum egit. *Quod erat ſecundum.*

Recte igitur *Ulpianus* ait l. 10. ff. de Mand. l. contra, bonæ fidei congruere, ne mandatarius de alieno lucrum ſentiat. Exemplum dat tale. Si ex fundo, quem mihi emit, procurator fructus conſecutus eſt, hos quoque præſtare eum oportet. Supponitur utique, fundum eſſe emtum pro pretio mandato, fructus autem non fuiſſe mandatos. Quodſi enim fundus cum fructibus mandatus fuiſſet, ut tanto pretio emeretur, eo ſine fructibus emto fines mandati exceſſiſſet mandatarius, & ubi cum fructibus emtus; nullum dubium erat, quod iidem eſſe debeant mandantis. Addamus exemplum aliud. Mando tibi centum aureos, ut mihi emas equos Titii. Tu eos emis pretio 96. aureorum, & convenis cum Titio, ut addat vitulum. Vitulus non tuus eſt, ſed mihi reſtituendus, etſi non mandaverim, ut vitulum una emeres, nec in pretium minus conſenſiſſet venditor, licet vitulum addi non juſſiſſes.

§. 681.

Mandatarius ſibi donatum reſtituere mandanti non tenetur.

Si is, cum quo agitur, mandato adimpleto, mandatario quid donat; id mandatarius mandanti reſtituere non tenetur. Quod enim mandatario donatur, id ipſi datur, non mandanti (§. 48.), adeoque mandatarii proprium eſt (§. 675. 124. *p. 2. Jur. nat.*). Et quia mandatum jam fuerat adimpletum, cum donaret; quod donatur non occaſione mandati ad eum pervenit. Nulla igitur ratio eſt, cur mandatarius quod ſuum eſt mandanti reſtituere teneatur, utut non accepiſſet, niſi cum eo egiſſet. Quamobrem mandatarius reſtituere non tenetur, quod mandato jam adimpleto is eidem donat, cum quo actum fuerat.

Quando quid donatur mandatario, mandato jam adimpleto, donatio actus eſt, qui ad negotium, quod nomine alterius geris, nullo modo pertinet: hoc enim jam geſtum & eo modo ſubſiſtit, quo geſtum fuit, ſive is accedat, ſive non. Quod adeo datur occaſione negotii geſti, ad te minime pervenit occaſione mandati, quod dat facultatem negotium gerendi. In motivum equidem donandi influit negotium geſtum; ſed cum donationis mentio non facta, antequam fuerat perfectum, propterea non aliter geſtum propriæ utilitatis gratia, ut adeo mandanti perinde ſit ſive quid donatum fuerit, ſive non. Mandantis adeo nullo modo intereſt donatum non fuiſſe.

§. 682.

De indemnitate mandatarii.

Mandans mandatario reſtituere tenetur impenſas, ſine quibus negotium geri non poteſt, & reſarcire damnum, quod occaſione mandati incurrit, ſeu mandatarium indemnem præſtare debet. Mandans enim tuo nomine agit, & quod in negotium,

quod gerit, impendendum, tuo nomine impendit, ſuaque voluntate (§. 640. *h.* & §. 941. *Ontol.*). Præterea ſe quidem obligavit ad negotium gratis gerendum, ſed non ad impenſas faciendas, ſine quibus negotium geri non poteſt (§. 640.). Quamobrem mandans mandanti reſtituere tenetur impenſas, ſine quibus negotium geri non poteſt. *Quod erat unum.*

Quoniam mandatarius tuo nomine agit & quidem gratis (§. 640.), ut adeo nihil viciſſim a te recipiat (§. 18.), nemo autem naturaliter obligatur cum neglectu officii erga ſeipſum, adeoque cum ſuo damno (§. 493. *part.* 2. *Jur. nat.*), præſtare alteri officium (§. 609. *part.* 1. *Jur. nat.*); mandans velle nequit, ut mandatario officium ſuum ſit damnoſum, adeoque ſi mandatarius occaſione mandati damnum quoddam incurrit, id reſarcire tenetur. *Quod erat ſecundum.*

Ex. gr. Mando tibi ut emas in nundinis mihi equos. Quæ in via impendis, ut ad me deferri poſſint, ea utique tibi reſtituere teneor. Similiter mando tibi ut emas merces: mercedem, quam aurigæ ſolvis, ut ad me advehantur, & ei, qui ad aurigam eas deferre tenetur, tibi reſtituere teneor. Quodſi ſine culpa tua amittas veſtes neceſſarias; damnum tibi reſarcire tenetur mandator, quoniam jacturam earum non feciſſes; niſi negotium ipſius gerendum in te ſuſcepiſſes. Eodem modo patet, expenſas ad victum & iter neceſſarias reſtitui debere mandatario, ſi nempe iter ſolius mandati cauſa ingrediatur quod hic ſupponitur: alias enim expenſæ non fierent occaſione mandati. Nec eſt, quod dicas, detrahendas eſſe impenſas domi faciendas. Sua enim, quæ domi agere poterat, interea negligit, dum tui cauſa iter facit.

§. 683.

Si mandatarius agit, ſine quo mandatum adimpleri nequit, id mandatum cenſetur. Etenim mandans vult, ut mandatarius mandatum adimpleat (§. 640.) & mandatarium ad hoc faciendum ſibi obligavit (§. 641.). Quamobrem neceſſe eſt, ut etiam velit ea, ſine quibus mandatum adimpleri nequit, & ad hæc quoque agenda mandatarium ſibi obligaſſe cenſetur. Patet itaque, ſi mandatarius agit, ſine quibus mandatum adimpleri nequit, ea mandata cenſeri debere. *An mandata cenſeri debeant, ſine quibus mandatum adimpleri nequit.*

Ex. gr. Mando tibi, ut in nundinis Lipſienſibus mihi emas merces, ad quas te tui cauſa profecturum non eſſe novi. Quoniam merces mihi emere non potes, niſi Lipſiam proficiſcaris; iter ad nundinas Lipſienſes tibi mandatum intelligitur. Ceterum ex hac ipſa propoſitione inferri poterat pars prima præcedentis, quod etiam impenſæ, ſine quibus negotium geri nequit, mandatæ intelligantur.

§. 684.

Si mandatarius dolo vel culpa ſua in gerendo negotio damnum dat, id reſarcire tenetur. Obligatur enim ad negotium omni diligentia gerendum (§. 649.). Quamobrem cum non modo naturaliter obligatus quilibet ſit ad damnum dolo vel culpa ſua datum alteri reſarciendum (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*), verum etiam ad non dandum dolo vel culpa damnum ſeſe obligaverit mandatarius *per demonſtrata*; ſi is dolo vel culpa ſua in negotio gerendo damnum dat mandanti, id utique reſarcire tenetur. *De damno a mandatario reſarciendo.*

Naturaliter mandatarius ſe obligaſſe intelligitur ad id, ad quod naturaliter obligatus eſt. Qui enim novit, ſe eſſe minus diligentem in rebus ſuis adminiſtrandis, in negotia alterius gerenda ſuſcipere minime debet. Nos adeo minime tangunt difficultates, quas Juris Romani interpretes movent, quando quæritur, num mandatarius culpam leviſſimam etiam præſtare teneatur.

§. 685.

Si mandans negotium gerendum committit homini negligenti, quem negligentem eſſe novit, vel noſſe poterat; damnum negligentia ipſius datum inter mandantem & man- *Quando damnum communicent*

mandans & mandatarius.

& mandatarium dividendum pro ratione culpæ. Eodem nimirum modo oſtenditur, mandatorem in culpa eſſe, ſi negotium gerendum committat homini, quem negligentem eſſe novit, vel noſſe poterat, quo idem ſupra de deponente demonſtravimus (§. 590.). Unde porro propoſitio præſens eodem modo demonſtratur, quo ſupra evicimus, damnum inter deponentem & depoſitarium eſſe dividendum in ratione culpæ utriuſque, quo in caſu ſimili idem oſtendimus de deponente ac depoſitario (§. 591.).

Nimirum mandator in hypotheſi propoſitionis præſentis concurrit ad actum culpoſum mandatarii, quem prævidere, adeoque evitare poterat ac debebat (§. 493. 495. *part. 2. Jur. nat.*). Nulla igitur ratio eſt, cur actus culpoſus ſoli mandatario imputari debeat, cum non minus tua, quam mandatarii culpa datum ſit damnum.

§. 686.

De caſu a mandatore non præſtando.

Si mandatarius caſu quodam in expeditione mandati in damnum incurrit, in quod etiam incurrere poterat, ſi mandatum non ſuſcepiſſet; mandans idem reſarcire non tenetur. Etenim ſi mandatarius in expeditione mandati caſu quodam in damnum incurrit, in quod etiam incurrere poterat, ſi mandatum non ſuſcepiſſet; nec ipſi damnum obvenit occaſione mandati, aut, ſi mavis, ex mandato, nec quia mandatum iſtud ſuſcepit. Quamobrem cum mandans non obligetur mandatario niſi ex mandato (§. 640.); nulla ſane ratio eſt, cur mandans mandatario reſarcire debeat damnum, in quod etiam incurrere poterat, etiamſi mandatum non ſuſcepiſſet. Damnum adeo ipſi reſarcire non tenetur.

Si peregre agas mandati exequendi cauſa & in morbum incidens quædam in Medicos & medicamenta erogare cogaris; damnum, quod morbo tibi datur, reſarcire non tenetur mandator. Similiter ſi equo tuo utaris in itinere, quod mandati exequendi cauſa ſuſcepiſti, & hic intereat; damnum, quod pateris, reſarcire non tenetur mandator.

§. 687.

De damno ex exceſſu mandati, ſeu præter mandatum acto proveniente.

Si quod damnum obvenit mandatario occaſione exceſſus mandati, ſeu ex eo, quod præter mandatum agit; id mandans reſarcire non tenetur. Mandatarius enim mandatum non excedere, nec quicquam præter mandatum agere debet (§. 649.). Quatenus itaque hoc facit, mandans eidem ad nihil obligatur. Quamobrem ſi quod damnum obvenit mandatario occaſione exceſſus mandati, ſeu ex eo, quod præter mandatum agit; id mandans reſarcire non tenetur.

Nimirum mandator ex mandato non obligatur mandatario, niſi quia ipſius nomine & ipſius cauſa agit, adeoque perſonam ejuſdem repræſentat, ut adeo, quæ ex mandato, dum idem exequitur, ei obveniunt, eadem accidiſſent mandatori, ſi ipſe negotium ſuum geſſiſſet. Quando agit præter mandatum & quocunque modo fines ejus excedit, ceſſat ratio obligationis, quæ ex mandato venit, conſequenter nec ulla amplius ratio eſt, cur quicquam ipſi reſtituere debeat mandator, ſi damnum quoddam patitur, quia præter mandatum egit; vel ejus fines exceſſit, aut dum hoc fecit. Quamobrem de eo, quod reſarciendum a mandatore, ſi inciderit quæſtio, nil prorſus difficultatis ſupererit, modo inquiras, num mandatario quid obvenerit, quod ipſi mandanti eveniſſet, ſi ipſe negotium ſuum geſſiſſet. Neque enim niſi in hoc caſu dici poteſt, quod obvenerit ex mandato, aut occaſione mandati damnum aliquod, quod patiatur mandatarius.

§. 688.

Quatenus mandator maneat obligatus man-

Si mandatarius fines mandati excedit, aut præter mandatum quicquam agit, mandator tamen eidem manet obligatus quoad ea, ad quæ intra fines mandati ipſi obligatur. Quoniam enim mandatarius fines mandati excedere non debet, nec quicquam præter mandatum agere (§. 649.); mandator eidem non obligavit ſeſe,

ipſe, niſi quatenus intra fines mandati agit, adeoque eidem obligatus eſt quoad ea, quæ intra mandati fines egit, non vero obligatus eſt quoad ea, in quibus mandati fines exceſſit, ſeu quæ præter mandatum egit. Enimvero quod mandator non obligatus ſit mandatario quoad ea, in quibus mandati fines exceſſit, ſeu quæ præter mandatum egit, ex eo nulla conſequentia infertur, quod obligatus non ſit quoad ea, quæ intra fines mandati egit, adeoque non obligatio poſterior minime tollit obligationem priorem. Quamobrem ſi mandatarius fines mandati excedit, aut præter mandatum quicquam agit, mandator tamen eidem manet obligatus quoad ea, ad quæ intra fines mandati ipſi obligatur. *datario fines mandati excedenti.*

Ex. gr. Mando tibi certam mercium quantitatem, ut mihi emas in nundinis, ad quas emendas tu Lipſiam proficiſceris. Emis præter mandatum merces adhuc alias. Ego hoc non obſtante emtionem mandatarum ratihabere & impenſas in iter factas reſtituere teneor. Quodſi tamen reliquarum mercium cauſa, quas non mandavi, diutius Lipſiæ commoratus; impenſas harum cauſa factas reſtituere non teneor, immo ſi occaſione eorum aliquod damnum aliud paſſus, ego tibi hoc reſarcire minime teneor. Ubi ea hic applicare volueris, quæ modo monuimus (*not.* §. 687.); nihil obſcuritatis, quod dubium te reddere poſſit, ſupererit.

§. 689.

Si mandatarius fines mandati exceſſit, & mandans cum damno ejus nonniſi intra fines mandati quod actum eſt ratihabere velit, ille autem proprio nomine actum malit, niſi quod actum eſt totum ratihabere velit; mandatum pro non adimpleto habetur, & mandatarius mandanti tenetur ad id quod intereſt mandatum adimpletum non fuiſſe, quatenus intra fines adimpleri poterat. Etenim mandans non obligatur ad ratihabendum, niſi quod intra fines mandati actum (§. 666. 667.), conſequenter non tenetur ad ratihabendum id, in quo mandatarius fines mandati exceſſit. Quoniam tamen mandans locupletior fieri nequit cum damno mandatarii (§. 585. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi mandatarius proprio nomine actum malit, niſi quod actum eſt totum ratihabere velit mandator, mandatum pro non adimpleto habendum. *Quod erat unum.* *Quando mandatum pro non adimpleto habendum, ſi mandatarius fines mandati exceſſit.*

Enimvero ſi mandatarius mandatum intra fines adimplere poterat, dum fines exceſſit, revera perinde eſt, ac ſi mandatum adimplere noluiſſet, vel adimplere neglexiſſet. Quoniam itaque qui mandatum non exequitur, mandanti tenetur ad id quod intereſt, mandatum adimpletum non fuiſſe (§. 675.); mandatarius quoque in hypotheſi propoſitionis præſentis tenetur ad id quod intereſt mandatum adimpletum non fuiſſe, quatenus intra fines adimpleri poterat. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Mando tibi 150. thaleros, ut emas mihi equos. Tu emis eos pretio 170. Quodſi in pretium 170. conſentire nolim, tu eos retinere potes, niſi 170. reſtituere velim. Mandatum itaque pro non adimpleto habetur. Similiter mando tibi certum pretium, quo linteamina mihi emas in nundinis. Tu linteamina pluris emis, cum poſſes pretio mandato alia emere, quæ hic majori emere cogor. Quodſi conſentire nolim in pretium majus & tu linteamina mihi emta retines, mandatum pro non adimpleto habendum, tu tamen mihi teneris ad reſtituendum exceſſum pretii, quo hic ea emere cogor, ſupra pretium mandatum, quo in nundinis ea emere poteras.

§. 690.

Si mandatarius ſine culpa ſua negotium finire non potuit, aut contrarium eventum expertus fuit; mandans nihilominus eum indemnem præſtare tenetur. Quodſi enim mandatarius ſine culpa ſua negotium finire non potuit, aut contrarium eventum expertus fuit, cum negligentia culpa ſit (§. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & in omiſſione diligentiæ conſiſtat (§. 757. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nihil diligentiæ, quam uti potuit, in adimplendo mandato omiſit, conſequenter ab eo minime pependit, ut negotium finiret, aut contrarium eventum non experiretur. *De negotio non finito & contrario ejus eventu.*

retur. Quoniam itaque ultra id, quod fieri poteſt, mandans mandatarium obligare non potuit (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), hic ex aſſe officio ſuo ſatisfecit (§. 649.), adeoque nulla ratio eſt, cur eidem mandans non obligatus eſſe debeat, ad quæ vi contractus tenetur. Quoniam itaque mandans mandatarium indemnem præſtare debet (§. 682.); eundem adhuc indemnem præſtare tenetur, ſi mandatarius ſine culpa ſua negotium finire non potuit aut contrarium eventum expertus fuit.

Ex. grat. Mando tibi 150. thaleros, ut mihi emas equos Titii: tu ad eum proficiſceris, ſed eum in hoc pretium conſentire nolit, tu vero fines mandati excedere non debeas (§. 649.), re infecta abis. Hoc non obſtante ego tibi reſtituere teneor, quod in iter impendiſti & præſtare damnum, quod ex hoc negotio paſſus es. Tibi imputari nequit, quod Titius in pretium tibi mandatum conſentire noluerit; vel etiam pinguiorem emtorem prætulerit. Sane ſi ipſe mandator præſens negotium ſuum geſſiſſet, nec pluris equos emere voluiſſet, omnia eodem modo eveniſſent, quo nunc evenerunt. Nihil adeo tibi imputari poteſt. Idem valet, ſi Titius jam alii equos vendidit, ubi tu ad emendum accedis, aut ſi peregre abeſt, nec ſtatim reverſurus.

§. 691.

Cujus periculo negotium mandatum geratur.

Si tibi mando, ut rem meam alteri commodes, vel mutuo des, meo periculo commodatum, vel mutuatum, immo in genere negotium a mandatario mandantis periculo geritur intra fines mandati. Quod enim mandatarius facit intra fines mandati mandans feciſſe putandus eſt (§. 661.). Quamobrem ſi tibi mando, ut rem meam alteri commodes, vel mutuo des, aut in genere negotium quoddam gerendum; tu vero mandatum intra fines præſcriptos adimples, adeoque alteri rem meam commodes, vel mutuo des; ipſe negotium geſſiſſe, adeoque rem commodaſſe, vel mutuo dediſſe putandus ſum. Meo igitur periculo commodatum, vel mutuatum eſt, aut in genere negotium geritur.

Quodſi ergo commodatarii culpa res deterioratur, vel prorſus interit, nec is damnum datum reſarcire poteſt, aut ſi mutuatarius rem mutuatam in genere reſtituere nequit; mandatarius mandanti ad nihil tenetur. Similiter ſi equos mandatos tibi emi, qui nullo vitio laborabant, hi vero in via, antequam ad te perveniant, intereunt; damnum tuum eſt.

§. 692.

Quid reſtituendum, ſi mandans minus impendiſſet quam mandatarius impendit.

Mandans mandatario reſtituere tenetur ſumtus, quos bona fide fecit, ſeu non nimios putavit, etiamſi ipſe minus impendiſſet, ſi ipſe negotium geſſiſſet. Quoniam enim hoſce ſumtus non determinavit mandator, eos judicio mandatarii determinandos reliquit, conſequenter hujus judicio ſtare debet. Quamobrem ſi mandatarius bona fide ſumtus fecit, quos ſcilicet non nimios putavit, cum ad eos reſtituendos teneatur (§. 682.); tenebitur adhuc, etiamſi ipſe minus impendiſſet, ſi ipſe negotium geſſiſſet.

Ex. gr. Si mandatarius ea impendit, quæ in caſu ſimili alii etiam impendere ſolent, vel ipſe impendiſſet, ſi proprium negotium geſſiſſet, veluti in victum, aut quando honorarium aliquod dandum erat; tu ſumtus ab eo factos reſtituere debes, etſi, cum ſis parcior, minus impendiſſes, ſi negotium tuum ipſemet geſſiſſes. Tibi nimirum imputare debes, quod de his impenſis non conveneris cum mandatario, vel alium elegeris magis parcum.

§. 693.

De mora in reſtituendo eo, quod ad manda-

Si mandatarius in mora eſt, ne mandanti reſtituat, quod occaſione mandati ad ipſum pervenit; mandanti tenetur ad id quod intereſt, id tempeſtive reſtitutum non fuiſſe. Mandatarius enim mandanti reſtituere tenetur, quicquid occaſione mandati ad eum pervenit (§. 680.). Quodſi ergo in mora eſt, & damnum aliquod

patitur

patitur mandans, vel lucrum ejus ceſſat, cum ad id, quod intereſt teneatur, ſi quis damnum patitur, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod ipſe in mora eſt (§. 655. *part.* 3. *Jur. nat.*), ad id etiam tenetur mandatarius, quod intereſt id, quod ad ipſum occaſione mandati pervenit, reſtitutum tempeſtive non fuiſſe, ſi in mora fuerit, ne idem reſtitueretur. *tarium occaſione mandati pervenit.*

Ex. grat. Mando tibi, ut exigas pecuniam, quam mihi debet Titius. Tu eam non reſtituis, cum alii mutuo dare, vel in proprios uſus convertere potuiſſem. Uſuras igitur propter moram præſtare teneris.

§. 694.

Si tempus, quo reſtitutio fieri debet, expreſſe definitum, aut ex aliis circumſtantiis colligitur; mora mandatarii ab eodem incipit. Oſtenditur eodem modo, quo ſupra idem demonſtravimus de mutuatario (§. 570.). *Terminus moræ.*

Ex. gr. Mando tibi ut merces emas in nundinis easque ſtatim ad me mittas, antequam recedas. Quodſi hoc non facis, ſed demum finitis nundinis mittas; ab eo tempore, quo mittere poteras, in mora es; quamdiu enim mittendi occaſio deeſt ſine culpa tua, in mora non es.

§. 695.

Si mandatarius in mora eſt, ne mandatum tempeſtive adimpleat: mandanti tenetur ad id quod intereſt mandatum tempeſtive adimpletum non fuiſſe. Quodſi enim mandatarius in mora ſit, ne mandatum tempeſtive adimpleat, & mandans propterea damnum quoddam incurrit, vel lucrum ejus ceſſat; hoc ipſum ideo contingit, quia mandatarius in mora eſt: id quod per ſe patet. Enimvero ſi quis damnum aliquod patitur, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod alter in mora eſt; hic eidem tenetur ad id, quod intereſt (§. 655. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam mandatarius tenetur mandanti ad id, quod intereſt, mandatum tempeſtive adimpletum non fuiſſe, ſi is in mora fuerit, ne tempeſtive adimpleretur. *De mora in exequendo mandato.*

Ex. gr. Mando tibi, ut mihi merces emas in nundinis, quæ a mercatoribus peregrinis initio nundinarum pro minori pretio emuntur, quam deinde ab aliis vendi ſolent. Tu differs emtionem, donec apud peregrinos nullæ amplius proſtent venales, & majori pretio deinde emis ab aliis. Merces pluris emtæ cenſentur, quam fuerant mandatæ. Poteſt etiam exemplum, quod modo dedimus (*not.* §. 694.), ad caſum propoſitionis præſentis trahi.

§. 696.

Si pluribus conjunctim idem negotium mandatur; quod negligentia unius fit, quam præcavere ceteri poterant, id etiam imputatur ceteris. Quodſi enim pluribus conjunctim idem negotium mandetur, mandator vult, ut communicato conſilio, & communi conſenſu id gerant. Quoniam itaque unusquiſque ad omnem diligentiam obligatur (§. 649.); unicuique etiam incumbit, ut caveat, ne quid negligentia alterius fiat, quod mandanti damnoſum (§. 750. 751. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quod igitur negligentia unius fit, id etiam negligentia alterius factum recte putatur, conſequenter ceteris imputatur (§. 527. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *De negligentia, ſi pluribus conjunctim mandatum.*

Nimirum plures, quibus idem negotium conjunctim gerendum committitur, unam repræſentant perſonam, ut adeo, quod ab uno mandatario exigitur, id exigatur ab omnibus conjunctim, & quod unus ceteris non contradicentibus facit id omnes ſimul feciſſe putentur. Quamobrem quod unius negligentia accidit, id omnium negligentia eveniſſe putatur, niſi adſint circumſtantiæ particulares, ob quas unius negligentia imputari nequit ceteris, veluti ſi actum fuerit, quod a ceteris recte commiſſum uni.

§. 697.

§. 697.

Quando plures, qui bus conjunctim mandatum, culpæ alterius non fiant participes.

Si pluribus conjunctim idem negotium mandetur, & quidpiam agendum, quod uni a ceteris committendum, hi vero in committendo omnem adhibuerunt diligentiam; culpam in exequendo non participant ceteri. Quoniam enim quod agendum uni committendum a ceteris, hi vero ad omnem diligentiam præſtandam obligantur (§. 649.); obligationi ſuæ ſatisfecere, ſi in committendo omnem adhibuerunt diligentiam. Quodſi ergo hoc fecerint, non eſt, quod ipſis imputetur culpa alterius in exequendo, quam impedire non potuerunt (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ejus adeo participes non fiunt.

Ex. gr. Ponamus pecuniam, quæ vi mandati exacta fuit, cuſtodiæ unius committi, eidemque injungi, ut omni diligentia cuſtodiatur. Quodſi is ceteris inconſultis eandem credat homini, qui ſolvendo non eſt: culpa vacant ceteri, nec ulla eſt ratio, cur factum alterius iis imputari debeat, qui nihil prorſus commiſerunt, quod officio ſuo ſit adverſum, nec ad factum alterius ullo modo concurrerunt.

§. 698.

De præſtatione doli ac culpæ, ſi pluribus mandetur.

Si idem negotium pluribus mandatum fuerit conjunctim, ſinguli dolum vel culpam ſuam, communem pro rata præſtare tenentur, niſi expreſſe conventum fuerit, vel ut ſinguli teneantur in ſolidum, vel ut teneantur ſimpliciter pro rata, eo ſcilicet, quod reſtituendum, vel reſarciendum, inter ſingulos æqualiter diviſo. Quoniam in mandato dolus & culpa præſtari debet (§. 684.); propoſitio præſens eodem modo demonſtratur, quo ſupra idem de pluribus depoſitariis demonſtravimus (§. 627.).

Difficilis eſt diſquiſitio, ſi non ſemper, ſaltem haud raro, quidnam communi culpa, quid vero culpa ſingulis propria evenerit, ſi pluribus idem mandatum fuerit (§. 696. 697.). Quamobrem non modo conſultum eſt, ut expreſſe conveniatur, quomodo culpa præſtari debeat; verum etiam leges civiles præſtationem definire poſſunt per ea, quæ ſuo loco de iiſdem demonſtrabuntur.

§. 699.

De præſtatione culpæ, ſi pluribus negotium per partes mandetur.

Si idem negotium pluribus per partes mandetur; quilibet mandanti culpam ſuam præſtare tenetur. Quodſi enim idem negotium pluribus per partes mandetur, unicuique præſcribitur, quid facere debeat, conſequenter revera tot ſunt mandata, quot mandatarii, peculiaria, cum quod mandatur uni non una mandetur ceteris. Quoniam itaque unuſquiſque tantummodo obligatur ad id omni diligentia faciendum, quod ipſi commiſſum (§. 649.); quæ mandantur ceteris, ad eum non ſpectant. Quamobrem cum mandatarius præſtare debeat dolum & culpam in eo, quod ipſe gerere debet, negotio (§. 684.); ſi idem negotium pluribus per partes mandetur, quilibet mandanti culpam ſuam præſtare tenetur.

Nemo tenetur ex facto alieno, ad quod minime concurrit, cum hoc ipſi minime imputari poſſit, cum id a voluntate ipſius nullo modo dependeat (§. 650. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*). Quod alteri mandatum eſt, non tibi; ejus cura te non tangit. Quamobrem ſi tu debita diligentia facis, quod tibi mandatum; num ceteri faciant, quod ipſorum eſt officii, ipſi viderint.

§. 700.

Rationem reddere negotii geſti quid ſit.

Rationem reddere negotii geſti dicitur, qui diſtincte exponit, quomodo ſingula ad negotium gerendum requiſita executus fuerit.

Ex. gr. Dedi tibi centum thaleros, ut in itinere, quod ingredior, eos in ſumtus faciendos impendas. Finito itinere rationem reddis, ſi ſigillatim recenſeas omnes caſus, in quibus pe-

cuniam

cunia erogata; & quantum in unoquoque erogatum fuerit definias. Si tibi mandavi 150. thaleros, ut mihi emas equos; & tu me certiorem reddis equos eſſe emtos 140. thalerorum pretio, duos a te impenſos in iter, quod hujus negotii cauſa feciſti: rationem reddis negotii geſti.

§. 701.

Ratio negotii geſti reddenda a mandatario.

Mandatarius mandanti obligatur ad reddendam rationem negotii geſti. Etenim mandatarius obligatur ad id omni diligentia faciendum, quod ipſi faciendum committitur, nec quicquam facere debet, niſi quod ipſi fuerit commiſſum (§. 649.), conſequenter fines mandati excedere minime debet. Obligatur etiam ad præſtandum dolum & culpam quamvis (§. 684.). Neceſſe igitur eſt, ut mandanti conſtet; qua diligentia & quomodo mandatum adimpleverit, conſequenter mandatarius diſtincte exponere tenetur, quomodo ſingula ad negotium gerendum requiſita executus fuerit. Rationem negotii geſti reddit, qui diſtincte exponit, quomodo ſingula ad negotium gerendum requiſita executus fuerit. (§. 700.) Mandatarius adeo mandanti obligatur ad reddendam rationem negotii geſti.

Mandatarius agit voluntate mandantis ſive expreſſa, ſive præſumta (§. 660.); non vero propria. Quamobrem docere etiam debet, quod in toto negotio nihil fecerit, niſi quod voluit mandans. Affirmare non ſufficit, quod ſingula juxta voluntatem mandantis fuerit. Ex. gr. Si tibi mandavi, ut mihi in nundinis emas certos libros, & eo fine dedi triginta thaleros: non ſufficit, ut libros emtos ad me mittas & nuncies, eos conſtare pretio totidem thalerorum; ſed ſingulorum pretium ſigillatim indicandum, ut, ſubducto calculo, appareat, quantam conficiant ſummam pretia particularia. Et ubi contrarius fuit eventus, mandatarius tamen hoc non obſtante, quid fecerit, docere tenetur mandantem, ut appareat, ipſum in adimplendo negotio nihil diligentiæ in ſe deſiderari paſſum fuiſſe: conſtare nimirum debet, contrarium eventum non poſſe tribui negligentiæ ipſius.

§. 702.

Quando mandatarius contra finem mandati agere poſſit.

Si mandatarius mandatum excedit, mandatore præſente, nec contradicente; fines non exceſſiſſe cenſetur. Quodſi enim mandatarius mandatum excedit, mandatore præſente, nec contradicente; mandator tacet, quando loqui poterat ac debebat. Quoniam itaque qui tacet, quando loqui poterat & debebat, conſentire præſumitur (§. 1054. *part. 3. Jur. nat.*); mandator præſens, nec contradicens, quando mandatarius mandatum excedit, in hoc conſentire præſumitur. Enimvero ſi mandator in id conſentit, id mandare cenſetur (§. 640. *h.* & §. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*) conſequenter mandans facere, quod mandatum, adeoque fines mandati non excedere cenſetur.

Ex. gr. Mando tibi 150. thaleros, ut mihi emas equos, me præſente. Venditor in hoc pretium conſentire non vult; tu ei offers 160. me non contradicente. Si venditor in hoc pretium conſentit; equi mihi emti ſunt, nec tu fines mandati exceſſiſti.

§. 703.

Quando mandans ratihabeat factum mandatarii fines excedentis vel præter mandatum agentis.

Si noſti, mandatarium exceſſiſſe fines mandati, vel præter mandatum egiſſe, hoc tamen non obſtante facis, vel non facis, quod facere vel non facere non poteras, niſi facto mandatarii ſuppoſito; quod a mandatario factum ratum eſſe vis. Ponamus enim te non ratihabere, quod a mandatario contra fines mandati, vel præter mandatum factum. Cum nemo contradictoria velle poſſit (§. 28. *Ontol.*); nec ea facere, vel non facere potes, quæ fieri nequeunt, ſive phyſice, ſive moraliter, niſi mandatarius fines exceſſiſſet, vel præter mandatum egiſſet: vis nimirum mandatarium hoc feciſſe; dum hoc facere, vel non facere vis. Quamobrem neceſſe eſt ut velis ratum eſſe, quod a mandatario factum, ſi noſti, eum

eum fines mandati exceſſiſſe, vel præter mandatum egiſſe, hoc tamen non obſtante facis, vel non facis, quod facere vel non facere minime poteras, niſi facto mandatarii ſuppoſito.

In moralibus idem eſt velle non poſſe & velle non debere. Unde etiam in Jure Romano, quod fieri non debet, pro impoſſibili habetur, veluti dum conditio turpis refertur ad impoſſibilem. Et nemo ſanus præſumitur velle contradictoria, etſi phyſice non repugnet, ut malles unum eſſe, etiamſi alterum non ſit. Ex gr. Mandatarius rem pluris emit, quam mandatum, cum venditor in pretium minus conſentire nolles. Non repugnat, te velle rem habere & tamen malle, ne ſit pluris emta. Cum tamen pluris emta ſit, neceſſe eſt, ut eam aut habere nolis, aut pluris emtam velis, niſi excelſum pretii mandatarius remittere, quam rem retinere malit. Ponamus te noſſe, quod equi pluris ſint emti, quam mandatum: hoc tamen non obſtante equos ſine contradictione in ſtabulum tuum adduci jubere. Cum hoc facere minime poſſes, niſi pluris emtos velles, emtionem utique ratam habes.

§. 704.

De ratihabitione ejus quod contra fines mandati vel præter hoc actum.

Si mandator, quod contra fines mandati, vel præter mandatum factum, ratihabet; mandatarius fines mandati non exceſſiſſe, vel præter mandatum nil egiſſe cenſetur. Quodſi enim ratum eſſe velit mandator, quod contra fines mandati, vel præter mandatum factum; in id conſentit (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) adeoque perinde eſt, ac ſi mandator voluntate mandantis feciſſet quod fecit. Enimvero cum mandatarius fines mandati non excedat, nec præter mandatum agat, quando agit quod vult mandans, conſequenter quod ipſi mandatum (§. 640.); nec fines mandati exceſſiſſe, vel præter mandatum quicquam egiſſe cenſetur mandatarius, ſi mandator quod contra fines mandati, vel præter mandatum factum ratihabet.

Nimirum quando mandator ratihabet, quod contra fines mandati, vel præter mandatum factum, eo ipſo ſignificat, ſe in hoc conſenſurum fuiſſe, ſi præſens fuiſſet, aut jus ſuum contradicendi remittere (§. 93. *p.* 3 *Jur. nat.*). In utroque caſu manifeſtum eſt voluntatem mandatoris habendam eſſe pro voluntate mandantis; id quod exempla clarius loquuntur. Ex. grat. Si mihi mandas 150. thaleros, ut tibi emam equos: ego autem conſentio in pretium 160. Quando tibi ſignifico emtos eſſe hoc pretio, & tu in idem conſentis, conſequenter factum meum ratihabes; perinde omnino eſt, ac ſi 160. thaleros mihi mandaſſes, ut tibi emerem equos; quamvis minoris emtos malles, conſequenter fines mandati non exceſſiſſem. Similiter tu mandas mihi certas merces tibi in nundinis emendas, ut eas iterum vendendo lucrum facias. Ego emo adhuc alias, ex quibus majus lucrum percipere potes. Quodſi præter mandatum factum approbas, hoc ipſo ſignificas, te præſentem in harum emtionem conſenſurum fuiſſe. Atque adeo perinde eſt, ac ſi earundem emtio mihi mandata fuiſſet, nec præter mandatum emiſſe cenſeor.

§. 705.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam mandatarius fines mandati non exceſſiſſe, nec præter mandatum egiſſe putatur, ſi mandator factum ejus ratihabet (§. 704.), idem autem ratihabet, ſi novit, quod fines mandati exceſſerit, vel præter mandatum egerit, hoc tamen non obſtante facit, vel non facit, quod facere vel non facere non poterat, niſi facto mandatarii ſuppoſito (§. 703.); *mandatarius fines mandati non exceſſiſſe, nec quicquam præter mandatum egiſſe putatur, ſi mandator facit, vel non facit, quod non præſuppoſito facto contra fines mandati, vel præter mandatum facere, vel non facere non poterat, quamvis norit mandatarium fines mandati exceſſiſſe, vel præter mandatum egiſſe.*

Ex. gr. Si noris, equos pluris emtos, quam mandatum, hoc tamen non obſtante ſine contradictione eos in ſtabulum tuum adduci jubes; mandatarius fines exceſſiſſe non cenſetur. Similiter ſi præter merces a te mandatas emi adhuc alias, &, ubi tibi ſignifico, haſce a me emtas, tu eas ad te deferri jubes; præter mandatum eas emiſſe non cenſendus ſum, nec ad te miſſas tu remittere potes. Quodſi exacias te equos pluris emtos in ſtabulum tuum adduci jubere

bere eo animo, ne mihi reſtituas niſi pretium mandatum & exceſſus a te præſtetur; non bona fide ageres cum mandatario, quod tamen fieri debet, ſed doloſe, cum ſciens ac volens facias in detrimentum mandatarii, quod fieri minime debebat. Hæc igitur exceptio nulla eſt.

§. 706.

Sine quibus mandatum adimpleri nequit, ea etiam mandata intelliguntur, & quod cum mandato connexum eſt, id quoque mandatum cenſetur. Quoniam enim mandator vult mandatum a mandatario adimpleri (§. 640. 641.); neceſſe etiam eſt ut velit, ea fieri, ſine quibus mandatum adimpleri nequit. Enimvero quod a mandatario fieri vult, id utique mandatur (§. §. *cit.*). Quamobrem ſine quibus mandatum adimpleri nequit, etiamſi expreſſe non dixerit mandator, ea fieri debere, hoc tamen non obſtante ea mandata intelliguntur. *Quod erat unum.* *Quænam tacite inſint mandato.*

Similiter quod cum mandato connexum eſt, id ideo fieri debet, quia hoc fit, quod mandatur (§. 10. *Coſmol.* & §. 118. *Ontol.*). Quamobrem cum mandator velit te hoc facere, quod tibi faciendum committit, ſeu mandat (§. 640. 641.); velle etiam cenſetur, ut facias, quod ideo fieri debet, quia factum eſt, quod expreſſe mandatur, cum alias ſe hoc nolle ſufficienter ſignificare debuiſſet. Quodſi ergo quid cum mandato connexum eſt, id quoque mandatum cenſetur. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Mando tibi, ut mihi emas equos Titii uſque ad 150. thaleros. Tu eos emis intra fines mandati ea conditione, ut pretium ſolvatur a mandatore, equis ad eum adductis. Venditor conſentire non vult, niſi pro arrha des decem thaleros. Arrha tibi quoque mandata intelligitur. Similiter ſi mandaſti 100. thaleros, ut tibi certas merces in nundinis emam. Merces ad te deferendæ ſunt, ſi fuerint emtæ. Quoniam itaque cum emtione mercium connexa eſt earundem delatio, ea quoque mihi mandata intelligitur, etſi expreſſe non ſignificaveris velle te, ut eas ad te deferri curem. Quodſi enim voluiſſes, ut eas interea deponerem, donec ſignificares, qua occaſiones ad te ſint perferendæ, vel alii mandares, ut eas ad te deferret; hoc utique mihi indicare debuiſſes. Eodem modo patet, ſi mandato inſtructus ſum ad rem vendendam, mihi quoque mandatum eſſe, ut recipiam pretium ab emtore. Quodſi enim hoc noluiſſes, prohibere utique debuiſſes, ne reciperem, vel indicare, quinam alius id recipere debeat. Vulgo dicitur, mandatum etiam extendi ad ea, quæ eidem ſunt connexa & cohærentia.

§. 707.

Quoniam igitur ea, ſine quibus mandatum adimpleri nequit, vel quæ cum mandato connexa ſunt, etiam mandata intelliguntur (§. 706.), adeoque tacite mandato inſunt; *mandatarius fines mandati non excedit, ſi quid facit, ſine quo mandatum adimpleri nequit, vel quod cum mandato connexum eſt.* *Quando mandatarius fines non excedat agendo, quod expreſſe non mandatum.*

Nimirum quamdiu mandatarius facit, quod vel expreſſe mandatum, vel tacite mandato ineſt, mandatum adimplet, adeoque extra idem nil facit, neque adeo fines ejus excedit. Exempla modo data idem clariſſime loquuntur.

§. 708.

Si mandatarius fines mandati excedit, vel præter mandatum agit, & mandator ante negotii implementum ſuperveniens idem conſummari patitur, pro mandante habetur. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis mandator præſens eſt & non contradicit, quando mandatarius fines mandati excedit, vel præter mandatum agit. Enimvero ſi mandator præſens non contradicit, mandatarius fines mandati non excedere, nec præter mandatum agere cenſetur (§. 702.), conſequenter mandator pro mandante habetur. Ergo is etiam pro mandante habendus, ſi mandatario contra vel præter mandatum agente, ante negotii implementum ſuperveniens id conſummari patitur. *Quando mandator mandare videtur, quod contra vel præter mandatum fit.*

§. 709.

Factum turpe quid dicatur. *Factum turpe* dicitur, quod lege naturali prohibitum. Quamobrem cum ad id, quod lege prohibitum, omittendum obligemur (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad quod vero lege naturali omittendum obligamur, id naturaliter illicitum ſit (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *factum turpe naturaliter illicitum eſt.*

Non abit hæc definitio a definitione conditionis turpis, quippe quæ nomen trahit a facto turpi, quod ſupponit committi (§. 491. *part.* 3. *Jur. natur.*): neque enim ibi intelligitur niſi lex naturalis, qua prohibetur factum, cum in Jure naturali non alia intelligatur lex, quam naturalis, niſi contrarium expreſſe dicatur. Quamobrem quæ ibi dedimus, exempla propoſitionem quoque præſentem illuſtrant.

§. 710.

Pactum turpe quid ſit. *Pactum turpe* dicitur, in quo de facto turpi committendo convenitur.

Ex. gr. Pactio de inimico tuo occidendo, vel injuria afficiendo turpis eſt, cum tam homicidium voluntarium (§. 1024. *part.* 1. *Jur. nat.*), quam omnis injuria lege naturali prohibeatur (§. 911. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 711.

An pactum turpe aut legi contrarium ſervandum. *Pactum turpe ſervandum non eſt, nec ullam producit obligationem, immo in genere pactum legi cuicunque contrarium obligatorium non eſt.* Pacto enim turpi convenitur de facto turpi committendo (§. 710.), conſequenter cum factum turpe ſit naturaliter illicitum (§. 709.), de facto committendo, ad quod omittendum obligamur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum obligatio naturalis ſit immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); neceſſe eſt, ut non faciamus, de quo pacto turpi conventum (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque pactum turpe ſervandum non eſt, nec ullam producit obligationem. *Quod erat unum.*

Immo in genere quod lege quacunque prohibetur, ad id omittendum obligamur (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter cum nemo ſeſe ab obligatione ſua liberare poſſit (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*), nemo quoque convenire cum altero poteſt, ut faciat quod lege prohibetur. Pactum adeo legi contrarium obligatorium eſſe nequit. *Quod erat alterum.*

De pactis legi poſitivæ contrariis plura dicenda ſuo loco. Hic potiſſimum agitur de pacto legi naturali contrario.

§. 712.

An mandatum rei turpis ſit obligatorium. *Mandatum rei turpis nullam producit obligationem, nec a mandatario adimplendum.* Mandatum enim facti turpis eſt contractus (§. 640.), adeoque pactum de facto turpi committendo (§. 794. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter pactum turpe (§. 710.). Enimvero pactum turpe nullam producit obligationem (§. 711.). Ergo nec mandatum facti turpis ullam producit obligationem. *Quod erat unum.*

Quoniam porro pactum turpe ſervandum non eſt (§. 711.); nec mandatum facti turpis a mandatario adimplendum. *Quod erat alterum.*

Ad pactum turpe non ſervandum obligamur, non vero id tantummodo non ſervare licet. Et eodem modo non ſaltem licet mandatario mandatum facti turpis non adimplere; verum etiam is obligatus eſt ad idem non adimplendum. Nimirum in foro conſcientiæ, ſeu ſi jus internum ſpectes, peccat qui de facto turpi committendo quomodocunque paciſcitur, vel in

ſpe

ſpecie qui idem mandat, peccat etiam qui pactum turpe ſervat, vel in ſpecie mandatum adimplet; in foro autem externo, ſeu ſi jus externum ſpectes, ad pactum turpe ſervandum, vel in ſpecie ad mandatum facti turpis adimplendum nemo cogi poteſt, & impune illud non ſervatur, vel hoc in ſpecie non adimpletur.

§. 713.

Idem porro expenditur.

Quoniam mandatum facti turpis nullam producit obligationem (§. 712.); *ex mandato turpi nec mandatarius mandanti, nec mandans mandatario ad quicquam tenetur*, conſequenter etſi alias mandatarius teneatur mandanti ad id quod intereſt, mandatum adimpletum non fuiſſe (§. 675.) & mandans mandatario reſtituere debeat impenſas, ſine quibus negotium geri non poteſt, & reſarcire damnum, quod occaſione mandati incurrit, ſeu mandatarium indemnem præſtare (§. 682.; *ſi mandatarius mandatum non adimplet, mandanti non tenetur ad id, quod intereſt mandatum adimpletum non fuiſſe, &, ſi adimplet, mandator eidem non tenetur ad impenſas reſtituendas damnumque, quod incurrit occaſione mandati, reſarciendum, ſeu eum indemnem præſtare non obligatur.*

Ex. gr. Si tibi mandatur furtum, ut committas mandantis cauſa, tu vero, quia pœnitet, furtum non committis, etſi committi facile poterat, mandatori non teneris ad reſtituendum, quod lucratus fuiſſet, ſi quidem res furtiva ad ipſum perveniſſet, immo ubi furtum feceris, & rem ablatam retinueris, nihil a te tanquam ſibi debitum exigere poteſt, cum perinde ſit ac ſi tui cauſa furatus ſis, utpote ad furandum mandantis cauſa minime obligatus. Quodſi mandator rem furtivam acceperit, hoc tamen non obſtante non tenetur tibi reſtituere ſumtus, quos furti cauſa feciſti, nec quos fracto crure in chirurgos impendere coactus fuiſti. Qui mandatum turpe exequitur, proprio nomine agit, etſi ad factum concurrat mandator, quatenus ſpectatur ut vitioſum & injurioſum, ut adeo peccati ac delicti particeps fiat mandator, quatenus factum alienum ipſi imputatur (§. 650. *part. 1. Philoſ. pract. univerſ.*). Quoniam vero hæc imputatio non ex contractu venit, ſed ex concurſu ad factum alterius, ejus in præſenti ratio non habetur.

§. 714.

Conſilium an ſit obligatorium.

Conſilium nullam inducit obligationem. Etenim qui conſilium dat, tantummodo ſignificat, quid ſibi videatur ut fiat (§. 983. *part. 1. Theol. nat.*). Propterea vero quod mihi videtur hoc faciendum eſſe, neceſſe non eſt ut tu mihi promittas te hoc facturum (§. 361. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter ad hoc faciendum te mihi obliges (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*), nec ego viciſſim tibi quid promitto, ſi feceris (§. 361. *p. 3. Jur. nat.*), conſequenter ad quicquam obligatum eſſe nolo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem nec tu obligatus es ad hoc faciendum, quod mihi conſultum videtur, nec ego me tibi ad quicquam obligavi. Conſilium adeo nullam inducit obligationem.

Hinc cum obligatio in neceſſitate morali agendi conſiſtat (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vulgo dicitur, conſilium non neceſſitare. Nemo alteri obligari poteſt præter voluntatem ſuam (§. 386. 393. *p. 3. Jur. nat.*). Qui vero conſilium dat, non habet animum, ſeſe alteri ad quicquam obligandi, nec viciſſim alterum ſibi obligari vult, cum conſiliatori perinde ſit, ſive facias, ſive non facias, ſaltem videri velit ſua non intereſſe ut facias, aut ſi etiam quodammodo interſit, tuo tamen arbitrio relinquit, utrum facere velis, nec ne. Ex. grat. tu ex me quæris, quid mihi videatur de matrimonio filiæ tuæ cum Sempronio ineundo. Ego reſpondeo, ſi ego tuo eſſem loco me conditionem ambabus manibus accepturum. Tu obligatus non es ad conſentiendum in matrimonium filiæ tuæ cum Sempronio, cum nullum in me tranſtuleris jus te adigendi, ut conſentias, ſi conſentire nolueris, nec ego voluerim, ut hoc jus in me transferres, ſine quo obligatio nulla ex parte tui concipitur (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cum adeo totum negotium a tua adhuc pendeat voluntate, nulla quoque ratio eſt, cur ex conſilio tibi ad quicquam eſſe debeam obligatus. Immo dubium non eſt, ſi intra fines conſilii perſiſtere velim, me rogatum, num teneri velim ad id, quod intereſt, matrimonium contractum non fuiſſe, ſiquidem eventus non reſpondeat voto, reſponſurum, quod nolim, cum res tua agatur, non mea. Vulgo dicitur, actus non operari ultra intentionem agentium.

§. 715.

An mandatarii tantum gratia mandari poſſit.

Si mandatarii tantum gratia mandetur, mandatum non eſt, ſed conſilium. Etenim ſi mandatarii tantum gratia mandetur, hujus ſolius ſpectatur utilitas, nec intereſt mandantis, utrum faciat, nec ne, quod ſe fieri velle ſignificat. Quamobrem huic perinde eſt, ſive is faciat ſive non faciat. Nulla igitur ratio eſt, cur ſibi obligatum eſſe velit mandatarium ad hoc faciendum. Sane ſi non faceret, etiamſi ſe ad faciendum obligaſſe ſupponatur, obligatio tamen nullum haberet effectum, adeoque ea prorſus inutilis foret. Quoniam itaque mandatum non eſt, ſi mandatarius mandanti ad faciendum non obligatur (§. 640. 641.); ſi hujus tantum gratia mandetur, mandatum non eſt. *Quod erat unum.*

Quia mandatarius fruſtra obligatur ad mandatum adimplendum, ſi ipſius ſolius gratia mandetur; mandans tantummodo ſignificaſſe cenſetur, quid ſibi videatur, ut fiat. Quamobrem cum conſilium ſit, ſi ſaltem quis alteri ſignificat, quid utiliter ab ipſo fieri exiſtimet (§. 983. *part.* 1. *Theol. nat.*); ſi mandatarii tantum gratia mandetur, conſilium eſt. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Si tibi mandem, ut pecuniam potius in emtionem prædii colloces, quam ſub uſuris credas; tua in hoc negotio ſpectatur utilitas, utrum horum facias. Quodſi enim mea intereſſet, ut potius prædium emeres, quam ſub uſuris crederes pecuniam; mea & tua cauſa, non ſola tua mandaretur *contra hypotheſin*. Si prædium non emas, ſi vel maxime te hoc facturum dixiſſes, nihil tamen eſt, quod propterea a te exigere poſſem, cum nulla ex hoc actu redundet utilitas, quæ eo intermiſſo mihi a te ademta ſit. Quamobrem nullus foret obligationis effectus, ſi te ad prædium emendum mihi obligare vellem. Verba igitur mea, quæ nullum intereſſe meum indicant, non aliter accipi poſſunt, quam ut me judice tibi utilius ſit emere potius prædium, quam ſub uſuris credere pecuniam. Quod adeo mandatum dicitur, revera conſilium eſt. Neque vero eſt quod excipias, tua intereſſe poſſe, ut ego prædium emam, etſi hoc ignorare me velis. Neque enim, quando quis ad verum dicendum obligatur, adverſus ipſum pro vero habetur, niſi quod ſufficienter indicavit (§. 427. *part.* 3. *Jur. natur.*). Quod quis tacita mente volvit, ut a te ignoretur, ejus quoque a te nulla haberi poteſt ratio, nec potes emere prædium in gratiam alterius, quamdiu ignoras ejus intereſſe ut emas. Quodſi ergo emis, tui unice gratia emis: ſi non emis, nec habet alter de quo conqueratur, quippe qui in voluntate tua acquieſcere debebat, etiamſi prædium emere voluiſſes, ubi tibi de eo, quod ipſius intereſt, conſtitiſſet.

§. 716.

An mandans ſolius mandatarii cauſa eidem obligetur.

Quoniam nonniſi conſilium eſt, ſi mandatarii tantum gratia mandetur (§. 715.), conſilium vero nullam inducit obligationem (§. 714.); *Si mandatarii ſolius cauſa mandes, eidem ad nihil obligaris.*

Ex. grat. Si cui mandes, ut fundum potius emat, quam pecuniam ſub uſuris credat, ipſi vero non expediat emiſſe fundum; tu ei non teneris ad id, quod intereſt, fundum non fuiſſe emtum. Si quod enim ſentit damnum, ex ſuo facto idem incurrit, cum conſilium tuum implere non teneretur (*not.* §. 714.). Ipſius adeo culpa eſt, quod non ante probe expenderit, num expediat conſilium tuum implere, quam ſecundum id ageret. Immo bene conſulta haud raro male ſuccedunt, ut ne quidem male conſuluiſſe dici poſſit, qui conſilium dedit, conſequenter ne juſtam quidem de eo conquerendi cauſam habeat, qui conſilium implevit, poſtquam probe ponderavit, num idem ſibi expediat.

§. 717.

Utile in contractibus quid dicatur.

Utilitatis nomine *in contractibus* non venit, niſi quæ vel in pecunia conſiſtit, vel pecunia æſtimari poteſt. Hinc & *in contractibus non aliud ſpectatur lucrum vel intereſſe, niſi quod pecuniarium eſt, vel pecunia æſtimabile.* Quando enim agitur de eo, quod alteri reſtituendum vel reſarciendum, id quod reſtitui vel reſarciri debet, niſi res in ſpecie vel in genere reſtituatur, pecunia æſtimandum

dum (§. 290.). Atque hinc ulterius intelligitur, cujuſnam cauſa negotium aliquod geratur, ejus nimirum, cujus eſt utilitas.

Ex gr. Si tibi mando, ut mihi emas librum: cum tu emtionem libri in te gratis ſuſcipias, nihil ex hoc negotio ad te venit, quod pecunia æſtimari poſſit, ſit ita quod amorem meum tibi concilies, ego vero acquiro librum, qui pecunia æſtimatur. Atque adeo mea tantummodo ſpectatur utilitas, non vero tua. Hinc mei tantummodo gratia mandatum eſt, non vero ſimul tui cauſa. Similiter cum operæ non minus pecunia æſtimentur, quam res (§. 290.); cui opera gratuita præſtatur, cum qui eam præſtat nihil viciſſim recipiat (§. 18.), illius ſola eſt utilitas.

§. 718.

An conſilium datum alias non contracturo ſit obligatorium.

Si ſine conſilio tuo alter non contraxiſſet, hoc tamen non obſtante eidem non obligaris. Quoniam conſilium nullam inducit obligationem (§. 714.), ideo neceſſe non eſt, ut alter id ſequatur (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec tibi ullum competit jus eum vi adigendi ut ſequatur (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem etſi ſine conſilio tuo non contraxiſſet, ſua tamen contrahit voluntate nullo modo neceſſitata, adeoque ipſi imputandum, quod conſilium tuum fuerit ſecutus (§. 527. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Cumque contra te pro vero haberi non poſſit, niſi quod ſufficienter indicatum (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*), ex eo autem, quod alteri conſulas hoc eſſe faciendum, minime ſequatur, quod obligatus eſſe velis ad alterum indemnem præſtandum, vel periculum negotii in te ſuſcipere, præter voluntatem tamen tuam nemini obligari potes (§. 386. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*); ideo nec obligaris alteri, etiamſi ſine conſilio tuo non contraxiſſet.

Non ignoro contrariam ſententiam amplecti *Ulpianum* l. 6. ff. Mand. leg. contra §. 5. Conſ. *Manzius* ad Inſtit. §. 6. de Mand. n. 11. & ſeqq. Attamen quomodo ex nudo conſilio, ad quod implendum nulla datur obligatio, dantis obligatio oriri poſſit, non video. Sumamus exemplum *Harprechti* apud *Manzium* loc. citat. Tu conſtituiſti emere fundum, ego diſſuaſi emtionem, & conſului, ut pecuniam fœneres potius. Etſi aperte profitearis, te nonniſi conſilio meo permotum (cui æquipollet (§. 715.) hoc in caſu mandatum) fœnerare; non tamen ideo in me transfers jus te, ſi pœnituerit, adigendi ut fœneres, vel ſi non impleveris conſilium, quidpiam a te exigendi, quod jus hic locum habere nequit, conſequenter nec mihi perfecte obligatus eſſe vis (§. 236. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Immo quod dicis te conſilio meo permotum fœnerare malle, quam fundum emere; hiſce verbis mihi non ſignificas, me tibi obligatum eſſe debere ad te indemnem præſtandum, ſi male ſucceſſerit, neque adeo ego dici poſſum vel tacite in hanc obligationem conſenſiſſe, tibique promiſiſſe, quod te indemnem eo caſu præſtare velim (§. 393. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*). Naturaliter adeo nulla naſcitur obligatio, quamdiu intra fines nudi conſilii ſtatur, quacunque de cauſa alter idem ſequatur. Semper ei, cui conſilium datur, liberum eſt, apud ſe explorare, an ſibi expediat conſilium; quam rationem allegat Imperator §. 6. Inſtitut. de Mand. cur conſilium obligatorium non ſit. Quodſi ergo tu meo judicio unice ſtare velis, cum hoc libere facias, judicium meum tuum facis, adeoque tu conſilium meum ſequeris; tuo judicio hoc tibi bonum cenſetur, adeoque actus voluntatis a tuo pendet judicio. Aliud vero eſt, quando agitur de imputatione facti alieni, veluti in delictis & injuriis: tum enim conſtat conſilium danti factum alienum imputari (§. 674. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Hic nimirum obligatio ad id, quod propter factum alienum præſtandum, vel patiendum, non dependet a tua voluntate, quemadmodum in contractibus, in quibus ultra voluntatem tuam obligari nequis. Et quamvis etiam tibi imputari poſſit, quod alter conſilio tuo permotus fœnerare maluerit, quam fundum emere (§. *cit*); non tamen ex ſola imputatione ſequitur te indemnem præſtare eum debere, ſi male ſucceſſerit, cum ſi alteri damnum datum eſſet, primario teneretur, qui conſilium ſecutus. Quando igitur ipſe damnum incurrit, idem ferre debet, quatenus ipſi imputandum, quod tuo potius, quam ſuo ſtare voluerit judicio, cum nulla ipſi neceſſitas hanc legem imponeret.

§. 719.

An conſilium doloſum ſit obligatorium.

Si quis conſilio doloſo vel fraudulento alterum inducit, ut faciat, quod male ſucceſſurum, ad reſarciendum damnum eidem tenetur. Si quis enim conſilium doloſum dat, is novit, male ſucceſſurum negotium, conſequenter alterum damnum

paſſurum

paſſurum & ut patiatur vult (§. 705. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum obligetur ad damnum ab eo avertendum (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*), quatenus conſilium ipſi imputatur (§. 674. *part. 1. Phil. pract. univ.*), dolo ſuo damnum dediſſe recte cenſetur, utpote quod alter ſine dolo ipſius paſſus non fuiſſet. Quoniam itaque damnum dolo datum eſt reſarciendum (§. 580. *p. 2. Jur. nat.*); ad idem reſarciendum tenetur, qui conſilio doloſo alterum inducit, ut faciat, quod male ſucceſſurum.

Non hoc contrariatur ei, quod paulo ante demonſtravimus, conſilium nullam inducere obligationem (§ 714.), neque enim hic obligatio naſcitur ex conſilio, ſed ex dolo, qui eidem accedit. Conſilium intra fines intellectus ſubſiſtit (§. 983. *part. 1. Theol. nat.*), aſt dolus actum quoque voluntatis involvit, ita ut tu ipſe damnum inferres ei, cui conſilium das, ſi inferre poſſes. Et ſi vel maxime culpa media vitietur conſilium; evidens tamen eſt, te, ſi tibi eſſet agendum, malle potius damnum dare ei cui conſilium das, quam alteri, cujus gratia das non ſuccurrere (*not.* §. 782. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam vero culpa media culpæ quædam in genere ſic dictæ ſpecies eſt (§. 784 *p. 1. Phil. pract. univ.*), ſubinde propius ad dolum, ſubinde propius ad culpam in ſpecie ſic dictam accedens (*not.* §. *cit.*); ea conſiliatorem ab obligatione damni reſarciendi minime liberat (§. 580. *p. 2. Jur. nat.*).

§. 720.

An mandati teneatur qui aliena tantum cauſa mandat. *Si aliena tantum gratia mandetur, mandator mandati tenetur.* Quodſi enim aliena tantum gratia mandetur, cum mandatoris in eo negotio nulla verſetur utilitas (§. 717.), mandatum ex amore in alterum profectum intelligitur (§. 650. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque qui alterum amat, is eundem conſiderat tanquam ſe ipſum (§. 659. *Pſych. empir.*); perinde omnino eſt ac ſi ſua cauſa mandaſſet. Quamobrem quod aliena tantum cauſa mandaverit, minime obſtat, quo minus mandatario ad ea teneatur, ad quæ ipſi teneretur, ſi ſua cauſa mandaſſet. Mandati igitur tenetur, qui aliena tantum gratia mandavit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quando tibi mando aliena cauſa, tu negotium alterius gerendum ſuſcipis mea voluntate, idem tanquam a me commiſſum meo nomine geſturus (§. 640.); conſequenter mecum contrahis. Quæ igitur ex contractu oriuntur obligationes (§. 793. *part. 3. Jur. nat.*); me & te tangunt. Quamobrem ego aliena licet cauſa mandans mandati teneor.

Nimirum negotium alienum, quatenus a te mandatur, ſpectatur tanquam proprium, eo ipſo enim tuum facis, quatenus id alteri committis, cum alias idem committere non poſſes. Tu mandatarium tibi obligas ad mandatum omni diligentia implendum (§. 649.) & te ipſi obligas ad eum intra fines mandati indemnem præſtandum (§. 667. 682.). Mandatarius enim negotium gerendum in ſe ſuſcipit tanquam a te ſibi commiſſum, atque adeo tuo nomine gerit, & in eo gerendo tuam repræſentat perſonam, quaſi ea lege, ut quod acquiritur cedatur ei, cujus cauſa mandatur, vel ut utilitas, quæ ex negotio obvenit, ſit ejus, cujus gratia mandatur. Ex. grat. Si tibi mando, ut Mævio fundum emas: perinde eſt, ac ſi mandarem, ut fundum mihi emas & emtum Mævio cædas. Quamobrem cum tu te obligaveris ad fundum mihi emendum, & emtum Mævio cedendum; Mævio a te emtus erit. Supponitur nimirum Mævium mihi non mandaſſe, ut mandem tibi emtionem fundi. Vi nimirum mandati agere debebas meo nomine, ſed quatenus id, quod ex mandato ad me pervenire poterat, Mævio cedo, Mævii nomine agis: in ceteris vero obligationes inter nos conſiſtunt, cum tibi de Mævii voluntate non conſtet, neque cum ipſo contraxeris. Similiter ſi tibi mando, ut pro Mævio fidejubeas, perinde eſt, ac ſi meo nomine fidejubere deberes. Quoniam autem volo, ut tu hoc facias tuo nomine quaſi meo; neceſſe utique eſt ut fiat periculo meo. Eodem modo aliud quodcunque negotium Mævii tuo nomine geris quaſi meo, vel nomine alterius quaſi meo, quatenus id geritur meo periculo. Mandatum vult, ut agas mandantis nomine (§. 640). Unum autem idemque eſt, ſive agatur mandantis nomine, ſive mandatarii aut tertii nomine, ſed periculo mandantis.

§. 721.

Cujuſnam ſit periculum, ſi man. *Si mandantis & mandatarii gratia mandetur, periculum mandantis eſt.* Quoniam enim ſi mandatarii gratia mandetur mandatum non eſt, ſed conſilium

(§. 715.

(§. 715.); quando mandantis & mandatarii gratia mandatur, perinde eſt ac ſi ſolius mandantis cauſa mandatum fuiſſet. Quamobrem cum mandans mandati teneatur, quatenus ſua cauſa mandatur, ad eum indemnem præſtandum (§. 682.); eundem quoque indemnem præſtare debet, quando ſui & ipſius cauſa mandatur, conſequenter ſi mandantis & mandatarii cauſa mandetur, periculum mandantis eſt.

dantis & mandatarii cauſa mandentur.

Ponamus caſum, quem exempli loco affert Imperator §. 2. Inſt. de Mand. Mando tibi, ut pecuniam ſub uſuris credas Titio, qui in rem meam eam verſurus eſt, veluti merces emturus. Tui gratia mandatur, quatenus ex hoc negotio uſuras accipis, adeoque in te utilitas quædam redundat (§. 717.). Aſt mei cauſa mandatur, quatenus pecunia in rem meam vertitur. Facile apparet, te Titio pecuniam non crediturum, niſi ego mandarem. Quicquid ergo facis, quia me tibi obligatum habes, ſeu quatenus ego mandati tibi teneor. Totum adeo negotium a te geritur meo periculo.

§. 722.

Quodſi mandetur mandatarii & aliena cauſa.

Si mandatarii & aliena cauſa mandetur; periculum mandantis eſt. Patet ut ante (§. 721.) perinde eſſe, ac ſi aliena tantum cauſa mandatum fuiſſet. Enimvero ſi aliena tantum gratia mandetur, mandator mandati tenetur (§. 720.). Tenetur igitur etiam mandati, ſi mandatarii & aliena cauſa mandetur.

Ponamus denuo caſum, quem exempli loco affert Imperator §. 5. I. de mand. Mando tibi, ut pecuniam ſub uſuris cedas Titio. Quatenus uſuras accipis, patet ut ante (*not.* §. 721.) tua cauſa mandari: quatenus vero pecunia creditur Titio, cujus neceſſitati ſuccurritur, ipſius gratia mandatur. Meo pecunia Titio creditur periculo, ita ut, ſi is ſolvendo non ſit, ego tibi tenear ad ſolvendum debitum cum omni intereſſe.

§. 723.

Quodſi mandantis, & aliena cauſa mandetur.

Si mandantis & aliena cauſa mandetur, periculum mandantis eſt. Etenim ſi ſolius mandantis cauſa mandetur, periculum mandantis eſt (§. 682.), & ſi aliena tantum gratia mandetur, periculum itidem mandantis eſt (§. 720.). Erit igitur etiam mandantis periculum, ſi ipſius & aliena cauſa mandetur.

Ponamus etiam hic caſum, quem affert Imperator §. 4. Inſt. de Mand. Ego tibi mando, ut mihi & Titio fundum emas. De Titii voluntate tibi non conſtat, ſed ſaltem de mea: alias enim ego & Titius ſimul mandaremus conjunctim. Ex contractu igitur ego nonniſi tibi obligatus ſum, adeoque periculo meo negotium geritur, & tu a me exigere potes ſolo, ut te in hoc negotio indemnem præſtem. Ex hactenus autem demonſtratis patet, quot modis mandatum contrahatur. Nimirum regulariter ſeu plerumque contrahitur ſolius mandantis cauſa: immo cum mandatarius ſeſe non obliget niſi mandanti eumque ſolum ſibi viciſſim obliget, negotium ſemper ſuſcipit in gratiam mandantis, quaſi ipſius cauſa mandaretur. Deinde mandatum etiam contrahitur, aliena tantum gratia (§. 720.), ſolius autem mandatarii cauſa contrahi nequit (§. 715. 716.). Denique contrahitur quoque mandatum mandantis & mandatarii (§. 721.), mandatarii & aliena (§. 722.), necnon mandantis & aliena gratia, *vi præſent.* Quinque igitur modis mandatum contrahitur, quemadmodum recte notavit Imperator *in princ.* de Mand. Ceterum non opus eſt, ut in mandato aliqua ſpectetur mandantis utilitas: neque enim obligatio naſcitur ex utilitate negotii, quod mandatario committitur, ſed ex libera mandantis voluntate, qua ſeſe mandanti obligare voluit, quemadmodum viciſſim a libera mandatarii voluntate pendet ejuſdem obligatio. Nimirum nemo alteri ſeſe perfecte obligare poteſt niſi promittendo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*), ſive promiſſio expreſſis verbis fiat, ſive tacite inſit negotio, quemadmodum omni contractui ineſſe intelligitur (§. 788 794. *part. 3. Jur nat.*). A promittentis autem voluntate ſemper pendet, utrum promittere velit, nec ne. Et in ſpecie a libera voluntate mandantis pendet, ut mandet; a libera autem voluntate mandatarii, ut ſibi ſit mandatum. Cum jam promiſſor, quam promiſſarius animo deliberato agere debeant (§. 391. 392. *part. 3. Jur. nat.*), unuſquiſque autem de ſe ſtatuere debet, num ſingula expendenda probe expenderit (§. 422. *part. 3. Jur. nat.*); culpa mandantis eſt, ſi temere mandaverit, culpa vero mandatarii, ſi temere negotium ſibi commiſſum gerendum ſuſceperit (§. 717. *p. 1. Phil. pract. univerſ.*). Quamobrem ſi quis damnum quoddam patitur, ſua hoc patitur culpa.

§. 724.

§. 724.

De pluribus conjunctim mandantibus.

Si plures conjunctim mandent, mandati pro rata tenentur, niſi aliter convenerint, quod ſcilicet ſinguli in ſolidum teneri velint mandatario. Quodſi enim plures conjunctim mandent commune negotium, quilibet partem ſuam mandaſſe intelligitur, niſi aliter convenerit, cum nemo aliena cauſa mandaſſe cenſendus ſit, niſi expreſſe hoc dixerit. Tot igitur videntur mandata, quot mandantes, conſequenter quilibet mandantium mandati tenetur pro rata, quam eidem mandavit (§. 682.).

Quodſi vero conventum fuerit, ut ſinguli in ſolidum teneantur, unusquisque non tantum ſua, ſed aliena etiam cauſa mandavit; conſequenter unusquisque etiam mandatario in ſolidum tenetur (§. 723.).

Ex. gr. Ego, Mævius & Titius mandamus tibi, ut fundum nobis emas, qui meus eſſe debet pro parte una, Mævii pro duabus & Titio pro tribus. Quodſi ergo tibi quid reſtituendum, ego partem unam, Mævius duas, Titius tres reſtituere tenetur, toto; quod reſtituendum, in partes ſex diviſo. Quodſi vero ſinguli in ſolidum teneri velint mandatario, poterit is totum exigere ab eo, a quo voluerit, &, ubi ab uno id conſequi nequit, ab alio.

§. 725.

Contractus conſenſualis quinam ſit.

Contractus conſenſualis eſt, qui mutuo conſenſu perficitur, ſeu conſummatur. Hinc *conſenſu conſtare* dicitur.

Equidem cum contractus omnis ſit conventio quædam (§. 793. *part. 3. Jur. nat.*), in omni autem conventione detur mutuus eorum, quos inter convenit, conſenſus (§. 669. *part. 3. Jur. natur.*); ad contractum omnem requiritur mutuus contrahentium conſenſus: non tamen omnis contractus mutuo conſenſu perficitur, ita ut pars una alteri ſit ſtatim obligata ad id, in quod conſenſit, quia conſenſit, ſed præterea aliud adhuc requiritur, antequam contractus perfectus, ſeu ad finem perductus, veluti in realibus traditio rei (§. 437.).

§. 726.

Qualis contractus ſit mandatum.

Mandatum contractus conſenſualis eſt. Quoniam enim mandatum contrahitur, ſi mandans mandatario ſuo nomine quid faciendum committit & hic commiſſum ab eo gratuito ſuſcipit (§. 640.); contractus ſtatim perficitur, quamprimum contrahentes in idem conſentiunt (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum contractus conſenſualis ſit, qui mutuo conſenſu perficitur, ſeu conſummatur (§. 725.); mandatum contractus conſenſualis eſt.

Præter conſenſum mandantis & mandatarii nihil requiritur aliud, ut ſit mandatum & contrahentes ſibi mutuo obligentur ad ea, ad quæ vi contractus ſibi invicem obligantur. Aliter vero ſeſe res habet in commodato, mutuo ac depoſito. Etſi enim commodans & commodatarius conſenſerint in uſum rei gratuitum, nondum tamen commodatum eſt, quia uſus ante conceſſus dici nequit, quam res tradatur utenda, nec commodatarii ulla intelligitur obligatio, antequam rem utendam accepit. Et idem eodem modo patet de mutuante & mutuatario. Similiter quamvis deponens & depoſitarius conſenſerint in gratuitam rei cuſtodiam; nondum tamen dici poteſt depoſitum eſſe, antequam res fuerit tradita, quæ deponenda, nec depoſitarii intelligitur obligatio, antequam rem cuſtodiendam acceperit. JCti adeo Romani contractus reales a conſenſualibus recte diſtinguunt, nec inutiliter, cum nemo alteri quid debeat, antequam obligatio ipſius incipiat, adeoque interſit noſſe, quamprimum alteri incipias eſſe obligatus, conſequenter quamprimum contractus fuerit conſummatus. Ulterius hæc deducere nolo, cum qui jurium periti ſint facile perſpiciant, quæ in praxi inde pendeant.

§. 727.

Quomodo facto vel

Si ex facto tuo, vel non facto intelligitur, te alteri aliquid faciendum committere, vel ab altero tibi commiſſum ſuſcipere; mandatum contrahitur. Etenim ſi ex facto

facto tuo vel non facto intelligitur, te alteri aliquid faciendum committere; te velle ut alter hoc faciat, ſufficienter ſignificas, conſequenter conſenſum tuum ipſo facto, vel non facto declaras (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Similiter ſi ex facto, vel non facto tuo intelligitur, te ab altero tibi commiſſum ſuſcipere; te velle facere, quod alter tibi faciendum committit, ſufficienter ſignificas, conſequenter conſenſum tuum ſufficienter declaras (§. *cit.*), & in utroque caſu conſenſus tacitus eſt (§. 660. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum conſenſus tacitus ſit verus conſenſus (§. 662. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ſolo conſenſu conſummetur mandatum (§. 725.), mandatum utique contrahitur, ſi ex facto tuo, vel non facto intelligitur, te alteri aliquid faciendum committere, vel ab altero tibi commiſſum ſuſcipere. *non facto contrahatur mandatum.*

Exempla quædam jam habuimus in anterioribus, quando mandatarius mandatore præſente, nec contradicente fines excedit (§. 702.), vel ſi mandator norit, mandatarium exceſſiſſe fines, vel præter mandatum egiſſe, hoc tamen non obſtante facit, vel non facit, quod facere vel non facere non poterat, niſi facto mandatarii ſuppoſito (§. 705.), vel ſi mandator ſuperveniens negotium, quod contra vel præter mandatum geritur, conſummari patitur (§. 708.). Nimirum perinde eſt, ſive conſenſus facto, vel non facto, ſive verbis declaretur, modo de eodem certo conſtet. Ut enim valeat mandatum, neceſſe eſt, ut certo conſtet de utriuſque contrahentium conſenſu (§. 725. 726.), neque adeo opus eſt, ut præciſe verbis declaretur.

§. 728.

Mandatum dicitur *expreſſum*, quod expreſſo mandantis conſenſu contrahitur. *Tacitum* vero appellatur, quod tacito mandantis conſenſu contrahitur. *Mandatum expreſſum & tacitum.*

Quoniam conſenſus expreſſus verbis; tacitus vero facto, vel non facto declaratur (§. 660. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*); dici etiam ſolet, quod mandatum tacitum per facta, ſive poſitiva, ſive privativa; expreſſum vero per verba contrahatur.

§. 729.

Si quis per epiſtolam tibi mandat, tu vero non reſpondes; mandatum contrahitur. Etenim ſi quis per epiſtolam tibi quid faciendum committat, & tu id in te ſuſcipere nolis; neceſſe eſt ut reſpondeas te nolle, conſequenter ſi non reſpondes, taces, quando tacendum non erat. Quoniam itaque conſentire præſumitur, qui tacet, quando loqui poterat & debebat, conſequenter quando tacendum non erat (§. 1054. *part. 3. Jur. natur.*); ex non facto tuo intelligitur, te negotium tibi commiſſum ſuſcipere velle (§. 658. 660. *part. 1. Philoſoph. practic. univerſ.*). Quamobrem cum mandatum contrahatur, ſi ex non facto tuo intelligitur, te negotium tibi commiſſum ſuſcipere velle (§. 727.); mandatum etiam contrahitur, ſi per epiſtolam tibi mandetur, tu vero non reſpondeas. *Quando per epiſtolam contrahatur mandatum tacito conſenſu mandatarii.*

Nimirum tacite conſentit mandatarius, qui cum verus ſit conſenſus (§. 662. *part. 1. Philoſ. pract. univerſ.*), idem operatur, quod expreſſus.

§. 730.

Si pro negotio gerendo quid exigitur, mandatum non eſt. Mandatum enim negotium alienum geritur gratis (§. 640.), conſequenter nihil pro eo exigere poteſt mandatarius (§. 18.). Quamobrem ſi mandatarius quid exigit, mandatum non eſt. *An mandatarius pro negotio geſto quid exigere poſſit.*

Qualis ſit contractus, ſi pro certa mercede negotium alienum quis gerit, docebitur ſuo loco. Nimirum cum contractus beneficus gratuitas præſtationes contineat, quod vero gratuitum eſt

mercenarium eſſe nequeat; ideo omni contractui benefico repugnat, ut præſtationes certo pretio æſtimentur, conſequenter ita conveniatur, ut tibi hoc præſtem, ſi tu mihi aliud præſtiteris.

§. 731.

Honorarium quid ſit.

Honorarium dicitur donum pecuniarium, quod remunerandi animo datur alteri ob præſtationem quandam gratuitam, vel pecunia non æſtimabilem.

Ex. gr. Emo tibi ædes minoris, quam mandaſti, & tu remunerandi cauſa mihi donas decem aureos. Donum hoc vocabitur honorarium. Similiter tibi, quamdiu in academia vixiſti, conſilium impertivi, quomodo ſtudia tua inſtituere debeas, & tu remunerandi animo mihi abiturus das 20. aureos; donum hoc dicetur honorarium. Neque enim conſilia ſunt in rerum loco, quarum pretium pecunia definitur. Inde etiam eſt, quod honorarium dicatur, quod ſolvitur Profeſſoribus pro collegiis, propterea quod doctrina, qua animos auditorum imbuunt, pecunia æſtimari minime ſoleat.

§. 732.

An honorarium ſit debitum.

Quoniam honorarium donum eſt (§. 731.), nemo autem ad donandum cogi poteſt (§. 73.); *ad dandum honorarium nemo cogi poteſt.*

Ex. gr. Tu mihi emiſti ædes minoris, quam mandaveram. Cum mandatum ſit contractus gratuitus (§. 640.), me ad dandum honorarium vi adigere non potes; ſed ſi dare nolim, in noluntate mea acquieſcere teneris. Idem patet in exemplo altero, quod modo dedimus (*not.* §. 731.).

§. 733.

An honoraria naturaliter licita & quando debita.

Quoniam honorarium datur remunerandi animo (§. 731.), adeoque ſignificandi animi grati cauſa (§. 114.), donationes autem animi grati declarandi cauſa factæ legi naturali conveniunt (§. 115.) & ad remuneratorias obligati ſumus (§. 208.); *honoraria non modo lege naturali licita ſunt, ſed qui dare poteſt, naturaliter quoque ad dandum obligatur.*

Ex. gr. Quamdiu in academia vixiſti, conſiliis meis te adjuvi, quæ tibi plurimum profuiſſe expertus es. Quodſi in poteſtate tua ſit, ut des honorarium; id non modo licitum eſt, ſeu lege naturali permiſſum (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); verum etiam eadem lege, quæ ad gratum animum etiam factis ſignificandum te obligat (§. 44. 45.), ad dandum honorarium obligaris.

§. 734.

Qualia ſint debita.

Quoniam honorarium debetur ex obligatione naturali ſeu connata dandi (§. 733.), quod vero ex obligatione naturali ſeu connata dandi debetur, id nonniſi imperfecte debetur (§. 402. *part.* 3. *Jur. nat.*); *honoraria nonniſi imperfecte per ſe debentur.*

§. 735.

Quando abeant in perfecte debitum.

Si honorarium promittitur & a promiſſario acceptatur, perfecte debetur. Quodſi enim honorarium promittitur & a promiſſario acceptatur, promiſſor promiſſario ad dandum perfecte obligatur (§. 363. 365.). Quamobrem cum perfecte debeatur, quod ex obligatione perfecta debetur (§. 401. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi honorarium promittitur & a promiſſario acceptatur, perfecte debetur.

Si tibi mando certum pretium, ut ædes mihi emas, & promitto 50. thaleros, ſi feceris, tu vero ædes emiſti; ego honorarium 50. thalerorum perfecte tibi debeo. Similiter ſi te rogo, ut filio

ut filio meo in academia verſanti conſilium impertias, quoties eodem opus habuerit, tibique promitto honorarium 50. aureorum, tu vero conſiliis tuis filium meum adjuviſti; honorarium 50. aureorum perfecte tibi debeo.

§. 736.

Quoniam honorarium promiſſum & a promiſſario acceptatum perfecte debetur (§. 735.), quod vero perfecte debetur, adeoque ad quod præſtandum tu mihi perfecte obligaris (§ 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad id ut præſtes te vi adigere poſſum (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *ad dandum honorarium promiſſum & acceptatum promiſſarius promiſſorem vi adigere poteſt*. *Quando ad dandum honorarium vi quis adigi poſſit.*

Ita in exemplo primo (*not.* §. 735.), honorarium 50. thalerorum vi a te exigere poſſum, ubi mandato tuo ædes tibi emi. Similiter in ſecundo vi a te exigere poſſum honorarium 50. aureorum, ubi filium tuum in academiis degentem conſiliis meis juvi. Nimirum mutuo noſtro conſenſu effectum eſt, ut imperfecte debitum abierit in perfecte debitum, & quod adeo fuerat voluntatis ſit neceſſitatis.

§. 737.

Si quod gratis præſtandum erat, alter præſtare non vult niſi ſub conditione honorarii certi præſtandi; honorarium in mercedem mutatur. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis præſtationem tuam tanti æſtimas, quantum tibi promitti vis honorarium, conſequenter operæ vel benevolentiæ tuæ pretium aliquod conſtituis (§. 273.). Quamobrem cum iſtiuſmodi pretium merces ſit (§. 327.); honorarium, quod non amplius datur remunerandi animo ob præſtationem gratuitam, vel pecunia non æſtimabilem (§. 731.), in mercedem mutatur. *Quando honorarium in mercedem degeneret.*

Ex. gr. Si quis tibi nolit ædes Titii emere, niſi ipſi promitto 50. thaleros, ubi fuerint emtæ: iidem non amplius honorarium ſunt, ſed merces. Aſt ſi vel ſponte eos offers, vel roganti promittis; utique honorarium ſunt, utpote dandi remunerationis cauſa. Hinc ſi inter Profeſſorem & auditores convenitur de certo pretio ſolvendo pro collegio, ita ut labore defungi nolit, niſi tantum pretium ſolvatur; honorarium non eſt, ſed merces: neque enim hic æſtimatur doctrina, quæ traditur, ſed vel opera, vel tempus eidem tradendæ impendendum. Communi tamen ſermone honorarii appellatio retinetur.

§. 738.

Quantitas honorarii dantis arbitrio definitur. Honorarium enim donum eſt remuneratorium (§. 731.). Enimvero nemo ad donationem (§. 73.), ne quidem remuneratoriam cogi poteſt (§. 209.), conſequenter etiam a donatoris unice voluntate pendet, quantum donare velit. Honorarii igitur quantitas dantis arbitrio definitur. *Quantitas honorarii a quonam definienda.*

Non igitur neceſſe eſt honorarium eſſe officio, quod remunerari volumus, proportionale. Poteſt dari magnum, vel parvum, prouti nobis viſum fuerit, non attenta utilitate, quam ex officio alterius percipimus. Neque obſtat propoſitioni præſenti, ſi quantitatem exprimit, qui honorarium petit, cum ea non definiatur petitione, ſed conſenſu dantis. Tuum enim eſt ſtatuere, num in id, quod petitur, an in majus, vel minus conſentire velis, immo an certi quid, an vero indefinite promittere malis, veluti te daturum honorarium, quo contentus eſſe poſſit, aut quo contentus erit.

§. 739.

Si ei, qui gratis quid præſtitit, honorarium datur, vel præſtituro promittitur; contractus beneficus non mutat naturam, nec ulla ex parte alteratur. Honorarium enim datur remunerandi animo (§. 731.), adeoque donatio remuneratoria eſt, *An honorarium mutet naturam contractus*

 quo

benefici vel cum alteret.

quo animus gratus ſignificatur gratis præſtanti (§. 206.). Quodſi ergo datur ei, qui ſe obligaverat ad aliquid gratis præſtandum, poſtquam præſtitit; per ſe patet, quod ſit actus a contractu prorſus ſejunctus, qui adeo eundem immutare in alium, vel quicquam in eodem mutare nequit. Quamobrem ſi ei, qui gratis quid præſtitit, honorarium datur, contractus beneficus naturam non mutat, nec ulla ex parte alteratur. *Quod erat primum.*

Quodſi honorarium, dum contrahitur, promittis gratis quidpiam præſtituro, hoc ipſo tantummodo eum certum reddis, quod beneficium non ſit in ingratum collaturus, ut præſtatio gratuita ipſi accidat minus moleſta. Quamobrem non vis quicquam derogare obligationi, qua ex contractu alteri teneris, nec alterum obligare ultra id, ad quod vi contractus eundem tibi obligas. Patet igitur denuo contractum hoc ipſo non mutari in alium, nec quicquam in eo immutari, conſequenter ſi gratis quidpiam præſtituro honorarium promittitur, contractus beneficus mutat naturam, nec ulla ex parte alteratur. *Quod erat alterum.*

Si honorarium datur, quod non promiſſum fuerat, ob beneficium tibi exhibitum, veluti negotium bene geſtum; id nullo modo influit in contractum, neque in ejus adimpletionem, quippe qui jam adimpletus fuit, antequam de eo quicquam conſtitit adimplenti. Quodſi vero promittatur, non influit in ipſum contractum, ſed tantummodo in ejus adimpletionem per modum motivi (§. 887. *Pſych. empir.*). Et quamvis promiſſum atque acceptatum perfecte debeatur (§. 735.), ita ut promiſſarius ad dandum vi adigere poſſit promiſſorem, ſi contractu adimpleto ſtare nolit promiſſis (§. 736.); hæc tamen obligatio promiſſoris non deſcendit ex contractu, etſi cauſa debendi contractui inſit, ſed ex promiſſione, quæ contractui non ineſt, cum eidem nonniſi extrinſecus accedat, ut lubentius faciat, qui gratis quid præſtare debet, conſequenter ut alterum permoveas ad contrahendum, vel tanto alacriori animo contractum adimplendum. Poterant hæc ex principiis pſychologicis uberius declarari, ſiquidem ad eas ambages hic deſcendere daretur.

§. 740.

An ſit commodatum, mutuum, depoſitum, & mandatum, ſi honorarium accedat.

Quoniam contractus beneficus non mutat naturam ſuam, nec ulla ex parte alteratur, ſi ei, qui gratis quid præſtitit, honorarium datur, vel præſtituro promittitur (§. 739.), commodatum vero (§. 418.), mutuum (§. 513.), depoſitum (§. 575.) & mandatum contractus benefici ſunt (§. 640.); *ſi commodanti, mutuanti, depoſitario & mandatario honorarium detur, vel promittatur; hoc non obſtante commodatum, mutuum, depoſitum & mandatum eſt.*

Agnoverunt hoc JCti Romani, qui in omnibus hiſce contractibus honorarium admittunt, quemadmodum tyronibus Juris notum eſt. Quod enim datur animi grati teſtandi cauſa, quia feciſti, non datur ideo, ut facias, tanquam merces aut pretium rei incorporalis. Nimirum in commodato & mutuo non æſtimatur uſus rei, ut tantundem det commodatarius, vel mutuatarius, quantum ipſi datur, nec in depoſito & mandato æſtimatur opera, quam præſtat *depoſitarius* in re cuſtodienda, mandatarius in negotio gerendo, quemadmodum fieri debebat, ſi pretium uſus conceſſi, vel operarum, ſeu merces decerni deberet (§. 273. 327); ſed quantitas honorarii arbitrio dantis definitur (§. 738.). Quamobrem non repugnat facere gratis & benevolentia alterius accipere honorarium ob gratuitam præſtationem.

§. 741.

An honorarium excedere poſſit pretium uſus conceſſi vel operarum præſtitarum.

Honorarium excedere poteſt pretium uſus conceſſi in mutuo & commodato, mercedem operarum in depoſito & mandato. Quantitas enim honorarii dantis arbitrio definitur (§. 738.) & remunerandi cauſa datur (§. 731.). Quamobrem a dantis voluntate unice pendet, quomodo præſtationem gratuitam remunerari velit. Cumque dona dentur gratis (§. 48.), in earum quantitate definienda non ſpectatur æqualitas ejus quod datur & quod ab altero fuit præſtitum, etſi præſtatio gratuita motivum ſit dandi honorarii (§. 887. *Pſych. empir.*). Honorarium igitur excedere poteſt pretium uſus conceſſi in mutuo & commodato, mercedem operarum in depoſito & mandato.

Honorarium donum eſt (§.731), adeoque dare honorarium beneficii loco habendum (§.65. 67.). Præſtationes gratuitæ etiam beneficiorum loco ſunt (§.20.), conſequenter qui dat honorarium beneficium reddit (§.32.). Unde etiam hinc patet naturalis obligatio dandi honorarium (§.41.), quam ante aliter adſtruximus (§.733.). Beneficium vero, quod redditur, non æquale eſſe debet beneficio accepto, cum beneficia ſint actus meræ voluntatis benefacientis (§.29). Ex. grat. Commodo tibi librum, quem inſtituto tuo apprime utilem deprehendis. Nullum eſt dubium, quin honorarium, quod pretium ejus ſuperat, excedat pretium uſus ad tempus conceſſi. Ego tibi ad remunerandam benevolentiam tuam dono librum multo majoris pretii, vel nummum aureum, qui hoc multum ſuperat. Propterea dici nequit, commodatum non eſſe, neque te tantum honorarium licite accipere poſſe. Subſiſtit enim donatio, etiamſi cauſam non habeat expreſſam (§.86.), conſequenter non ob cauſam expreſſam, niſi hæc fuerit inſtar conditionis (§.68.69.): neque tamen hoc etiam in caſu quantitas doni abeadem pendet. Ceterum hic quoque obſervanda ſunt, ne officio ſuo deſit qui honorarium accipit, quæ de non acceptanda donatione temeraria manifeſta, etſi jure externo valida (§.107.), ſupra demonſtravimus (§.106.).

§. 742.

Quando contractus beneficus ſubeat vicem conditionis, ſub qua honorarium præſtandum.

Quodſi tibi me donaturum promitto, ſi commodaveris, vel mutuo dederis, vel ſi rei cuſtodiam, aut negotium gerendum in te ſuſcipere volueris, donum ſub conditione promittitur. Etenim ſi tibi me donaturum promitto, ſiquidem commodaveris, vel mutuo dederis, aut ſi cuſtodiam rei, vel negotium gerendum in te ſuſceperis; ego promitto, me præſtationem gratuitam remuneraturum, conſequenter me tibi ad donandum obligare velle (§. 363. *part.* 3. *Jur. natur.*), ſi gratis hoc mihi præſtiteris, quod a te præſtari volo. Per ſe igitur patet, cum obligatus eſſe nolim, niſi id præſtiteris, donum tibi promitti ſub hac conditione, ſi commodaveris, vel mutuo dederis, aut ſi cuſtodiam rei, vel negotium gerendum in te ſuſceperis.

Nimirum commodatum, mutuum, depoſitum vel mandatum conditio hic eſt, ſub qua donatio promittitur, non vero donum, quod promittitur, eſt conditio, ſub quo commodatum, mutuum, depoſitum, vel mandatum contrahitur. Ex. gr. Si dico: promitto me tibi daturum nummum hunc argenteum, ſi mihi commodes librum. Ut librum commodes, omnino conditio eſt, eaque poteſtativa (§.487. *p.* 3 *Jur. nat.*), ſub qua tibi promitto nummum argenteum. Aliud vero eſt, ſi dico: commoda mihi librum, & ubi hoc facis addo: dabo tibi nummum argenteum; quia commodaſti, vel commoda mihi librum & dabo tibi nummum argenteum, quando commodaveris. In caſu priori donum, quod promittitur, motivum eſſe debet contrahendi (§.887. *Pſych. empir.*), in poſteriori fit remunerandi animo, ſeu ad ſignificandum animum gratum, ne exiſtimes te beneficium in eum eſſe collaturum, qui a beneficiis reddendis alienum habet animum, ſeu ut tibi conſtet de remunerandi voluntate & de ea ſis ſecurus.

§. 743.

Quando illa promiſſio adimplenda.

Quoniam ſub conditione promittitur donum, quando promittitur, ſi commodaveris, vel mutuo dederis, aut ſi rei cuſtodiam, vel negotium gerendum in te ſuſceperis (§. 742.), promiſſor autem promiſſionem adimplere debet, quamprimum conſtat conditionem poni (§.469. *part.* 3. *Jur. nat.*); *Quando tibi me donaturum promitto, ſi commodaveris, vel mutuo dederis, aut ſi depoſitum, vel mandatum fuerit, quamprimum commodatum, mutuatum, depoſitum vel mandatum eſt, commodatarius, mutuatarius, deponens vel mandans promiſſionem adimplere, adeoque donare debet.*

Ex. grat. Quando tibi promitto nummum argenteum, ſi librum mihi commodaveris, & tu hoc facis; ego tibi ſtatim nummum dare teneor. Quodſi vero commodatum fuerit ad certum tempus, cum hujus in donando videatur habita fuiſſe ratio, ante illud librum reſtituere non teneor, etiamſi propriis uſibus neceſſarium probaveris, niſi nummum reddas. Viciſſim ſtatim quidem tibi dare teneor, quod promiſi, ſi negotium in te gerendum ſuſceperis, quamprimum ſuſcepiſti, adeoque mandatum perfectum eſt: quodſi tamen iſtud adimplere non poſſis, legitima quadam cauſa impeditus, cum non dediſſe videar niſi adimplendi cauſſa, quod dedi reſtituere teneris. Nolo talia prolixe demonſtrare, quæ ab iis facile intelliguntur, qui principiis anterioribus animum imbutum habent, ne in nimium excreſcat labor.

§. 744.

Quando mandatum adimpleatur per æquipollens, quando in forma ſpecifica.

Mandatum adimpleri dicitur *per æquipollens*, ſi impletur per aliud æque utile aut utilius, quam erat id, quod fuerat mandatum. *In forma autem ſpecifica adimpletur*, ſi impleatur præciſe per id, quod fuerat mandatum.

Ex. grat. Mando tibi 3000 thaleros, ut mihi emas ædes Titii. Tu emis alias pretio 2500. thalerorum, quæ ædibus Titii ſunt meliores tibique magis utiles ac commodæ. Mandatum adimplètur per æquipollens. Quodſi vero pretio mandato emerentur ædes aliæ, quibus longe meliores ſunt Titii ædes," & quæ tibi parum commodæ; mandatum non adimpletum per æquipollens, ſed fines mandati exceſſiſti ac præter id egiſti. Confer, quæ dicta ſunt de conditione poteſtativa in forma ſpecifica & per æquipollens adimplenda (§. 553. *p. 3. Jur. nat.*)

§. 745.

Quando liceat per æquipollens adimplere.

Si quod a mandatore præſcriptum, ſub conſideratione generaliori præſcriptum conſtet, quæ aliter quoque obtineri poteſt; mandatum adimplere licet per aliud æquipollens. Quodſi enim conſtet, quod a mandatore præſcriptum ſ, ſub conſideratione generaliori, quæ aliter quoque obtineri poteſt præſcribi; mandatori perinde eſt, quocunque modo, id, quod intendit, obtineatur, modo intra fines mandati obtineatur, adeoque prudentiæ tuæ relictum videtur, ut facias, quod maxime expedit (§. 256. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem in hoc caſu mandatum adimplere licet non præciſe per idem, quod fuerat a mandatore præſcriptum, ſed per æque utile, aut utilius, quam erat id, quod mandatu fuerat præſcriptum. Enimvero ſi mandatum adimpletur per aliud æque utile aut utilius, quam erat id, quod fuerat mandatum, idem adimpletur per æquipollens (§. 744.). Mandatum adeo per æquipollens adimplere licet, ſi quod a mandatore præſcriptum, ſub conſideratione generaliore præſcriptum conſtet.

Mercator quidam tibi mandat pretium 4000. thalerorum, ut ipſi emas ædes Titii, quia loco commodo ſitæ & vitæ ſuæ generi ceteroquin conveniunt. Intendit adeo habere ædes, quæ pretium 4000. thalerorum minime excedunt, ſed quæ loco commodo ſitæ ſunt, ubi merces venales exponuntur, & ad ea utiles, ex quibus ædium utilitatem æſtimat mercator. Quodſi venales proſtent ædes, quæ commodiori adhuc loco ſitæ, quam Titii, & utilitati mercatoris magis accommodæ, & tu eas emis pretio minori, quam quod mandatum fuerat; mandatum adimples per æquipollens, neque dubitandum eſt, quin hoc facere liceat. Neque enim mandator ædes præciſe Titii habere voluit, ſed ædes loco commodo ſitas & mercatori utiles. Intentioni adeo ejus ſatisfeciſti, dum ædes alias, quam Titii, emiſti. Aliud exemplum eſto tale. Uxor mea tibi mandat, ut ipſi emas certum textilium genus, ex quo fœminarum aliarum veſtes conſici nunc moris eſt, ut & ipſa pro more veſtita incedat. Ad nundinas allatum eſt novum textilium genus, quod a fœminis honoratioribus avide emitur, quæ in morem veſtiri amant, nec non a mercatoribus, qui ad nundinas mercium emendarum cauſſa acceſſerunt. Tu hoc textilium genus emis, non quod fuerat mandatum. Cum certum genus præſcriptum fuerit ſub generaliori forma, quod nempe inſerviret conficiendæ veſti, quam mos approbat; mandatum adimpleviſti per æquipollens (§. 744.), cumque intentioni mandatoris ſic melius fuerit ſatisfactum, dubitandum non eſt, quin facere licuerit. *Scævola* l. ult. ff. Mand. hoc affert exemplum. Jubeo te fidejubere. Tu mandas creditori, ut tertio pecuniam numeret. Fidejubere jubes non alio fine, quam ut tertio pecunia credatur. Quoniam idem obtinetur mandatu, nec eo magis obligaris, quam fidejuſſione (§. 720.); mandatum adimpleviſti per æquipollens & quin hoc facere licuerit, dubitandum non eſt. Notat *Grotius* J. B. & P. lib. 2. c. 16. §. 21. quæſtionem hanc jam olim celebrem fuiſſe, teſte *Gellio* lib. 1. c. 13. eamque eo modo ſolvit, quem hic demonſtravimus. Ceterum ad interpretationem mandati quæſtionis ſolutio redit, quando judicandum, num quod in ſpecie præſcriptum videtur, ſub generaliore conſideratione præſcriptum ſit. Quando igitur de hoc non ſatis conſtat, præſtat mandatum adimpleri in forma ſpecifica (§. 649.). Enimvero ne mandatarius in applicanda propoſitione præſente fines mandati facile excedat, eadem tenenda ſunt, quæ de adimplenda conditione poteſtativa in forma ſpecifica & per æquipollens demonſtravimus (§. 554. 555. *part. 3. Jur. nat.*). Non inconſultum igitur videtur propoſitiones ſubjicere ſequentes.

§. 746.

§. 746.

Idem ulterius expenditur.

Si finis, quem intendit mandator, æque obtineatur, ſive mandatum in forma ſpecifica, ſive per aliud æquipollens adimpleatur; per aliud æquipollens idem adimplere licet: ſi non, in forma ſpecifica adimplendum. Quoniam enim mandatarius obligatur ad faciendum, quod ipſi commiſſum, nec quicquam facere debet, quod commiſſum non eſt (§. 649.), quando quæritur, num mandatum in forma ſpecifica ſit adimplendum, an idem adimplere liceat per aliud æquipollens, ſpectanda potiſſimum eſt mens mandantis, ex cujus voluntate metiendum eſt jus mandatarii. Quodſi ergo de voluntate mandantis non expreſſe conſtet; quænam ejus fuerit mens, aliunde colligendum. Quamobrem ubi conſtat de fine, quem intendit mandator; adimpletio mandati ſpectatur tanquam medium finem iſtum conſequendi (§. 937. *Ontol.*), & quod in ſpecie præſcriptum, illud præſcriptum intelligitur per modum medii: revera autem perinde eſt ac ſi mandator dixiſſet; mando, ut efficias me hoc fine potiri, conſequenter quod præſcribitur, ſub conſideratione generaliori præſcribitur, quæ etiam aliter obtineri poteſt, quam modo præſcripto. Enimvero ſi quod a mandatore præſcriptum, ſub conſideratione generaliore præſcriptum conſtet, quæ aliter quoque obtineri poteſt, mandatum adimplere licet per aliud æquipollens (§. 745.). Idem igitur per aliud æquipollens adimplere licet, ſi finis, quem intendit mandator, æque obtineatur, ſive mandatum in forma ſpecifica, ſive per aliud æquipollens adimpleatur. *Quod erat unum.*

Quodſi vero finis mandatoris non obtineatur, niſi mandatum in forma ſpecifica adimpleatur; cum finis ab agente intendatur (§. 617. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque mandator velit id fieri, propter quod agendum mandavit (§. 616. *part.* 1. *Phil. pract univ.*); quod præſcriptum eſt, ſub conſideratione generali præſcriptum cenſeri nequit, quod aliter etiam obtineri poſſit, ſed vult mandator ut præciſe fiat, quod præſcripſit, conſequenter ut mandatum in forma ſpecifica adimpleatur (§. 744.). Quamobrem cum mandatarius agere non debeat, niſi quod mandatu ipſi fuerat commiſſum (§. 649.); ſi finis a mandatore intentus obtineri nequeat, niſi mandatum in forma ſpecifica adimpleatur, per aliud æquipollens adimpleri nequit, ſed præciſe in forma ſpecifica adimplendum. *Quod erat alterum.*

Integra demonſtratio applicari poteſt ad exempla, quæ modo dedimus (*not.* §. 745.). Ita ædes Titii ſi mandentur, quia commodo loco ſitæ & mercatori utiles, alias quidem quam Titii emere licet, ſi eædem æque commodo, vel adhuc commodiori loco ſitæ & mercatori æque utiles, immo utiliores, quam Titii; non vero licet emere ædes alias loco minus commodo ſitas & mercatori non æque utiles. Quoniam vero præter finem primarium ſeu principalem etiam intendi poteſt aliquis ſecundarius ſeu minus principalis, immo hujus generis plures una intendi poſſunt (§. 942. *Ontol.* & § 617. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); æque utile dici nequit id, per quod finem quidem principalem, ſed non ſimul ſecundarios obtinere datur. Quod ergo præſcriptum eſt a mandatore intuitu non modo finis principalis, verum etiam minus principalium, ſub conſideratione generali præſcriptum intelligi nequit, quæ etiam alio quam præſcripto modo obtineri poſſit. Antequam igitur de fine, quem intendit mandator, certo conſtare poſſit, conſtare utique debet, an non juxta finem primarium intenderit aliquem ſecundarium quem præſcripto modo una cum illo conſequi poterat. Et ubi apparet, finem aliquem ſecundarium una intendi potuiſſe, quamvis dubium ſit, num eum intenderit mandator, mandatum adimplendum erit in forma ſpecifica: id quod utique tutius (§. 649.), quod in caſu dubio ſemper præferendum. Atque hinc diſcimus, multa circumſpectione opus eſſe, antequam mandator mandatum per aliud æquipollens adimpleat, cum idem in forma ſpecifica adimplere poteſt. Non nimis multum tribuendum eſt judicio ſuo, quando aliena voluntate agendum, cum non eadem ſint hominum de eo, quod ſibi utile eſt, judicia, nec quod tibi videtur melius, idem etiam videatur alteri.

§. 747.

Idem adhuc ulterius expenditur.

Si finis principalis, quem intendit mandator, obtineri poſſit mandatum adimplendo per aliud æquipollens; quod in forma ſpecifica adimpleri nequit; mandatum per aliud æquipollens adimplere licet. Quoniam enim propter finem principalem ita agimus, ut, ſi præterea alium nobis propoſitum non haberemus, ob hunc ſolum ageremus (§. 942. *Ontol.*); ſi de fine principali conſtet, quem mandator intendit, eum ideo mandaſſe conſtat, ut fine, quem intendit, potiatur, etiamſi fines ſecundarios, ſi quos forſan præterea intendit, conſequi minime poſſit. Quamobrem cum fine principali non potiatur, ſi mandatum in forma ſpecifica adimplendum, quia hoc modo adimpleri nequit, obtineri autem is poſſit, ſiquidem mandatum adimpleatur per aliud æquipollens; velle omnino intelligitur, ut per aliud æquipollens adimpleatur, ut adeo perinde ſit ac ſi mandaſſet te per aliud æquipollens mandatum adimplere debere, ſiquidem modo præſcripto adimpleri non poſſit. Cum adeo jus mandatarii metiendum ſit ex voluntate mandantis (§. 649); mandatum per aliud æquipollens adimplere licet, ſi finis principalis, quem intendit mandator obtineri poſſit mandatum adimplendo per aliud æquipollens, quod in forma ſpecifica adimpleri nequit.

Ex. gr. Mercator domicilium ſuum hac in urbe conſtituturus tibi mandat, ut ædes Titii ſibi emas, quia commodo loco ſitæ & mercatori utiles. Finis adeo principalis eſt habere ædes commodo loco ſitas & ad mercaturam utiles (§. 942. *Ontol.*). Ponamus ædes haſce eſſe vicinas ædibus amici, cujus conſuetudine uti voluerit, ac ideo ipſum quoque velle, ut tu ædes Titii ipſi emas. Vicinitas amici intenditur per modum finis ſecundarii, conſequenter non ita, ut ædes Titii ſibi emi vellet, ſi non primarius ſeu principalis finis obtineri poſſit. Videtur adeo finem principalem adhuc intendere, quamvis ſecundario excidat. Ponamus itaque porro Titium mutare animum ædes ſuas vendendi, aut eas vendere amico cuidam ſuo, ut adeo in forma ſpecifica adimpleri nequeat mandatum. Quoniam tamen conſtat mandantem velle, ut ædes loco commodo ſitas, & ad mercaturam utiles ſibi emantur; licebit omnino emere alias æque commodo loco, vel etiam commodiori ſitas & ad mercaturam non minus utiles, quam Titii: ſit ita quod ædes, quas emis, ſint ab ædibus amici ejus remotiores. Non nego fieri poſſe, ut quis præter finem unum, qui alias pro primario habetur, alios, qui habentur pro ſecundariis, una ita intendere poſſit, ut niſi propter eos conjunctim agi velit. Tum vero qui vulgo habentur pro ſecundariis, reſpectu agentis non ſunt tales, ſed ad finem principalem pertinent, cum minime repugnet, ut fines plures ſimul ſumti ſint finis principalis (§. 942. *Ontol.*).

§. 748.

De pretio rei demonſtrandæ gratia adjecto.

Si pretium rei comparandæ adjicitur ejus demonſtrandæ cauſa, non excedendo fines mandati pluris emitur. Quodſi enim pretium adjicitur rei demonſtrandæ cauſa, quæ ut comparetur mandatur; non pretium mandatur, ſed res, quæ comparanda, & quam pretio deſignato ab aliis ſui ſimilibus diſcernere debet mandatarius. Quoniam adeo pretium præciſe mandatum non eſt, nec fines mandati excedit, ſi rem pluris emat, quam quod erat pretium rei demonſtrandæ cauſa adjectum (§. 649.).

Ex. g. Mando tibi, ut emas linteamina ejusgeneris, quæ alias mihi emiſti ſolutis pro ulna una ſex groſſis. Linteamina mandari, non pretium manifeſtum eſt. Quodſi ergo contingat, pretium creviſſe, ut nonniſi ulna ſex groſſis cum dimidio vendatur; tu hoc pretio ea emens fines mandati non excedis. Similiter pretium equorum, quos ut mihi emas tibi mando, definiri poteſt 150. thalerorum, non ut idem præciſe mandetur, ſed ut conſtet, quales equos habere velim, nimirum tales, quales tanto pretio ab aliis emtos conſtat. Quodſi ergo ſolvas 160. non videris fines mandati exceſſiſſe.

§. 749.

§. 749.

Mandatum revocare dicitur, qui mandatario declarat, nolle ſeſe, ut mandatum adimpleat, conſequenter ſe eidem ex mandato teneri nolle. Et in genere *contractus* ſive *pactum revocare* dicitur, qui ſufficienter declarat nolle ſeſe, ut contractum ſit.

Mandatum & contractus quando revocetur.

Ex. gr. Mando tibi, ut mihi emas ædes Titii. Quodſi me pœnituerit, atque adeo ego tibi ſignificem me nolle, ut ædes Titii mihi emas, mandatum revocatur.

§. 750.

Quoniam mandatum revocatur, ſi nolit mandator id adimpleri (§. 749.), mandatum autem gratis adimpletur (§. 640.), conſequenter pro eo adimplendo nihil accipit mandatarius (§. 18.); *mandatarii non intereſt, utrum mandatum revocetur, nec ne.*

An interſit mandatarii mandatum non revocari.

Ex. gr. Mando tibi ut emas ædes Titii. Quod ſi mandatum revocem, eas emi nolo (§. 749.). Tua non intereſt, ut ædes Titii mihi emantur, adeoque parum refert, utrum mandatum revocem, nec ne. Quodſi dicas poſſe etiam mandatum contrahi mea & tua cauſa, veluti ſi tibi mando, ut pecuniam ſub uſuris credas Titio eam in rem meam verſuro (§. 721.), adeoque tua etiam intereſſe, ut mandatum adimpleatur; tenendum eſt, quatenus tui cauſa mandatur, mandatum non eſſe, ſed conſilium (§. 715.), conſequenter in mandato ejus rationem non haberi, ſed tantummodo ſpectari negotium, quatenus mandantis nomine agitur. Ita in exemplo, quod dedi, ego me tibi non obligo ad pecunias tuas ſub uſuris credendas, ſed ſaltem ad ſuſcipiendum in me periculum, ſi eas ſub uſuris credas Titio. Quodſi ergo non credantur, ad nihil quoque tibi obligatus ſum, cum promiſſio conditionata non ſit valida, conditione non exiſtente (§. 467. *part. 3. Jur. nat.*). Uſuræ, quas habere poteras, ſi mandatum adimpletum fuiſſet, non ſunt merces; quas tibi ſpondeo pro negotio geſto; ſed tu negotium tibi commiſſum reſpectu mei gratis geris (§. 640.), etſi ita comparatum ſit, ut ſine utilitate tua geri non poſſit. Si porro inſtes, poſſe etiam promitti honorarium, ſi mandatum adimpleveris, tibi ſolvendum (§. 735.), adeoque tua intereſſe, ut mandatum adimpleatur; eadem fere redit reſponſio, quam modo dedi ad exceptionem præcedentem. Nimirum honorarium tibi promittitur conditionate, ſi mandatum adimpleveris, conſequenter promiſſio valida non eſt, niſi mandato adimpleto (§. 467. *part. 3. Jur. nat.*): ego vero me non obligo ad mandatum non revocandum, ut honorarium accipere poſſis. Atque adeo conditio non eſt mere poteſtativa ex parte tui (§. 487. *part. 3. Jur nat.*), cum etiam pendeat a caſu, quatenus nimirum mandatum revocari poteſt. Probe tenendum eſt, quando hic quæritur, num interſit mandatario mandatum adimpleri, quæſtionem eſſe de eo, quod debetur ex contractu.

§. 751.

Mandator mandatum revocare poteſt, ſi nondum fuerit adimpletum: quodſi tamen jam adimpleri cœpit, aut impenſæ ejus adimplendi gratia factæ a mandatario, revocatione non obſtante, eum indemnem præſtare tenetur mandator. Quodſi mandatarius mandatum adimplevit, mandator id ratihabere debet (§. 666.), conſequenter declarare nequit, quod mandatum adimpleri nolit, adeoque nec ex eodem eidem teneri velit. Quamobrem cum iſtiuſmodi declaratione revocetur mandatum (749.); mandator mandatum revocare nequit, ſi jam fuerit adimpletum. *Quod erat primum.*

An mandator mandatum revocare poſſit, & ad quid ob revocationem teneatur mandatario.

Quodſi mandatum non fuerit adimpletum, cum mandatarii non interſit, utrum id adimpleatur, nec ne (§. 750.), nulla ſane ratio eſt, cur voluntatem ſuam mutare non poſſit mandator, cum unicuique permittendum ſit, ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu nil agit contra jus alterius (§. 377. *part. 3. Jur. nat.*), quale ex contractu mandati quæſitum nullum eſt mandatario (*not.* 750.). Enimvero ſi mandans voluntatem ſuam mutet, mandatum revocatur (§. 749.). Quamobrem mandator mandatum revocare poteſt, ſi nondum fuerit adimpletum. *Quod erat ſecundum.*

Quamdiu mandatum revocatum non eſt, mandatarius obligatur ad mandatum adimplendum (§. 649. 750.) Quamobrem ſi mandatum adimplere cœpit, antequam revocaretur, non fecit, niſi ad quod erat obligatus. Et, ſi mandati adimplendi cauſa impenſas fecit, antequam revocaretur, denuo patet, mandatarium non feciſſe, niſi quod ipſi erat integrum (§. 706.). Quoniam itaque mandans mandatario impenſas, ſine quibus negotium geri non poterat, reſtituere, & damnum, quod occaſione mandati incurrit, reſarcire tenetur, ſeu eum prorſus indemnem præſtare debet (§. 682.); eundem quoque indemnem præſtare debet, ſi mandatum demum revocetur, poſtquam idem jam adimpleri cœpit, vel ejus adimplendi cauſa a mandatario impenſæ factæ ſunt. *Quod erat tertium.*

Ex gr. Si tibi mando, ut mihi emas ædes Titii; mandatum revocari nequit, ſi jam fuerint emtæ, ſed mihi emtæ manent. Quodſi vero nondum ſint emtæ, & ego mandatum revoco, eas mihi emere non potes. Si emendarum gratia iter facere teneris, & hujus gratia impenſas quaſdam jam feciſti; ego tibi eas reſtituere teneor. Quodſi promiſerim honorarium, ſi fuerint emtæ; cum emtæ non ſint, id tibi dare non teneor: cum enim mandatum ſit gratuitus contractus (§. 640.), honorarii promiſſio extrinſeca ipſi eſt; neque adeo id debetur ex contractu, ſed tum demum deberetur, ſi ædes emtæ fuiſſent. Quoniam vero honorarii promiſſio extra contractum factum eſt, ea in ipſo contractu nihil immutat, adeoque nec in ſe revocabilem efficit, conſequenter promiſſio facta intelligitur ſub conditione mixta, quæ partim poteſtativa, partim caſualis eſt (§. 487. *part. 3. Jur. nat.*). Immo ſi rem penitius conſideres, quando adimpletio mandati ſubit vicem conditionis, ſub qua honorarium promittitur, nec proprie dici poteſt, conditionem eſſe poteſtativam ex parte mandatarii. Quoniam enim mandatarius non ſua, ſed mandantis voluntate mandatum adimplet (§. 640.), conditio potius pendet a voluntate mandantis, quam mandatarii, & quatenus mandatarius obligatur ad mandatum adimplendum (§. 649.) adeoque neceſſe eſt, ut adimpleat (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec hoc reſpectu arbitrii eſt mandati adimpletio, quale revera ad conditionem poteſtativam requiritur (§. 487. *part. 3. Jur. natur.*): ut adeo conditio, ſub qua promittitur honorarium, efficiatur magis caſualis per revocabilitatem mandati, cum mandatario nullum competat jus prohibendi, ne in ſui gratiam mandatum revocet mandator: quod ut clarius appareat ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 752.

Quando mandans obligetur mandatario.

Mandans mandatario non ante actu obligatur, quam ſi negotii adimplendi cauſa vel impenſas facit, vel quod ſibi mandatum eſt, vel damnum quoddam incurrit, aut periculum ſubit. Mandatarius enim negotium gerendum gratis ſuſcipit (§. 640.), adeoque ideo, quod in ſe ſuſcepit, ad nihil præſtandum obligatur mandans (§. 18.). Quodſi tamen impenſas facit negotii adimplendi cauſa, vel occaſione hujus negotii damnum aliquod incurrit, mandans ipſi impenſas reſtituere & damnum reſarcire, ſeu enim indemnem præſtare (§ 682.), quod intra fines mandati facit (§. 666.) & ea, ſine quibus mandatum adimpleri nequit, ratihabere debet (§. 683.). Quamobrem cum nemo ſeſe alteri obligare poſſit niſi promittendo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*); perinde eſt ac ſi mandator mandatario promiſiſſet, ſe impenſas reſtituturum, ſi negotii adimplendi cauſa quas fecerit; ſe damnum reſarciturum, ſi quod occaſione mandati incurrerit; ſe eum indemnem præſtiturum, ſi negotii gerendi cauſa periculum aliquod ſubire teneatur; ſe ratihabiturum, ſi quid intra fines mandati fecerit, aut tale, ſine quo mandatum adimplere minime poterat. Cum promiſſiones hæ omnes ſint conditionatæ, non ante validæ ſunt, conſequenter mandator non ante obligatur, quam mandatarius actu impenſas quaſdam fecit mandati adimplendi cauſa, vel actu occaſione mandati damnum quoddam incurrit, aut periculum ſubiit, vel denique aliquid fecit, quod mandatum, aut ſine quo mandatum adimpleri non poterat (§. 467. *part. 3. Jur. nat.*).

Ex. gr. mando tibi, ut mihi emas ædes Titii. Quamdiu eas non emis, nec quicquam facis contractus hujus ineundi cauſa; ego actu tibi ad nihil obligatus ſum. Quodſi ædium emendarum cauſa iter facere debes; quam primum ſumtus itineris cauſa facis, ego tibi actu obligatus ſum. Quodſi contractus emtionis venditionis conſummatus: ego ſtatim actu tibi obligatus ſum ad eum ratihabendum. Quodſi pro arrha 50. thaleros numerare debuiſti; quamprimum numeraſti, ego

actu ad eos tibi reſtituendos obligatus ſum. Antequam vero ea fiant, dici non poteſt, me tibi ad quid dandum actu eſſe obligatum; ſed tantummodo, me obligatum iri, ſi feceris, & obligatum fore, quando feceris.

§. 753.

Quando incipiat obligatio mandantis.

Quoniam mandatario non ante actu obligatur mandator, quam is mandati adimplendi cauſa impenſas facit, vel quicquam quod ſibi mandatum eſt, vel etiam occaſione mandati damnum aliquod incurrit, aut periculum ſubit (§. 752.): *ad nihil prorſus mandator mandatario obligatus eſt, quando mandatum nondum adimpleri cœpit, nec ullæ ejus adimplendi cauſa impenſæ factæ ſunt*, conſequenter *obligatio mandatoris non incipit niſi cum eo, quod fit mandato convenienter*.

Terminus a quo obligationes mandatoris ſatis manifeſtus apparet in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 752.). Atque adeo ſatis clare patet, quamdiu mandatum revocari poſſit, ſine ulla injuria mandatarii, & quid reſtituendum, vel reſarciendum, non obſtante revocatione, antequam mandatum prorſus adimpletum, facta, quodque ſalva hac reſtitutione non interſit mandatarii, utrum mandatum adimpleri jam cœptum penitus adimpleatur, necne. Ex. grat. Si ego tibi mandavi, ut mihi emas ædes Titii; & tu jam obtuliſti pretium, in quod conſentire noluit venditor: ego mandatum revocare poſſum: quoniam enim contractus nondum conſummatus, ego ad ratihabendum eum non obligatus ſum, etiamſi poſtea venditor in pretium oblatum conſentire velit. Mea enim obligatio ad ratihabendum non ponitur, niſi contractu conſummato..

§. 754.

Solutio mandati morte mandantis.

Mandatum extinguitur morte mandantis. Quod mandatarius facit intra fines mandati, tu feciſſe putandus es (§. 661.). Quamobrem cum mortuus nil agere amplius poſſis, nec mandatarius tuo nomine agere poteſt, conſequenter mandatum extinguitur morte mandantis.

Oſtenditur etiam hoc modo. Mandatarius miniſter eſt obligationis contrahendæ (§. 665.). Enimvero jus in miniſtrum collatum extinguitur morte ejus, qui contulit (§. 744. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam jus mandatarii extinguitur morte mandatoris, adeoque negotium, quod ipſi fuerat commiſſum, adimplendi jus non amplius habet, conſequenter mandatum morte mandantis extinguitur.

Repugnat omnino agere voluntate ejus, qui amplius velle nequit, & in agendo mortui repræſentare perſonam, qui agere amplius nequit. Præterea conſtat in mandato ſpectari unice utilitatem mandantis: quamvis enim is etiam mandare poſſit aliena cauſa (§. 720.), tunc tamen alienam utilitatem ſpectat tanquam ſuam, alias aliena non curaret. Quamprimum vero quis moritur, omnis ejus ceſſat utilitas, conſequenter nec propter eam agi amplius poteſt. Ex. gr. Mando tibi, ut mihi emas ædes; ſed morior, antequam eædem fuerint emtæ. Mandatum ſolvitur, nec tu amplius obligaris ad eas emendas, neque tibi jus eſt ad ædes mihi emendas. Ceſſat utilitas mea poſt mortem, cum nullis amplius habeam opus.

§. 755.

De mandatario agente mandante mortuo.

Quoniam mandatum extinguitur, ſeu ſolvitur morte mandantis (§. 754.); *ſi mandator moritur, perinde eſt, ac ſi mandatum non fuiſſet*, conſequenter *ſi mandatarius facit, quod fuerat mandatum, id ſine mandato feciſſe putandus eſt*.

E. gr. Mandaveram tibi, ut mihi emas fundum. Ego morior & tu nihilominus fundum emis. Fundum ſine mandato emiſſe putandus es. Neque enim agere potes mandato, quod nullum eſt.

§. 756.

De mandato manifeſto poſt mortem mandantis adimpleto. *Si mandatum manifeſtum poſt mortem mandantis a mandatario adimpletur, nihil agitur.* Etenim ſi mortuo mandatore mandatarius facit, quod fuerat mandatum, id ſine mandato feciſſe putandus eſt (§. 755.), conſequenter perinde eſt ac ſi mandati fines exceſſiſſet, cum qui contra fines mandati agat, etiam facit, quod mandatum non fuerat. Enimvero ſi mandatarius contra fines mandati manifeſti agit, nihil agit (§. 673.). Quamobrem etiam nihil agitur, ſi mandatarius mandatum manifeſtum implet poſt mortem mandantis.

Ex. grat. Novit Titius me tibi mandaſſe, ut ædes ejus mihi emas. Mandatum, quod habes, manifeſtum eſt (§ 652.). Quodſi ego moriar, antequam eas emeris, & tu nihilominus me mortuo eas emis, contractus emtionis venditionis nullus eſt, ædes emtæ non ſunt. Tecum contrahere non potuit meo nomine qui meo nomine contrahere non poteras.

§. 757.

De mandato arcano poſt mortem mandantis adimpleto. *Si mandatum arcanum, quo ſolo inſtructus erat mandatarius, poſt mortem mandantis adimpletur; mandans obligatur ei, cum quo contraxit.* Etenim ſi mortuo mandatore mandatarius facit, quod mandatum fuerat, id ſine mandato feciſſe putatur (§. 755.), adeoque perinde eſt, ac ſi fines mandati exceſſiſſet. Enimvero ſi mandatarius fines mandati arcani excedit, quo ſolo inſtructus erat, & mandans ceſſionem acceptare nolit, quod a mortuo fieri non poteſt, mandatarius obligatus eſt ei, cum quo contraxit (§. 671.). Ergo etiam ei, cum quo contraxit, obligatur, ſi mandatum arcanum, quo ſolo inſtructus erat mandatarius, poſt mortem mandantis adimpletur.

Ex. gr. Mando tibi, ut mihi emas ædes Titii: Titius vero ignorat, eas mihi emi. Quoniam cum eo contrahis quaſi tuo nomine, mandatum arcanum eſt, quo ſolo inſtructus (§. 652.). Quodſi me mortuo emas, mihi emtæ non ſunt, cum tibi me mortuo nullum fuerit jus eas mihi emendi. Ædes igitur, quas a Titio tuo nomine emiſti, tibi emtæ ſunt. Sed damus exemplum aliud, ex quo clarius elucescit veritas. Mando tibi, ut mihi certas quaſdam merces in nundinis emas: cum hoc mandatum non perveniat ad notitiam venditoris, arcanum eſt. Ego morior, antequam ad nundinas proficiſcaris, & tu nihilominus merces emis: erunt eæ tibi emtæ, &, ſi pretium non ſtatim ſolveris, id a te exigit venditor.

§. 758.

De mandato adimpleto, morte mandantis ignota. *Si mandatarius ignorans mandantem mortuum eſſe mandatum adimplet, indemnis præſtandus eſt.* Mandans enim mandatario obligavit ſeſe ad reſarciendum damnum, quod occaſione mandati incurreret (§. 682.) cumque hic illi ſeſe non obligaverit niſi ad negotium ipſius gratis gerendum (§. 640. 641.), tacite mandatum non ſuſcepit niſi ſub hac conditione, ut ſibi reſarciatur damnum, quod occaſione mandati incurrit. Quamobrem ſi ignorat mandantem mortuum eſſe, adeoque obligationi ſuæ ſatisfacturus (§. 649.) idem adimplet; occaſione mandati incurreret damnum, ſi ſine mandato egiſſe putaretur (§. 755.). Itaque ſi mandatarius ignorans mandantem mortuum eſſe mandatum adimplet; indemnis præſtandus eſt.

Ex. grat. Mando tibi, ut mihi certas merces emas in nundinis. Ego morior, antequam emeris: tu vero ignorans me mortuum eſſe eas emis. Neceſſe eſt, ne emtio tibi ſit damnoſa. Incurreres occaſione mandati damnum ſine culpa tua, cum non egeris, niſi quod tibi agendum eſſe non poteras non putare. Similiter ſi tibi mandaverim, ut ædes Titii emas, & tu ignorans me mortuum eſſe eas emis: æquum omnino eſt, ne ex hoc contractu ullum ſentias damnum.

§. 759.

§. 759.

De eo, qui cum mandatario contrahit, ignorante mortem mandantis.

Si is, cùm quo agitur, ignorat mandantem mortuum eſſe & cum mandatario contrahit mandato manifeſto confiſus; contractus validus eſt. Quod enim mandatarius facit intra fines mandati manifeſti, id a mandante factum eſſe recte ſumit is, cum quo agitur (§. 662.), & vi mandati manifeſti, quippe quod ad notitiam ejus, cùm quo agitur, pervenit (§. 652.), cum mandatarius obligationis contrahendæ miniſter ſit (§. 665.), eidem ſeſe obligavit mandans, quod, quicquid is voluntati ſuæ indicatæ convenienter acturus eſt, id a ſe actum habere velit (§. 727. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter hic cum mandatario non agit, niſi periculo mandantis. Quodſi ergo ignoret, mandantem mortuum eſſe & cum mandatario contrahit mandato manifeſto confiſus; nil omnino facit, niſi quod jure a te in ipſum collato facere poterat, ſine ulla culpa ſua. Ratio igitur nulla eſt, cur valide non contraxiſſe putandus ſit, cum mortuus tamdiu habendus pro vivo, quamdiu de morte ejus non conſtat. Contractus adeo validus eſſe debet.

Ex. gr. Mando tibi, ut mihi in nundinis emas certas quaſdam merces a Titio, cui ſignifico per literas, quod cum te contrahere meo nomine debeat. Ego morior, antequam merces emeris. Tu, quando adhuc a vobis ignoratur, me mortuum eſſe, merces emis. Erunt eædem mihi emtæ, nec reſcindetur contractus, quando innotuerit, me mortuum eſſe, conſequenter Titius merces recipere non tenetur. Aliter vero ſeſe res habet, ſi conſtet ei, cum quo agitur, mandantem mortuum eſſe: tum enim nihil agitur (§. 716.), & ſibi imputare debet qui contraxit, cum contrahere non poſſet.

§. 760.

Quodſi mandatarius norit, mandantem mortuum, ignoret vero is, cum quo mandatu manifeſto agitur.

Si mandatarius novit mandantem mortuum eſſe, is vero ignorat, cum quo vi manifeſti mandati agit; mandatarius ei, cujus intererat contractum non fuiſſe, tenetur ad id quod intereſt. Quoniam enim is, cum quo agitur mandatu manifeſto, ignorat mandantem mortuum eſſe, contractus validus eſt (§. 759.), adeoque reſcindi nequit. Quia vero mandatarius novit, mandantem mortuum eſſe, ſine mandato egiſſe putandus eſt (§. 755.), conſequenter perinde eſt ac ſi præter mandatum egiſſet, adeoque quod a mandante ratihabendum non eſt (§. 666.), & ceſſat ratio, cur is indemnis ſit præſtandus (§. 682.). Quoniam itaque culpa ſua damnum dat ei, cujus intererat contractum non fuiſſe (§. 488. *part.* 2. *Jur. nat.* & §. 662 *part.* 3. *Jur. nat.*), damnum vero hoc reſarciendum eſt (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); ei, cujus intererat contractum non fuiſſe tenetur ad id, quod intereſt (§. 623. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Ex. gr. Si tibi mando, ut a Titio, cui mandatum ſignificavi, mihi merces emas, tu vero noſti me eſſe mortuum, ignoret vero Titius, ubi emis; merces equidem mihi emtæ cenſentur (*not.* §. 759.), filio tamen meo, cujus intererat eas emtas non fuiſſe, teneris ad id quod intereſt, adeoque tu vel merces retinere & pretium ipſi reſtituere, vel, ſi minoris venduntur, defectum ſupplere teneris. Ita nimirum gerenda ſunt negotia humana, ne quis ſine culpa ſua incurrat damnum, &, ſi quod damnum emergit, idem ſentiat is, cujus culpa accidit, veluti is, qui fecit ad quod non faciendum erat obligatus. Ceterum ne in hac materia aliquid ſuperſit obſcuri, probe tenendum eſt, neminem præſumi mortuum, quamdiu eum mortuum eſſe non probatur, ſed potius vivum præſumi. In negotiis autem humanis quod probabile eſt habetur pro vero, ubi de veritate conſtare nequit. Hinc non minus mandatarius, quam is, cum quo mandatu manifeſto agitur, recte mandantem pro vivo habet, etiamſi mortuus fuerit, quamdiu ipſi conſtare nequit eum mortuum eſſe. Quod adeo uterque agit, tanquam adhuc vivo mandante egiſſe putandus eſt. Sane niſi hoc admittere velis, cum nemo certus eſſe poſſit, mandantem non ante moriturum, donec mandatum adimpletum fuerit, nulla foret certitudo negotiorum mandatu geſtorum, adeoque nemo mandatum ſuſciperet, metuens, ne ſine culpa ſua ſentire teneatur damnum, nec cùm mandatario mandatu manifeſto contraheret, ſi ſine culpa ſua damnum ſentire poſſet; quod cum eo contraxiſſet, veluti vendendo merces, quas alii vendere poterat, vel reſtituendo earum pretium, quod jam in ſuos uſus convertit,

vel

vel convertere poterat. Non ſine ratione igitur affirmat Imperator §. 10. Inſt. de Mandat. utilitatis cauſa receptum eſſe, ſi eo mortuo, qui tibi mandaverat, ut ignorans eum deceſſiſſe, executus fueris mandatum, poſſe te agere mandati actione. Demonſtrationes autem noſtræ loquuntur, id ipſum eſſe æquitati naturali apprime conveniens, adeoque dici nequit, quod ſit juris mere poſitivi, cum vi Juris naturalis ſimpliciter mandatu poſt mortem mandatoris nihil valide agi poſſit. Quamvis enim certum ſit mandatum morte mandantis extingui (§.754.); jus tamen naturæ non improbat, ut quod probabile eſt habeatur pro vero, quando de hoc certo conſtare nequit, & jubet, eum eſſe indemnem, qui bona fide agit, quod debet, vel licet, ſi quod probabile pro vero habeatur. Probabilitatis magna vis eſt in negotiis humanis, nec abſque ea eadem conſiſtere poſſunt.

§. 761.

Si mandans velit etiam ſe mortuo adimpleri mandatum.

Si mandator expreſſe velit, ut mandatum, licet ſe mori contingat, antequam adimpleatur, adimpleri tamen debeat; mandatum adimplendum etiam mortuo mandatore. Mandatarius enim obligatur ad id omni diligentia faciendum, quod ipſi commiſſum (§.649.). Quamobrem ſi mandator expreſſe velit, mandatum adimpleri, etiamſi ſe interea mori contingat, antequam adimpleatur; eodem etiam mortuo mandatarius idem adimplere debet.

Ex. gr. Morbo gravi decumbens tibi mando, ut mihi emas fundum, & expreſſe addo, te fundum emere debere, etiamſi interea me mori contingat, donec emeris; dubium non eſt, quin ſtandum ſit voluntate mea, atque adeo fundus emendus.

§. 762.

De mandato in diem, vel ſub conditione.

Si mandetur in diem, vel ſub conditione; mandatum non ante adimplendam quam dies venerit, vel conditione exiſtente. Mandatarius enim nil facere debet, niſi quod ipſi fuerit commiſſum (§.649.), adeoque in exequendo mandato ſequi debet mandantis unice voluntatem. Quodſi ergo mandetur *in diem*, vel ſub conditione, cum mandator nolit fieri, quod faciendum committit, ante diem, vel conditione non exiſtente; mandatum quoque mandatarius ante adimplere nequit, quam dies venerit, vel conditione exiſtente.

Ex. grat. Mando tibi, ut poſt octiduum mei cauſa iter facias pecuniam, quam tibi numerabit Titius, meo nomine accepturus. Tu antequam octiduum elapſum fuerit, iter ingredi minime debes. Quodſi hoc facis, tuo facis periculo. Quodſi ergo contingat, te per plures dies ibi commorari debere, antequam pecuniam accipias; ſumtus, quos feciſti, ego tibi reſtituere non teneor, neque enim hi mandati adimplendi gratia facti cenſentur. Immo ſi tua intereſt, me tamdiu ibidem commoratum non fuiſſe; ego tibi non teneor ad id, quod intereſt. Similiter mando tibi, ut nummum, quem mitto, aureum dones Cajo, ſi Conſul creetur; tu ei nummum aureum dare non debes, niſi Conſul fuerit factus. Ipſa exempla loquuntur, fieri poſſe, ut mandetur in diem, vel etiam ſub conditione, ut adeo id fieri poſſe dubitandum non ſit. Cumque negotia quæcunque, modo non ſint turpia (§.712.), mandari pro lubitu poſſint; nullum quoque dubium eſt, quin in diem, vel ſub conditione mandare liceat, ſi hoc modo ut mandetur e re mandantis ſit. Equidem haud pauca hic addi poterant de caſibus particularibus; attamen conſultum non eſt, ut in tantas ambages deſcendamus, cum ex anterioribus facile definiantur.

§. 763.

De mandato poſt mortem mandantis adimplendo.

Si mandetur in caſum mortis, vel quod poſt mortem mandatoris faciendum; mandatum poſt mortem ejus adimplendum. Etenim ſi mandetur in caſum mortis mandator vult, ut mandatarius faciat, ſi ſe mori contingat, adeoque mandatur ſub conditione. Sed ſi ſub conditione mandetur, mandatum adimplendum non eſt, niſi conditione exiſtente (§.762.). Quamobrem ſi mandetur in caſum mortis, mandatum adimpleri nequit, niſi mandator moriatur, conſequenter poſt mortem demum mandantis adimplendum. *Quod erat primum.*

Similiter ſi mandetur quod poſt mortem mandatoris faciendum, mandator vult,

vult, ut mandatarius faciat, quando mortuus fuerit, adeoque in diem mandatur. Quoniam itaque ſi in diem mandetur, mandatum adimpleri nequit, niſi quando dies venit (§. 762.); ſi mandetur, quod poſt mortem mandatoris demum faciendum, id antequam mandator moriatur fieri nequit, adeoque mandatum poſt mortem demum mandantis adimplendum. *Quod erat ſecundum*.

E. gr. Morbo periculoſo decumbens tibi mando, ut, ſi me mori contingat, annulum pretioſum, quem tibi trado, des Sempronio. Tu eum ipſi dare nequis, niſi ubi mortuus fuero. Quodſi enim convaleſcam, is mihi reſtituendus. Etenim contractus hic mixtus eſt: quatenus enim cuſtodiam annuli tibi committo, donec eventus fuerit certus, mandato depoſitum accedit: per hoc tamen mandatum non alteratur, utut tu mihi obligatus ſis non modo ex mandato, verum etiam ex depoſito. Quamobrem hoc minime obſtat, quo minus exemplo hoc prima propoſitionis pars illuſtretur. Sed demus exemplum aliud. Ego tibi mando, ut ſi me mori contingat, decem, quos mihi debes, aureos ſolvas Titio. Si morior, tu eos Titio; ſi non moriar, eos mihi ſolvere debes. Similiter mando tibi, ſi morior, ut librum, quem tibi commodavi, des Mævio. Quodſi morior, Mævio eum dare; ſi convaleſcam, eum mihi reſtituere teneris. Si tibi mandem, ut me mortuo commentarium de vita mea mittas ad amicum meum Sempronium: per ſe patet, mandatum adimpleri non poſſe niſi me mortuo. Similiter ſi tibi mando, ut mihi mortuo funus facias præſcripto modo; denuo patet, mandatum adimpleri non poſſe niſi poſt mortem meam. Quodſi tibi mandem, ut poſt mortem meam literarum faſciculum quem apud te obſignatum depoſui, in ignem conjicias, tu ante mortem meam hoc facere non potes: mandato enim revocato (§. 751.), eundem mihi reſtituere teneris (§. 749.).

§. 764.

Si mandatarius moritur, mandatum extinguitur, ſeu morte mandatarii ſolvitur mandatum. Cum enim mandatarium nobis obligatum eſſe velimus ad negotium noſtrum gerendum (§. 640. 641.), omnia vero fieri debeant animo deliberato (§. 390. *part.* 3. *Jur. nat.*); mandator non cenſetur negotium commiſiſſe huic perſonæ, quam quod de ipſius diligentia ac fide ſe ſatis certum exiſtimavit, ut adeo ipſi non perinde ſit, quinam negotium ſuum gerat, ſeu mandatum exequatur, adeoque mandatum reſtringitur ita ad mandatarium, ut nonniſi hunc ad mandatum exequendum velit eſſe obligatum. Quoniam itaque pactum tale perſonale eſt (§. 801. *part.* 3. *Jur. nat.*), pacta vero & contractus naturaliter non differunt (§. 794. *part.* 3. *Jur. nat.*); mandatum, qui contractus eſt (§. 640.), ad pacta perſonalia referendum. Enimvero pactum perſonale extinguitur, ſi unus paciſcentium moritur (§. 803. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo mandatum quoque extinguitur, ſi mandatarius moritur. *An morte mandatarii ſolvatur mandatum.*

Eodem modo oſtendi poterat, mandatum ſolvi morte mandantis (§. 803. *part.* 3. *Jur nat.*), quod ſupra aliter oſtendimus (§. 657.). Ex contractu mandati ſibi invicem tantummodo obligantur mandator & mandatarius, cum nulla ratione exſculpi poſſit, cur per mandantem aliæ adhuc perſonæ, veluti hæredes mandantis, mandatario obligari debeant, antequam mandatum adimpletum, vel adimpleri cœpit (§. 752.), aut per mandatarium aliæ ad mandatum adimplendum. Clarius hoc eluceſcet ſuo loco, quando expendemus jura & obligationes defuncti, quæ tranſeunt in hæredem: tum enim oppido manifeſtum erit, jura & obligationes mandatoris & mandatarii, antequam mandatum adimpletur, in illorum numero non contineri, conſequenter nec in ea ſuccedere poſſe hæredem, qui in bonis defuncti ſuccedit. Sed ſuo quæcunque loco tradi, methodus poſtulat. Subinde etiam phyſice impoſſibile eſt, ut mandatum impleatur ab alio mandatario mortuo, veluti ſi quod mandatum nemo novit niſi mandatarius.

§. 765.

In mandatarii voluntate unice poſitum eſt, utrum mandatum ſuſcipere velit, an nolit. Mandatarius enim gratis facere debet, quod faciendum a mandante ipſi committitur (§. 640.), conſequenter mandator vult, ut mandatarius beneficium quoddam ſibi præſtet (§. 20.). Enimvero ad beneficium præſtandum, nemo cogi poteſt (§. 27.). Ergo nec mandatarius cogi poteſt ad mandatum ſuſcipiendum. *Cur liberum mandatum non ſuſcipere.*

dum. In ejus adeo voluntate unice poſitum eſt, utrum mandatum ſuſcipere velit an nolit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Mandatum contractus conſenſualis eſt (§. 726.), adeoque mutuo conſenſu perficitur (§. 72.). Quamobrem cum mandatarius conſentiat, ſi quod faciendum committitur, ſe facere velle declarat (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ*); tum demum mandatum perficitur, quando mandatarius declarat, ſe facere velle, quod faciendum committitur, conſequenter quando mandatum ſuſcipit (§. 640.). Quodſi vero ipſi liberum non eſſet mandatum non ſuſcipere, ſtatim mandatum eſſet, quamprimum mandans declararet, velle ſeſe ut mandatarius hoc ſibi gratis faciat, conſequenter conſenſu mandatarii non eſſet opus: quod cum repugnet libertati naturali (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*), in mandatarii omnino voluntate unice poſitum eſt, utrum mandatum ſuſcipere velit, an nolit.

Non eſt quod excipias, naturaliter homines ſibi invicem obligari ad beneficia præſtanda (§. 23.), conſequenter etiam ad contractus beneficos, qualis eſt mandatum (§. 640), ineundos (§. *cit.* & §. 20.). Hæc enim obligatio imperfecta eſt (§. 354. *part.* 3. *Jur. nat.*), quæ in perfectam abire nequit niſi mutuo conſenſu (§. 357. *part.* 3 *Jur. natur.*), quatenus ſcilicet mandatori promittis, te gratis facere velle, quod tibi committere vult (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*), quod in promittentis voluntate poſitum eſſe conſtat (§. 386. *part.* 3 *Jur. nat.*).

§. 766.

Renunciatio mandati quid ſit.

Mandatum renunciare dicitur mandatarius, quando mandanti ſignificat, ſe mandatum, quod ſuſceperat, adimplere nolle. *Tempeſtiva* vocatur *renunciatio*, quando mandatoris non intereſt, ſi mandatarius mandatum exequi nolit, conſequenter per renunciationem nullo damno afficitur mandator (§. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*). Aſt *intempeſtiva* appellatur, quando per renunciationem damnum aliquod ſentiret mandator.

§. 767.

Ad quid teneatur mandatarius, ſi re non integra rènunciet.

Si mandatarius mandatum renunciat, quando mandanti non amplius integrum eſt negotium vel per ſe, vel per alium exequi; mandanti tenetur ad id, quod intereſt, mandatum adimpletum non fuiſſe. Si enim mandatarius renunciat, adeoque ſignificat mandatori, ſe mandatum exequi nolle (§. 766.), quando huic non amplius integrum eſt negotium vel per ſe, vel per alium exequi; perinde omnino eſt ac ſi mandatum non executus fuiſſet. Enimvero ſi mandatum non exequitur, tenetur mandanti ad id, quod intereſt, mandatum executioni datum non fuiſſe (§. 675.). Ergo etiam tenetur ad id, quod intereſt, mandatum adimpletum non fuiſſe, ſi mandatum renunciet, quando mandanti non amplius integrum eſt, negotium vel per ſe, vel per alium exequi.

§. 768.

De damno a mandatario renunciante reſarciendo.

Quoniam *mandatarius renuncians, quando mandanti non amplius integrum eſt negotium vel per ſe, vel per alium exequi, mandanti* tenetur ad id, quod intereſt, mandatum adimpletum non fuiſſe (§. 767.); *ad nihil tenetur, ſi nihil intereſt, mandatum adimpletum non eſſe.*

Ex. grat. Ego tibi mando, ut libros quoſdam in auctione publica mihi emas. Tu mandatum renuncias, quando integrum non eſt, ut emi mihi poſſint per alium. Nullum ego damnum incurro, etiamſi libri iſti mihi non fuerint emti, propterea quod mandatum renunciaſti, quando mihi non amplius integrum erat emtionem iſtorum librorum committere alteri. Juſtam quidem de te conquerendi cauſam habeo, quod obligationi tuæ non ſatisfacere volueris (§. 649.); nihil tamen eſt, quod a te jure exigere poſſim. Neque enim te obligaſti ad pœnæ loco quid dandum, ſiquidem obligationi non ſatisfeceris ſeu mandatum non adimpleveris.

§. 769.

Si mandatarius mandatum renunciat & mandator ob renunciationem damnum aliquod incurrit; mandatarius id reſarcire tenetur. Quodſi enim mandator ob renunciationem mandati damnum aliquod incurrit, cum mandatarius facere nolit (§. 766.), ad quod faciendum erat obligatus (§. 749.), mandatarius eidem damnum dat ſua culpa (§. 488. *part.* 2. *Jur. nat.* & §. 697. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque damnum culpa vel dolo datum reſarciendum (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*), damnum etiam reſarcire tenetur mandatarius, ſi ob renunciationem damnum aliquod incurrit mandator. *De damno a mandatario renunciante reſarciendo.*

Ex. grat. Mando tibi, ut mihi certas merces emas in nundinis. Tu mandatum renuncias per epiſtolam, & ego ob moram eaſdem majoris emere cogor, quam initio nundinarum emi poterant. Damnum mihi datur ob renunciationem, etſi mandatum adhuc impleri potuerit per alium. Rigore juris naturalis tu mihi reſtituere debes exceſſum pretii. Si merces emere mihi noluiſſes, propterea quod propriis negotiis non commode vacare poſſes, vel alia quacunque de cauſa moleſtum tibi accideret, non debebas mandatum ſuſcipere. Tua igitur culpa eſt, quod animo non ſatis deliberato in te ſuſceperis non expendendo ea, quæ expendere debebas (§. 772. *part.* 1. *Philoſ. pract. univerſ.*) & §. 394. *part.* 3. *Jur. natur.*). Atque adeo quod inde in me redundat damnum, a culpa omnino tua ortum trahit. In caſibus particularibus culpa mandatarii renunciantis, qua mandator ob renunciationem damnum incurrit, plerumque magis in aprico poſita eſt. Ceterum ipſa renunciatio innuat, mandatum a renunciante adimpleri potuiſſe, modo voluiſſet, propterea quod ſignificat ſe nolle mandatum adimplere, non impoſſibile eſſe, ut adimpleat.

§. 770.

Si mandator nullum incurrit damnum ob renunciationem, mandatori renuncians ad nihil tenetur. Etenim ſi mandator nullum incurrit damnum ob renunciationem, per ſe patet nullum quoque damnum reſarciri poſſe. Quamobrem cum vi contractus equidem mandatarius ſe obligaverit ad negotium mandantis gratis gerendum (§. 640.), conſequenter ut nihil viciſſim recipiat (§. 18.), non vero ad aliquid dandum, ſi gerere nolit, vel non poſſit; ad nihil quoque mandatori tenetur, ſi is ob renunciationem damnum nullum incurrit. *De renunciatione mandanti non damnoſa.*

Equidem non recte facit mandatarius, ſi abſque juſta cauſa renunciet, cum fidem fallat (§. 758. *part.* 3. *Jur. nat.*), quam fallere non licet (§. 765. *part.* 3. *Jur. nat.*), non tamen hinc ſequitur, quod ideo ad aliquid præſtandum mandatori ſit obligatus: foret enim hæc præſtatio pœna promiſſo a mandatario adjecta (§. 606. *part* 3. *Jur. nat.*), quam præſtare nemo tenetur, niſi qui promiſit (§. 611. *p.* 3. *Jur nat.*). Nec pœna tacite adjecta intelligitur, quippe quæ certa eſſe debet, ut conſtet, quid exigendum ſit.

§. 771.

Si mandatarius mandatum non exequatur, vel nulla juſta de cauſa renunciet; pœnam mandato adjectam, niſi impleatur, præſtare tenetur. Etenim ſi pœna mandato adjicitur, niſi impleatur, mandatarius promittit ſe hoc daturum, vel facturum, niſi mandatum impleat (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 640. *h.*). Quamobrem cum promiſſa ſint ſervanda (§. 431. *part.* 3. *Jur. nat.*); mandatarius quoque præſtare tenetur, quod pœnæ loco promiſit, niſi mandatum impleatur, ſi id non exequitur, conſequenter etiam, ſi nulla juſta de cauſa renunciet (§. 766.). *De pœna adjecta, ſi mandatum non impleatur.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Si pœna mandato adjicitur, niſi impleatur, mandatarius promittit, ſe certi quid daturum, vel facturum, niſi mandatum exequatur (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 640.), conſequenter etiam, ſi nulla juſta de cauſa renunciet (§. 766.). Enimvero quod pœnæ nomine promittitur, præſtandum eſt, niſi feceris, quod te facturum promittis (§. 611. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam pœnam adjectam præſtare tenetur mandatarius, quando mandatum exequitur, vel nulla juſta de cauſa renunciat.

Equidem haud facile mandatarius, qui negotium mandatoris gratis in ſe gerendum ſuſcipit (§.640.), ita contrahet; non tamen repugnat, ut ita contrahat, & rationes eſſe poſſunt mandanti, ut ita contrahere velit. Obligationes contrahentium metiendæ ſunt ex eorum voluntate, & mandatario liberum eſt, in quantum ſe obligare velit mandanti, modo non ſe obliget ad factum turpe (§ 711.). Præterea quæ præciſis circumſtantiis particularibus paradoxa, immo abſurda videri poterant, talia non videntur iis ſpectatis.

§. 772.

De renunciatione re adhuc integra facta.

Si mandatarius renunciet, quando mandatori adhuc integrum eſt, ut negotium vel per ſe, vel per alium exequatur, ob renunciationem eidem ad nihil tenetur. Etenim ſi mandator adhuc vel per ſe, vel per alium negotium commode exequi poſſit, ob renunciationem nullum damnum incurrit, adeoque ad nihil ipſi tenetur mandatarius (§. 770.). Quamobrem ad nihil eidem tenetur, ſi renunciet, quando mandatori adhuc integrum, ut negotium vel per ſe, vel per alium exequatur.

Ex. gr. Mando tibi, ut mihi emas ædes Titii poſt octiduum ſub haſta vendendas. Tu mandatum renuncias quatuor ante terminum diebus. Quoniam vel ipſe in termino comparere, vel alii hoc negotium committere poſſum; tu mihi ad nihil teneris, quia renunciaſti.

§. 773.

De impedimento, quo minus mandatum exequi detur.

Si impedimentum inevitabile, ac inſuperabile tibi objiciatur, quominus mandatum exequi poſſis, vel ſi ejus cauſa renuncies; mandanti ob mandatum non adimpletum, vel ob renunciationem ad nihil teneris. Etenim ſi impedimentum, quod tibi objicitur, fuerit inevitabile ac inſuperabile, tu in cauſa non es, ne tibi objiciatur, nec oblatum tollere potes (§. 639. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem tibi poſſibile non eſt, ut mandatum exequaris, vel poſſibile non fuit, ut adimpleres. Enimvero nemo obligari poteſt ad id, quod ipſi impoſſibile (§. 209. *part.* I. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec mandatarius obligatus eſſe poteſt ad mandatum adimplendum, ſi impedimentum inevitabile ac inſuperabile ipſi objiciatur, quo minus adimplere poſſit. Quodſi ergo ob tale impedimentum mandatum non executus fuerit, vel ejus cauſa renunciet, mandanti ob mandatum non adimpletum, vel ob renunciationem ad nihil tenetur.

Ex. gr. Tu mihi mandaſti, ut tibi emam merces in nundinis. Ego in itinere in morbum incido, ut ad nundinas pergere non liceat. Quod merces vel non emerim, vel tibi morbum ſignificans renunciaverim, ad nihil tibi teneor, quamvis tua intererat merces fuiſſe emtas, nec amplius tibi integrum ſit, ut eas per alium tibi emi cures. Idem etiam intelligitur, ſi eo die, quo tibi emendæ ſunt ædes Titii ſub haſta vendendæ morbo corripior & mandatum renuncio, quando tibi non amplius integrum eſt te in forum conferre, ubi licitatur, vel alium tuo nomine illuc mittere. Similis caſus eſt, ſi per ſubitam profectionem Reip. cauſa impediaris, quo minus impleas mandatum, vel ſi uxor tua apoplexia corripiatur, cui præſenti remedio adeſſe debes.

§. 774.

De colliſione damnorum mandatarii & mandatoris.

Si damnum incurrat mandator, quando mandatum non adimpletur, mandatarius vero, quando adimpletur, & damnum mandatarii æquale eſt damno mandantis; mandatum adimplere non tenetur mandatarius, &, ſi fieri poteſt, id renunciare licet: quodſi damnum mandatarii excedat damnum mandantis, mandatum non adimplendum, aut, ſi fieri poteſt, renunciandum: quodſi vero damnum mandatarii minus ſit damno mandantis, nec mandatum tempeſtive revocari poſſit, id adimplendum. Etenim ſi damnum incurrat mandatarius mandatum adimplendo, id mandator eidem reſarcire tenetur (§.682.). Quodſi ergo hic non majus damnum incurrit, ſi mandatum non adimpletur *per hypoth.* ipſi omnino perinde eſſe debet, ſive mandatum impleatur, ſive non impleatur, & ſive mandatarius idem exequi velit,

velit, ſive nolit, conſequenter renunciet (§. 766.). Mandatarius itaque mandatum adimplere non tenetur &, ſi fieri adhuc poteſt, idem renunciare licet. *Quod erat primum.*

Quodſi vero mandatarii damnum excedat damnum mandatoris, ab hoc plus reſarciendum foret, quam futurum erat damnum, quod ſenſiſſet, mandato non adimpleto. Quamobrem cum unuſquiſque damnum omne, quantum in ſe eſt, ab altero avertere debeat (§ 495 *part. 2. Jur. nat.*); mandatarius mandatum adimplere non debet, ſi damnum ſuum, eo adimpleto, excederet damnum mandatoris, quod pateretur, eo non adimpleto, conſequenter, ſi fieri poteſt, tempeſtive renunciandum eſt mandatum (§. 766.). *Quod erat ſecundum.*

Eodem modo patet, ſi damnum mandatarii minus ſit damno mandantis, in caſu colliſionis damnorum ex mandato vel adimpleto, vel non adimpleto reſultantium, nec mandatum tempeſtive revocari poſſit, ut mandator idem vel per ſe, vel per alium exequatur (§. 766.); mandatum eſſe adimplendum. *Quod erat tertium.*

Denique ſi adimpleto mandato mandatarius incurrit damnum, non adimpleto mandator, cum utrumque averti poſſit, ſiquidem adhuc integrum eſt, ut idem vel per ſe, vel per alium exequi poſſit mandator, adeoque mandatum tempeſtive revocari poteſt (§. 766., damnum autem utrumque ſit avertendum, quando fieri poteſt (§. 493. 495. *part. 3. Jur. nat.*); mandatum renunciandum, quando tempeſtive renunciari poteſt. *Quod erat quartum.*

Quæ hic demonſtrantur, ea æquitati naturali apprime convenire nemo non agnoſcere tenetur, qui demonſtrationum vim percipit principiorum demonſtrandi veritate intime perſpecta. Et ex iis, quæ de revocatione mandati hactenus demonſtrata ſunt, ſufficienter liquet, quandonam mandatum revocari debeat, quando revocare liceat, quando non liceat, & quando impune ſaltem revocetur: quæ omnia in Jure naturali a ſe invicem probe ſunt diſtinguenda. Mandator & mandatarius bona fide contrahunt, cui maxime convenit, ut neuter incurrat damnum, quod averti poteſt.

§. 775.

Si mandatarius majus incurrat damnum, quando mandatum adimpletur, quam fuiſſet damnum mandatoris, eo non adimpleto, & mandatum tempeſtive renunciari non potuit; mandator non tenetur mandatario reſarcire niſi eam damni partem, quæ æqualis eſt damno, quod ipſi ſubeundum fuerat, mandato non adimpleto: quodſi vero tempeſtive revocari potuiſſet, nec tamen hoc facit mandatarius, mandator nihil eidem reſarcire tenetur. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis mandatum non erat adimplendum (§. 774.), adeoque mandatoris non majus fuiſſet damnum, quam quod incurrere debebat mandato non adimpleto. Nulla igitur cum ſit ratio, cur majus damnum ferre debeat, quia mandatarius fecit, quod facere non debebat; eidem quoque ultra id, quod ſubiiſſet, ſi mandatum non adimpletum fuiſſet, reſtituere quidpiam non tenetur. *Quod erat primum.* *De eo, quod reſarciendum, mandato non revocato.*

Quodſi mandatarius tempeſtive renunciaſſet mandatum, mandator mandatum vel per ſe, vel per alium exequi (§. 766.), adeoque damnum ejus averti poterat non minus, quam mandatarii. Quamobrem ſi tempeſtive non renunciet mandatarius, cum poſſet, negligentiæ ipſius hoc tribuendum (§. 750. *p. 1. Phil. pract. univ.*); quæ cum culpa ſit (§. 758. *part. 1. Phil. pract. univ.*), mandatarius culpa ſua incurrit damnum, adeoque mandator nihil ipſi reſarcire tenetur. *Quod erat alterum.*

Ejus nimirum damnum eſt, cujus eſt culpa (§. 629. *part. 2. Jur. natur.*). Et ne quicquam obſcuritatis in hiſce ſuperſit, quæ in propoſitione præſente demonſtrantur, relegenda ſunt, quæ de damnorum colliſione tradidimus (§. 629. & *ſeqq. part. 2. Jur. nat.*). Ex his nimirum facile patebunt, quæ adhuc addi poterant.

§. 776.

An mandatarius ad mandatum adimplendum vi adigi poſſit.

Mandatori competit jus mandatarium vi adigendi ad mandatum adimplendum, ſi id ſine juſta cauſa revocet. Mandator enim obligatus eſt ad mandatum adimplendum (§. 649.), conſequenter ſine juſta cauſa non revocandum (§. 766.). Quamobrem cum hæc obligatio mutuo conſenſu perficiatur (§. 640.), adeoque perfecta ſit (§. 357. *part.* 3. *Jur. natur.*); mandatori competit jus mandatarium adigendi ad mandatum adimplendum, ſi id ſine juſta cauſa revocet (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Quando ſine juſta cauſa revocetur, patet ex antea demonſtratis (§. 773. 774.). Quodſi dicas, effectum hujus juris eſſe nullum, ſiquidem fieri poſſit, ut hoc non obſtante mandatarius mandatum non adimpleat; non modo eadem objectio in omni alio caſu moveri poterat, quo alter nobis ad aliquid faciendum obligatur, verum etiam hic perpendendum eſt, mandatarium mandato non adimpleto teneri ad id, quod intereſt, mandatum non fuiſſe adimpletum, ſi revocationi ſine juſta cauſa factæ contradicatur (§. 675.), conſequenter fieri poſſe, ut malit mandatum exequi, qſtam præſtare mandanti id quod intereſt mandatum adimpletum non fuiſſe.

§. 777.

Num quod ſibi mandatum alteri mandare liceat.

Quod tibi mandatum eſt, alteri mandare non licet ſine conſenſu mandantis. Cum enim mandatarium nobis eſſe velimus obligatum ad negotium gerendum (§. 640. 641.), omnia vero fieri debeant animo deliberato (§. 390. *part.* 3. *Jur. nat.*) mandator non cenſetur negotium commiſiſſe huic perſonæ, quamquod de ipſius diligentia & fide ſe ſatis certum exiſtimavit (§. 387. *part.* 3. *Jur. nat.*), ut adeo ipſi perinde non ſit, ſive mandatarius, ſive alius quicunque mandatum ejus exequatur. Quamobrem quod tibi mandatum eſt, alteri mandare non licet, niſi conſtiterit mandatorem conſentire, ut huic mandes, quod tibi mandaverat, conſequenter id alteri mandare non licet ſine conſenſu mandantis.

§. 778.

De præſtanda culpa & dolo ejus, cui mandatarius mandavit, quod ſibi mandatum fuerat.

Si mandatarius ſine conſenſu mandantis alii mandet, quod ſibi mandatum fuerat; dolum & culpam ejus, cui mandavit, ipſe præſtare tenetur. Etenim quod tibi mando, tu ſine conſenſu meo alii mandare non potes (§. 777.). Quodſi ergo hoc facias, tuo periculo hoc facis, conſequenter culpa & dolus ejus, cui mandaſti, tua cenſetur culpa, dolus tuus, adeoque tu hanc culpam, tu hunc dolum præſtare teneris (§. 684.).

Nimirum tu mihi obligatus es, qui tibi mandavi; is vero, cui tu mandaſti, tibi eſt obligatus. Quod adeo feciſti per alium, per te feciſſe putandus es, conſequenter ſi mandatarius tuus mandatum non executus, vel negligenter executus, aut doloſe egit, vel fines mandati exceſſit, tu hoc feciſſe putandus es, quippe qui ipſe negotium exequi debebas, non vero idem exequi per alium. Tua ego fide ac diligentia confiſus, non fide ac diligentia illius, quem tu ſubſtituiſti. Ex. gr. Do tibi pecuniam, ut mihi emas merces in nundinis: tu eam pecuniam das Titio, ut eas emat, qui eam ludendo perdit. Tu mihi teneris ad eam reſtituendam ac præterea ad id, quod intereſt, merces emtas non fuiſſe. Similiter tu mihi teneris ad reſarciendum damnum, ſi emat merces vitioſas vel pretio juſto majori.

§. 779.

Cuinam mandandum, quod cum conſenſu mandantis alii mandari poteſt.

Si tibi mando ita, ut alii mandare poſſis, niſi ipſe mandatum commode exequi poſſis; tu mandare debes homini perito, & qui probatæ fidei ac diligentiæ eſt. Etenim ſi ita mandetur, ut alii mandare poſſis, niſi ipſe mandatum commode exequi poſſis, mandare alii negotium eſt, quod tibi mandatum, conſequenter in mandando nulla ex parte diligentiam tuam deſiderari patiaris neceſſe eſt (§. 649.).

(§. 649.). Enimvero quoniam mandatarius omni diligentia facere debet, quod ipſi faciendum committitur (§. 649.); is, cui mandas, intelligere debet negotium, quod ipſi gerendum committitur, & tu certus eſſe debes, quod nihil doloſe ſit acturus, ac diligentem ſe præbiturus. Mandare igitur debes homini perito & qui probatæ fidei ac diligentiæ eſt.

§. 780.

Quoniam *ſi tibi mando ita, ut alii mandare poſſis, ſiquidem ipſe mandatum exequi nequeas, tu* mandare debes homini perito & qui probatæ fidei ac diligentiæ eſt (§. 779.); cum in mandando negligens ſis, ſi *homini imperito, vel malæ fidei aut negligenti mandes* (§. 750. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); tu in gerendo negotio tibi commiſſo culpa dediſſe cenſendus es *damnum, quod imperitia, dolo vel culpa ejus, cui tu mandaſti, contingit* (§. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter id *reſarcire teneris* (§. 684.). *Ad quid teneatur mandatarius, ſi ſecus faciat.*

Exempla, quæ modo dedimus (*not.* §. 778.), ad caſum præſentem facile trahuntur.

§. 781.

Si tibi mando, ut Titio mandare poſſis, niſi ipſe mandatum commode exequi queas; meo periculo eidem mandatum eſt. Etenim ſi ita tibi mando, ut Titio mandare poſſis, niſi ipſe mandatum commode exequi poſſis, & tu Titio mandas, ipſe eidem mandaſſe putandus ſum (§. 661.). Quamobrem meo periculo eidem mandatum eſt. *Quando certæ perſonæ mandatur, quod nobis fuerat mandatum, cujuſnam ſit periculum.*

Nimirum ego te mihi obligavi vel ad adimplendum mandatum, vel ad id, quod tibi mandatum fuerat, mandandum Titio. Utrum horum feceris, obligationi tuæ ſatisfeciſti: ultra eam vero ad nihil teneris, Mihi imputare debeo, quod in ſubſtituenda perſona alia non fuerim ſatis circumſpectus. Nulla vero ratio eſt, cur tibi quid imputandum, qui feciſti quod volui & ad quod faciendum te mihi obligaveras.

§. 782.

Fidejubere dicitur, qui pro alio alteri obligato vel obligando gratis ſe obligat, ſcilicet quod ipſe præſtare velit, ſi alter præſtare non poſſit vel nolit, ad quod præſtandum obligatur. Quamobrem *Fidejuſſio* eſt contractus beneficus, quo quis ei, cui alius obligatus eſt vel obligandus ad aliquid præſtandum, ſe gratis obligat, quod ipſe hoc præſtare velit, niſi alter præſtare poſſit, vel nolit, quod debet. *Fidejuſſio quid ſit.*

Ex grat. Ego Titio mutuo dare debeo decem aureos. Tu mihi te obligas, quod decem aureos in genere mihi reſtituere velis, ſi Titius eos reſtituere non poſſit, vel nolit, ſeu ſi debitum ab eo conſequi non poſſis. Tu fidejubes.

§. 783.

Quoniam fidejuſſor ſe obligat ei, cui alius quid debet ad præſtandum, quod debet, niſi ipſe præſtiterit (§. 782.); *fidejuſſio fit in ſecuritatem debiti.* *Fidejuſſio quo fine fiat.*

Ex. gr. Si Titio mutuo dem decem aureos ac dubitem, utrum ſatis ſecure credatur; tu non alio fine fidejubes, quam ut tanto ſecurior ſim de debito. Quodſi enim contingat, decem, quos mutuo dedi; aureos me a Titio conſequi minime poſſe, te adigere poſſum, ut eos mihi ſolvas. Atque adeo non minus te, quam Titium mihi obligatum habeo ad debitum ſolvendum.

§. 784.

§. 784.

Fidejuſſor & Principalis debitor quinam. *Fidejuſſor* dicitur, qui pro altero ad aliquid præſtandum obligato vel obligando ſe gratis obligat, quod ipſe præſtare velit, niſi alter præſtiterit, ſeu qui pro altero fidejubet. Is vero, pro quo fidejubetur, *Principalis debitor* appellatur, & hujus obligatio reſpectu obligationis Fidejuſſoris *Principalis obligatio* appellatur. Unde & principalis debitor *principaliter obligatus* dicitur. Aſt fidejuſſoris *obligatio* vocatur *acceſſoria*, & is *acceſſorie obligari* dicitur.

§. 785.

Fidejuſſionum tollat principalem obligationem. Quoniam fidejuſſor pro altero ſe obligat, ut ipſe præſtet, niſi is præſtiterit, ad quod obligatus eſt (§. 784.); *fidejuſſione principalis obligatio non tollitur, ſed principalis debitor eodem modo obligatur, ac ſi fidejuſſum non fuiſſet.*

Ex gr. Titius debet Mævio centum aureos. Ego pro Titio fidejuſſi. Titius manet Mævio obligatus ad centum aureos ſolvendos, etſi etiam ego ad eoſdem ſolvendos ipſi ſim obligatus, niſi ſolverit Titius. Titius principalis debitor eſt, qui Mævio principaliter obligatur. Obligatio mea nonniſi acceſſoria, quæ ad obligationem Titii manentem accedit, ut magis cautum ſit Mævio (§. 783.). Hinc & *Fidejuſſio* definiri ſolet, quod ſit contractus, quo quis pro debito alieno ſe obligat, principali debitore manente obligato.

§. 786.

Promiſſio fidejuſſoris. Similiter quoniam fidejuſſor pro altero ſe obligat, ut ipſe præſtet, niſi is præſtiterit, ad quod præſtandum obligatus eſt (§. 784.), nemo autem ſeſe alteri perfecte obligare poteſt, niſi promittendo (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*); *fidejuſſor promittit creditori, ſeu ei, cui alius ad quid præſtandum obligatus eſt, ſe præſtiturum, quod principalis debitor debet, niſi is præſtiterit.*

Hinc etiam *Fidejuſſio* definiri poterat, quod ſit contractus beneficus, quo quis ei, cui tertius obligatus eſt ad aliquid præſtandum, ſe hoc præſtiturum promittit, niſi is præſtiterit.

§. 787.

Identitas obligationis acceſſoriæ & principalis. Quoniam fidejuſſor promittit ſe præſtiturum, quod principaliter obligatus præſtare debet, niſi præſtiterit (§. 786.); *principalis obligatio & acceſſoria fidejuſſoris eadem eſt*, conſequenter *debitor principalis & fidejuſſor ad idem tenetur creditori ſeu ei, cui quid præſtandum.*

Ex. gr. Si Titius Mævio debet centum aureos & tu pro eo fidejubes; tu non minus obligatus es ad centum aureos ſolvendum Mævio, quam Titius, ita ut eos a te exigere poſſit Mævius, niſi ſolvat Titius.

§. 788.

Qualis ſit promiſſio fidejuſſoris. Et quoniam fidejuſſor promittit ſe præſtiturum, quod principalis debitor præſtare debet, niſi is præſtiterit (§. 786.); *promiſſio fidejuſſoris conditionata eſt*, utpote facta ſub hac conditione, niſi principalis debitor præſtiterit, quod debet.

Nimirum quando fidejubeo pro Titio, cui decem aureos mutuo das; non pure promitto me hos decem aureos tibi reſtituturum, ſed conditionate, niſi reſtituantur a Titio. Ea nimirum ſemper intelligitur mens fidejuſſoris, niſi expreſſe aliud dixerit. Unde quoque fidejuſſionem ita definire conſultum duximus, ut non contineat niſi conditionatam fidejuſſoris promiſſionem (§. 782.).

Cum

Cum enim fidejuſſio actus gratuitus ſit (§. *cit.*), ut adeo fidejuſſor nihil pro periculo, quod ſubit, recipiat (§. 18.); ad majus quoque onus ſe obligare non intelligitur, quam finis fidejuſſionis, debiti ſecuritas (§. 783.), permittit. Immo niſi fidejuſſoris obligatio conditionata eſſe deberet, fidejuſſor ſe principaliter obligare poterat creditori, ut is alterius obligationem in ſe ſuſciperet, nec hic creditori amplius maneret obligatus, veluti in exemplo dato, ut ego deberem decem aureos, nec Titius maneret debitor Mævii, Titii obligatione prorſus ſublata, qui mihi ſe obligare poterat ad decem aureos ſolvendum, tanquam a me ſibi mutuo datos. Perinde nimirum foret, ac ſi Mævius mihi mutuo dediſſet decem aureos, quos ego tanquam meos iterum mutuo dediſſem Titio.

§. 789.

Fidejuſſio accedere poteſt ad quamlibet obligationem. Fit enim in ſecuritatem debiti (§. 783.), conſequenter ut tutior reddatur creditor, ſeu is, cui quid præſtandum eſt, fore ut id præſtetur. Quamobrem cum in quacunque obligatione dubitari poſſit, utrum debitor ſit præſtiturus, quod debet, nec ne; in omni quoque obligatione quomodocunque contracta creditor, ſeu is, cui quid præſtandum, ſecurus reddi poteſt per fidejuſſionem. Hæc igitur ad obligationem quamcunque accedere poteſt. *Ad quaſnam obligationes accedere poſſit fidejuſſio.*

Ex. gr. Dubitat commodator, an ſatis ſecure rem commodare poſſit Titio. Tu pro eo fidejubere potes, ut niſi Titius obligationi commodatarii ſatisfaciat, tu eidem ſatisfacere velis. Eodem modo fidejuſſioni locus eſt in depoſito, ut tu tenearis deponenti ad ea, ad quæ depoſitarius tenetur, niſi hic obligationi ſuæ ſatisfecerit. Immo fidejuſſio quoque eodem modo ad mandatum accedere poteſt. Ex. gr. Mando Titio, quem mihi commendas, ut mihi merces in nundinis emat: dubito autem, an ſatis tuto negotium hoc ipſi committere poſſim. Quidni tu pro eo fidejubere poſſis, ut tu mihi tenearis ad id, quod intereſt, niſi merces emerit, vel ſi fines mandati exceſſerit, aut ſi doloſe pecunia abuſus fuerit, eandem mihi reſtituas. Ceterum quæ hic diſputant Juris Romani interpretes, utrum non modo civili, ſed etiam naturali obligationi accedere poſſit fidejuſſio, quemadmodum affirmat Imperator §. 1. Inſtit. de fidejuſſ. ea non ſunt hujus loci, ubi non de alia, quam naturali obligatione loquimur. Quæ vero porro diſputantur, num etiam fidejuſſio accedere poſſit obligationi ex delicto, vel quaſi delicto de iis, quid ex principiis juris naturalis ſtatuendum ſit, diſpiciemus ſuo loco.

§. 790.

Fidejuſſio accedere poteſt obligationi adhuc contrahendæ. Fit enim in ſecuritatem debiti (§. 783.). Quamobrem ſi quis cum altero contrahere nolit, adeoque eundem ſibi obligare (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*), antequam ſatis ſecurus ſit eum, cum quo contrahere debet, præſtiturum, ad quod præſtandum ſe obligare vult; per ſe patet, quod promittere, adeoque te obligare poſſis (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), te præſtiturum id, ad quod præſtandum ſe obligaverit alter, niſi, poſtquam fuerit obligatus, ipſe præſtiterit. Quoniam itaque qui hoc promittit, fidejubet pro altero (§. 782.); fidejuſſio accedere etiam poteſt obligationi adhuc contrahendæ. *Fidejuſſionum accedere poſſit obligationi futuræ.*

E. grat. Titius vult, ut ipſi rem meam commodem. Ego dubito, num tuto eidem commodare poſſim. Tu fidejubere potes, antequam fuerit commodatum. Idem intelligitur de mutuo adhuc contrahendo.

§. 791.

Si fidejuſſio accedit obligationi adhuc contrahendæ, ea fit ſub hac conditione, ſi ea contrahatur. Fidejuſſor enim promittit, ſe præſtiturum, ad quod præſtandum obligatus eſt alter, niſi is præſtiterit (§. 786.). Quamobrem cum alter non ante ſit obligatus ad aliquid præſtandum, quam obligationem contraxit, quod per ſe patet; nec fidejuſſio aliter accedere poteſt obligationi adhuc contrahendæ, quam ſub hac conditione, ſi ea contrahatur. *Qualis ea ſit.*

Ex. gr. Si fidejuſſio præcedit commodatum, vel mutuum; ea fit ſub hac conditione, ſi commodatum, vel mutuatum fuerit.

§. 792.

§. 792.

Quando vires ſuas exerat, quando nullas. Quoniam fidejuſſio obligationi adhuc contrahendæ accedens ſub ea fit conditione, ſi illa contrahatur (§. 791.), adeoque promiſſio conditionata eſt, promiſſio autem conditionata non ante valida, quam conditio ponatur (§. 467. *part.* 3. *Jur. nat.*); *nec ante valida eſt fidejuſſio*, conſequenter *non ante fidejuſſor ad quicquam obligatus, quam contracta fuerit principalis obligatio*. Et quoniam promiſſio conditionata evaneſcit, conditione deficiente (§. 534. *part.* 3. *Jur. nat.*), *fidejuſſio* quoque *evaneſcit, adeoque vires nullas habet, ſi contractum non fuerit*.

Ex. grat. Si fidejuſſio commodatum, vel mutuum præcedat, ſed non commodetur, non mutuetur; illa quoque evaneſcit, ſeu perinde eſt, ac ſi facta non fuiſſet.

§. 793.

An ex fidejuſſione obligationem præcedente naſcatur aliqua illam acceptantis obligatio. *Si fidejuſſio præcedat obligationem, ſeu adhuc contrahendæ accedat; qui illam acceptavit, obligatus non eſt ad alterum ſibi principaliter obligandum*. Quando enim fidejuſſio præcedit obligationem, ea non fit niſi ſub hac conditione, ſi contrahatur principalis obligatio (§. 791. 784.), conſequenter fidejuſſor promittit, ſe ex fidejuſſione teneri velle, ſi principalis obligatio fuerit contracta (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Hac autem promiſſione ſibi non obligavit promiſſarium ad alterum, pro quo conditionate fidejubet, principaliter ſibi obligandum, conſequenter neceſſe non eſt, ut alter hoc faciat (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), cum hoc is fidejuſſori non promiſerit (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo fidejuſſio præcedat obligationem, qui illam acceptavit non obligatus eſt ad alterum ſibi principaliter obligandum.

Ex. gr. Si fidejuſſio præcedat commodatum, vel mutuum; tu propterea non commodare, vel mutuare debes, ſed integrum tibi adhuc eſt, utrum commodare, vel mutuare velis, an nolis: neque enim ad hoc te fidejuſſori obligaſti, quem tibi tantummodo obligatum eſſe voluiſti in ſecuritatem tuam, ſi commodatum vel mutuatum fuerit (§. 783.). Cum gratuita ſit fidejuſſio (§. 782.), nulla quoque in eo contractu ſpectatur fidejuſſoris utilitas, qualis ſi forte adfuerit, motivum eſſe poteſt fidejubendi: motivorum vero in contractibus nulla habetur ratio

§. 794.

Effectus fidejuſſionis. *Si debitor principalis non ſolverit debitum; fidejuſſor id ſolvere tenetur*. Etenim fidejuſſor promiſit ei, cui quid principaliter debetur, ſe præſtiturum id, quod principaliter obligatus præſtare debebat, ſub hac conditione, niſi ipſe præſtiterit (§. 786. 788.). Quoniam itaque conditio exiſtit, ſi principalis debitor non præſtet, quod præſtare debet, ſeu debitum non ſolvit (§. 490. *p.* 3. *Jur. nat.*), quamprimum vero conſtat conditionem poni, quæ promiſſioni conditionatæ ineſt, quæ promiſſa ſunt a promiſſore præſtanda (§. 469. *part.* 3. *Jur. nat.*); fidejuſſor debitum ſolvere tenetur, ſi debitor principalis id non ſolverit.

Ex. gr. Titius mihi debet centum aureos. Tu fidejubes. Si Titius ſolvendo non ſit, tu centum aureos mihi ſolvere teneris.

§. 795.

Solutione debitoris liberatur fidejuſſor. *Si debitor principalis ſolvit debitum, fidejuſſor ab obligatione ſua liberatur*. Fidejuſſor enim promiſit, ei, cui quid principaliter debetur, ſub ea conditione ut ſolvat debitum, niſi debitor principalis ſolverit (§. 786. 788.). Quodſi ergo hic ſolverit, certum eſt conditionem nunquam extituram, ſeu deficere (§. 490. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero quamprimum certum eſt deficere conditionem, pro-

promiſſio pro non facta habenda (§. 534. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam fidejuſſio pro non facta habenda, ſi debitor principalis ſolvit debitum. Quodſi fidejuſſio facta non fuiſſet, fidejuſſor quoque non obligaretur ei, cui quid præſtandum ab altero (§. 784.). Ergo etiam eidem non obligatur, ſi debitor principalis ſolvit debitum, conſequenter ab obligatione ſua liberatur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Principalis obligatio & obligatio acceſſoria fidejuſſoris eadem eſt, ſeu debitor principalis & fidejuſſor creditori ad idem tenentur (§. 787.). Quoniam itaque idem nonniſi ſemel præſtandum, quod per ſe patet; ſi debitor principalis debitum ſolvit, & principalis, & acceſſoria fidejuſſoris obligatio extinguitur, conſequenter ſi debitor principalis debitum ſolvit, fidejuſſor ab obligatione ſua liberatur.

Ex. grat. Titius Mævio debet centum aureos; Tu pro Titio fidejubes. Quodſi Titius centum aureos ſolvat; tu Mævio ad nihil teneris. Quoniam promiſſio fidejuſſoris conditionata eſt (§. 788.), facta nempe ſub conditione negativa, niſi debitor principalis ſolverit (§. 786.); non ante valida eſt, conſequenter non ante ad ſolvendum debitum obligatur fidejuſſor, quam ſi debitor principalis non ſolverit (§. 468. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo accurate loqui velis, dicendum erat, obligationem fidejuſſoris nullas acquirere vires, ſi debitor principalis debitum ſolvit. Sed non opus eſt, ut in verbis ſimus adeo ſcrupuloſi, ubi ex re, de qua loquimur, ſatis apparet, quomodo ſint intelligenda, veluti in caſu præſenti, quod fidejuſſor ad nihil præſtandum obligetur creditori, ſi debitor principalis debitum ſolverit. Obligatio fidejuſſoris eſt futura poſſibilis, hoc eſt, quæ ut aliquando extet non impoſſibile, etſi non conſtet, num ſit certo extitura. Et hoc intuitu jam aliqua dici poteſt fidejuſſoris obligatio, quamvis ea nondum actu ponatur. Hæc non convenire notioni fidejuſſionis ex Jure Romano hauſtæ non ignoro, quippe quo per ſolennem ſtipulationem ſe ſoluturum promittit fidejuſſor, ut adeo fidejuſſoris obligatio ſit pura & ſtatim naſcatur. Sed cum inde fluant, quæ æquitati parum conveniunt, niſi quis expreſſe tanquam correum ſe conſtituere voluerit, ut adeo beneficia quædam juris jure novo fuerint introducta; maluimus nos fidejuſſionem ita definire, ut inde conſequantur, quæ æquitati magis conſentanea & cetera addere per modum caſuum particularium, qui ab ordinaria fidejuſſione ob rationes addendas tantiſper abeunt.

§. 796.

Si fidejuſſor ſolvit debitum, principalis obligatio extinguitur; principalis tamen debitor eidem obligatur ad reſtituendum, quod ſolvit. Fidejuſſoris enim obligatio & obligatio principalis eadem eſt obligatio (§. 787.). Quamobrem ſi eidem ſatisfiat a fidejuſſore; creditori nihil amplius debetur. Debitoris adeo principalis obligatio extinguitur. *Quod erat unum.* *De obligatione debitoris principalis, ſi fidejuſſor ſolvat.*

Enimvero ſi principalis quod debebat debitor fidejuſſor ſolvit, jacturam ſui facit (§. 487. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque damnum ipſi datur culpa debitoris principalis, qui non ſolvit, quod debebat, & damnum ab eo avertere tenebatur (§. 488. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum damnum culpa ſua datum ſit reſarciendum (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); debitor principalis eidem reſtituere tenetur, quod ſolvit. *Quod erat ſecundum.*

Æquitati hoc convenire nemo dubitabit, qui principia juris naturalis perſpecta habet. Quodſi excipias, obligationem hanc eſſe inutilem, ſi debitor principalis non ſit ſolvendo; tenendum eſt, non jam quæri de utilitate obligationis, ſed num ea detur. Notandum præterea eſt, debitorem principalem ad meliorem fortunam venire poſſe, ut, qui nunc ſolvendo non eſt, poſthac ſolvere poſſit. Immo fieri poteſt, ut, quando creditori ſolvendum, ſolvere non poſſit, quia ſibi non ſolvitur, quod ab aliis debetur, non vero prorſus deſperandum ſit, ut ſuum recuperet fidejuſſor. Etſi idem præſtari nequit, quod præſtandum fuit a fidejuſſore, fieri adhuc poteſt, ut præſtetur ejus loco aliud. Sufficit adeo debitorem principalem obligari fidejuſſori ad id, ad quod creditori ſuo ante obligabatur, & fidejuſſorem in creditoris locum ſuccedere.

§. 797.

Fidejuſſori pro debitore principali ſolventi jus ſuum cedere poteſt creditor. Quoniam enim debitor principalis obligatur creditori ad ſolvendum, quod debet (§. 784.), *Ceſſio fidejuſſori facienda.*

(§. 784.), nec principalis obligatio fidejuſſione tollitur (§. 785.); creditori competit jus debitum a debitore principali exigendi (§. 236. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum quilibet jus ſuum alteri cedere poſſit, quando nihil fit contra jus tertii, quale hic nullum adeſſe apparet (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); creditor fidejuſſori pro debitore principali ſolventi jus ſuum cedere poteſt.

Ad quod cedenti quis obligatur, ad idem quoque is obligatur ceſſionario (§. 87. *part.* 3. *Jur. nat.*), jure cedentis in ceſſionarium tranſeunte (§. 91. *part.* 3. *Jur. natur.*), ut adeo hic jam ſuſtineat perſonam illius, atque eum, qui ſibi præſtare non vult, ad quod præſtandum cedenti obligatus, vi adigere poſſit ad præſtandum (§. 94. *part.* 3. *Jur. natur.*). Fidejuſſor itaque hac ceſſione repetit ſuum tanquam debitum contractum, non vero urget, ut ſibi reparetur damnum. Atque hac ceſſione proſpici quoque poterat fidejuſſori ſolventi Jure Romano, ne ſpe ſuum recuperandi excideret, quamvis eo Jure ipſi detur mandati actio ſui recuperandi cauſa, quod debitor tacite mandaſſe videatur, ut ſolvat § 6. Inſt. de fidejuſſ. l. 44. ff. Mand. & l. 41. de cond. indeb. Sed hoc magis civile eſt, quam naturale, principiis tamen Juris Romani apprime conſentaneum: id quod uberius exponere ab inſtituto præſenti alienum eſt.

§. 798.

Obligatio debitoris principalis quanta ſit, ſi fidejuſſor ſolverit.

Debitor principalis obligatur ad reſarciendum fidejuſſori omne damnum, ſeu tenetur ad omne id, quod intereſt, ipſum non præſtitiſſe, quod præſtare debebat. Quoniam enim fidejuſſor gratis facit officium ſuum (§. 782.), ut adeo nihil viciſſim recipiat, a reo pro quo fidejubet (§. 18.), nemo autem naturaliter obligatur cum neglectu officii erga ſeipſum, adeoque cum damno ſuo (§. 493. *part.* 2. *Jur. nat.*), præſtare alteri officium (§. 609. *part.* 1. *Jur. nat.*); debitor principalis velle nequit, ut fidejuſſori officium ſuum ſit damnoſum. Quodſi ergo contingat, fidejuſſorem, propterea quod debitor principalis obligationi ſuæ non ſatisfacit, incurrere damnum aliquod; id ei reſarcire tenetur, conſequenter debitor principalis obligatur fidejuſſori ad omne id, quod intereſt, eum non præſtitiſſe, quod præſtare debebat (§. 625. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Quamvis jure Romano fidejuſſori detur mandati actio ad recuperandum ſuum (*not. §. 797.*); hæc ipſa tamen non tantummodo facit ad debitum principale, ſed omne id, quod pro debitore expendit, ſumtus omnes & omne intereſſe, cum etiam mandator mandatarium indemnem præſtare teneatur (§. 682.)

§. 799.

De fidejuſſione pro invito facta.

Si quis pro invito fidejubet ac ſolvit; debitor principalis ad nihil ipſi tenetur. Si quis enim pro invito fidejubet, is quidem creditori ſeſe obligat (§. 782.), ſed debitorem principalem invitum ſibi obligare nequit (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi debitore principali non ſolvente ipſe ſolvere tenetur (§. 794.); cum is eidem ſeſe non obligaverit *per demonſtrata*, nullum quoque ipſi competit jus ſuum repetendi, vel exigendi, ut indemnis præſtetur (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*). Debitor adeo principalis fidejuſſori ad nihil tenetur, ſi pro invito fidejubet, ac ſolvit.

Suo nimirum periculo fidejubet ac ſolvit, qui pro invito fidejubet ac ſolvit, atque adeo donare cenſetur, niſi reus, pro quo fidejuſſit, eum indemnem præſtare voluerit (§. 20.). Non eſt, quod excipias, cum quilibet damnum ab altero avertere debeat, quantum in ſe eſt (§. 495. *part.* 3. *Jur. natur.*), reum, pro quo fidejubes, te indemnem præſtare debere. Cum enim te fidejubere ac ſolvere nolit, damnum tua ſponte incurris, & tibi imputare debes, quod incurras, quia alter te in periculum non adduxit, quod ipſo reluctante ſubiiſti.

§. 800.

De fidejuſſione pro præſente & patiente.

Si quis pro præſente & patiente fidejubet, hujus conſenſu facta fidejuſſio cenſetur. Etenim ſi pro præſente & patiente fidejubes, hic tacet, quando loqui poterat ac de-

ac debebat. Enimvero qui tacet, quando loqui poterat ac debebat, is conſentire præſumitur (§. 1054. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam in fidejuſſionem conſentire præſumitur, ſi pro præſente & patiente fidejubes, conſequenter fidejuſſio conſenſu rei facta cenſetur, ſi pro præſente & faciente fidejubes.

Quodſi enim reus, pro quo fidejubes, nollet ut fidejubeas, non pati debebat, ut fidejuberes, ſed contradicere. Quodſi contradixiſſet, tum demum dici poterat, te pro invito fidejuſſiſſe. Quoniam non contradicit, factum tuum tacite approbat & ratihabet, ut adeo perinde ſit ac ſi tibi mandaſſet, vel te rogaſſet, ut fidejuberes: Quo effectu jubeatur pro abſente & ignorante, hic demonſtrari nondum poteſt, cum hic actus pendeat a negotiorum geſtione, de quo quaſi contractu infra agemus.

§. 801.

Naturaliter fidejuſſori competit jus debitorem principalem adigendi, ut ſolvat creditori. Naturaliter enim quilibet obligatus eſt ut damnum omne, quantum in ſe eſt, tum a ſe (§. 493. *part.* 2. *Jur. nat.*), tum ab alio avertat (§. 495. *p.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque facile damnum emergit, ſi debitor principalis non ſolverit; naturaliter fidejuſſori competit jus debitorem principalem adigendi, ut creditori ſolvat (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *An fidejuſſor compellere poſſit reum ad ſolvendum creditori.*

Non uno modo intereſt fidejuſſoris, ut debitor principalis ipſe ſolvat debitum, etſi is ipſi maneat obligatus ad reſtituendum non modo debitum principale, verum etiam omne intereſſe (§. 796. 798.). Sed brevitatis gratia omittimus, quæ caſu emergente ſua ſponte patent.

§. 802.

Si quis animo donandi fidejubet ac ſolvit, ad nihil ipſi reſtituendum tenetur debitor principalis. Etenim qui animo donandi fidejubet, is ei, pro quo fidejubet, declarat, quod ipſi donare velit, quod debet, niſi ſolvere poſſit, adeoque donationem ſub hac conditione promittit (§. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo contingat, debitorem principalem ſolvere non poſſe, ut adeo ſolvere teneatur fidejuſſor (§. 794.), cum jam conditio exiſtat, promiſſio adimplenda (§. 469. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter quod a debitore reſtituendum foret fidejuſſori (§. 796. 798.), id ei donatum eſt. Quamobrem ſi quis animo donandi fidejubet ac ſolvit, ad nihil ipſi reſtituendum tenetur debitor principalis. *Si animo donandi fidejubetur.*

Nimirum in hoc caſu perinde eſt, ac ſi v. gr. pecuniam mutuo tibi dediſſet fidejuſſor ſub ea conditione, ut ſit donata, niſi eam commode reſtituere poſſis.

§. 803.

Si fidejuſſor ſe tantummodo obligavit pro debito principali, vel parte ejus; nec ultra debitum principale, vel hanc partem tenetur creditori. Fidejuſſor ſe obligare nequit creditori niſi promittendo (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo ultra voluntatem ſuam obligare poſſit promiſſorem (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec creditor fidejuſſorem ultra voluntatem ſuam ſibi obligare poteſt. Quodſi ergo fidejuſſor ſe tantummodo obligavit pro debito principali, vel parte ejus; ultra debitum principale, vel hanc partem creditori non tenetur. *De fidejuſſione certo modo reſtricta.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Pro quo non fidejuſſiſti, ad id vi fidejuſſionis præſtandum non teneris, quod per ſe patet. Quodſi ergo non fidejuſſiſti niſi pro debito principali, vel parte ejus; debitum quoque nonniſi principale, vel partem illam ſolvere teneris, niſi debitor principalis ſolverit (§. 782.). Quamobrem ſi fidejubendo tantummodo te obligaſti pro debito principali, vel parte ejus; nec ultra debitum principale, vel hanc partem creditori teneris.

Ex. gr. Ego Titio credo 110 aureos ſub uſuris. Tu fidejubes tantummodo pro ſorte, non vero pro uſuris, nec in omnem cauſam. Quamobrem ſi nec ſortem, nec uſuras ab eo conſequi poſſim & ejus conſequendi gratia, quod debetur, ſumtus feci; tu tantummodo 100 aureos mihi ſolvere teneris, minime vero uſuras, nec reſtituere ſumtus, quos feci. Niſi enim fidejuſſione mea contentus eſſe voluiſſes; tuum erat de alio diſpicere, qui ſimpliciter, vel in omnem cauſam fidejuberet.

§. 804.

Excuſſio debitoris quid ſit.

Debitorem excutere idem eſt ac in facultates ejus inquirere, ut conſtet, utrum is ſolvendo ſit, nec ne.

Ex. gr. Titius tibi debet ſolvere mille aureos. Non habet pecuniam paratam, unde ſolvat. Habet vero ædes & hortum. Quodſi ædes & hortus taxentur & plus offerenti adjudicentur; utrum pretium ſufficiat ſolutioni, nec ne, manifeſtum eſt, conſequenter ſi hoc fiat, debitor excutitur.

§. 805.

Ordo in exigendo debito, pro quo fidejuſſum, obſervandus.

Principalis debitor ante excutiendus, quam fidejuſſor ad ſolvendum debitum adigi poſſit. Etenim fidejuſſor non ante tenetur ſolvere debitum, niſi quando debitor principalis id ſolvere nequit, cum ſe nonniſi ſub hac conditione ad ſolvendum obligaverit (§. 782.). Antequam igitur fidejuſſor eum ad ſolvendum adigere poſſit, neceſſe eſt ut conſtet, debitorem principalem ſolvere non poſſe, adeoque in facultates ejus inquirendum, ut conſtet, utrum is ſolvendo ſit, nec ne. Quamobrem cum debitor principalis excutiatur, quando in facultates ejus inquiritur, ut conſtet, utrum is ſolvendo ſit, nec ne (§. 804.); principalis debitor ante excutiendus, quam fidejuſſor ad ſolvendum debitum adigi poſſit.

Antiquo jure Romano id neceſſe non erat, cum liberum eſſet creditori, utrum ad ſolvendum debitum fidejuſſorem, an debitorem principalem compellere vellet primo loco: id quod conveniebat notioni fidejuſſionis, prouti tunc fieri debebat. Cum vero jure novo hoc fuerit immutatum, ut ante excutiendus ſit principalis debitor, quam fidejuſſor conveniri queat; fidejuſſori indultum dicitur *beneficium excuſſionis*, quod & *beneficium ordinis*, nec non *beneficium novæ conſtitutionis* appellari ſolet. Et Doctores hoc beneficium ſumma æquitate niti affirmant, addita ratione, quod fidejuſſor eo animo ſe obligare videatur, ut non ante ſolvat, quam ſi non ſolvat debitor. Hæc utique quadrant in definitionem fidejuſſionis, qualem ſupra dedimus (§. 782.), minime autem in eam, quæ convenit Juri Romanorum veteri. Tanto igitur minus quis reprehendet, quod in definienda fidejuſſione a Jure Romano diſceſſerimus, cum ſic clarius appareat, quinam ſit juris novi, quo nunc utimur, cum Jure naturæ conſenſus.

§. 806.

Quando a fidejuſſore exigi poſſit debitum principali debitore nondum excuſſo.

Si quis fidejubere debet pro altero, pure ſe obligat, quod id præſtare velit, ad quod præſtandum alius obligatus eſt, vel obligandus; non excuſſo principali debitore ad ſolvendum debitum adigi poteſt. Quodſi enim, qui pro altero fidejubere debet, pure ſe obligat, adeoque promittit (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*), quod id præſtare velit, ad quod præſtandum alius obligatus eſt, vel obligandus; debitor principalis & fidejuſſor eandem rem promittunt creditori, ita ut ſinguli teneri velint in ſolidum. Sunt adeo correi debendi (§. 692. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero ſi duo eandem rem nonniſi ſemel dandam tibi promittant, ita ut quilibet eorum in ſolidum teneatur, ſeu duo ſint correi debendi, tibi eſt jus eam exigendi, a quocunque volueris (§. 695. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo ſi qui fidejubere debet pro altero pure ſe obligat, quod id præſtare velit, ad quod præſtandum alius obligatus eſt, vel obligandus; creditori licet præſtationem exigere vel a debitore principali, vel a fidejuſſore, prouti ipſi viſum fuerit, adeoque

eum

eum eligere, quem primum ad ſolvendum debitum compellere velit. Quamobrem ſi qui fidejubet pro altero pure ſe obligat, quod id præſtare velit, ad quod præſtandum alius obligatus eſt, vel obligandus; non excuſſo principali debitore ad ſolvendum debitum adigi poteſt.

Ex demonſtratione propoſitionis præſentis apparet, quod iniquum non ſit a fidejuſſore exigi debitum, nondum excuſſo debitore principali, ſi fidejuſſor pure ſe obliget pro debito alterius. Quamobrem cum jure Romano veteri non alia eſſet fidejuſſio, quam qua fidejuſſor cum debitore principali ſe conſtituebat correum debendi; ideo nec iſto jure dici poterat iniquum, quod liberum eſſet creditori convenire fidejuſſorem principali debitore non excuſſo.

§. 807.

De ſolutione in hypotheſi præcedenti.

Si fidejuſſurus pure ſe obligat pro altero obligato vel obligando debitorem principalem ſolvendo liberat; quodſi tamen creditor totum debitum ab eo conſequi non poſſit, regreſſus eidem patet ad debitorem principalem, ut quod deficit conſequatur. Etenim quoniam pro altero obligato vel obligando fidejuſſurus pure ſe obligans, adeoque ſe id præſtiturum promittens, quod ab altero præſtandum (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*), cum debitore principali eandem rem promittit, ſi vero duo eandem rem promittant, ita ut quilibet in ſolidum obligetur, unus ſolutione ſua alterum ab obligatione liberat (§. 695. *part.* 3. *Jur. nat.*); in hypotheſi propoſitionis præſentis debitor principalis liberatur ſolutione ejus, qui ſe pro ipſo obligaverat. *Quod erat unum.*

Quodſi ergo is totum ſolvere non poſſit debitum, cum fidejuſſor pure ſe obligans & debitor principalis ſint correi debendi (§ 692. *part.* 3. *Jur. nat.*); creditor ab uno correorum totum conſequi nequit. Enimvero ſi ab uno correorum creditor totum conſequi non poſſit, quod debetur, partem reliquam ab altero exigere poteſt (§. 696. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam in hypotheſi propoſitionis præſentis creditori exigere licet, quod deficit, a debitore principali, ſi totum a fidejuſſore conſequi non potuerit, conſequenter patet ipſi regreſſus ad debitorem principalem, reſidui conſequendi gratia. *Quod erat alterum.*

Duo conſtituuntur rei debendi, ut creditor tanto certius ſuum conſequi poſſit. Etſi adeo liberum ipſi ſit, quemnam eligere velit, ut ſolvat; non tamen per hoc alter liberatur, quod ab hoc debitum exigat, quam quod is ſolvat. Quamdiu adeo debitum integrum non ſolutum, debitor quoque principalis in totum non liberatur. Qui totum debet, is etiam debet quamlibet ejus partem, adeoque abſurdum non eſt, ſolutione partis ab uno correorum facta alterum adhuc obligari ad ſolvendum reſiduum, conſequenter hanc ab eo exigi. Ceterum qui pure fidejubet ſeu pro altero ſe obligat, ſeu correum debendi ſe conſtituit, is non vult in ſubſidium teneri, quemidmodum inſinuat definitio fidejuſſoris (§. 784.); ſed eandem obligationem in ſe ſuſcipit, quæ eſt debitoris principalis, ſublata differentia inter obligationem principalem & acceſſoriam, cui hæc æquatur. Reſpectu adeo creditoris perinde eſt, ac ſi acceſſorie obligatus eidem principaliter obligaretur, hoc eſt, ac ſi fidejuſſori crediſſet. Eodem igitur prorſus modo cum utrumque ſibi habeat obligatum, jure ſuo utitur, dum in exigendo debito debitorem principalem non diſtinguit ab eo, qui acceſſorie obligatur. Qui pro altero ſe obligare vult, ab ejus arbitrio pendet, quomodo ſe obligare velit, an pure, ut debitum ſtatim ab eo exigi poſſit, principali debitore non excuſſo, an ſub ea conditione, niſi debitor principalis ſolverit; ut adeo is ante ſit excutiendus, antequam ipſe ad ſolvendum adigi poſſit. Hinc & in Jure Romano conceditur, ut quis renunciet beneficio excuſſionis: qui caſus convenit cum hypotheſi propoſitionis præſentis ac præcedentis, quemadmodum ordinarie fidejuſſio, cui conceſſum eſt beneficium excuſſionis, convenit definitioni, quam dedimus (§. 782.). Pure ſe obligans pro altero proprie dici nequit fidejubere (§. 782. *h.* & §. 349. *Log.*), niſi dicas eum renunciare huic juri, quod ante excutiendus ſit principalis debitor, quam debitum ab ipſo exigi poſſit (§. 805.); id quod utique facere poteſt (§. 118. *part.* 3. *Jur. nat.*). Atque adeo tum fidejuſſioni dicendum eſt accedere pactum, quo fidejuſſoris obligatio alteratur (§. 778. *part.* 3. *Jur. nat.*). Atque hoc reſpectu non invita definitione fidejuſſor etiam dici poteſt, qui pro altero obligato pure ſe obligat. Quodſi vero ad omnem ambiguitatem tollendam *fidejuſſionem in genere* definire malis per contractum, quo quis pro altero obligato vel obligando ſe obligat, & hanc diſtinguere in conditionatam, & puram, ita ut *conditionata* ſit, quando te obligas ad ſolvendum, niſi principaliter obligatus ſolverit; *pura* vero, ſi abſque hac conditione te obligaveris; nos equidem minime diſſentientes habebis, qui in verbis faciles ſumus, modo veritati non præjudicetur;

non

non tamen ſatis tutum videtur terminis imponere ſignificatum ab eo, quem jam habent diverſum, propterea quod ipſa fidejuſſio a conditione ſuſpendi poſſit, quæ hic conditionata diceretur, veluti ſi dicas, te velle obligatum eſſe ad ſolvendum debitum, niſi debitor principalis ſolverit, ſiquidem Mævius te hæredem inſtituat, & hæc conditio accedere etiam poſſit ad fidejuſſionem, quæ pura diceretur. Præterea ſi quis ſimpliciter diceret, ſe fidejubere, dubium foret, utrum quis conditionate, an pure fidejubere voluiſſet, nempe num ſupponat tacite hanc conditionem, ſi debitor principalis non ſolverit, an vero non ſupponat. Quamvis enim prius præſumi poſſit, non tamen conſultum eſt præſertim in ſtatu naturali, ubi Jus naturæ moderatur contractus, ut ad præſumtiones deveniatur, ubi iis carere poſſumus. Præſtare adeo videtur ut id, quod præſumi debebat, conſtituat ſignificatum vocabuli: quod vero præſumendum non eſt, expreſſis verbis dicatur, ut adeo contractus per pactum adjectum alteretur, quemadmodum diximus ante. Alia nimirum eſt conditio, quæ ipſi fidejuſſioni ineſt vel expreſſe, quemadmodum fere definitio noſtra (§ 782.), vel tacite, quemadmodum ſupponitur in Jure Romano novo, ut beneficium ordinis ſeu excuſſionis continere poſſit (*not.* §. 805.). Atque ea de cauſa convenientius videtur, ut fidejuſſio conditionata dicatur, non ea, in qua per ſe conſtans quædam conditio ineſt per modum determinationis eſſentialis; ſed illa potius, cui extrinſece conditio quædam adjicitur, quemadmodum fere receptus loquendi uſus.

§. 808.

Quomodo quis fidejubere poſſit. *A fidejuſſoris unice voluntate pendet, utrum ſe pure, an ſub aliqua conditione, vel in diem fidejubere velit, ſive debitor principalis pure, ſive ſub conditione alia quacunque, vel in diem alium quemcunque promiſerit.* Fidejuſſor enim promittit creditori, ſe præſtiturum, ad quod præſtandum obligatus debitor principalis, conſequenter quod is quomodocunque promiſerit (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*), niſi is præſtiterit (§. 786.). Enimvero nemo promittentem ultra voluntatem ſuam ſibi obligare valet ad quid præſtandum, nec ab eo plus juris acquirere valet, quam in eum transferre vult (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo a fidejuſſoris unice voluntate pendet, quomodo fidejubere velit, utrum pure, an ſub conditione, vel in diem, quomodocunque tandem debitor principalis ſit obligatus, ſive is pure debeat, ſive ſub conditione alia quacunque, ſive in diem alium quemcunque promiſerit.

Ex. gr. Titius debet Mævio decem aureos ſolvendos poſt duos menſes. Tu fidejubere potes promittendo, quod ſolvere velis poſt duos annos, vel ſi Sempronius te hæredem inſtituerit. Similiter Titius promiſit Mævio decem aureos, ſi Cajus moriatur; tu fidejubere potes ſub hac conditione, ſi Sejus te inſtituat hæredem, vel quod teneri nolis ad decem aureos ſolvendos, ſi Cajum mori contingat, nec Titius ſolverit, niſi poſt biennium.

§. 809.

De fidejuſſione ſub conditione, vel in diem facta. *Si quis ſub conditione, vel in diem fidejubet, ad ſolvendum, ſiquidem debitor principalis non ſolverit, non ante adigi poteſt, quam conditio extet, vel dies venerit.* Promiſit enim ſe præſtiturum, quod principaliter obligatus debet, niſi is præſtiterit ſub conditione, vel in diem (§. 786.). Sed promiſſor promiſſionem conditionatam non ante adimplere tenetur, quam conditio extet (§. 468. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec quod in diem promittitur exigi poteſt, niſi die iſto præterlapſo (§. 501. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis ſub conditione, vel in diem fidejubet, ad ſolvendum, ſiquidem debitor principalis non ſolverit, non ante adigi poteſt, quam conditio extet, vel dies venerit.

Ita ſi Mævius ſolvere non poſſit decem aureos, quos poſt duos menſes ſolvere debebat, tu, qui promiſiſti poſt duos annos te eoſdem ſoluturum, antequam biennium fuerit elapſum ad eos ſolvendum adigi non potes. Quodſi eos te ſoluturum promiſiſſes, ſi Sempronius te hæredem inſtituerit, ad ſolvendum adigi nequis, niſi poſtquam conſtat, te hæredem eſſe inſtitutum. Sin hæres non fueris inſtitutus, fidejuſſio tua evaneſcit (§. 534. *p.* 3. *Jur. nat.*). Idem etiam valet, ſi fidejubendo pure velis eſſe obligatus, nimirum non ſub ea conditione, niſi principalis debitor ſolverit. Promittere enim potes, quod principali debitore non excuſſo ſolvere velis, ſi hæres fueris inſtitutus a Sejo, vel poſt biennium.

§. 810.

De pluribus fidejuſſoribus pro certa debiti parte fidejubentibus.

Si plures fidejubeant pro eodem debito, ita tamen ut unuſquiſque eorum non teneri velit, niſi pro certa parte; quilibet non tenetur niſi pro ea parte, pro qua fidejubet. Quodſi debitor principalis non ſolverit totum, ſinguli quoad reſiduum pro rata tenentur. Quodſi enim plures fidejubeant pro uno debito, ita tamen ut unuſquiſque eorum teneri nolit niſi pro certa parte, cum qui pro parte fidejubet ultra eam non teneatur (§. 803.), nec illorum quilibet tenetur niſi pro ea parte, pro qua fidejuſſit. *Quod erat unum.*

Quando principalis debitor totum, quod debet ſolvit, fidejuſſores omnes liberat (§. 795.). Quamobrem cum ratio nulla ſit, cur unum potius liberare debeat, quam alterum, ſi partem ſolvit, non totum, & parte ſoluta debitum, pro quo fidejuſſum, jam cenſeri debeat minus; ſinguli pro rata liberati exiſtimari debent, ad reſiduum vero adhuc ſolvendum pro rata tenentur. *Quod erat alterum.*

Ex gr. Titius debet Mævio 600. aureos. Sejus fidejubet pro parte una, quæ eſt 100. aureorum, Cajus pro dimidia, quæ eſt 300. aureorum, & Sempronius pro partibus duabus, quæ ſunt 200. aurei. Quodſi Mævius excutiat Titium, nec ab eo conſequi poſſit, niſi 400. aureos; reſidui ducenti dividendi in ſex partes, quarum unam Sejus, duas Sempronius, tres Cajus ſolvere tenetur. Solvet adeo Sejus $33\frac{1}{3}$ Sempronius $66\frac{2}{3}$, Cajus denique 100. Si dicas non ſatis cautum eſſe hoc pacto Mævio, cum, ſi v. g. Sejus non ſit ſolvendo, totum debitum a fidejuſſoribus conſequi non poſſit: tenendum eſt, nec id fieri, ſi debitor principalis Titius non ſit ſolvendo, ut ab eo nihil conſequatur Mævius creditor. Quoniam enim tum Sempronius non obligatur niſi ad ſolvendum 200, Cajus vero ad 300 aureos & Sejus ad 100, ſiquidem & Sejus ſolvendo non ſit, Mævius jacturam facit 100. aureorum. Non igitur durior fit ejus conditio, ſi Titius partem debiti ſolvere nequeat, & Sejus ſolvendo non fuerit, ſed potius melior, quando pro rata tenentur quoad reſiduum, ſi pars ſaltem ſolvatur a Titio, quemadmodum quoad totum, ſi nihil ſolvatur. Ceterum me non monente patet, ſi præterea quædam ſint, ad quæ fidejuſſor tenetur creditori; ad ea ſimiliter pro rata teneri fidejuſſores plures in caſu præſenti, veluti ſi præſtandæ ſint uſuræ in exemplo dato 30. aureorum; Sejus dabit 5, Sempronius 10, Cajus 15. Quodſi ſumtus facere teneatur Mævius, ut eam, quam Sempronius debet, partem conſequatur; hic ſolus eos reſtituit. Singuli enim ſigillatim adigendi ſunt ut ſolvant id, pro quo ſe obligarunt.

§. 811.

Num fidejubeat, qui minus dare promittit, niſi debitor debitum ſolverit.

Si tibi promitto me daturum decem aureos, niſi Titius ſolvat viginti, quos debet; pro parte fidejubeo. Etenim ſi Titius obligatus eſt ad ſolvendum 20. aureos, idem etiam obligatur ad ſolvendum 10. Quodſi ergo promitto me decem tibi daturum, niſi Titius dederit 20.; pro eo me obligo, ad quod tibi jam obligatus eſt (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque pro parte fidejubeo (§. 782.).

§. 812.

De pluribus fidejuſſoribus ſe in ſolidum ſeparatim obligantibus.

Si plures fidejuſſores ſeparatim in ſolidum ſe obligant, creditor a ſingulis integrum debitum exigere poteſt, niſi ſolvat debitor principalis, unius ſolutione liberantur omnes, nec qui ſolvit aliquid a ceteris repetere poteſt: creditor tamen a ſingulis debiti principalis partem, quam voluerit, exigere poteſt, & parte ab uno ſoluta ceteri non tenentur niſi in reſiduum, quod denuo, ſi adhuc plures fuerint, ab eo exigere poteſt creditor, quem elegerit. Quodſi enim plures fidejuſſores ſeparatim in ſolidum ſe obligent, tot ſunt diverſi contractus, quot fidejuſſores, quorum quilibet ab altero independenter ſubſiſtit eodem prorſus modo, ac ſi alter initus non fuiſſet. Quilibet adeo fidejuſſor tenetur ex contractu ſuo, perinde ac ſi alius præterea non fidejuſſiſſet, ſed ipſe unus ac ſolus eſſet fidejuſſor. Enimvero quilibet fidejuſſor in ſolidum obligatus integrum debitum ſolvere tenetur,

niſi

niſi principalis debitor ſolverit (§. 794.). Quamobrem creditor hoc debitum integrum exigere a ſingulis poteſt, eligendo ſcilicet eum, quem voluerit. *Quod erat primum.*

Quodſi unus fidejuſſorum ſolverit, debitor principalis creditori nihil amplius debet (§. 796.), conſequenter nec ei quiſquam pro eo obligatus eſſe poteſt. Unius adeo ſolutione liberantur omnes. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam tamen ſinguli fidejuſſores ſeparatim ſeſe obligarunt creditori *per hypoth.* neque adeo unus quid alteri promiſit, conſequenter ad aliquid præſtandum ſeſe obligavit (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*); qui ſolvit fidejuſſor nihil a ceteris repetere poteſt. *Quod erat tertium.*

Enimvero quoniam qui in ſolidum ſe obligavit, is etiam obligatus eſt in quamlibet ejus partem, quod per ſe patet & ex notione totius ac partium intelligitur (§. 341. *Ontol.*); quilibet etiam fidejuſſor in hypotheſi propoſitionis præſentis creditori tenetur in quamlibet debiti principalis partem. Quodſi ergo huic viſum fuerit certam quandam partem exigere a fidejuſſore uno, quin hoc facere poſſit dubitari nequit. *Quod erat quartum.*

Quoniam ſi fidejuſſor unus ſolvit debiti principalis quandam partem, quoad eam partem liberatur debitor principalis (§. 796.); fidejuſſores ceteri, qui pro eo ſeſe obligarunt (§. 784.), non amplius obligantur niſi pro parte reſidua, ut adeo perinde ſit ac ſi debitum principale totum nonniſi eadem conſiſteret. Quamobrem cum creditor principale debitum exigere poſſit ab eo, quem elegerit *per demonſtr. n.* 1. ſi adhuc plures fuerint fidejuſſores, partem reſiduam exigere poteſt, a quocunque voluerit. *Quod erat quintum.*

Fidejuſſio ſit in ſecuritatem debiti (§. 783.). Quando itaque creditor a pluribus idem ſibi promitti ſeparatim vult, non aliud intendit, niſi ut ſibi melius cautum ſit, nullam vero eorum, qui fidejubent, utilitatem. Cumque unus fidejuſſorum ſe ita obligaverit creditori, ac ſi nullus præterea fidejuſſiſſet, ſi ſolus ſolvere tenetur, non habet, quod conqueratur, propterea quod ceteri nihil ſolverint: neque enim conqueri poſſet, ſi ſolus fidejuſſiſſet.

§. 813.

An detur regreſſus ad fidejuſſorem a quo nonniſi partem exegit creditor.

Quoniam quiſlibet jus ſuum remittere poteſt (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); *ſi creditor in hypotheſi propoſitionis præcedentis debitore principali non ſolvente a fidejuſſore uno nonniſi partem debiti exigit, hoc facit vel cum remiſſione juris exigendi partem adhuc reſiduam, vel cum reſervatione ejuſdem, niſi quod reſiduum eſt, a ceteris conſequi poſſit, aut non commode conſequi poſſit.* Quia vero qui partem exigit, cum totum exigere poſſet, totum ab eo, a quo partem exigit, exigere nolle videtur; *in caſu dubio creditor nonniſi partem debiti exigens jus ſuum exigendi partem adhuc reſiduam remiſiſſe præſumitur, niſi ea dixerit, per quæ jus ſuum ſibi reſervaſſe intelligitur.*

Ex. grat. Mævius tibi debet 100 aureos, pro quibus fidejubent Titius, Sempronius & Sejus, quilibet ſeparatim. A Mævio debitum conſequi nequis. Tu igitur a Titio exigis nonniſi triginta aureos, cum in 100. tibi ſit obligatus. Niſi tibi reſerves regreſſum, ſiquidem reſiduos ſeptuaginta a Sempronio & Sejo conſequi minime poſſis, eum exactis 30. aureis ab obligatione ſua liberaſſe cenſeris. Quodſi vero dixeris, te 30. velle eſſe contentum, donec videris, utrum reſiduum a Sempronio & Sejo, an ab alterutro conſequi poſſis, regreſſum utique tibi reſervas

§. 814.

De regreſſu fidejuſſoris ſolventis.

Quoniam fidejuſſori ſolventi debitor principalis reſtituere tenetur, quod pro eo ſolvit (§. 796.) & ad omne id, quod intereſt, ipſum non ſolviſſe (§. 798.); *in hypotheſi etiam propoſitionis præcedentis fidejuſſori vel debitum totum, vel partem debiti ſolventi patet regreſſus ad debitorem principalem quoad id, quod ſolvit, & quod intereſt, ſolutionem ab ipſo factam non fuiſſe.*

Ni-

Nimirum cum quælibet fidejuſſio in ſe ſpectetur ac ſi ea ſola cautum ſit creditori; quæcunque de fidejuſſione demonſtrata fuerunt, ea etiam ad ſingulas ſeparatim factas ſigillatim applicari poſſunt. Quamobrem nc opus quidem videbatur, ut de iis hic dixiſſemus.

§. 815.

Si plures fidejuſſores conjunctim promittant, debitore principali non ſolvente, ſinguli pro æqua parte tenentur: quodſi tamen ceteri ſolvendo non ſint, qui ſolvendo eſt tenetur in ſolidum. Quodſi enim plures fidejuſſores conjunctim promittant, omnes ſimul repræſentant unum fidejuſſorem, a quo exigendum debitum, niſi debitor principalis ſolverit (§. 794.). Quoniam itaque ſinguli æqualiter ſunt obligati; pro æqua omnino parte creditori tenentur. *Quod erat unum.* *De fidejuſſoribus pluribus conjunctim promittentibus.*

Quodſi tamen unus non ſit ſolvendo, cum omnes ſimul ſeſe obligaverint ad totum debitum ſolvendum, niſi debitor principalis ſolverit (§. 786.), & quia fidejuſſio facta in ſecuritatem debiti (§. 783.), creditor dici nequeat plures accepiſſe fidejuſſores, ut ſibi minus cautum ſit, neque ſit expreſſe conventum, ut unuſquiſque tantum teneatur pro parte virili; non alia mens fuiſſe intelligitur, tam creditoris, quam fidejuſſorum, quam ut ceteri vel unus, ſi tantummodo unus ſolvendo ſit, teneatur in ſolidum. Quamobrem ſi plures conjunctim fidejubeant, debitore principali non ſolvente, in ſolidum tenetur unus, qui ſolvendo eſt, quando ceteri ſolvendo non ſunt, ſeu ratam ſuam ſolvere nequeunt. *Quod erat alterum.*

Nimirum quia fidejuſſores plures unam repræſentant perſonam, reſpectu creditoris una tantummodo eſt obligatio, cui quomodo ſatisfiat perinde eſſe debet creditori. Æquitas adeo diviſionis tantummodo reſpicit fidejuſſores inter ſe: nulla vero ratio eſt, cur inde periculum aliquod emergere debeat creditoris, cui ſemper debetur a fidejuſſoribus, quod debitor principalis ſolvere nequit, pro quo iidem fidem ſuam adſtrinxerunt. Sive adeo omnes, ſive unus vel alter tantummodo ſit ſolvendo; omne periculum creditoris abeſſe debet. Hanc æquitatem ſecutus D. *Adrianus*, qui beneficium diviſionis introduxit contra jus antiquum, ceteros tamen onerante eo, qui ſolvendo non eſt §. 4. Inſtit. de fidej. Naturaliter vero diviſio non valet niſi in hypotheſi propoſitionis præſentis, cum obligationes ſint metiendæ ex eorum, qui ſeſe obligant, voluntate.

§. 816.

Si plures fidejuſſores conjunctim promiſerunt, qui ſolvit, ei competit jus eam, quam alter ſolvere debebat, partem ab eo repetendi. Quodſi enim plures fidejuſſores conjunctim promiſerunt, ſinguli pro æqua parte tenentur (§. 815.). Quamobrem ſi unus ſolvat totum, ſeu partem, quam alter ſolvere debebat, hanc pro altero ſolviſſe intelligitur. Enimvero quoniam conjunctim fidejubentes ſibi invicem promittere cenſentur, quod, debitore principali non ſolvente, unuſquiſque ad extinguendum debitum principale ratam ſuam conferre velit; cuilibet, qui una fidejubet, competit jus exigendi a ceteris, ut ratam ſuam conferant (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem ſi unus pro altero ſolvere cogitur, quatenus obligatus eſt creditori, cui fidejuſſum, & obligationi iſti ſatisfaciendum (§. 815.); ideo jus ſuum remittere non cenſetur. Hoc igitur cum ipſi ſalvum ſit; ſi plures fidejuſſores conjunctim promiſerunt, ei, qui ſolvit, competit jus partem, quam ſolvit & alter ſolvere debebat, ab eodem repetendi. *Qualis detur regreſſus iis, qui ſolverunt.*

In hypotheſi adeo præſenti fidejuſſori uni denegari nequit naturaliter regreſſus adverſus alterum, qui ratam ſuam non ſolvit. Ex. gr. Mævius tibi debet 100. aureos, ego, Sempronius & Cajus conjunctim tibi fidejubemus. Si Mævius non ſolvit, ego, Sempronius & Cajus conjunctim 100. illos aureos ſolvere tenemur, nimirum quilibet noſtrum $33\frac{1}{3}$. Quodſi Cajus & Sempronius non ſint ſolvendo, ego ſolus ſolvere teneor 100 aureos, ſed patet mihi regreſſus adverſus Sempronium & Cajum, ita ut $33\frac{1}{3}$ a Sempronio & totidem a Cajo repetere poſſim, vel ſi tantummodo Cajus non fuerit ſolvendo, ut ego, & Sempronius ſolverimus pro Caio $33\frac{1}{3}$ uterque noſtrum ab eo repetere poteſt

$11\frac{5}{6}$. Ex demonſtratione patet, jus hoc naſci ex tacita conventione, quæ fidejuſſioni conjunctim factæ ineſſe intelligitur, qualis fingi ne quidem poteſt in ſeparatis fidejuſſionibus, ubi unus fidejubere poteſt inſcio altero. Ceterum non eſt, quod demum oſtendamus, ſingulis fidejuſſoribus conjunctim promittentibus competere jus a debitore principali repetendi, quod ſolverunt, cum id abunde intelligatur ex ſupra demonſtratis (§. *796*.). Quoniam vero hoc jus competit omnibus conjunctim, ſi quem ultra ratam ſolvere contingat, a debitore quoque principali, quod ultra ratam dedit, repetere poteſt. Et quia non niſi ſemel repetere poteſt, quod ipſi debetur; unius ſolutione liberatur alter, ita tamen, ut, quod unus fidejuſſorum ſolvit alteri, id is a debitore principali repetere queat, donec unuſquiſque habeat quod ſuum erat ante contractum, qui nemini eſſe debet damnoſus, quamdiu fieri poteſt, ut damnum ab omnibus avertatur (§. *495*. *p*. 3. *Jur. nat.*).

§. 817.

De pluribus fidejuſſoribus correis debendi.

Si plures fidejuſſores ſimul promittunt, ita ut ſinguli teneri velint creditori in ſolidum; creditor eligere poteſt eum, a quo debitum exigat, quando principalis ſolvere nequit, unius ſolutione liberantur omnes, ceteri autem eidem ad nihil tenentur. Etenim ſi plures fidejuſſores ſimul promittunt ita, ut ſinguli teneri velint creditori in ſolidum, quoniam eandem rem promittunt (§. 782.), correi debendi conſtituuntur (§. *692*. *part*. 3. *Jur. nat.*). Enimvero ſi plures fuerint correi debendi, ei, cui promiſſio facta eſt liberum quod debetur exigere, a quocunque voluerit (§. *695*. *part*. 3. *Jur. nat.*), unus ſolutione ſua liberat ceteros (§. *694*. *part*. 3. *Jur. nat.*), ceteri autem ipſi in nihil tenentur (§. *697*. *part*. 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam ſi plures fidejuſſores ſimul promittant ita, ut ſinguli teneri in ſolidum velint creditori; hic eligere poteſt eum, a quo debitum exigat, debitore principali non ſolvente, unius ſolutione liberantur omnes, ceteri autem ei in nihil tenentur.

Hæc conveniunt notioni fidejuſſionis in Jure antiquo, quo fidejuſſores plures una cum creditore principali ſpectabantur quaſi correi debendi, ac ſi omnes eſſent principaliter obligati. Et introductis jure novo, quo etiam nos nunc utimur, beneficiis ordinis & diviſionis, propoſitio præſens reſpondet caſui, quo fidejuſſores beneficio diviſionis renunciant. Quodſi enim ſinguli ſeſe in ſolidum obligent ſimul, eodem modo tenentur, ac ſi beneficio diviſionis renunciaſſent. Quemadmodum vero non iniquum cenſetur beneficio diviſionis renunciare; ita nec iniquum videri poteſt ſe eo modo obligare, quem fert propoſitio præſens. Immo æquitas fidejuſſionis cum renunciatione beneficii diviſionis nititur propoſitione præſente. Nemo ad fidejubendum cogi poteſt; adeoque cujuslibet prudentiæ relictum, utrum & quomodo ſe pro alieno debito obligare velit.

§. 818.

An uno fidejuſſore excuſſo alterum excutere liceat.

In hypotheſi propoſitionis præcedentis ſi unus fidejuſſorum totum ſolvere non potuit, partem reſiduam ab altero exigere potes, uno poſt alterum excuſſo, donec totum debitum fueris conſecutus. Patet nimirum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis, quod in ejus hypotheſi plures fidejuſſores ſpectentur tanquam correi debendi (§. 817.). Enimvero ſi ab uno correorum totum conſequi nequis, quod debetur, partem reſiduam ab altero excutere licet (§. *696*. *part*. 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam in hypotheſi propoſitionis præcedentis, ſi unus fidejuſſorum totum ſolvere non potuit, partem reſiduam ab altero exigere potes, adeoque unum poſt alterum excutere licet, donec totum debitum fueris conſecutus.

Fidejuſſores in hypotheſi præſenti ſpectantur tanquam correi debendi inter ſe, quatenus ſimul promittunt ſolutionem ejuſdem debiti principalis acceſſorie, niſi debitor principalis ſolverit. Poſſunt vero etiam pure ſe obligare pro debito principali, quemadmodum de uno fidejuſſore diximus (§. 807.); & tunc una cum debitore principali ſpectantur tanquam correi debendi, ut cum eodem ſinguli eodem modo ſint obligati, quaſi omnes eſſent debitores principales, ea tamen lege, ut, quia debitum non niſi ſemel ſolvendum, unius ſolutione liberentur ceteri omnes, cum una ſit eademque obligatio, qua tenentur omnes, adimplenda ab eo, per quem eam adimplere voluerit creditor, aut a pluribus, ſi unus ex aliis ſatisfacere non poſſit.

Nihil

Nihil difficultatis in tota hac materia eſt, modo ſpectes mentem eorum, qui fidejubent, cum ex eorum voluntate metienda ſit omnis obligatio. Quamobrem conſultum eſt, ut, qui fidejubet, mentem ſuam accurate exprimat; quibus enim verbis eandem exprimit, eam ipſi mentem fuiſſe recte ſumitur (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*). Et creditor recte ſupponit fidejuſſorem omnia probe expendiſſe, quæ ipſi expendenda ſunt, antequam fidejubeat (§. 422. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 819.

In hypotheſi propoſitionum præcedentium ſi ab uno fidejuſſorum debitum fuerit conſecutus creditor, ei jus ſuum adverſus Confidejuſſores cedere nequit. In hac enim hypotheſi creditori non competit niſi jus eum eligendi, a quo debitum exigat, debitore principali non ſolvente (§. 817.) &, ſi ab eo totum conſequi non potuerit, partem reſiduam ab alio exigendi (§. 818.). Quamprimum adeo totum debitum conſecutus, jus ejus omne, quod habebat in fidejuſſores expirat. Quoniam adeo jus nullum habet, quod in fidejuſſorem, qui ſolvit, transferre poſſit, quo aliquid a ceteris repetere poſſet; jus quoque ſuum adverſus confidejuſſores ei, qui ſolus ſolvit, cedere nequit (§. 81. *part.* 3. *Jur. nat.*).

An creditor ex uno fidejuſſore jus ſuum ceteris cedere poſſit.

Durum hoc videri nequit: ſibi enim imputare debet, qui ita fidejuſſit, cum aut alio modo fidejubere poſſet (§. 815.), aut, ſi creditor alia contentus fidejuſſione eſſe nollet, ab ea prorſus abſtinere. Jure civili nunquam fidejuſſori uni contra alterum datur actio l. 39. ff. de Fidejuſſ. quod vero jure naturali aliquando detur, antea demonſtravimus (§. 816.), & hoc æquitati magis convenit, cum plurium ſimul fidejubentium pro eodem debito ea videatur fuiſſe mens, quod nullus eorum plus gravari debeat altero, niſi expreſſe contrarium dictum fuerit, quemadmodum in hypotheſi præſenti. Equidem jure civili datur etiam in omni caſu beneficium cedendarum actionum, quo etiam uti poteſt fidejuſſor, qui ſolvit, adverſus confidejuſſores ad illorum tantum partis reſtitutionem, non vero expenſas, de quo vide *Carpzovium* p. 2. C. 17. def. 18. & 23. quoniam tamen hoc ſupponit beneficium diviſionis, quod naturaliter non obtinet niſi in fidejuſſoribus pro æqua parte obligatis (§. 816.), id minime convenit fidejuſſioni in hypotheſi præſenti. In jure nimirum naturæ admitti nequit, niſi quod ex hypotheſi neceſſario colligitur, hæc vero determinatur per ea, quæ fidejuſſores ſufficienter indicant (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*). Non tamen ideo negamus, lege poſitiva iſtiuſmodi beneficiis ſuccurri poſſe iis, qui non omnia probe expendunt, quæ expendere debebant, antequam fidejuberent (§. 394. *part.* 3 *Jur. nat.*). Conſultum nimirum eſt, ut ſubinde rigor legum naturalium lege poſitiva temperetur, quemadmodum ſuo loco oſtenſuri ſumus.

§. 820.

Naturaliter creditor inſcio, multoque minus invito fidejuſſore terminum ſolutionis prorogare nequit: quod, ubi fecerit, fidejuſſores liberantur. Fidejuſſor enim ſe obligat pro debito certo termino ſolvendo, ita ut ipſe ſolvere velit debitum, niſi iſto termino ſolvere poſſit debitor principalis (§. 782.). Quodſi vero terminus ſolutionis prorogetur, perinde eſt ac ſi debitor ſolviſſet debitum, & novum contraheret: pro quo adeo cum non fidejuſſerit, qui pro priori fidejuſſerat, nec is pro eo creditori tenetur, quin potius cum debito a principali debitore ſoluto fidejuſſor liberetur (§. 795.), idem etiam liberari debet, ſi creditor inſcio, vel prorſus invito terminum ſolutionis proroget. *Quod erat unum.*

An terminus ſolutionis inſcio aut invito fidejuſſore prorogari poſſit.

Quoniam adeo fidejuſſor liberatur, ſi ipſo inſcio vel prorſus invito terminus ſolutionis a fidejuſſore prorogetur; ſine ipſius conſenſu eundem prorogare nequit creditor. Quodſi enim eundem proroget conſenſu fidejuſſoris, hic etiam pro novo, quod contrahitur debito *per demonſtrata*, ſeſe obligat, adeoque tanquam fidejuſſor tenetur. Quamobrem patet naturaliter inſcio multoque minus invito fidejuſsore terminum ſolutionis a creditore prorogari non poſse. *Quod erat alterum.*

Equidem non ignoro, interpretes Juris Romani in diverſas abire ſententias, & Jure Saxonico litem ita terminatam eſſe, ut fidejuſſor ex ſolutionis prorogatione ſe inſcio debitori facta non liberetur, niſi contra ulteriorem obligationem poſt terminum elapſum expreſſe fuerit proteſtatus, ſeu initio ſtatim fuerit conventum, ne valeat fidejuſſio termino ſolutionis proroga-

to, de quo vide *Carpzivium* part. 2. C. 19. def. 1. & 6. Quoniam tamen non perinde eſt, ſive debitum in termino ſolutionis exigatur, ſive idem prorogetur, cum, qui nunc ſolvendo eſt, ne poſthac ſolvendo ſit fieri utique poſſit, æquitati ſane convenientius eſt, quod ea fidejuſſori mens fuiſſe videatur, ne ſe inſcio vel invito terminus prorogetur, niſi expreſſe contrarium dictum fuerit. In fidejuſſione nimirum illud præſumendum, ſi vel maxime præſumtione ſtare velis, quod tamen opus non eſſe præſens loquitur demonſtratio, quod minus gravare poteſt fidejuſſorem. Quoniam vero rationes particulares eſſe poſſunt, ob quas fidejuſſor malit terminum ſolutionis prorogari, quam principalem debitorem ſtatim excuti, vel ſeipſum ad ſolvendum compelli, ſubinde autem etiam habere poſſit rationes fidejuſſor, cur ipſe in termino ſolvere & jus creditoris ſibi cedi malit, quam terminum ſolutionis prorogari; ideo prorogatio fieri non debet niſi conſenſu fidejuſſoris, minime autem ipſo inſcio, vel prorſus invito. Poteramus facile hæc uberius declarare; ſiquidem neceſſe foret in tantas ambages deſcendere.

§. 821.

Quando prorogatione termini confidejuſſores alii liberentur, alii obligati maneant.

Si plures fuerint fidejuſſores & alii in prorogationem conſentiant, alii conſentire nolint, terminus vero fuerit prorogatus; conſentientes ſoli obligantur. Etenim ſi creditor terminum ſolutionis debitori prorogat, invitos liberat, non autem conſentientes (§. 821.). Quamobrem ſi plures fidejuſſores fuerint, quorum alii in prorogationem conſentiunt, alii conſentire nolunt, terminus vero ſolutionis prorogetur; diſſentientes equidem liberantur, ſed non conſentientes. Hi igitur ſoli facta prorogatione obligati manent.

Nimirum confidejuſſores inter ſe minime convenerunt, quod neuter a fidejuſſione ſua recedere velit, ſi poſſit, ſine ceterorum conſenſu. Quamobrem unicuique liberum eſt, ut faciat, quod velit, nec unus alterum cogere poteſt ut ſua ſtet voluntate.

§. 822.

Fidejuſſio ſuccedanea quænam ſit.

Qui pro fidejuſſore fidejubet, *fidejuſſor ſuccedaneus*, ſubinde etiam *ſubalternus*, vel *Vicarius*, idiomate patrio ein Rückbürge appellatur, & ejus reſpectu fidejuſſor, pro quo fidejubetur, *principalis* audit. Unde etiam ipſa *Fidejuſſio* pro alio fidejuſſore facta *ſuccedanea*, item *ſubalterna*, vel *vicaria* vocatur: ejus autem reſpectu fidejuſſoris principalis obligatio *principalis* vocatur.

Nimirum fidejuſſor ſuccedaneus accedit fidejuſſoris obligationi, quam adeo fide ſua eſſe jubet, non obligationi principali, pro qua ſe obligat fidejuſſor principalis. Facile apparet, fidejuſſorem ſuccedaneum non alia de cauſa accedere obligationi fidejuſſoris principalis, quam quod creditor metuit fidejuſſione principali non ſatis ſibi eſſe cautum. Neque vero eſt quod excipias, quod fidejuſſione ſuccedanea non ſit opus, cum qui fidejuſſor ſuccedaneus eſt ſimul fidejubere poſſit principaliter; a fidejubentis enim arbitrio pendet, quomodo fidejubere velit, conſequenter utrum obligationi principali, an minus principali fidejuſſoris accedere malit.

§. 823.

Ad quænam ſe obliget fidejuſſor ſuccedaneus.

Quoniam fidejuſſor ſuccedaneus pro fidejuſſore fidejubet, fidejuſſor autem pro obligato vel obligando ſe obligans promittit creditori, ſe præſtiturum, quod principalis debitor debet, niſi is præſtiterit (§. 786.); *fidejuſſor ſuccedaneus promittit creditori, ſe præſtiturum, quod fidejuſſor principalis præſtare debeat, niſi ipſe præſtiterit.*

Fidejuſſor nimirum ſuccedaneus non vult ante ſuccedere in locum principalis, niſi quando is præſtanda præſtare nequit, atque adeo perſonam fidejuſſoris principalis tum demum repræſentat.

§. 824.

Quoniam fidejuſſor ſuccedaneus promittit creditori ſe præſtiturum, quod fidejuſſor principalis debebat, niſi ipſe præſtiterit (§. 823.), idem vero reſpectu debitoris principalis promittit fidejuſſor principalis (§. 786.); *obligatio fidejuſſoris principalis ſpectatur tanquam obligatio principalis, pro qua interceditur, & fidejuſſor principalis ſpectatur tanquam debitor principalis reſpectu ſuccedanei.* *Relatio fidejuſſoris ſuccedanei ad principalem.*

Hinc facile apparet, quomodo ea, quæ de fidejuſſione principali demonſtrata ſunt, applicentur ad fidejuſſionem ſuccedaneam. Nimirum ſubſtituatur in locum debitoris principalis fidejuſſor principalis & in locum fidejuſſoris principalis fidejuſſor ſuccedaneus, & omnia ſtatim erunt manifeſta, ut adeo facta hac reductione per nudam applicationem pateant omnia, nec opus ſit ea demum ex notione fidejuſſoris ſuccedanei demonſtrari.

§. 825.

Quoniam fidejuſſor principalis ſpectatur tanquam debitor principalis reſpectu ſuccedanei (§. 824.), debitor autem principalis ante excutiendus, quam fidejuſſor ad ſolvendum adigi poſſit (§. 805.); *fidejuſſor ſuccedaneus adigi nequit ad ſolvendum, quod ſolvere debebat fidejuſſor principalis, niſi principali excuſſo*, conſequenter *fidejuſſor ſuccedaneus datur creditori, ut ipſi ſatis cautum ſit de fidejuſſione principali*, veluti ſi contingat, ipſum ad inopiam redigi, ut ſolvendo non ſit. *Obligatio fidejuſſoris ſuccedanei.*

§. 826.

Si fidejuſſor ſuccedaneus ſolvit, datur ipſi regreſſus non modo contra fidejuſſorem, verum etiam debitorem principalem, ſi ab illo, quod ſolvit, repetere nequit. Etenim ſi fidejuſſor principalis ſolvit, debitor principalis eidem obligatur non modo ad reſtituendum, quod ſolvit (§. 796.), verum etiam tenetur in omne id, quod intereſt, ipſum non præſtitiſſe, quod præſtare debebat (§. 798.). Quoniam itaque reſpectu fidejuſſoris ſuccedanei fidejuſſor principalis ſpectatur tanquam debitor principalis (§. 824.); fidejuſſor quoque principalis ſuccedaneo obligatur ad reſtituendum quod creditori ſolvit, & præſtandum omne intereſſe, conſequenter fidejuſſori ſuccedaneo datur contra fidejuſſorem principalem regreſſus, ſi ſolvere coactus fuit. *Quod erat primum.* *De regreſſu, qui competit fidejuſſori ſuccedaneo.*

Enimvero fidejuſſori principali competit jus repetendi a debitore principali, quod pro ipſo ſolvit creditori (§. 796.), ac intereſſe omne, quod ipſe non ſolverit (§. 798.), conſequenter cum etiam omnia jura noſtra in bonis noſtris computanda ſint (§. 451. *part. 2. Jur. nat.*), idem jus erit etiam in bonis fidejuſſoris principalis. Quamobrem cum fidejuſſori ſuccedaneo detur regreſſus contra fidejuſſorem principalem, ſi ſolvere coactus fuit *per demonſtrata n.* 1. quando præter jus iſtud nil habet in bonis ſuis, id invitus cedere tenetur fidejuſſori ſuccedaneo (§. 81. *part. 3. Jur. nat.* & §. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ipſo jure facta ceſſio intelligitur. Regreſſus adeo contra debitorem principalem, qui datur fidejuſsori principali, ſi is ſolverit, datur etiam fidejuſsori ſuccedaneo, ſi idem non ſolverit. *Quod erat ſecundum.*

Non eſt, quod excipias, ſi fidejuſſor principalis nihil ſolvit, nec ſuccedaneo competere aliquod jus contra debitorem principalem (§. 796. 798.). Unum enim idemque eſt, ſive ipſe ſolverit, ſive pro eo ſolverit alius. Quando itaque fidejuſſor ſuccedaneus ſolvit pro principali, quoad debitorem principalem fidejuſſor principalis ſolviſſe cenſetur. Deinde non opus eſt, ut hoc jus cedatur ſuccedaneo fidejuſſori a principali, qui, ſi præterea nihil habeat in bonis, quod is jure belli, quale eſt omne jus cogendi in ſtatu naturali (§. 687. *p. 2. Jur. nat.*), invito idem adimere poteſt. Quamprimum adeo idem habere vult, ſola voluntate ſua id acquirit, cum conſentire putetur, qui conſentire debet, adeoque ceſſio ipſo jure facta intelligitur. In jure naturali admittitur omnis obligatio, nec ea diſtinguitur a civili, quemadmodum in

Jure

Jure Romano ; vi cujus nonniſi ex hac naſcitur jus agendi in foro , ſeu debitorem compellendi ad ſolvendum. Ceterum ex demonſtratione partis ſecundæ propoſitionis præſentis liquet , regreſſum fidejuſſori ſuccedaneo contra debitorem principalem etiam competere , ſi vel maxime fidejuſſio ſuccedanea facta fuerit inſcio debitore principali · Jus enim iſtud acquirit , quatenus ipſe pro principali fidejuſſore fidejuſſit, & quemadmodum ceſſio, de qua hic ſermo eſt , fieri poteſt a fidejuſſore principali inſcio ac invito debitore principali (§. 80. *part. 3. Jur. nat.*) ; ita etiam eodem inſcio ac invito ipſo jure fieri poteſt , ut adeo ad fidejuſſionem ſuccedaneam ne hoc quidem reſpectu requiratur ſcientia , vel conſenſus debitoris principalis . Quodſi vero ſupponamus , quemadmodum in in Jure civili vulgo ſupponitur , quod detur a debitore ipſo fidejuſſor ſuccedaneus ea lege, ut, ſi principalis ſolvendo non ſit , vel ſi moriatur, ipſe in locum ejus ſuccedat, tum qui ſuccedaneus erat ſtatim ſit principalis , ſeu eidem æquiparatur , quamprimum in ejus locum ſuccedit . Atque eo in caſu nihil difficultatis habet, quod etiam ipſi perinde ac fidejuſſori principali detur regreſſus contra debitorem principalem · Nos vero , quemadmodum in Jure naturæ fieri debet , notioni fidejuſſionis ſuccedaneæ omnem damus amplitudinem , quam habere poteſt, adeoque perinde hic eſt, ſive fidejuſſor ſuccedaneus detur a debitore, ſive a fidejuſſore principali illo inſcio accipiatur . Cumque in Jure naturæ nobis integrum ſit vocabulis tribuere ſignificatum, quem velimus; ideo ſufficit, ne iiſdem utamur, niſi in ſignificatu ipſis attributo, & rebus per ea denotatis non tribuamus, niſi quæ vi definitionum ipſis competere debere demonſtrari poteſt, quamvis a ſignificatu recepto non diſcedamus lubenter , quamdiu id ſine ullo commodo fieri videtur. Nos adeo fidejuſſorem ſuccedaneum appellamus, qui pro alio fidejuſſore fidejubet creditori , ſive id faciat rogatus ab ipſo debitore principali , ſive illo inſcio a fidejuſſore principali rogetur , quamvis debitoris conſenſus facile præſumatur .

§. 827.

Fidejuſſor indemnitatis quinam ſit .

Fidejuſſor ſuccedaneus in ſpecie dicitur *Fidejuſſor indemnitatis* , ſi creditori promittit, ſe præſtiturum id omne, quod nec a debitore principali, nec a fidejuſſoribus principalibus conſequi poteſt. Atque adeo apparet *fidejuſſorem indemnitatis creditorem præſtare prorſus indemnem* . Unde etiam ipſi nomen eſt idiomate patrio ein Schadelos-Bürge .

Non unum idemque eſt , utrum quis ſit ſimpliciter fidejuſſor ſuccedaneus , an in ſpecie fidejuſſor indemnitatis· Qui enim ſe obligat pro fidejuſſore , in cujus locum ſuccedit , ſi is ſolvendo non ſit; non tenetur ultra id , in quod tenetur fidejuſſor principalis, cujus fidejuſſionem fide ſua ſuffulcit. Naturaliter nemo tenetur ultra id , in quod ſe obligare voluit , adeoque fidejuſſor non uno modo fidejubere poteſt, quemadmodum ex antecedentibus intelligitur · Quamobrem ſi vel maxime unus tantummodo ſit fidejuſſor, pro quo alius fidejubet; non tamen ideo ſtatim tenetur prorſus indemnem præſtare creditorem. Quodſi ergo fidejuſſorem ſuccedaneum appellare lubet , qui pro alio fidejuſſore fidejubet , quemadmodum nos dicimus ſignificatu vocabuli apud Autores probatos recepto; non omnis fidejuſſor ſuccedaneus eſt fidejuſſor indemnitatis , qui creditorem prorſus indemnem præſtet· Talis enim non eſt , niſi ea creditori promiſerit , quæ in definitione præſenti continentur . Neque quenquam offendere debet , quod fidejuſſorem indemnitatis ad ſuccedaneos referamus , ſicuti etiam feciſſe videtur *Lauterbachius* h. t. cum alii eundem fidejuſſori indemnitatis contradiſtinguant tanquam datum fidejuſſori a debitore, ut is, ſi ſolvere cogatur, contra hunc regreſſum habere poſſit, prouti annotat Breißleben in Notis ad *Lauterbachium* n. 5277. ita enim nobis deeſſet nomen commodum ejus, qui pro fidejuſſore fidejubet , ut , ubi is ſolvendo non fuerit , in ejus locum ſuccedat , adeoque ſub ea conditione, ut ſolvere non cogatur , niſi principalis ſolvendo non ſit · Nemo enim , qui ſine præjudicio rem expenderit, negare poteſt , ita pro fidejuſſore fidejuberi poſſe , quemadmodum antea de fidejuſſore ſuccedaneo ſumſimus & demonſtravimus .

§. 828.

An a fidejuſſore indemnitatis quid exigi poſſit , nondum excuſſis principalibus.

Quoniam fidejuſſor indemnitatis ſeſe creditori obligavit nonniſi in eum caſum , quo debitum ſuum vel omnino non , vel non in totum a creditore & fidejuſſoribus principalibus conſequi poteſt (§. 827.) ; ideo *ad aliquid ſolvendum a creditore compelli nequit , niſi debitore ac fidejuſſoribus principalibus excuſſis* .

Hinc & recte contendunt Juris civilis interpretes acutiores , fidejuſsorem indemnitatis beneficio excuſſionis renunciare non poſse ; cum natura fidejuſſionis hujus hoc minime ferat ;

quia

quia nemo contradictoria velle poteſt. Sane ſi renunciatione eſset ſtandum, tum non amplius foret fidejuſsor indemnitatis, ſed ſuccedaneus ſimpliciter, quem diximus, ſupponendumque foret ipſum pro fidejuſsore pure ſe obligaſse per modum correi. Talia autem admitti non poſsunt, quamdiu contrarium expreſse dictum fuit (§ 428 *part. 3. Jur. nat.*).

§. 829.

Quando fidejuſſor ſuccedaneus ſolvere teneatur, principali non excuſſo.

Si quis fidejubere debet pro fidejuſſore altero pure ſe obligat, quod id præſtare velit, ad quod præſtandum is obligatus eſt; non excuſſo principali fidejuſſore ad ſolvendum adigi poteſt. Etenim fidejuſſor principalis reſpectu ſuccedanei ſpectatur tanquam debitor principalis (§. 824.). Enimvero qui fidejuſſurus pure ſe obligat, quod id præſtare velit, ad quod præſtandum alius obligatus eſt, is non excuſſo principali debitore ad ſolvendum debitum adigi poteſt (§. 806.). Quamobrem fidejuſſor quoque ſuccedaneus non excuſſo principali fidejuſſore ad ſolvendum compelli poteſt, ſi pure ſe pro eodem obligaverit, quod id præſtare velit, ad quod præſtandum obligatus.

Patet adeo etiam hinc, quod pro alio fidejuſsore fidejubens non poſſit haberi pro fidejuſſore indemnitatis (§ 828.), ut adeo nobis ab eodem fuerit diſtinguendus (§. 822.). Ceterum quando dicimus nondum excuſso principali fidejuſsore vel debitore aliquem adigi poſse ad ſolvendum, eo ipſo intelligitur, ſi aliquoties interpellatus moras nectat, nec ſolvere velit, jure cogendi, quod in ſtatu naturali jus belli eſt (§. 687. *part. 2. Jur. natur.*), non utendum eſse contra ipſum, ſed eodem nos uti ſtatim poſse contra alterum pro ipſo nobis obligatum. Nimirum hoc in caſu liberum eſt creditori, utrum illo jure uti velit contra fidejuſsorem, vel debitorem principalem, an ſtatim uti malit contra eum, qui pro eodem obligatus eſt.

§. 830.

Fidejuſſor indemnitatis fidejuſſoris quinam ſit.

Fidejuſſorem indemnitatis fidejuſſoris appellare libet eum, qui ſe obligat fidejuſſori pro propria ipſi obligatione, ſcilicet promittendo, quod a ſe recuperare debeat, ſiquidem quod ſolvere coactus fuit, a debitore principali recuperare non poſſit. Quamobrem patet, *fidejuſſorem indemnitatis indemnem præſtare fidejuſſorem principalem.*

Ex. grat. Mævius Titio debet centum aureos. Tu pro eo fidejubes: ego promitto tibi, quod ſi cogaris Mævio quid ſolvere, nec id a Titio recuperare poſſis, te hoc a me recuperaturum. Ego tibi id reſtituere cogor. Te igitur indemnem præſto eodem modo, quo fidejuſsor indemnitatis creditorem indemnem præſtat (§ 827.) Nil igitur obſtat, quo minus ego tuus fidejuſsor indemnitatis dicar, quemadmodum dicendus forem Titii, ſi a Mævio & te nihil conſequi potuiſset, & ego ipſi in eum caſum fidejuſſiſsem. *Puffendorfius* fidejuſsorem indemnitatis ſimpliciter appellari ait, quem nos fidejuſsorem indemnitatis fidejuſsoris vocamus, lib. 5. c. 10. §. 11. de J. N. & G. Reprehendit eum *Hertius* in notis, quod fidejuſsorem indemnitatis confundat cum ſuccedaneo, qui in gratiam fidejuſſionis accipiatur (*not.* 827.). Enimvero cum nos fidejuſsorem ſuccedaneum in alio ſenſu acceperimus, ut nomen rectius conveniat rei ſuæ; inter fidejuſsorem indemnitatis fidejuſsoris & fidejuſsorem indemnitatis, qui datur creditori, hic diſtinguimus. Ita nimirum apte admodum nominibus ſuis diſtinguimus, quæ pro præſentis inſtituti ratione diſtinguenda erant. Ceterum ſi quis moroſior fuerit, quam ut dicendi libertatem nobis concedat, is fidejuſsorem ſuccedaneum per nos dicat, quem fidejuſsorem indemnitatis fidejuſsoris appellamus, quem vero nos vocamus fidejuſsorem ſuccedaneum, eundem vel fidejuſsorem fidejuſsoris, vel alio quocunque nomine, quod ipſi viſum fuerit, dicat.

§. 831.

Cuinam is obligetur.

Quoniam *fidejuſſor indemnitatis fidejuſſoris* ſe duntaxat fidejuſſori obligat (§. 830.), *creditori nullo modo obligatus eſt, nec obligari poteſt, ac inſcio creditore & debitore principali ſe obligare poteſt.*

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 830.), ego tibi reſtituere teneor centum aureos, ſi eos Titio ſolvere coactus fueris. At ſi tu non fueris ſolvendo, ego Titio in nihil teneor, quippe cui nihil promiſi.

§. 832.

Jure Romano; vi cujus nonniſi ex hac naſcitur jus agendi in foro, ſeu debitorem compellendi ad ſolvendum. Ceterum ex demonſtratione partis ſecundæ propoſitionis præſentis liquet, regreſſum fidejuſſori ſuccedaneo contra debitorem principalem etiam competere, ſi vel maxime fidejuſſio ſuccedanea facta fuerit inſcio debitore principali. Jus enim illud acquirit, quatenus ipſe pro principali fidejuſſore fidejuſſit, & quemadmodum ceſſio, de qua hic ſermo eſt, fieri poteſt a fidejuſſore principali inſcio ac invito debitore principali (§. 80. *part. 3. Jur. nat.*); ita etiam eodem inſcio ac invito ipſo jure fieri poteſt, ut adeo ad fidejuſſionem ſuccedaneam ne hoc quidem reſpectu requiratur ſcientia, vel conſenſus debitoris principalis. Quodſi vero ſupponamus, quemadmodum in Jure civili vulgo ſupponitur, quod detur a debitore ipſo fidejuſſor ſuccedaneus ea lege, ut, ſi principalis ſolvendo non ſit, vel ſi moriatur, ipſe in locum ejus ſuccedat, tum qui ſuccedaneus erat ſtatim fit principalis, ſeu eidem æquiparatur, quamprimum in ejus locum ſuccedit. Atque eo in caſu nihil difficultatis habet, quod etiam ipſi perinde ac fidejuſſori principali detur regreſſus contra debitorem principalem. Nos vero, quemadmodum in Jure naturæ fieri debet, notioni fidejuſſionis ſuccedaneæ omnem damus amplitudinem, quam habere poteſt, adeoque perinde hic eſt, ſive fidejuſſor ſuccedaneus detur a debitore, ſive a fidejuſſore principali illo inſcio accipiatur. Cumque in Jure naturæ nobis integrum ſit vocabulis tribuere ſignificatum, quem velimus; ideo ſufficit, ne iiſdem utamur, niſi in ſignificatu ipſis attributo, & rebus per ea denotatis non tribuamus, niſi quæ vi definitionum ipſis competere debere demonſtrari poteſt, quamvis a ſignificatu recepto non diſcedamus lubenter, quamdiu id ſine ullo commodo fieri videtur. Nos adeo fidejuſſorem ſuccedaneum appellamus, qui pro alio fidejuſſore fidejubet creditori, ſive id faciat rogatus ab ipſo debitore principali, ſive illo inſcio a fidejuſſore principali rogetur, quamvis debitoris conſenſus facile præſumatur.

§. 827.

Fidejuſſor indemnitatis quinam ſit.

Fidejuſſor ſuccedaneus in ſpecie dicitur *Fidejuſſor indemnitatis*, ſi creditori promittit, ſe præſtiturum id omne, quod nec a debitore principali, nec a fidejuſſoribus principalibus conſequi poteſt. Atque adeo apparet *fidejuſſorem indemnitatis creditorem præſtare prorſus indemnem*. Unde etiam ipſi nomen eſt idiomate patrio ein Schadelos-Bürge.

Non unum idemque eſt, utrum quis ſit ſimpliciter fidejuſſor ſuccedaneus, an in ſpecie fidejuſſor indemnitatis. Qui enim ſe obligat pro fidejuſſore, in cujus locum ſuccedit, ſi is ſolvendo non ſit; non tenetur ultra id, in quod tenetur fidejuſſor principalis, cujus fidejuſſionem fide ſua ſuffulcit. Naturaliter nemo tenetur ultra id, in quod ſe obligare voluit, adeoque fidejuſſor non uno modo fidejubere poteſt, quemadmodum ex antecedentibus intelligitur. Quamobrem ſi vel maxime unus tantummodo ſit fidejuſſor, pro quo alius fidejubet; non tamen ideo ſtatim tenetur prorſus indemnem præſtare creditorem. Quodſi ergo fidejuſſorem ſuccedaneum appellare lubet, qui pro alio fidejuſſore fidejubet, quemadmodum nos dicimus ſignificatu vocabuli apud Autores probatos recepto; non omnis fidejuſſor ſuccedaneus eſt fidejuſſor indemnitatis, qui creditorem prorſus indemnem præſtet. Talis enim non eſt, niſi ea creditori promiſerit, quæ in definitione præſenti continentur. Neque quenquam offendere debet, quod fidejuſſorem indemnitatis ad ſuccedaneos referamus, ſicuti etiam feciſſe videtur *Lauterbachius* h. t. cum alii eundem fidejuſſori indemnitatis contradiſtinguant tanquam datum fidejuſſori a debitore, ut is, ſi ſolvere cogatur, contra hunc regreſſum habere poſſit, prouti annotat Treiſsleben in Notis ad *Lauterbachium* n. 5277. ita enim nobis deeſſet nomen commodum ejus, qui pro fidejuſſore fidejubet, ut, ubi is ſolvendo non fuerit, in ejus locum ſuccedat, adeoque ſub ea conditione, ut ſolvere non cogatur, niſi principalis ſolvendo non ſit. Nemo enim, qui ſine præjudicio rem expenderit, negare poteſt, ita pro fidejuſſore fidejuberi poſſe, quemadmodum antea de fidejuſſore ſuccedaneo ſumſimus & demonſtravimus.

§. 828.

An a fidejuſſore indemnitatis quid exigi poſſit, nondum excuſſis principalibus.

Quoniam fidejuſſor indemnitatis ſeſe creditori obligavit nonniſi in eum caſum, quo debitum ſuum vel omnino non, vel non in totum a creditore & fidejuſſoribus principalibus conſequi poteſt (§. 827.); ideo *ad aliquid ſolvendum a creditore compelli nequit, niſi debitore ac fidejuſſoribus principalibus excuſſis*.

Hinc & recte contendunt Juris civilis interpretes acutiores, fidejuſſorem indemnitatis beneficio excuſſionis renunciare non poſſe; cum natura fidejuſſionis hujus hoc minime ferat; quia

quia nemo contradictoria velle poteſt. Sane ſi renunciatione eſset ſtandum, tum non amplius foret fidejuſsor indemnitatis, ſed ſuccedaneus ſimpliciter, quem diximus, ſupponendumque foret ipſum pro fidejuſsore pure ſe obligaſse per modum correi. Talia autem admitti non poſsunt, quamdiu contrarium expreſse dictum fuit (§ 428 *part. 3. Jur. nat.*).

§. 829.

Si quis fidejubere debet pro fidejuſſore altero pure ſe obligat, quod id præſtare velit, ad quod præſtandum is obligatus eſt; non excuſſo principali fidejuſſore ad ſolvendum adigi poteſt. Etenim fidejuſſor principalis reſpectu ſuccedanei ſpectatur tanquam debitor principalis (§. 824.). Enimvero qui fidejuſſurus pure ſe obligat, quod id præſtare velit, ad quod præſtandum alius obligatus eſt, is non excuſſo principali debitore ad ſolvendum debitum adigi poteſt (§. 806.). Quamobrem fidejuſſor quoque ſuccedaneus non excuſſo principali fidejuſſore ad ſolvendum compelli poteſt, ſi pure ſe pro eodem obligaverit, quod id præſtare velit, ad quod præſtandum obligatus.

Quando fidejuſſor ſuccedaneus ſolvere teneatur, principali non excuſſo.

Patet adeo etiam hinc, quod pro alio fidejuſsore fidejubens non poſſit haberi pro fidejuſſore indemnitatis (§ 828.), ut adeo nobis ab eodem fuerit diſtinguendus (§. 822.). Ceterum quando dicimus nondum excuſso principali fidejuſsore vel debitore aliquem adigi poſse ad ſolvendum, eo ipſo intelligitur, ſi aliquoties interpellatus moras nectat, nec ſolvere velit, jure cogendi, quod in ſtatu naturali jus belli eſt (§. 687. *part. 2. Jur. natur.*), non utendum eſse contra ipſum, ſed eodem nos uti ſtatim poſse contra alterum pro ipſo nobis obligatum. Nimirum hoc in caſu liberum eſt creditori, utrum illo jure uti velit contra fidejuſsorem, vel debitorem principalem, an ſtatim uti malit contra eum, qui pro eodem obligatus eſt.

§. 830.

Fidejuſſorem indemnitatis fidejuſſoris appellare libet eum, qui ſe obligat fidejuſſori pro propria ipſi obligatione, ſcilicet promittendo, quod a ſe recuperare debeat, ſiquidem quod ſolvere coactus fuit, a debitore principali recuperare non poſſit. Quamobrem patet, *fidejuſſorem indemnitatis indemnem præſtare fidejuſſorem principalem.*

Fidejuſſor indemnitatis fidejuſſoris quinam ſit.

Ex. grat. Mævius Titio debet centum aureos. Tu pro eo fidejubes: ego promitto tibi, quod ſi cogaris Mævio quid ſolvere, nec id a Titio recuperare poſſis, te hoc a me recuperaturum. Ego tibi id reſtituere cogor. Te igitur indemnem præſto eodem modo, quo fidejuſsor indemnitatis creditorem indemnem præſtat (§ 827.) Nil igitur obſtat, quo minus ego tuus fidejuſsor indemnitatis dicar, quemadmodum dicendus forem Titii, ſi a Mævio & te nihil conſequi potuiſset, & ego ipſi in eum caſum fidejuſſiſsem. *Puffendorfius* fidejuſsorem indemnitatis ſimpliciter appellari ait, quem nos fidejuſsorem indemnitatis fidejuſsoris vocamus, lib. 5. c. 10. §. 11. de J. N. & G. Reprehendit eum *Hertius* in notis, quod fidejuſsorem indemnitatis confundat cum ſuccedaneo, qui in gratiam fidejuſſionis accipiatur (*not.* 827.). Enimvero cum nos fidejuſsorem ſuccedaneum in alio ſenſu acceperimus, ut nomen rectius conveniat rei ſuæ; inter fidejuſsorem indemnitatis fidejuſsoris & fidejuſsorem indemnitatis, qui datur creditori, hic diſtinguimus. Ita nimirum apte admodum nominibus ſuis diſtinguimus, quæ pro præſentis inſtituti ratione diſtinguenda erant. Ceterum ſi quis moroſior fuerit, quam ut dicendi libertatem nobis concedat, is fidejuſsorem ſuccedaneum per nos dicat, quem fidejuſsorem indemnitatis fidejuſsoris appellamus, quem vero nos vocamus fidejuſsorem ſuccedaneum, eundem vel fidejuſsorem fidejuſsoris, vel alio quocunque nomine, quod ipſi viſum fuerit, dicat.

§. 831.

Quoniam *fidejuſſor indemnitatis fidejuſſoris* ſe duntaxat fidejuſſori obligat (§. 830.), *creditori nullo modo obligatus eſt, nec obligari poteſt, ac inſcio creditore & debitore principali ſe obligare poteſt.*

Cuinam is obligetur.

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 830.), ego tibi reſtituere teneor centum aureos, ſi eos Titio ſolvere coactus fueris. Aſt ſi tu non fueris ſolvendo, ego Titio in nihil teneor, quippe cui nihil promiſi.

§. 832.

Finis hujus fidejuſſionis. Similiter quia fidejuſsor indemnitatis fidejuſsoris ſe tantummodo obligat fidejuſsori ad eum indemnem præſtandum (§. 830.); *ſi quis fidejuſſori fidejubet pro eo, quod ſolvere coactus recuperare nequit, fidejuſſio duntaxat fit in ſecuritatem fidejuſſoris.*

Qui fidejuſſori fidejubet, parum curat, utrum creditor ſecurus ſit, nec ne, ſed ſecuritati fidejuſſoris unice conſulit. Nihil ipſi negotii eſt, niſi cum fidejuſſore, cui fidem ſuam adſtringit, & cum debitore principali, vel quia ab eo rogatus pro fidejuſſore intercedit, vel quatenus obligatio fidejuſſoris, pro qua intercedit, venit ab obligatione debitoris principalis. Ipſe adeo obligatur nemini niſi fidejuſſori; aſt ipſi obligatur per fidejuſſorem debitor principalis, quatenus jus ſuum, quod contra eum habet (§. 796. 798.), eidem expreſſe cedere poteſt (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*), vel ipſo etiam jure cedere intelligitur, prouti ſupra in caſu ſimili oſtendimus;

§. 833.

Quando fidejuſſor accedens obligationi alterius fidejuſſoris fieri poſſit confidejuſſor. *Si plures fuerint confidejuſſores & uni detur fidejuſſor indemnitatis; hic ſpectari nequit tanquam confidejuſſor, ubi quod ab illo exigendum, is ſolvere nequit: habendus vero eſt pro confidejuſſore, qui datur ſuccedaneus.* Etenim fidejuſsor indemnitatis unice datur fidejuſsori (§. 832.), ut ſcilicet ab eo recuperare poſſit, ſi quod ſolvere coactus fuerit (§. 830.), nec quemadmodum confidejuſsores creditori obligatur (§. 831.). Quamobrem ſi fidejuſsor ſolvendo non fuerit, cui datus, nihil ab eo exigere poteſt creditor, cui tenentur confidejuſsores in debitum principale. Patet adeo, ſi plures fuerint confidejuſsores & is, cui fidejuſsor indemnitatis datus, ſolvendo non ſit, fidejuſsorem indemnitatis ſpectari non poſse tanquam confidejuſsorem. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi non fuerit fidejuſsor indemnitatis, ſed ſuccedaneus, cum hic promittat creditori ſe præſtiturum, quod fidejuſsor principalis præſtare debebat, niſi ipſe præſtiterit (§. 823.), ubi fidejuſsor principalis ſolvendo non fuerit, in ejus locum ſuccedit, adeoque ſpectatur tanquam confidejuſsor. *Quod erat alterum.*

Nimirum fidejuſſor ſuccedaneus ſe obligat creditori pro debito principali in eum caſum, ſi principalis fidejuſſor ſolvendo non fuerit; aſt fidejuſſor indemnitatis, qui fidejuſſori datur a debitore, aut quem ipſe accipit, vel illo inſcio, ſe obligat fidejuſſori pro eo, ad quod ſolvendum fuerit compulſus, in eum caſum, ſi ad quid ſolvendum fuerit coactus (§. 822. 830.). Diſpar adeo eſt utriuſque ratio. Neque eſt quod excipias, hoc pacto per fidejuſſorem indemnitatis fidejuſſoris minus proſpici ſecuritati creditoris, quam per fidejuſſorem ſuccedaneum: neque enim ille datur, vel accipitur in ſecuritatem creditoris, ſed fidejuſſoris (§. 832.), ut adeo reſpectu creditoris & quoad fidejuſſionem principalem perinde ſit, ac ſi hic fidejuſſor prorſus abeſſet.

§. 834.

An principalis fidejuſſore nondum excuſſo obligatus ſit fidejuſſor indemnitatis. *Fidejuſſor indemnitatis fidejuſſoris in nihil tenetur, niſi principali excuſſo, niſi aliter conventum fuerit.* Etenim non promiſit ei, niſi quod a ſe recuperare debeat, ſi quid ſolvere coactus fuerit, ac id a debitore principali recuperare non poſſit (§. 830.). Quamobrem cum nihil ſit, quod recuperare poſſit, quamdiu nondum excuſſus nihil ſolvit, ideo nec fidejuſsor indemnitatis fidejuſsoris in quicquam tenetur, niſi principali excuſſo. *Quod erat unum.*

Quodſi vero ita fuerit conventum, ut, quamprimum ad aliquid ſolvendum compellitur, fidejuſsor indemnitatis ejus loco ſtatim ſolvat; tum fidejuſsor principalis eum ad ſolvendum pro ſe ſtatim compellere poteſt, cum pacta ſint ſervanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

In

In caſu tamen poſteriori pactum iſtud minime obſtat, quo minus creditor fidejuſſorem principalem ad ſolutionem compellat: ejus enim reſpectu perinde eſt, ac ſi tale pactum non adeſſet. Quodſi dicas, fidejuſſorem indemnitatis ſe etiam obligare poſſe creditori, quod in locum fidejuſſoris principalis ſuccedere velit, ubi is ſolvere debet; non erit is amplius fidejuſſor indemnitatis fidejuſſoris, ſed fidejuſſor ſuccedaneus (§ 822.), aut utriuſque perſonam ſimul repræſentat, quatenus & indemnem præſtat fidejuſſorem principalem, quod eſt fidejuſſoris indemnitatis (§. 832.), & in ejus locum ſuccedit, quod eſt ſuccedanei (§. 823.).

§. 835.

Quando is liberetur per fidejuſſorem principalem.

Si fidejuſſor principalis nihil ſolvit, fidejuſſor indemnitatis liberatur. Etenim fidejuſſor indemnitatis fidejuſſori principali ſe non obligavit, niſi in eum caſum, quo is ſolvere coactus fuerit, quod vero ſolvit a debitore principali recuperare nequit (§. 836.). Quando igitur fidejuſſor principalis nihil ſolvit, certum eſt conditionem deficere, ſub qua promiſit fidejuſſor indemnitatis, conſequenter fidejuſſio pro non facta habenda, ſeu evaneſcit (§. 534. *p.* 3. *Jur. nat.*), adeoque fidejuſſor indemnitatis liberatur.

Patet nihil referre, quacunque de cauſa accidat, ut fidejuſſor principalis nil ſolvat. Perinde nimirum eſt, ſive is nihil ſolvat, quia debitor principalis ſolvit, ſive quod ſolvendo non ſit: id quod per anteriora ſatis manifeſtum eſt. Aſt ſuccedaneus, qui in locum principalis ſuccedit, quando is ſolvendo non eſt, non liberatur, quando principalis nil ſolvere potuerit, ſed potius eo ipſo gravatur. Atque adeo patet ratio ſufficiens, cur fidejuſſionem pro fidejuſſore creditori & fidejuſſionem ipſi fidejuſſori factam a ſe invicem diſtinguere debuerimus.

§. 836.

In quid teneatur is, qui pro facto alterius fidejubet.

Qui pro facto negativo fidejubet, teneatur in omne id, quod intereſt, principaliter obligatum feciſſe, quod non facere debebat; vel ſi pro poſitivo fidejubet, in id, quod intereſt, principaliter obligatum non feciſſe. Qui enim vult te fidejubere pro facto alterius, qui ad faciendum vel non faciendum ipſi obligatus eſt, vel obligandus, ejus intereſt, ut principaliter obligatus quid faciat, vel ne faciat, adeoque non alio fine te pro altero ſibi obligari vult, quam ut præſtes, id quod intereſt, principaliter obligatum feciſſe, quod facere non debebat, vel non feciſſe, quod facere debebat. Quando igitur fidejubes, ad hoc ipſum præſtandum te obligas (§ 782.). Quamobrem ſi principaliter obligatus fecit, quod facere non debebat, vel non fecit, quod facere debebat, teneris utique ad id quod intereſt in caſu primo factum fuiſſe, quod facere non debebat, in altero autem non fuiſſe factum, quod facere debebat.

Ex. grat. Tu mihi commendas famulum. Ego vereor, ne ſit malefidus. Tu pro fide ejus fidejubes. Quodſi is furto mihi res quaſdam abstulerit, quas ab eo recuperare non poſſum; dubium non eſt, quin tu earum æſtimationem mihi reſtituere tenearis. Similiter tu mihi commendas hominem, per quem pecunia ad aliquem deferatur. Ego diffido eum pecuniam fidei ſuæ commiſſam ad eum delaturum, ad quem deferre debet. Tu pro eo fidejubes. Dubio caret, quod pecuniam mihi reſtituere tenearis, ſi non detulerit, ſed aufugerit. Nimirum qui pro facto vel non facto alterius ſe obligat; is ſe obligat pro ea obligatione, quæ ex non facto, vel facto alterius enaſcitur, & quæ tendit ad aliquid reſtituendum, vel reparandum, prout ex circumſtantiis particularibus facile perſpicitur, quemadmodum exempla, quæ dedimus, aperte loquuntur.

§. 837.

Quando obligatio fidejuſſoris nulla.

Si obligatio principalis nulla eſt, obligatio quoque fidejuſſoris nulla eſt. Etenim ſi obligatio principalis nulla eſt, principalis debitor ad nihil præſtandum obligatur, quod per ſe patet. Quamobrem cum fidejuſſor ſe obliget, quod præſtare velit id, ad quod debitor principalis præſtandum obligatur, niſi is præſtiterit (§. 784.); nec ipſe ad id præſtandum obligatur. Quodſi ergo obligatio principalis nulla eſt, obligatio etiam fidejuſſoris nulla erit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Principalis obligatio & acceſſoria fidejuſsoris eadem eſt (§. 787.). Quodſi ergo principalis nulla eſt, acceſſoria quoque fidejuſſoris nulla eſſe debet.

§. 838.

Caſus particulares.

Quoniam obligatio fidejuſsoris nulla eſt, ſi principalis nulla fuerit (§. 837.), promiſſio vero rei, quæ in rerum natura exiſtere nequit (§. 634. *p.* 3. *Jur. nat.*), ſeu ejus, quod impoſſibile (§. 633. *part.* 3. *Jur. nat.*), aut quod vires tuas tranſcendit (§. 636. *part.* 3. *Jur. nat.*), vel ſub conditione impoſſibili (§. 484. *part.* 3. *Jur. nat.*), vel turpi facta nulla eſt (§. 495. *part.* 3. *Jur. nat.*); *obligatio quoque fidejuſſoris nulla eſt, ac non valet, ſi fidejubet pro impoſſibili, ſeu quod in rerum natura exiſtere nequit, aut vires principaliter obligandi excedit, vel quod ſub conditione impoſſibili aut turpi promiſſum.*

Validitas obligationis acceſsoriæ pendet a validitate principalis, ita ut nec valida eſse poſſit obligatio fidejuſsoris ſuccedanei, aut fidejuſsoris indemnitatis, qui fidejuſsori datur, niſi valeat principalis, undecunque tandem hæc oriri debere ſupponatur. Quamobrem ut conſtet, num valide fidejubeatur, inquirendum ante omnia eſt, num valide obligetur is, ad cujus obligationem obligatio fidejuſsoris accedere debet. Ex. g. Si promiſiſti Cajo decem aureos, ſi in Mævium verba injurioſa evomuerit, vel falſum rumorem de eo ſparſerit, & ego fidejuſſi; cum promiſſio tua non ſit valida, nec quicquam valet fidejuſſio mea.

§. 839.

An fidejuſſor aliud promittere poſſit, quam debet debitor.

Si fidejuſſor promittit ſe daturum aliud, niſi debitor principalis hoc dederit; naturaliter fidejuſſio valet. Fidejuſsor enim præſtare debet, ad quod præſtandum principalis debitor obligatur creditori (§. 784.). Quodſi adeo creditor conſentit, ut loco ejus ſibi præſtetur aliud, perinde eſt, ac ſi a debitore ſub certa conditione pro eo, quod debet, accipere voluiſset aliud, & pro hoc debito conditionali ſe obligaſset fidejuſsor. Quamobrem cum promiſsor obligetur ad id præſtandum, quod promiſit (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), & promiſsarius acceptatione ſua acquirat præciſe illud jus, quod in eum transferre voluit promiſſarius (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*), acceptatione autem obligatio promiſsoris valida efficitur (§. 365. *part.* 3. *Jur. nat.*); quin naturaliter valeat fidejuſſio, ſi fidejuſſor ſe daturum aliud promittit, niſi debitor principalis hoc dederit, dubitandum non eſt.

Ex. gr. Mævius mihi debet 3. thaleros: tu pro eo fidejubes hac lege, quod, niſi ſolverit, 4. modios frumenti mihi dare velis, quin valeat fidejuſſio dubitandum non eſt. Videntur enim Mævio mutuo dati quatuor modii frumenti, quorum pretium tunc eſt 3. thalerorum, & tu pro mutuo fidejubes. Equidem *Javolenus* l. 42. ff. de fidej. & mand. negat, fidejuſsorem obligari, ſi reus pecuniam, fidejuſsor aliam quantitatem promittat, quod pecunia merce æſtimari non poſſit, quemadmodum æſtimatio rerum, quæ mercis numero habentur, in pecunia numerata fieri poteſt, ſed hæc demum ratio valeret, ſi creditori invito pro pecunia aliqua quantitas obtruderetur; nulla vero ratio eſt, quando creditor in fidejuſſionem ita factam conſentit. Sane non repugnat, ut creditor, qui mutuo dat debitori 3. thaleros, ita conveniat, ut, niſi pecuniam reſtituere poſſit, ejus loco reſtituat frumentum, quamvis tunc contractus mutui mutetur in alium. Quamobrem cum ita conventum eſse conditionaliter recte ſumatur, ſi fidejuſsor pro pecunia aliam quantitatem promittit; debitor principalis & fidejuſsor hoc non obſtante creditori ad idem teneri dicuntur; quemadmodum vult fidejuſſio (§. 787.).

§. 840.

In quantum fidejuſſo obligari poſſit.

Fidejuſſor in plus obligari nequit, quam debitor principalis; obligari tamen poteſt in minus. Etenim fidejuſsor datur in ſecuritatem debiti (§. 783.), conſequenter in ſe ſuſcipit periculum creditoris, ne, ſi debitor principalis non ſit ſolvendo, jacturam ejus, quod ab eo conſequi debet, faciat, adeoque damnum

incurrat (§. 486. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum hic finis obtineatur, ſi fidejuſsor in idem obligetur, quod ſolvere debet debitor principalis; nulla ſane ratio eſt, cur in plus obligari debeat, conſequenter in plus obligari nequit. *Quod erat unum*.

Enimvero poteſt fidejuſsor fidejubere pro parte debiti principalis (§. 803.), poteſt fidejubere conditionaliter, vel in diem pro debito puro (§. 808.). Quamobrem patet, eum in minus obligari poſse. *Quod erat alterum*.

Ex. gr. Si Mævius debet centum aureos, fidejuſsor obligari nequit in ducentos vel centum & quinquaginta. Aliud enim eſt fidejubere, aliud donare, vel fidejubere & donare ſimul. In fidejuſſione in idem præciſe tenentur debitor principalis & fidejuſsor (§. 787.), niſi expreſse fuerit conventum, ut in minus obligetur fidejuſsor (§. 803. 898).

§. 841.

Quoniam fidejuſsor in plus obligari nequit, quam debitor principalis, poteſt tamen in minus (§. 840.), fidejuſsori autem ſuccedaneo fidejuſsor principalis loco debitoris eſt (§. 824.); *nec fidejuſſor ſuccedaneus in plus obligari poteſt, quam fidejuſſor principalis, in minus tamen obligari poteſt.* *In quantum fidejuſſor ſuccedaneus obligari poſſit.*

Ex. gr. Si fidejuſsor principalis ſe tantummodo obligavit pro parte debiti principalis, vel ſub conditione, aut in diem, ſuccedaneus quoque non obligari poteſt niſi pro eadem parte, vel ſub eadem conditione, aut in eundem diem: poteſt tamen obligari pro parte minore, vel ſi pura fuerit fidejuſſio, ſeu ſub nulla conditione, niſi quæ ipſi obligationi principali ineſt, nec in diem facta, ſub conditione, aut in diem, vel etiam præterea ſub conditione adhuc alia, aut in diem adhuc alium, quemadmodum abunde patet ex demonſtrationibus ſuperioribus (§. 803. 808). Nulla hic iniquitas eſt (§. 382. *part. 3. Jur natur.*), quemadmodum in caſu altero, ubi is, cujus commodo fit fidejuſſio, locupletior fieret cum damno alterius; id quod legi naturali repugnat (§. 585. *part. 2. Jur. natur.*). In duriorem itaque cauſam nullus fidejuſsor obligari poteſt, niſi manifeſta iniquitate; obligari autem poteſt in leviorem abſque ulla iniquitate, cum ſe in nihil obligare poſset.

§. 842.

Si fidejuſſor in plus promiſerit, quam debet principalis, naturaliter tenetur in eam quantitatem, quam principalis debet. Quoniam enim qui fidejubet, utique animum fidejubendi habet, fidejuſſio autem fit in ſecuritatem debiti (§. 783.); ideo fidejuſsor, qui in plus promittit, creditorem jubet eſse ſecurum debiti, eoque nomine ſe ipſi obligat. Quoniam vero creditor ſecurus debiti non eſt, niſi a fidejuſsore conſequi poſſit, quod debet principalis, ſi is ſolvendo non fuerit; ideo fidejuſsor, qui in plus promiſit, quam debet principalis, quamvis in plus non ſit obligatus (§. 840. 841.), tenetur tamen in eam quantitatem, quam principalis debet. *An in plus promittens teneatur in quantitatem debiti principalis.*

Civile adeo foret, ſi fidejuſſio in plus facta, quam debet principalis, prorſus invalida eſſe deberet: quod in pœnam creditoris, qui ex re aliena locupletari vult contra æquitatem naturalem, lege civili ſtatui poſſe non inficior. Sed noſtrum jam non eſt diſcutere diſſenſum interpretum Juris civilis, utpote non ex ſolis principiis Juris naturalis, verum etiam Romani dijudicandum.

§. 843.

Fidejuſſor ante terminum ſolutionis ad ſolvendum compelli nequit, etſi notorium ſit, principalem non eſſe ſolvendo. Etenim fidejuſsor in plus obligari nequit, quam principalis debitor debebat (§. 840.). Quamobrem ſi debitor principalis ſolvere debet certo die, nec fidejuſsor ſolvere tenetur niſi eo die; ſi certum ſit, principalem ſolvere non poſse (§. 782.), conſequenter opus non ſit, ut in ejus facultates ante inquiratur, adeoque is ante excutiatur (§. 804.), quam ad ſolvendum adigi poſſit fidejuſsor (§. 805.). Etſi adeo notorium ſit principalem ſol- *An fidejuſſor ante terminum ſolutionis compelli poſſit ad ſolvendum.*

ſolvendo non eſse, hoc tamen non obſtante fidejuſsor ante terminum ſolutionis ad ſolvendum compelli nequit.

Plus omnino eſt ſtatim dare, quam poſt tempus dare, quemadmodum etiam monet Imperator § 5. Inſtit. de fidej. Durior adeo utique foret fidejuſſoris cauſa, ſi is ante terminum ſolutionis ſolvere teneretur, quod ante eum ſolvere non tenebatur principalis, pro quo ſolvere tenetur.

§. 844.

An fidejuſſor ſub pœna ſe obligare poſſit.

Fidejuſſor ſub pœna ſe obligare poteſt, niſi ſteterit fidejuſſione. Fidejuſſio enim promiſſio eſt (§. 786.). Enimvero ſi promittis te mihi facturum & promiſſioni pœnam adjicis; ubi non feceris, quod pœnæ nomine promiſiſti, dare debes (§ 611. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque promiſſio ſub pœna facta valet & pœnale promiſsum non illicitum eſt. Quamobrem fidejuſſioni quoque pœna adjici poteſt, adeoque fidejuſsor ſub pœna ſe obligare poteſt, ſi non ſteterit fidejuſſione.

Facile apparet pœnam fidejuſſioni non alio fine adjici, quam ut firmius tibi obliges fidejuſſorem, conſequenter aut majorem eſſe debere debito, pro quo ſe obligat fidejuſſor, aut eidem tanquam debitum ab eo diſtinctum accedere. Non tamen hinc inferri poteſt, fidejuſſorem in plus obligari, quam debitorem principalem, quod fieri non poſſe modo oſtendimus (§. 840.). Etenim qui ſub pœna ſe obligat, non promittit ſe plus ſoluturum, quam ſolvere debet principalis, ſed promittit, ſe hoc daturum, vel facturum, niſi ſteterit promiſſo, quo ſe pro altero obligavit (§ 606. *part.* 3. *Jur. nat.*). Pœnam adjici poſſe fidejuſſioni, ut efficacius obligetur fidejuſſor agnoſcit *Struvius* Exercit. 48. th. 41. una cum aliis Juris civilis interpretibus. Nec id a Jure Romano alienum videri poteſt, quippe in quo fidejuſſoribus inficiantibus adimitur beneficium diviſionis l. 10. §. 1. de fid. & mand. utique in pœnam.

§. 845.

De fidejuſſione juratoria.

Juramentum nil immutat in obligatione fidejuſſoris, nec fidejuſſionem invalidam validam efficit. Etenim juramentum non novam producit obligationem ei aliquid præſtandi, cui juratur (§. 903. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem nec quicquam immutare poteſt in obligatione fidejuſsoris. *Quod erat unum.*

Porro juramentum promiſſionem, quæ per ſe valida non eſt, validam efficere nequit (§. 905. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum fidejuſſio ſit promiſſio (§. 786.); nec juramentum fidejuſſionem invalidam validam efficere poteſt. *Quod erat alterum.*

Quodſi ergo quæras, num adeo juramentum nulla utilitate accedat fidejuſſioni, adeoque tanquam temerarium pro illicito ſit habendum (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*); ea repetenda ſunt, quæ de juramento promiſſioni ſuperaccedente (§. 907. 908. *part.* 3. *Jur. natur.*) & quando id licitum ſit alibi demonſtravimus (§ 916. *part.* 3. *Jur. natur.*). Jurans fidem ſuam adſtringit ei, cui jurato promittit, de eo quod præſtandum (§. 934. *p.* 3. *Jur. nat.*): quod cum etiam faciat promiſſor (§. 760. *part.* 3. *Jur. nat*), adeoque & fidejuſſor (§. 786.), fidejuſſor jurans efficacius ſe obligat creditori (§. 758. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 846.

An fidejuſſor jurans in plus obligari poſſit.

Quoniam juramentum obligationem invalidam validam efficere nequit (§. 845.), non valet autem *in plus facta fidejuſſio* (§. 840.), *nec ea valet, licet juramento confirmetur.*

Dubium, quod moveri poterat ab aliis, qui aliter ſtatuunt, jam alibi ſuſtulimus (*not.* §. 905. *part* 3. *Jur nat.*). Poſſunt etiam adeſſe rationes, cur lege poſitiva juramento major vis tribuatur, quam per ſe habet, quemadmodum Jure Canonico eidem tribui conſtat, veluti ut ſanctius habeatur juramentum & major ſit Numinis reverentia.

§. 847.

§. 847.

Quomodo fidejuſſio perficiatur.

Naturaliter fidejuſſio ſolo creditoris & fidejuſſoris conſenſu perficitur. Etenim fidejuſſor promittit creditori, ſe præſtiturum, quod principalis debitor debet, niſi is præſtiterit (§. 786.). Quamobrem cum acceptando creditor ſibi ad id obliget fidejuſſorem (§. 381. *part. 3. Jur. nat.*), acceptatione autem declaret creditor ſe idem velle, quod ſe velle dicit fidejuſſor (§. 2. *part. 3. Jur. nat.*); fidejuſſio naturaliter ſolo creditoris & fidejuſſoris conſenſu perficitur (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 848.

An abſens per epiſtolam fidejubere poſſit.

Quoniam fidejuſſio naturaliter ſolo creditoris & fidejuſſoris conſenſu perficitur (§. 847.), adeoque ſufficit, ut fidejuſſor voluntatem ſuam creditori quomodocunque indicet (§. 648. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *fidejuſſio per epiſtolam facta ab abſente naturaliter valida*.

Ex. grat. Titius in Academiam proficiſcitur. Ego per epiſtolam ad te ſcriptam fidejubeo pro honorario, quod pro informatione privatiſſima tibi debebitur. Valet utique fidejuſſio. Similiter tu mutuo das Mævio centum thaleros. Ego fidejubeo abſens per epiſtolam. Valet fidejuſſio.

§. 849.

An per mandatarium.

Quia etiam per alium alteri ſignificare poſſumus voluntatem noſtram, ſi hoc ipſi mandemus (§. 640.), eodem modo patet, *per mandatarium* quoque *naturaliter fidejuberi poſſe*.

Ex. gr. Si tibi mando, ut pro debito centum aureorum, quos mutuo dat Titius Mævio, meo nomine fidejubeas: dubium non eſt, quin valida ſit fidejuſſio, cum utique perinde ſit, ac ſi ego ipſe fidejuſſiſſem (§. 662.).

§. 850.

De diviſione obligationis inter principalem & ſuccedaneum.

Obligatio inter fidejuſſorem principalem & ejus ſuccedaneum non dividitur: quodſi vero quis fidejuſſerit conjunctim cum alio & confidejuſſori datus ſuccedaneus, inter illum & ſuccedaneum confidejuſſoris obligatio dividitur. Fidejuſſor enim ſuccedaneus promittit creditori ſe præſtiturum, quod fidejuſſor principalis præſtare debebat, niſi præſtiterit (§. 823.), adeoque ad idem ſe obligat, ad quod principalis obligatus. Hujus adeo obligatio inter ipſum & ſuccedaneum dividi nequit. *Quod erat unum*.

Quodſi duo conjunctim promittant, obligatio inter eos dividitur (§. 815.). Quamobrem ſi uni eorum datus fuerit ſuccedaneus, cum hic ſuccedat in locum ſui principalis, quando is ſolvendo non eſt (§ 823.), inter principalem alterum & ſuccedaneum confidejuſſoris dividitur obligatio. *Quod erat alterum*.

Ex. grat. Si Mævius mihi debet 100 aureos, pro quibus conjunctim fidejuſſerunt Cajus & Sejus, & tu fidejuſſiſti pro Sejo. Cajus & Sejus dividunt obligationem, qua ambo ſimul mihi tenentur, ita ut quilibet ſolvat 50, ſi Mævius ſolvendo non fuerit. Quodſi Sejus ſolvendo non fuerit, tu obligationem quemadmodum Sejus dividis cum Cajo, ita ut & ipſe non ſolvas niſi 50. ſed non potes dividere cum Sejo, ſi ſolus fidejuſſerit, cum tu & Sejus non conjunctim fidejuſſeritis pro eodem debito principali, ſed tu pro Seji obligatione te obligaveris.

§. 851.

Quo animo fidejuſſio fieri debeat. *Fidejuſſio fieri debet animo maxime deliberato.* Etenim ſi debitor principalis ſolvendo non ſit, fidejuſsor ſolvere tenetur (§. 794.), adeoque maximo periculo exponit patrimonium ſuum. Quamobrem cum quilibet operam dare debeat, ut ſibi caveat, ne patrimonio ſuo damnum aliquod inferat, aut, ſi mavis, ſibi quoad patrimonium (§. 494. *part. 2. Jur. nat.*); antequam fidejubeat, probe perpendere debet, num ſatis tuta ſit fidejuſſio & quantum damnum accidere poſſit patrimonio ſuo. Quoniam itaque animus deliberatus eſt, quando omnia ante probe expenduntur, quæ expendenda ſunt, quam decernatur (§. 387. *part. 3. Jur. nat.*); fidejuſſio fieri debet animo maxime deliberato.

Fidejuſſio facilis; ſed eam adimplere difficile. Ne igitur incautus damnum incurras, quod ſponte ſubire alterius gratia nolles, immo non debes, ſalvis erga ſeipſum & alios officiis, officium, quod hic urgetur, non erat prætermittendum. In ſe haud raro ac ſuos peccant, qui ad fidejubendum nimis faciles ſunt.

§. 852.

Intelligentia actus fidejubendi in fidejuſſore requiſita. Quoniam fidejuſſio fieri debet animo maxime deliberato (§. 851.), animo autem deliberato non fit, niſi quod quis ante probe expenderit, num potius ſibi faciendum, quam non faciendum, & quomodo facere velit, antequam faciat (§. 387. *part. 3. Jur. nat.*); *fidejuſſurus intelligere debet, quid ſibi velit fidejuſſio, & ad quid ſe obliget*, conſequenter cum etiam creditor teneatur damnum omne a fidejuſsuro avertere (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*), *ſi quis fuerit ſimplicior, quam ut ipſe omnia expendere poſſit, quæ fidejuſſuro expendenda ſunt, vel nimis incautus, ut promittat, antequam expenderit, quæ promiſſori expendenda ſunt* (§. 394. *part. 3. Jur. nat.*), *ipſe creditor de fidejuſſione fidejuſſorem informare debet.*

Equidem iure externo promiſſario de eo ſtatuendum non eſt, num promiſſor omnia probe expenderit, quæ ipſi expendenda ſunt, antequam promittat (§. 422. *part. 3 Jur. nat.*), conſequenter nec creditori de eo, num fidejuſſor expenderit omnia, quæ ipſi expendenda ſunt, antequam fidejubeat; ſed cum hoc ius tantummodo tueatur validitatem actus, ne irritus dici poſſit, minime autem eundem efficiat intrinſece bonum, ideo nec tollit creditoris officium de informando fidejuſſore, quod ad ſalvandam conſcientiam requiritur.

§. 853.

Quibus verbis fidejuſſio fieri debeat. *Fidejuſsor verbis perſpicuis accurate declarare debet, quomodo ſe obligare velit creditori pro altero ipſi obligato, vel obligando.* Creditor enim a fidejuſsore acceptando fidejuſſionem non plus juris acquirere poteſt, quam is in ipſum transferre vult, nec eum ultra voluntatem ſuam ſibi obligare valet (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum fidejuſsor promiſsor ſit (§. 786.), quod vero promiſsor ſufficienter indicat, id contra ipſum pro vero habeatur (§. 428. *part. 3. Jur. nat.*); fidejuſsor utique verbis perſpicuis accurate declarare debet, quomodo ſe creditori pro altero ipſi obligato vel obligando obligare velit.

Quodſi hoc ſemper fieret, nulla foret de obligatione fidejuſſoris controverſia, nec quiſquam fidejubendo maius periculum incurreret, quam ſubire voluiſſet: id quod tanto facilius accidit, quando verborum ſignificatus non eſt ſatis fixus ac determinatus, ut adeo fidejuſſor non ſatis intelligat, quid promittat, quemadmodum intelligere debebat (§ 852.).

§. 854.

De fidejuſſione in ſcripturam redigenda. Quoniam *fidejuſſio* fieri debet verbis perſpicuis & ad mentem fidejuſsoris indicandam ſufficientibus (§. 853.); *in ſcripturam redigenda eſt.*

Cla-

Clarius idem oſtenditur hoc modo. Fidejuſſio actus eſt, qui in futurum prominet (§. 782.) & de fidejuſſoris obligatione ſtatuendum ex verbis, quibus animum ſuum declaravit (§. 428. *part.* 3. *Jur. natur.*). Ut igitur certo conſtet, qualia fuerint fidejubentis verba, fidejuſſio in ſcripturam redigenda.

Verba, quibus utitur fidejuſſor, facile oblivioni dantur, præſertim cum vulgo non ſemper idem dicatur iiſdem verbis, & lubentius plerumque homines fidejubeant, quam ſolvant, ſi debitor principalis ſolvendo non ſit, vel ſolvere nolit. Multæ adeo oriuntur lites, quæ præciduntur, verbis fidejuſſoris in ſcripturam relatis.

§. 855.

An validitas fidejuſſionis pendeat a ſcriptura.

Fidejuſſio ſine ſcriptura valida & antequam in ſcripturam referatur, niſi aliter conventum fuerit, ne ſcilicet ante valeat, quam in ſcripturam fuerit relata. Etenim fidejuſſio ſolo creditoris & fidejuſſoris conſenſu perficitur (§. 843.). Quamobrem cum de conſenſu ſatis conſtet, ſi voluntas verbis ſignificetur, vel aliunde colligatur (§. 660. 662. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ut valida ſit fidejuſſio, non opus eſt, ut ea in ſcripturam redigatur, adeoque etiam valida, antequam in ſcripturam redigatur. *Quod erat unum.*

Quodſi vero expreſſe fuerit conventum, ne ſcilicet ante valeat, quam in ſcripturam fuerit relata, cum ſtandum ſit pactis (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec ea valebit, antequam in ſcripturam relata fuerit. *Quod erat alterum.*

Quodſi conveniatur, fidejuſſionem non ante validam eſſe debere, quam in ſcripturam fuerit relata, fidejuſſurus ſibi reſervat jus mutandi voluntatem, donec fidejuſſio in ſcripturam referri debeat, quippe quæ voluntatis mutatio quemadmodum permittenda (§. 377. *part.* 3. *Jur. nat.*), ita etiam permiſſa intelligitur, alias enim conventio foret inutilis.

§. 856.

De terminis artis in fidejuſſione adhibitis.

Si fidejuſſio, quando in ſcripturam redigitur, terminis artis concipitur; eos intelligere debet fidejuſſor, adeoque ſi non intelligat, eorum ſignificatus ipſi ſufficienter explicandus. Etenim fidejuſſor intelligere debet, quid ſibi velit fidejuſſio, & ad quid ſe obliget (§. 852.). Quamobrem ſi ea terminis artis concipitur, quando in ſcripturam redigitur, eos intelligere debet fidejuſſor, adeoque ſi non intelligat, eorum ſignificatus ipſi ſufficienter explicandus.

In ſtatu naturali, quoniam privata autoritate fidejuſſio in ſcripturam refertur, præſtat utique ipſa fidejubentis verba, quibus mentem ſuam explicat, in ſcripturam referre, quam terminos artis iiſdem ſubſtituere, cum ſic facilius præcaveatur dolus & culpa, ne in plus obligetur fidejuſſor, quam obligari voluit. Quid conveniat ſtatui civili, de eo dicere non eſt hujus loci.

§. 857.

An fidejuſſio ad certum tempus adſtringi poſſit.

Si fidejuſſor expreſſe convenit, quod ultra tempus fidejuſſioni adjectum obligatus eſſe nolit, & creditor, ſeu is, cui fidejuſſum, debitorem principalem, vel fidejuſſorem tempeſtive non interpellavit; fidejuſſio evaneſcit. Etenim fidejuſſor creditori, ſeu ei, cui fidejubet, ultra voluntatem ſuam obligari nequit (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem dubium non eſt ita conveniri poſſe, ne ultra tempus fidejuſſioni adjectum obligatus ſit fidejuſſor. Et quoniam ſervanda ſunt pacta (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec ultra illud tempus, quod fidejuſſioni ex conventione adjectum, obligatur fidejuſſor. Quodſi ergo eo tempore, quo adhuc valida erat fidejuſſoris obligatio, debitorem principalem, vel fidejuſſorem non interpellavit, cui competit jus debitorem principalem adigendi, ut ſolvat creditori (§. 801.), adeoque jure ſuo non uſus fuit; expirante obligatione fidejuſſoris ipſa utique fidejuſſio evaneſcit.

Nimirum ſi juſto tempore, quo adhuc viget obligatio fidejuſſoris, debitorem principalem, vel fidejuſſorem interpellat, interpellatus vero in mora eſt, ne ſolvat, mora creditori imputari nequit. Si vero non interpellet juſto tempore, cum norit fidejuſſorem ultra iſtud tempus ſibi non eſſe obligatum, fidejuſſionem non curare, ſed abſque ea creditori fidere intelligitur. Civile vero eſt, quod non ipſo jure in hoc caſu extinguatur obligatio, ſed fidejuſsori detur exceptio pacti. In hypotheſi nimirum propoſitionis præſentis promiſſio fidejuſsoris facta ſub hac conditione, ut tempeſtive interpelletur debitor principalis, vel ipſe fidejuſsor: interpellatione igitur tempeſtiva omiſsa deficit conditio, adeoque evaneſcit fidejuſſio (§. 534 *part. 3. Jur. nat.*). Ex. gr. Titius tibi debet 180. thaleros nundinis futuris ſolvendos. Ego fidejubeo, ſed cum expreſso pacto, quod ultra nundinas iſtas tibi obligatus eſse nolim. Quodſi ergo nundinas iſtas præterlabi pateris, neque me, neque debitorem intra eas interpellaveris, de debito exigendo parum ſollicitus, ego tibi non amplius obligatus ſum tanquam fidejuſsor. Quodſi vero interpellaveris, durantibus tamen nundinis nec a debitore principali, nec a me debitum conſequi potueris; quin finitis nundinis tibi adhuc ſim obligatus dubitandi ratio nulla eſt.

§. 858.

De conſenſu ejus in termini dilationem, qui ultra tempus certum obligari noluit.

Si fidejuſsor expreſse convenit, quod ultra tempus fidejuſsori adjectum obligatus eſse nolit, poſtea tamen in dilationem termini uſque ad certum tempus conſentit; ad hoc uſque tempus fidejuſſio valet, niſi expreſse velit fidejuſſioni poſthac nullum tempus adjectum eſse debere. Etenim ſi fidejuſsor expreſse convenit, quod ultra tempus fidejuſſioni adjectum obligatus eſse nolit; nec ultra id obligatur (§. 857.). Quodſi tamen poſthac in dilationem termini uſque ad certum tempus conſentit, inter creditorem & fidejuſsorem omnino convenit, quod fidejuſſio ultra terminum, qui ipſi præfixus fuerat, ad hoc tempus continuari debeat, adeoque fidejuſſio renovatur (§. 816. *part. 3. Jur. nat.*). Enimvero ſi pactum renovatur, quoad præſtationes in eo nihil immutatur (§. 817. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum fidejuſsor antea non tenebatur ultra tempus fidejuſſioni adjectum; nec ultra terminum dilationis obligatur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum a fidejubentis unice voluntate pendeat, utrum ultra certum tempus obligatus eſse nolit, an velit (§. 386. *part. 3. Jur. nat.* & §. 786. *h.*); ſi fidejuſsor poſthac nullum tempus fidejuſſioni adjici velit, ultra quod creditori obligatus eſse nolit, quin hoc facere poſſit nemo dubitabit. Quoniam tamen contra fidejuſsorem pro vero haberi nequit, niſi quod is ſufficienter indicat (§. 428. *part. 3. Jur. nat.*), ideo neceſse eſt, ut, ſi poſthac fidejuſſioni tempus, ultra quod obligatus eſse non debeat, adjici nolit, id expreſse ſignificet. Quamobrem per dilationem termini ſolutionis conſenſu fidejuſsoris factam fidejuſſionem ad iſtud tempus, in quod ſolutio differtur, reſtrictam non eſse non intelligitur, niſi expreſſe dixerit fidejuſsor ſe hoc nolle. *Quod erat alterum.*

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 857.), ſi tibi Titius non ſolvit 100. thaleros in nundinis & ego conſentio, ut ei moram in dulgeas uſque ad nundinas proximas, ego fidejuſſionem renovo, adeoque non ultra iſtas nundinas me tibi obligatum eſse velle intelligor, ſed ſaltem uſque ad eas. Enimvero ſi expreſse dico, me in dilationem termini ſolutionis conſentire, ac velle poſthac tibi eſse obligatum ſimpliciter, ſi ſolvendo non ſit, quemadmodum ordinarie fidejubetur (§. 782.), etiam ultra nundinas tibi obligatus maneo, etſi in nundinis nec me, nec debitorem principalem interpellaveris, modo ſine conſenſu meo terminum ſolutionis non ulterius proroges (§. 820.).

§. 859.

De fidejuſſione errantis.

Si error det cauſam fidejuſſioni, valida non eſt: ſi det cauſam pro parte, pro parte reliqua valet. Fidejuſſio promiſſio eſt (§. 786.). Enimvero ſi error det cauſam promiſſioni, promiſſio valida non eſt (§. 569. *part. 3. Jur. nat.*), & ſi det cauſam promiſſioni pro parte, valebit pro parte reliqua (§. 572 *p. 3. Jur. nat.*). Ergo etiam fidejuſſio valida non eſt, ſi error eidem cauſam det, quodſi vero cauſam tantummodo dederit pro parte, valebit ea pro parte reliqua.

E. gr.

Ex. gr. Tu me rogas, ut pro Titio debitore tuo, amico meo fidejubeam, propterea quod falſis literis mihi perſuades, agnatum meum mortuum eſse, qui me hæredem inſtituit. Ego fidem tibi habens fidejubeo. Fidejuſſio nulla eſt, propterea quod error cauſam dederit promiſſioni (§ 504. *part. 3. Jur. nat.*). Enimvero ſi fidejubere voluerim in 50. tu vero me doloſe eodem errore inducis, ut fidejubeam in centum. Fidejuſſio non valet niſi in 50.

§. 860.

Si vi vel metu me adigis ad fidejubendum pro debitore tuo, fidejuſſio non valet. Etenim promiſſio vi vel metu extorta (§. 786.). Quoniam itaque promiſſio vi vel metu extorta invalida eſt (§. 576. *part. 3. Jur. nat.*); fidejuſſio quoque vi vel metu a creditore extorta invalida eſt. *De fidejuſſione vi vel metu extorta.*

Plura de fidejuſſione errantis, vel vi ac metu extorta non addimus, cum facile intelligantur ex iis, quæ in parte tertia de promiſſione errantis ac vi vel metu extorta demonſtravimus.

§. 861.

Mandatum, ut alteri credatur, naturaliter æquipollet fidejuſſioni. Etenim qui mandat, ut alteri credatur, aliena cauſa mandat, adeoque mandati tenetur (§. 720.). Quamobrem cum mandator mandatario damnum reſarcire debeat, quod occaſione mandati incurrit (§. 682.); mandans ut alteri credatur omne quoque damnum creditori reſarcire tenetur, quod is incurrit, quia credidit. Quamobrem ſi a debitore principali conſequi nequit, quod ſolvere debet; idem ſolvere tenetur mandator. Patet itaque mandantem ut alteri credatur, ita obligari pro debitore principali, ut ipſe ſolvat, quod principalis ſolvere debebat, niſi is ſolvendo fuerit. Eadem vero eſt obligatio fidejuſſoris (§. 782.). Ergo mandatum ut alteri credatur naturaliter æquipollet fidejuſſioni. *De mandato ut alteri credatur.*

Quoniam qui commendat, vel rogat, non mandat (§. 648.); fieri ſubinde poteſt, ut mandatum a commendatione, vel rogatione ægre diſtinguatur. Immo fieri poteſt, ut quis animo commendandi vel rogandi utatur verbis, quibus mandare videtur, etſi nihil minus intendat, quam ut periculo ſuo credatur. Conſultius itaque, quem putas tibi mandare, ut credatur, eum fidejubere jubeas: immo hoc convenit æquitati (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 862.

Quoniam perinde eſt, ſive mandes ut alteri credatur, ſive ut terminus ſolutionis prorogetur, cum termino prorogato quaſi de novo credatur, mandatum vero, ut alteri credatur, naturaliter fidejuſſioni æquipollet (§. 861.); *mandatum, ut terminus ſolutionis prorogetur, etiam fidejuſſioni naturaliter æquipollet.* *De mandata dilatione ſolutionis.*

Differentia tamen hic intercedere videtur, utrum mandator velit terminum ſolutionis ſuo tantum periculo differri; ita ut non teneatur niſi in damnum, quod ex dilatione termini emergit; an vero velit debitum principale poſthac eſſe periculo ſuo, quaſi ab initio mandaſſet, ut alteri crederes. Utroque enim modo mandari poſſe, dubium non eſt. Quoniam tamen mandator ſupponere videtur, eo tempore quo prorogationem termini mandat, debitorem ſolvendo eſſe, in caſu dubio, adeoque ſi non expreſſe dixerit, ſe non teneri velle niſi in damnum, quod ex dilatione termini emergit, voluiſſe præſumitur, ut debitum principale poſthac periculo ſuo ſit, conſequenter perinde ſit, ac ſi mandaſſet ut crederetur, præſertim cum etiam creditor vix conſenſurus præſumatur, niſi mandatum ita accipi deberet.

§. 863.

An promiſſio ſolutionis a reo facienda.

Qui promittit, debitorem principalem ſoluturum, non fidejubet; nihil tamen omittere debet, quod ad id facere poteſt, ut ſolvat. Qui enim promittit, debitorem principalem ſoluturum, is non promittit, ſe ſolvere velle, niſi is ſit ſolvendo, id quod per ſe patet. Quamobrem cum fidejuſſor promittat creditori, ſe ſoluturum, niſi principalis debitor ſolvendo fuerit (§. 786.); qui promittit debitorem principalem ſoluturum, non fidejubet. *Quod erat unum.*

Porro qui promittit debitorem principalem ſoluturum, factum alienum promittit: quod denuo per ſe patet. Enimvero qui factum promittit alienum, nihil omittere debet, quod ad idem obtinendum facere poteſt (§. 602. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam qui promittit, debitorem principalem ſoluturum, nihil omittere debet, quod ad id facere poteſt, ut ſolvat. *Quod erat alterum.*

Facile apparet, hac promiſſione nullum jus acquirere creditorem contra promiſsorem agendi, cum is pro debito principali nulla ex parte ſe obligaverit, nec ullo modo in ſubſidium teneri velit. Obligatio interponendi officia ſua, ut debitor principalis ſolvat, naturalis eſt, cui ut ſatisfaciat, ne quidem compellere poteſt promiſsorem: immo inutiliter hoc fieret, cum debitorem principalem ad ſolvendum compellere poſſit, a quo ſi nihil conſequatur, nihil ſperare poteſt a promiſsore.

§. 864.

Idem ulterius expenditur.

Qui promittit ſeſe effecturum, ut debitor principalis ſolvat, & creditorem ſecurum eſſe jubet, quod ſit ſoluturus; non fidejubet: tanto magis autem obligatur, ut nihil eorum omittat, quod ad id facere poſſit, ut ſolvat. Patet nimirum ut ante, quod non fidejubeat. *Quod erat primum.*

Et quoniam qui expreſſe promittit ſeſe effecturum, ut alter det, vel faciat, & promiſſarium certum eſſe jubet, quod ſit daturus, vel facturus, tanto magis obligatur, ne quid eorum omittat, quod ad obtinendum factum tertii facere poteſt (§. 603. *part.* 3. *Jur. nat.*); eodem etiam quo ante modo patet, quod in hypotheſi propoſitionis præſentis, qui promittit tanto magis obligetur, ut nihil eorum omittat, quod ad id facere poſſit, ut debitor ſolvat. *Quod erat ſecundum.*

Si promiſſiones iſtiuſmodi præcedant obligationem contrahendam, ad commendationem (§. 643.), aut conſilium pertinent (§. 983. *p.* 1. *Theol. nat.*), prouti reliqua promittentis verba & circumſtantiæ alterutrum loquuntur. Si promiſſio talis accedat ad obligationem jam contractam, operas in ſolutione procuranda adhibendas pollicemur, præſertim ſi adſint rationes, cur non inutiliter in hoc negotio officium noſtrum interponamus, nec creditori officium noſtrum aliter prodeſt, quam ne compellere teneatur debitorem ad ſolutionem, quod ipſi moleſtum videtur. In neutro caſu nos obligamus pro obligatione debitoris ullo modo. Quoniam tamen haud raro accidit, ut, ſi creditor debitum conſequi non poſſit, verba promittentis ita interpretetur, quaſi fidejuſſiſset; ideo cauti quoque eſse debemus in ſolutione aliena promittenda, præſertim quando verba in ſcripturam minime fuerint relata, ne litibus ideo anſam præbeamus.

§. 865.

Expromiſſor quinam ſit.

Expromiſſor dicitur, qui alterius obligationem in ſe transfert, ſeu pro altero obligato aut obligando ita ſe obligat, ut ipſe ſuo nomine tanquam debitor principalis præſtet, ad quod præſtandum alter erat obligatus, vel obligandus. Hinc ſimul patet, quid ſit *expromittere* & quid *expromiſſio*. Non confundendus is eſt cum *Adpromiſſore*, qui idem eſt cum Fidejuſſore: fidejuſſor enim adpromittit, quatenus ejus promiſſio accedit ad promiſſionem debitoris principalis ſubſiſtentem; aſt expromiſſor promiſſione ſua extinguit promiſſionem debitoris.

E. gr

E. gr. Tu Titio debes 100. thaleros. Ego ei promitto, quod hos 100. thaleros meo nomine ſolvere velim, ac ſi eidem a me deberentur. Ego expromiſſor ſum. Similiter tu rogas Titium, ut tibi credat 100. thaleros. Ego promitto; quod hos 100 thaleros meo nomine ſolvere velim, ac ſi eos mihi credidiſſet. Titius tibi dat 100. thaleros: ego expromiſſor ſum.

§. 866.

Promiſſio expromiſſoris.

Quoniam expromiſſor ſe ita obligat pro altero obligato vel obligando, quod ipſe proprio nomine præſtare velit, ad quod præſtandum alter erat obligatus, vel obligandus (§. 865.), nemo autem ſe alteri obligare poteſt, niſi promittendo (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*); *expromiſſor promittit creditori, quod ſuo nomine præſtare velit, ad quod præſtandum alter erat obligatus, vel obligandus, non ſecus ac ſi ipſe ad id præſtandum principaliter eſſet obligatus.*

Expromiſſor itaque non accedit ad obligationem principalem, quemadmodum adpromiſſor, ſeu fidejuſſor, ſed eam ſuam facit, adeoque non in ſubſidium tenetur, quemadmodum fidejuſſor, ſed principaliter.

§. 867.

An debitor principalis maneat obligatus.

Quoniam *expromiſſor* obligationem alterius in ſe transfert (§. 865.); ipſe *perſonam debitoris principalis induit, nec debitor principalis amplius manet creditori obligatus.*

In hoc differt expromiſſio ab adpromiſſione, ſeu fidejuſſione, quod in hac obligatio principalis ſubſiſtat (§. 758.), in illa vero ex debitore in expromiſſorem transeat. Ita in exemplo, quod paulo ante dedimus (*not.* §. 865.), obligatio tua in me expromiſſorem tranſit, ut debitor non tu ſis Titii, ſed ego, etſi tu, non ego acceperim pecuniam. Titius me tanquam debitorem principalem ſibi obligatum habet, non te.

§. 868.

An detur regreſſus ad debitorem principalem creditori.

Quia *expromiſſor* obligationem debitoris principalis ſuam facit, ut is creditori non ſit obligatus (§. 867.); *ſi is ſolvendo non fuerit, creditori non datur regreſſus ad debitorem principalem; quamvis hic ſolvendo eſſet.*

Nimirum qui nihil tibi debet, eum etiam ad ſolvendum compellere non potes. Ita in exemplo anteriori (*not.* §. 865.) ſi ego ſolvendo non ſim, te Titius ad ſolvendum 100. thaleros compellere nequit. Atque adeo differt a fidejuſſione, qua fidejuſſorem pure ſe obligare diximus in ſuperioribus pro debito principali, ita ut obligatus eſſe velit inſtar debitoris principalis (§. 806. 807.). Ibi enim manet obligatio principalis (§. 785.), ſed pactione obligatio acceſſoria cum principali tantummodo exæquatur, quemadmodum in Jure Romano fit per renunciationem beneficii excuſſionis. Aliud nimirum eſt obligationem acceſſoriam cum principali exæquare, aliud obligationem principalem ex alio in ſe transferre. Quodſi vero creditor a te conſequi non poſſit, quod a debitore principali conſequi potuerat; ſibi imputet, quod fidem tuam majoris fecerit, quam illius.

§. 869.

An detur expromiſſori contra debitorem principalem.

Jure externo expromiſſor a debitore principali repetere nequit, quod pro eo ſolvit, niſi ita conventum fuerit. Etenim expromiſſor ita ſe obligat creditori pro debitore principali, ut ipſe ſuo nomine præſtet, ad quod præſtandum is erat obligatus, vel obligandus (§. 865.). Quamobrem cum contra promiſſorem non habeatur pro vero, niſi quod ſufficienter indicat (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*), qui vero dicit ſe promittere, quod debitum alienum ſolvere velit, tanquam a ſe contractum eſſet, non dicat, ſe ab eo repetere velle, quod pro eo ſolvit, quia etiam animo donandi expromittere poteſt, immo a debitore principali jam alio

 modo

modo ut ſit ſatisfactum, non repugnat; ideo expromiſſione ſibi debitorem principalem non obligat ad reſtituendum, quod pro eo ſolvit (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Quodſi vero expromiſſor cum debitore principali convenit, quod is ſibi reſtituere debeat, quod pro eo ſolvit; eum ſibi obligavit tanquam debitorem ſuum, adeoque non tam repetit, quod ſuo nomine pro eo ſolvit, quam quod ſibi ex pactione debetur exigit. Atque adeo patet, hoc pacto ſuum recuperare poſſe expromiſſorem, quod pro eo ſolvit creditori tanquam creditori ſuo (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Expromiſſio negotium eſt, quod unice geritur inter expromiſſorem & creditorem, nec ullo modo tangit debitorem principalem. Quamobrem ex eo nullo quoque modo obligari poteſt debitor principalis ſive expromiſſori, ſive creditori. Quodſi ergo debitor principalis obligari debeat expromiſſori, peculiari pactione opus eſt, quæ cum expromiſſione nihil habet commune, & a qua expromiſſio nullo modo pendet.

§. 870.

Quando expromiſſor jus ſuum contra debitorem principalem cedere poſſit creditori.

Si ex pacto debitor principalis in aliquid tenetur expromiſſori & hic ſolvendo non ſit, jus ſuum cedere poteſt creditori. Etenim quilibet jus ſuum alteri cedere poteſt (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi debitor principalis ex pacto in aliquid tenetur expromiſſori, utpote qui eum ſibi obligare poteſt ad reſtituendum, quod pro ipſo ſolvit, vel, quod perinde eſt, ſolvere debet (§. 869); dubium non eſt, quin hoc jus creditori cedere poſſit, ſi ipſe ſolvendo non ſit, ut ab eo, qui ante expromiſſionem erat obligatus, conſequatur, quod ab expromiſſore conſequi nequit.

Ceſſio hæc æquitati admodum convenit; ne, qui ante expromiſſionem debitor principalis erat, locupletetur cum damno creditoris (§. 585. *p.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi vero tale pactum, quale in hypotheſi propoſitionis præſentis ſumitur, non adfuerit, cum non habeat expromiſſor, quod cedere poſſit creditori, quando ipſe ſolvendo non eſt, nec ullo modo patet eidem regreſſus ad debitorem principalem, utpote qui non venit ex expromiſſione (§. 868.), ſed ex duplici pacto, quorum alterum intercedit inter expromiſſorem & eum, cujus cauſa expromittit, alterum vero inter creditorem & expromiſſorem, *ut praſ.*

§. 871.

Quomodo ſibi conſulere de regreſſu ad debitorem principalem poſſit creditor.

Quoniam expromiſſor, qui ſolvendo non eſt, jus ſuum cedere poteſt creditori, ſi ex pacto debitor principalis eidem in quid tenetur (§. 870.), *expromiſſio etiam fieri poteſt hac lege, ut expromiſſor paciſcatur cum eo, cujus cauſa expromittendum, de eo reſtituendo, quod pro eo ſolvere debet, & creditori jus ſuum cedat in eum caſum, ſi ab ipſo debitum conſequi non poſſit, qui autem erat debitor principalis ſe obliget creditori ad non ante ſolvendum expromiſſori, quam is ſolverit.*

Atque ita patet, quomodo ſibi conſulere poſſit creditor, qui ſibi expromitti curat, de regreſſu ad debitorem principalem, niſi ab expromiſſore debitum conſequi poſſit. Cur vero neceſſe ſit, ut non ſola ceſſione contenius ſibi etiam obliget eum, qui debitor principalis erat ante expromiſſionem, ad non ante ſolvendum expromiſſori, quod ex pacto debet, quam ipſe ſibi ſolverit, facile patet. Alias enim ante ſolvere poterat, cum hoc pactum non pertineat ad expromiſſionem, nec ex eo in quicquam tenetur creditori, qui expromiſſorem loco debitoris accepit, conſequenter inutiliter fieret ceſſio, quamvis non abſque omni dolo. Quodſi vero qui erat debitor eo, quem diximus, modo creditori ſeſe obligat, ſi is expromiſſori tanquam creditori ſuo quid ſolvit, quam is ſolverit; ſuo hoc facit periculo.

§. 872.

Quomodo expromiſſor

Si quis ideo expromittit, quia debitori principali ad quid præſtandum obligatus eſt, expromiſſione in tantum liberatur, in quantum eadem alteri ſeſe obligat. Etenim ſi quis

ſi quis ideo expromittit, quia debitori principali ad quid præſtandum obligatus eſt; is utique obligationem ejus eo animo in ſe transfert (§. 865.), ne ipſi obligatus maneat ad id præſtandum, quod debet, ſi obligatio ſua non excedat eam, quam in ſe transfert; quodſi vero eandem excedat, ne teneatur poſthac niſi in reſiduum. Quamobrem id omnino actum intelligitur, ut expromiſſor in tantum liberetur, in quantum ejus cauſa ſe obligat, cui quid debet. *liberetur ab obligatione propria.*

E. gr. Ego tibi debeo centum aureos: cum ego tibi eos reſtituere nondum poſſim, vel terminus ſolutionis nondum adſit, tu alios centum aureos mutuo accipis a Sempronio. Ego expromitto. Dubium non eſt, me expromiſſione ab obligatione tibi centum aureos ſolvendi liberari: dum enim obligationem tuam centum aureos ſolvendi Sempronio in me transfero, perinde utique eſt, ac ſi ego a Sempronio centum aureos mutuaſſem & eos tibi ſolviſſem, qua ſolutione utique liberarer, ne tibi amplius quicquam deberem. Enimvero ſi Sempronius tantummodo tibi credit quinquaginta, & ego expromitto; cum perinde ſit, ac ſi tibi 50. aureos ſolviſſem, in quinquaginta adhuc maneo obligatus. Unde patet in hypotheſi propoſitionis præſentis impoſſibile eſſe, ut ullo modo pateat Sempronio ad te regreſſus, nec fieri poſſe, ut de eodem ſibi proſpiciat.

§. 873.

Si tibi mando, ut expromittas, ego reſtituere teneor, quod ſolvis. Quodſi enim tibi mando, ut expromittas, ego te indemnem præſtare debeo (§. 682.). Quoniam igitur creditori antea meo, nunc tuo ſolvis, quod ego ſolvere debebam (§. 866.); ego utique tibi reſtituere teneor, quod ſolvis. *De mandata expromiſſione.*

Quoniam expromiſſor creditori jus ſuum cedere poteſt contra eum, cujus cauſa expromiſit, quando ab eo quod debetur, conſequi nequit creditor, jus ſuum adverſus mandantem cedere poteſt.

§. 874.

Si expromiſſor ei, cujus cauſa expromittitur, nihil debet; jure interno hic eidem reſtituere tenetur, quod ſolvit, niſi animo donandi expromiſerit. Etenim ſi expromiſſor ei, cujus cauſa expromittit nihil debet, nec ipſi quod ſolvit ab hoc reſtituitur; locupletior hic fit cum damno expromiſſoris (§. 582. 486. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque nemo locupletari debet cum alterius damno (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*); nec is, cujus cauſa expromiſſum, cum damno expromiſſoris locupletari debet. Quamobrem ſi expromiſſor ei, cujus cauſa expromittit, nihil debet; jure interno hic eidem reſtituere tenetur, quod ſolvit. *Quod erat unum.* *De jure interno in expromiſſione.*

Enimvero ſi quis expromittit animo donandi, gratis expromittit (§. 48.), conſequenter ut nihil ab eo, cujus cauſa expromittit, recipiat (§. 18.). Quamobrem expromiſſori ne jure quidem interno quod ſolvit reſtituere tenetur is, cujus cauſa expromiſſum. *Quod erat alterum.*

Æquitati nimirum convenit, ne expromiſſori damnoſa ſit expromiſſio, etſi is, cujus cauſa expromiſſum, non promiſerit, quod expromiſſorem indemnem præſtare velit, adeoque ad quicquam reſtituendum ſeſe obligaverit, ut ad reſtitutionem compelli poſſet.

§. 875.

Si expromiſſor ei, cujus cauſa expromittit, nihil debet, jure interno hic ſatisfacere debet creditori, ubi expromiſſor ſatisfacere nequit. Etenim ſi expromiſſor creditori ſatisfacere nequit, ipſe vero ei, cujus cauſa expromiſit, nihil debebat, a quo expromiſſione liberatus fuiſset (§. 872.), facile patet, eum, cujus cauſa facta expromiſſio, locupletiorem futurum cum damno creditoris, quando ipſi non ſatisfacit (§. 582. 486. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo locupletior *Idem porro expenditur.*

pletior

pletior fieri debeat alterius cum damno (§. 585. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſed omne potius damnum, quantum in ſe eſt, ab altero avertere debeat (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*); quin jure interno ſi expromiſſor ei, cujus cauſa expromittit, nihil debet, hic creditori ſatisfacere debeat, ubi expromiſſor ſatisfacere nequit, dubitandum non eſt.

In hypotheſi propoſitionis præſentis expromiſſio fit utilitatis tuæ cauſa, nullam vero habet expromiſſor, neque etiam creditor, ſi eadem non melius ipſi ſit proſpectum, quam abſque ea, quamvis putaverit, & eo animo expromiſſorem acceperit. Æquitati omnino convenit, ut nolis expromiſſionem creditori eſſe damnoſam, tibi lucroſam. Si tu creditori ſatisfacis, non facis, niſi quod facturus eras, expromiſſione non facta, in quam jure interno conſentire non poteras, ſi quidem tibi conſtitiſſet, expromiſſorem ſatisfacere non poſſe creditori (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*): atque adeo gravaris ſolutione, nec ulla ratio eſt, cur ideo conqueraris, quod ipſe ſolveris. Laudabile igitur eſt, ſi creditori æquum te præbueris. In caſu particulari plures ſubinde ſunt rationes, quæ hanc æquitatem commendant: de quibus in Philoſophia morali potius dicendum, quam in Jure naturæ, etſi illa ex hoc principia demonſtrandi petat.

§. 876.

An expromiſſor in plus, vel minus obligari poſſit.

Expromiſſor non poteſt obligari in plus; poteſt tamen obligari in minus. Transfert enim in ſe obligationem alterius (§. 865.), induens perſonam debitoris principalis (§. 867.), adeoque ſi totam obligationem in ſe transfert, in idem obligatur in quod obligatus, vel obligandus erat alter, cujus cauſa expromittit. Patet adeo, eundem in plus obligari non poſſe. *Quod erat unum.*

Enimvero cum ab arbitrio expromiſſoris pendeat, utrum totam obligationem in ſe transferre velit, an ſaltem partem ejus, & num pure, an in diem, alium ſcilicet, quam in quem promiſit alter, promittere velit; dubium non eſt, quin in minus obligari poſſit. *Quod erat alterum.*

E. gr. Si debitum eſt 100. aureorum & tu expromittis, non potes obligari niſi in 100: nullo enim jure exigere poteſt creditor, ut obligeris in 110. Quodſi præſtandæ ſint uſuræ, donec ſolutio fiat: dubium non eſt, quod has etiam præſtare debeas. Non tamen ideo dici poteſt, te in plus obligari, cum eaſdem etiam præſtare debuiſſet alter, niſi expromittere voluiſſes. Enimvero nil obſtat, quominus te expromittendo non obliges niſi in 50, dimidiam ſcilicet obligationem in te transferens, & ſi terminus ſolutionis ſit ultimus Auguſti, tu expromittas ſub hac conditione, ut demum ſolvas in fine anni.

§. 877.

An expromiſſio indefinita valida ſit.

Valet expromiſſio indefinite facta in omne id, quod alteri debetur. Nulla enim ratio eſt, cur te ita obligare non poſſis, cum certum ſit, quid ſolvi debeat, nimirum id, quod alteri fuerit datum. Ponamus enim datos fuiſſe 150. aureos; perinde omnino eſt, ac ſi expromittendo te obligaſſes ad 150. aureos ſolvendum.

Etſi enim quantitas certa non ſit, dum expromittis; certa tamen eſt, quando ſolvere debes. Et hoc ſufficit, ut dici poſſit non incertum eſſe, in quod expromittendo te obligaveris. Quodſi alter debitum majus contraxit, quam putaveras, id tibi imputabis, qui indefinite expromiſiſti, cum in certam ſummam promittere potuiſſes. Ceterum propoſitio præſens valet etiam de fidejuſſione.

C A-

CAPUT IV.

De Actibus permutatoriis, ſeu Contractibus oneroſis.

§. 878.

Actus permutatorii dicuntur etiam *Contractus oneroſi*. Eſt itaque *contractus oneroſus*, in quo utraque contrahentium pars ad aliquid dandum vel faciendum obligatur, ſcilicet ut pro eo, quod unus dat vel facit, alter viciſſim aliquid det vel faciat. *Contractus oneroſus quinam ſit.*

Nimirum oneroſum opponitur gratuito. Quemadmodum enim qui gratuito quid accipit nihil viciſſim præſtare tenetur (§. 18.); ita ex adverſo qui cum onere quid accipit, pro eo viciſſim aliquid præſtare cogitur (§. 585. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quod cum onere accipitur, ei adhæret obligatio aliud quid præſtandi, & in hac ipſa obligatione conſiſtit onus, quod accipienti imponitur.

§. 879.

Permutatio eſt contractus oneroſus, quo res datur ab uno, & alter eam accipiens viciſſim dat rem aliam. Idiomate patrio dicitur der Tauſch. Hinc permutare eſt vertauſchen. *Permutatio quid ſit.*

E. gr. Do tibi domum meam, ut tu mihi des tuam: contractus permutatio eſt; Similiter permutatio ſi do triticum, ut des avenam; ſi annulum, ut des libros; ſi linteamina, ut des frumentum. Quamobrem permutatio eſt actus ille diremtorius, quo datur res, pro re, ſeu ut tu des rem aliam (§. 9. 11.). Romani eam inter contractus innominatos retulerunt. Vocarunt enim *contractus nominatos*, quibus certus contrahendi modus præſcriptus eſt, & ex quibus huic conveniens datur actio. Quamobrem ut hæ actiones a ſe invicem diſtingui poſſent, contractibus quoque peculiare tributum erat nomen, a quo & ipſis nomen indebatur. E. gr. Commodatum, mutuum, depoſitum, mandatum erant contractus nominati. Ex iis enim dabantur actiones, quæ actionis commodati, mutui, depoſiti, mandati nomine veniebant. Aſt *contractus innominati* dicebantur, quibus certus contrahendi modus præſcriptus non erat, cui conveniens dari poterat actio. Quamobrem quamvis non denegarentur actiones, non tamen opus erat eas certis nominibus a ſe diſtingui, quemadmodum ceteras, conſequenter nec opus erat, ut ipſi contractus certis nominibus diſtinguerentur. Quamobrem cum actiones a Prætore impetrarentur, qui certas formulas præſcribebat; ideo actionibus, quas is dabat ex contractibus innominatis, manſit nomen generale *actionis præſcriptis verbis*. Atque adeo patet differentiam inter contractus nominatos & innominatos eſſe mere civilem, quæ fluit ex hypotheſi de invaliditate pactorum nudorum, naturaliter a contractibus minime differentium (§. 794. *part.* 3. *Jur. natur.*). Diviſio itaque contractuum in nominatos & innominatos in Jure naturæ nullius utilitatis eſt.

§. 880.

Naturaliter permutatio perficitur ſolo conſenſu contrahentium. Etenim ſi promitto me tibi rem daturum, ſi viciſſim des aliam, & tu promiſſionem meam acceptando repromittis te rem iſtam aliam daturum; cum promiſſor promiſſario obligetur perfecte (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*) & acceptatione, quæ in offerente conditionem præcedit, in accipiente ſequitur (§. 10. *part.* 3. *Jur. nat.*), promiſſio & repromiſſio valida efficiatur (§. 365. *part.* 3. *Jur. nat.*), ego tibi ſtatim obligatus ſum ad rem dandam & tu viciſſim obligatus es ad dandam aliam. Quamobrem ſi porro vel expreſſe declaro, me tibi rem dare, & tu viciſſim, te dare rem aliam, vel mutua hæc voluntatis declaratio ex verbis conditionem offerentis & acceptantis intelligitur, aut ex alio quocunque ſigno colligitur, dominium *Permutatio quomodo perficiatur.*

minium rei meæ ſtatim in te & tuæ in me tranſit (§. 13. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque permutatio perficitur, ſi ego tibi do rem & tu mihi viciſſim des rem aliam (§. 879.); evidens eſt, mutuo contrahentium conſenſu ſolo naturaliter perfici permutationem.

Mere adeo civile eſt, quod in Jure Romano non ante validus ſit contractus, niſi ab una parte res tradatur, ut adeo pœnitere liceat, quamdiu hoc factum non fuerit. Id quidem inde eſt, quod ad translationem dominii Jure Romano requirebatur regulariter traditio. Unde cum permutatio requirat reciprocam dationem (§. 879.), adeoque dominii translationem (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*); ideo permutatio in reciproca rerum traditione conſiſtere debebat. Enimvero dum res ab uno traditur & ab altero accipitur, id fit ſub hac conditione, ut alter viciſſim rem tradat, & accipiendo hic tacite promittit, ſe rem viciſſim traditurum, adeoque ſe obligat (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*) ad rem viciſſim tradendam. Quamobrem unius traditione contractus pro perfecto habebatur, cum tradenti accipiens eſſet obligatus ad rem viciſſim dandam, nec amplius pœnitere liceret. Cum enim traditione acquiſiviſſet dominium rei, quam acceperat; ea erat ſua (§. 124 *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter quia in invitum dominium transferri nequit (§ 7. *part.* 3. *Jur. nat.*), qui rem tradiderat, eam ut reciperet cogi non poterat. Quoniam vero non dederat gratis, ſed ſub ea conditione, ut reciperet rem aliam; ideo alter omnino obligatus manebat ad rem viciſſim dandam, nec ipſi liberum erat, utrum rem ſibi datam reddere, an aliam dare vellet.

§. 881.

Obligatio ex permutatione nata.

Si res non ſtatim traduntur, ex permutatione naſcitur obligatio ad traditionem reciprocam rerum datarum. Etenim in permutatione contrahentes ſibi mutuo dant res (§. 879.). Enimvero res, quæ datur, etiam tradenda (§. 54.). Ergo contrahentes ſibi mutuo tradere debent res, quas in permutatione dederunt. Ex permutatione itaque naſcitur obligatio ad traditionem reciprocam rerum datarum.

E. gr. Ego tibi do domum meam & tu reciproce mihi das tuam. Tu domum tuam mihi, ego meam tibi tradere teneor. Nimirum ne quid difficultatis ſuperſit, tenendum eſt, promiſſionem permutandi non confundendam eſſe cum ipſa permutatione. Ad permutationem requiritur datio reciproca (§. 879.), adeoque actualis dominii translatio (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). Aliud vero eſt dare, ſeu dominium transferre, aliud promittere, quod dare, ſeu dominium transferre velis. Nuda promiſſione non actu transfertur dominium, ſed promittendo tantummodo ad dominium transferendum te obligas. Antequam vero dederis, obligatio tradendi non naſcitur (§. 54.), ut adeo traditio & datio maneant duo actus diſtincti, etiamſi ſimul ſint (§. 25. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 882.

Permutatio quando nulla.

Si unus contrahentium det rem alienam, permutatio nulla eſt. Nemo enim rem alienam dare poteſt (§. 677. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum permutatio in reciproca datione conſiſtat (§. 879.); ſi unus contrahentium det rem alienam, permutatio nulla eſt.

E. gr. Si ego tibi do librum meum, ſit tu viciſſim mihi des alium, tu vero mihi das librum non tuum, ſed alienum; permutatio valida non eſt. Nimirum ego reſtituere teneor domino rem (§. 540. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi ergo tu rem tibi datam retineres, tu locupletior fieres cum damno meo (§. 486. 582. *part.* 3. *Jur. natur.*) quod fieri non debet (§. 585. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 883.

Jus ejus, qui rem ſuam tradidit pro aliena.

Quoniam permutatio nulla eſt, *ſi unus contrahentium det rem alienam* (§. 882.); *nec qui ſuam tradidit, dominium ejus in alterum tranſtulit, ſed tantum poſſeſſionem* (§. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*), *adeoque ipſi competit jus eam vindicandi* (§. 544. *p.* 2. *Jur. nat.*).

Dedit nimirum ſub hac conditione, ut alter viciſſim det (§. 879). Quamobrem cum alter dare non poſſit rem alienam (§. 677. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter conditionem adimplere, nec datum intelligi poteſt, quod nonniſi ſub conditione datum ab altero. Res igitur tradita manet adhuc ejus, qui eam tradidit. Quidni ergo naturaliter vindicari poſſit, etſi Jure Romano non poſſit?

§. 884.

Qui rem tradidit, alterum vi compellere poteſt ad rem tradendam, quam permutavit, niſi tradere velit. Etenim ex permutatione naſcitur obligatio ad traditionem reciprocam rerum datarum (§. 881.) Quodſi ergo cum unus tradiderit *per hypoth.* alter tradere nolit; quin qui tradidit alterum vi compellere poſſit ad rem tradendam, quam permutavit, dubitandum non eſt (§. 236. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Jus contra eum, qui rem tradere non vult.

Non poteſt repetere rem, quam dedit; quia dominium tranſtulit & poſſeſſionem; ſed ſaltem alterum compellere poteſt, ut, poſtquam ipſe contractum adimplevit, eandem & ipſe adimpleat.

§. 885.

Si quem pœnitet permutationis, ac ideo is rem ab altero ſibi traditam reſtituere velit; eam recipere non tenetur qui tradidit. Etenim qui rem traditam accepit tenetur rem, quam permutavit, tradere (§. 881.), & ubi noluerit, eum vi ad tradendum compellere poteſt qui tradidit (§. 884.). Quamobrem ſi rem traditam reddere velit, qui accipit; eandem qui tradidit recipere non tenetur.

An rem recipere teneatur, qui tradiderat.

Nimirum qui obligatur ad rem, quam pro ea, quam accepit, dedit, tradendam, is non poteſt reddere, quam accepit, ne tradat, quam dedit. Jus reddendi rem acceptam repugnat obligationi pro ea tradendi aliam. E. gr. Si permutavimus domus: tu meam tibi traditam mihi reddere nequis, ut retineas tuam, quam nondum tradidiſti. Naturaliter enim ea non amplius tua eſt permutatione facta (§. 881.), ſed mea: tu vero tantummodo eam poſſides.

§. 886.

Si quis permutantium æſtimationem rei tradendæ præſtare velit, eam alter accipere non tenetur. Etenim facta permutatione quilibet contrahentium obligatur ad rem tradendam (§. 881.), adeoque in arbitrio ipſius poſitum non eſt, utrum rem tradere, an præſtare velit æſtimationem (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Cum in permutatione res dentur (§. 879.), tu acquiſiviſti dominium ejus, antequam tradita fuerit (§. 881. *h.* & §. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque jus acquiſitum tibi invito auferri nequit (§. 336 *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi alter tibi dare velit æſtimationem rei tradendæ, tu eam accipere non teneris.

An pro re æſtimatio dari poſſit.

Ex. grat. Tu ex contractu permutationis mihi tradere debes hortum tuum, tuum nimirum ante permutationem, ſed ea facta meum. Quodſi pretium horti mihi dare volueris, ego id accipere non teneor. Hoc ſane perinde eſſet ac ſi hortum a me emere velles, quem, niſi voluero, vendere non cogor.

§. 887.

Solum pactum de permutatione contrahenda naturaliter validum. Naturaliter enim pactum omne ſervandum (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec id a contractu differt (§. 794. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam ſolum pactum de permutatione contrahenda naturaliter validum.

Pactum de permutatione contrahenda num ſit validum.

Naturaliter pactum de permutatione contrahenda aliter diſtinguitur a permutatione contracta, quam Jure Romano. Naturaliter permutatio contracta, quamprimum utraque pars decla-

declarat, ſe dare rem pro re; ſeu ut alter viciſſim det rem (§. 880.): aſt Jure Romano non ante contracta dici poteſt, quam a parte una res fuerit tradita, conſequenter dandi voluntate declarata & acceptata, traditione nulla interveniente, pactio tantummodo de permutatione contrahenda facta intelligitur. Enimvero cum ad pactum ſufficiat conſenſus in eaſdem promiſſiones (§. 788. *part. 3. Jur. natur.*); naturaliter eadem pactio fit, ſi tu & ego reciproce promittimus rem pro re dandam, ſeu permutationem contrahendam, non vero dandi voluntatem declaramus de præſenti. Ex gr. Si dico, promitto tibi me daturum domum meam pro tua, & tu hoc acceptas; pactio de permutatione contrahenda facta eſt: Aſt ſi dico: Do tibi domum meam pro tua, vel ſi ad promiſſionem ſtatim accedat ſignum aliquod; quo promiſſionis adimpletio e continenti facta intelligitur, permutatio contrahitur. Quoniam vero naturaliter non minus ſolum pactum de permutatione contrahenda producit obligationem contrahendi, quam contracta permutatio obligationem illam traditione adimplendi; parum refert, utrum tantummodo pactum fuerit de permutatione contrahenda, an permutatio jam fuerit contracta, niſi quod in caſu priori dominium rerum permutandarum nondum fuerit translatum, ſed ſaltem nata obligatio transferendi; in poſteriori autem dominium jam translatum ſit & nata obligatio tradendi.

§. 888.

Jus ex pacto de contrahenda permutatione naſcens.

Quoniam pactum ſolum de permutatione contrahenda naturaliter validum (§. 887.); *ſi de permutatione contrahenda pactum fuerit, paciſcentium pars una alterum vi adigere poteſt naturaliter ut permutationem contrahat, ſeu rem promiſſam pro re det* (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Naturaliter promiſſione contrahitur obligatio perfecta (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*), nec fidem, quam in promiſſis damus, fallere licet (§. 765. *part. 3. Jur. nat.*). Mere igitur civile eſt, quod ex ſolo pacto de permutatione contrahentium non detur actio neque de jure civili, neque de Jure Canonico, neque moribus noſtris, quamvis etiam non deſint Doctores, qui ex pacto de permutatione contrahenda dari actionem contendunt ob generalem pactorum validitatem hodie admiſſam, ſi conſenſus præſens adſit, nec ſuſpenſus. Sed in hoc caſu naturaliter contracta magis, quam promiſſa videtur permutatio, quemadmodum ex antea dictis facile intelligitur.

§. 889.

Res quænam permutari poſſint.

Permutari poſſunt res omnes tam corporales, quam incorporales, mobiles & immobiles, fungibiles ejuſdem vel diverſi generis, etiam pecunia numerata tanquam corpus, non tanquam pretium rei conſiderata. In permutatione enim datur res pro re (§. 879.). Enimvero dari poſſunt cum res corporales, conſequenter tam mobiles (§. 148. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque etiam fungibiles (§. 509.), quam immobiles (§. 149. *part. 2. Jur. nat.*), tum incorporales (§. 889.). Ergo hæ etiam permutari poſſunt. *Quod erat primum.*

Et quoniam, ſi res pro re datur, non neceſſe eſt, ut res ejuſdem ſpeciei vel generis detur, cum ideo detur res pro re, ut loco illius accipias aliam, qua indiges, ſed cares; ideo nec requiritur, ut res fungibiles ſint ejuſdem generis, ſed poſſunt etiam permutari, quæ ſunt generis diverſi. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi pecunia numerata non conſideretur tanquam pretium rei, ſed tanquam corpus; ſpectatur utique tanquam res mobilis alia. Quoniam itaque res mobiles permutari poſſunt *per demonſtr. n. 1.* dubium non eſt, quin etiam pecunia permutari poſſit, ſi conſideretur tanquam corpus, non tanquam pretium rei *Quod erat tertium.*

E. gr. Permutari poſſunt domus tua & domus mea, domus tua & Bibliotheca mea, hortus tuus & ager meus, ager meus & jus venandi aut piſcandi tuum, triticum meum & piſa tua, frumentum meum & vinum tuum, vinum meum & vinum tuum, pecunia mea & pecunia tua.

§. 890.

Permutatio etiam fieri poteſt ea lege, ut traditio differatur in certum diem, ſive ex parte alterutra, ſive ex utraque. Etenim in permutatione ſtatim transfertur dominium (§. 879. *b.* & §. 13. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero a voluntate domini unice pendet, quomodo dominium transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter idem quoque transferre poteſt ea lege, ut traditio in certum tempus differatur. Quamobrem permutatio quoque ea lege fieri poteſt, ut traditio differatur in certum diem ſive ex parte alterutra, ſive ex utraque. *An traditio differri poſſit in certum tempus in permutatione.*

E. gr. Permutamus ædes noſtras, ſed ea lege, ut earum traditio demum fiat futuro autumno. Dubium non eſt, quin ita conveniri poſſit & ubi ita conventum fuerit, dominio ædium licet translato, a neutra tamen parte, antequam dies venerit, exigi poſſit traditio. Quando enim ita conventum fuerit; poſſeſſioni, cuius jus una cum dominio transfertur (§. 19. *p.* 3. *Jur. nat.*); ad certum tempus renunciatum eſt (§. 103. *p.* 3. *Jur. nat.*): quod fieri poſſe dubium non eſt (§. 106. (*part.* 3. *Jur. natur.*

§. 891.

Permutari etiam poteſt res ſua cum ſua, ſi detur, ut pro ea eadem detur certo die, ſeu quando viſum fuerit. Etenim ſi tibi do rem meam, ea jam fit tua (§. 675. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi do, ut des, tu pro ea viciſſim rem tuam dare debes, cum alienam nemo dare poſſit (§. 677. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam igitur dare debes certo die, traditio in diem differtur (§. 899.), adeoque nihil obſtat, quominus des rem eandem, quam acceperas. Enimvero quia permutatio fit, ſi detur res pro re (§. 879.); res ſua cum ſua permutari poteſt, ſi detur, ut pro ea eadem detur certo die, ſeu quando viſum fuerit. *De permutatione rei ſuæ cum ſua.*

Nihil in eo difficultatis eſt, niſi explicatio vocabuli grammatica te perplexum reddat, quaſi permutatio ſemper requirat res duas numero diverſas, cum tamen natura contractus non exigat, niſi ut dominium rei meæ transferatur in te & dominium rei tuæ viciſſim transferatur in me (§. 879.), id quod fieri utique poteſt in re eadem, ſi datio tua differatur ex pacto in diem. Nec obſtat, quod res, quæ a te datur, ante fuerit mea: cum enim nunc ſit tua, tu dominium eius transferre potes, in quem volueris, adeoque etiam in me, cujus ante fuerat (§. 12. *p.* 3. *Jur. nat.*). Sane quomodocunque dominium rei antea meæ acquiſiveris, potes eam dare pro re mea, veluti cum domum meam a me emeris, potes eam permutare cum horto meo, &, ubi domum meam cum tua permutavi, elapſo tempore permutatio fieri poteſt, ut tu des domum nunc tuam, antea meam, pro domo nunc mea, antea tua. Sufficit in permutatione, ut ego dem rem nunc meam & tu viciſſim des rem nunc tuam, ſive ea res, quam tu das, antea fuerit mea, ſive non fuerit. Quando igitur diverſo tempore datur, cum eadem numero res, quæ uno tempore eſt mea, alio tua ſit, & tuam pro meo detur in permutatione, eadem quoque numero res ut detur pro eadem non eſt abſurdum. Nimirum in translatione dominii res numero eadem ſubit vicem rerum duarum, ſeu numero diverſarum, quatenus nunc ſpectatur ut tua, nunc ut mea, quia meum, & tuum non ſunt eadem, ſed diverſa. Quando res mea fit tua, mutat naturam ſuam reſpectu dominii, ut non idem maneat ens morale, ſed diverſum fiat. Si cui hæc ſcrupuloſiora videantur, quam ut ea concoquere poſſit; is ſciat, ſe entia phyſica cum moralibus confundere, ubi non de phyſicis, ſed de moralibus ſermo eſt. Quodſi hebetior fuerit, quam ut hanc differentiam capere poſſit; animum advertat ad pactum de retrovendendo, de quo paulo poſt agemus, cum quo utique in permutatione convenit pactio de re data alio tempore iterum danda, modo rem rite penſites. Quemadmodum enim hoc pacto non aliud intenditur, quam ut res, quæ antea fuerat tua, iterum fiat, ſeu fieri poſſit tua; ita etiam pactio, do ut des rem tibi datam, non alio fit fine. Sicuti vero pactum de retrovendendo non mutat venditionem in contractum alium: ita etiam contractus do, ut des, ſeu permutatio non mutatur in alium; ſi contrahentes ita convenerint, ut quod datum fuerat ab uno, idem ab altero detur alio tempore.

§. 892.

Quod ea excludat alienationem.

Quoniam *quando res ſua cum ſua permutatur*, ea rurſus danda ei, qui dederat (§. 891.); *eam accipiens alienare nequit* (§. 622. *part. 2. Jur. nat.*).

Nimirum quando te obligas ad rem datam rurſus dandam, ad non alienandum te obligas. Si enim alienares, ei, qui dederat, eandem dare non poſſes.

§. 893.

An alienatio in hoc caſu facta ſubſiſtat.

Quia *quando res ſua cum ſua permutatur, eam accipiens* alienare nequit (§. 892.), adeoque poteſtas alienandi eidem ademta, conſequenter *ſi alienet*, hoc nullo jure facit, *alienatio ſubſiſtere nequit*.

Nimirum etſi dominium a te in alterum translatum fuerit, non tamen translatum fuit pleno jure, cum ius alienandi in dominio pleno contineatur (§ 665. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 894.

De re data, ut detur, ſi recipiens eam alienare voluerit.

Si res detur, ut accipiens eam iterum det, ſi alienare voluerit; actus, ſeu negotium eſt donatio cum pacto non alienandi & pacto pœnali, non vero permutatio. Etenim ſi res detur, ut accipiens eam iterum det, ſi alienare voluerit; cum non pure velis rem iterum dari, utique eam non das eo fine, ut viciſſim quid recipias, conſequenter gratis (§. 18.), adeoque donas (§. 48.). Quoniam vero vis, ut accipiens eam iterum det, ſi alienare voluerit, utique vis eum alienare non debere, conſequenter donationi adjicis pactum de non alienando (§. 133.), & quia vis, ut niſi hoc pacto ſtare velit, rem tibi reddat, hoc utique in pœnam fit (§. 606. *part. 3. Jur. nat.*), & quin fieri poſſit dubitandum non eſt (§. 138.). Quamobrem ſi res detur, ut accipiens eam iterum det, ſi alienare voluerit, actus donatio eſt cum pacto de non alienando & pacto pœnali: qualem non eſſe permutationem, ex ejus definitione patet (§. 879.).

E. gr. Do tibi nummum aureum, ſed ea lege, ut eum mihi reddas, ſi quocunque modo eum alienare volueris. Me tibi nummum donare, nemo dubitabit. Quilibet etiam facile largietur me velle, ne eum alienes; nec alio fine velle, ut eum alienaturus mihi reddas, quam ut tibi ſit motivum eum non alienandi, conſequenter ad non alienandum te obligem (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Redditio igitur promiſſa pœnæ loco eſt, tanquam malum fortunæ (§. 286. *part. 1. Phil. pract. univ.*), alienationis omittendæ motivum (§. 287. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Jus autem obligandi, quale habere debet pœnali ſanctione obligationem introducturus (§. 285. 291. *part. 1. Phil. pract. univ.*), naſcitur ex ipſo dominio, vi cujus domino licet translationi dominii rei ſuæ, ſeu dationi (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*), dare legem (§. 11. *part. 3 Jur. nat.*) & ex obligatione tua (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). quam contrahis promittendo non alienationem (§. 363. *part 3 Jur. nat.*), vel ipſa hac promiſſione (§. 361. *part. 3. Jur. nat.*). Vides adeo, quam pulchre omnia inter ſe conſentiant, ut nihil dubii ſuperſit, modo principia omnia animo probe comprehenſa tenueris.

§. 895.

Permutatio uſus rerum.

Si uſus rei pro uſu rei detur, ſeu uſum rei da, ut uſum rei des, actus permutatio eſt. Etenim uſus rerum, ſeu jus utendi, quod in dominio continetur (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*) & quo dominus ceteros omnes excludit (§. 138. *part. 2. Jur. nat.*), res incorporalis eſt (§. 498. *part. 1. Jur. nat.*), domino propria (§. 2. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque res etiam incorporales permutari poſſunt (§. 889.), uſus etiam rerum permutari poſſunt. Quamobrem patet permutationem eſſe, ſi uſus rei pro uſu rei detur.

Ex.

E. gr. Do tibi uſum libri mei, & tu viciſſim pro eo das uſum libri cujuſdam tui, vel uſum pallii tui. Uſus libri mei & libri tui, vel libri mei & palii tui permutantur. Similiter do tibi uſum agri mei, tu viciſſim das uſum ædium tuarum, ſeu jus eas inhabitandi: uſus agri & ædium permutantur. Permutatio utique contractus omnium antiquiſſimus eſt, conveniens obligationi mutuæ ad dandum ex introductione dominiorum reſultanti (§. 123. 124. *part. 3 Jur. nat.*) & juri non dandi gratis (§. 73. 48.). Nec dubium eſt in prima ſimplicitate, quando pacta fides tuebatur (§. 757 765. *part. 3. Jur. nat.*), permutationem fuiſſe unicum contractum, qui vicem omnium oneroſorum ſuſtinebat, gratuitis in numero beneficiorum habitis; id quod facile conſtabit, modo ad animum revoces, quod introductis rerum dominiis facere perinde ſit ac dare (§. 122. *p. 3. Jur. nat.*). Nimirum das gratis rem, aut corporalem, aut incorporalem, veluti uſum rei (§. 10.), vel gratis facis: actus beneficium eſt (§. 17. 19.). Non das gratis, vel non facis gratis, ſed ut alter viciſſim det, vel faciat: actus permutatio eſt ſive rei corporalis cum corporali, ſive incorporalis cum incorporali, ſive corporalis cum incorporali, ſive facti cum facto, ſive denique facti cum re. Quodſi pecunia ſpectetur tanquam res fungibilis (§ 509. 292.); ii etiam contractus ad permutationem reducuntur, in quibus pecunia datur pro re, vel operis. Notandum tamen præterea eſt, quod permutantes vi dominii per pactionem permutationi legem dare poſſint (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*). Habes hic principium heuriſticum contractus omnes beneficos ex donatione, oneroſos ex permutatione deducendi: neque dubium ſupereſſe poteſt ei, qui penitus contractus omnes perſpicit, quin eodem uſi fuerint homines, qui pecunia inventa contractus in certa genera diſtinxerunt.

§. 896.

Reductio permutationis uſus cum uſu ad donationem reciprocam

Si des uſum rei, ut alter viciſſim det uſum rei, permutatio ſpectari poteſt tanquam donatio reciproca. Etenim ſi des uſum rei gratis, cum is ſit in numero rerum incorporalium (§. 895.), tanquam donatio ſpectari poteſt (§. 489.). Quod ſi ergo des uſum rei, ut alter viciſſim det uſum rei, perinde omnino eſt, ac ſi ſub hac conditione dones, ut alter tibi viciſſim rem aliam donet. Quoniam donatio reciproca eſt, quando ſub hac conditione donatur (§. 213.); ſi des uſum rei, ut alter viciſſim det uſum rei, cum hic actus permutatio ſit (§. 895.), permutatio hæc ſpectari poteſt tanquam donatio reciproca.

Non piget talia ſubinde demonſtrare, quæ ad inveniendum & demonſtrandum utilia ſunt, arti inveniendi apprime conſentanea. Etſi autem in donatione reciproca neceſſe non ſit, ut rerum donatarum fiat æſtimatio (§ 215.); nil tamen obſtat, quo minus quod viciſſim donatur, æquivalet rei donatæ, cum cuilibet integrum ſit rem ſuam æſtimare quanti voluerit: quo ſuppoſito propoſitioni præſenti non obſtat differentia, quam inter donationem reciprocam & permutationem aſſignavimus (*not.* §. 215.), poſtquam uſu loquendi introductum eſt, ut donatio reciproca a permutatione diſtinguatur, quem non eſſe neceſſitatis, ſed arbitrii ſatis conſtat (§. 272. *Pſych. empir.*). Nimirum hic non attenditur animus dantis, quantum recipere velit; ſed ſaltem quatenus quid recipere vult.

§. 897.

De permutatione rerum fungibilium.

Si des rem fungibilem, ut dem rem fungibilem ſive ejuſdem generis & quantitatis, ſive diverſi generis & quantitatis diverſæ, actus permutatio eſt. Etenim ſi des rem, ut viciſſim dem rem, actus permutatio eſt (§. 879.). Quoniam itaque permutari poſſunt etiam res fungibiles ejuſdem vel diverſi generis (§. 889.); actus etiam permutatio erit, ſi des rem fungibilem, ut dem rem fungibilem ſive ejuſdem generis & quantitatis, ſive diverſi generis & quantitatis diverſæ.

Vi hujus principii patet, quomodo mutuum reducatur ad permutationem & quomodo contractus mutui ex permutatione fuerit enatus: etſi enim permutatio ſit contractus oneroſus (§. 879.), mutuum beneficus (§. 513.); beneficium tamen ineſt etiam permutationi, quatenus unus ſtatim dat, alter vero nonniſi certo die reddit, quod pro eo ut det convenitur: id quod permutationi minime repugnat (§. 890.). Qui reductioni eorum, quæ diverſa apparent, ad alia, quibus eadem ſunt, conceptuum univerſalium formandorum gratia, adſueti ſunt; hi acumine ſuo facile ea ſeparant, quæ diverſitatem faciunt, ab iis, quæ faciunt identitatem. Talia adjicimus in gratiam eorum, qui arti inveniendi ſtudent, hactenus non excultæ.

§. 898.

§. 898.

Æqualitas in contractu oneroſo obſervanda.

Æqualitas in contractu oneroſo obſervari dicitur, quando tantundem recipitur, quantum datur: *Inæqualitas* obtinet, ſi contra evenit.

E. gr. In permutatione obſervatur æqualitas, ſi do domum, cujus pretium ter mille thalerorum, ut des agrum, cujus pretium totidem thalerorum. Similiter æqualitas obſervatur, ſi do librum, qui venit duobus thaleris, ut des librum, qui itidem venit duobus thaleris, aut tot libros alios, quorum pretium adæquat duos thaleros.

§. 899.

Conditio contrahentium æqualitate obſervata.

Quoniam tantundem recipitur, quantum datur, *quando* in contractu oneroſo *æqualitas obſervatur* (§. 898.); *contractu adimpleto, neuter contrahentium plus, vel minus habet, quam ante eundem habebat.*

E. gr. Si in permutatione do domum ter mille thalerorum & pro ea recipio agrum totidem thalerorum; facta permutatione tantundem habeo, quantum ante eandem habebam, tantundem etiam habet alter, quantum ante eandem habebat. Cum enim perinde eſſet, ac ſi quilibet ante contractum haberet ter mille thaleros, totidem etiam poſt eundem habere cenſetur. Conditio adeo contrahentium per contractum minime mutatur, eadem poſt eandem quæ fuerat ante eandem.

§. 900.

An unus contrahentium locupletior fieri poſſit.

Quia contractu adimpleto, neuter contrahentium plus, vel minus habet, quam ante eundem habebat, ſi æqualitas obſervatur (§. 899.); locupletior autem fit, qui plus habet, quam antea habebat (§. 582. *part. 2. Jur. nat.*); *quando in contractu oneroſo æqualitas obſervatur, neuter contrahentium ex contractu fit locupletior.*

E. gr. Si domus permutantur; & in permutatione æqualitas obſervatur, neuter permutantium facta permutatione locupletior eſſe debet. Quamprimum oſtendi poteſt, unum factum eſſe locupletiorem; æqualitatem obſervatam non fuiſſe conſtat.

§. 901.

Conditio contrahentium ex inæqualitate.

Quoniam neuter contrahentium plus, vel minus habet, quam ante contractum, oneroſo adimpleto, ſi æqualitas obſervetur (§. 899.), contrarium vero obtinet, ſi inæqualitas adſit (§. 898.); *quando contractui oneroſo inæqualitas accidit, alter contrahentium plus, alter minus habet, quam habere debebat.* Et eodem modo patet, *in eodem caſu unum contrahentium fieri locupletiorem.*

E. gr. Inæqualitas adeſt in permutatione, ſi res, quam do, eſt 150. aureorum, ea vero, quam tu das, nonniſi 100. Evidens eſt te plus habere, quam antea habebas; ego autem minus. Nimirum 50. aurei inter nos eſſent dividendi in æquas partes, ut mihi redderentur 25., ſiquidem tantundem uterque habere deberet: ita enim quilibet ante & poſt contractum haberet 150., conditione non mutata.

§. 902.

Quomodo æqualitas obſervetur in permutatione.

Si in permutatione æqualitas obſervanda, res æſtimatæ dandæ ſunt. Etenim ſi in permutatione æqualitas obſervanda, quantum dat unus, tantum etiam dare debet alter (§. 898. 879). Quamobrem cum res, quæ permutantur, plerumque

que ſint diverſi generis, aut non eodem tempore tradantur, plus vero ſit aliquid ſtatim dare, minus poſt tempus dare; ideo conſtare nequit, an tantundem detur, niſi earum ad ſe invicem ratio determinetur, adeoque pretia earundem definiantur (§. 273.), aut certa pecuniæ ſumma determinetur (§. 290.). Patet itaque ſi in permutatione æqualitas obſervanda, res æſtimatas dandas eſſe.

E. grat. Permutare volumus domus noſtras. Quodſi in permutatione obſervanda ſit æqualitas, definiendum eſt pretium tam domus meæ, quam tuæ, ut conſtet, an alteruter præter domum adhuc aliud dare debeat. Ponamus nimirum domum meam æſtimari 6000. thalerorum, tuam nonniſi 5000. Patet præter domum tuam mihi adhuc dari debere rem aliam, quæ valet mille thaleros, aut ipſos mille thaleros: in permutatione enim etiam pecunia tanquam corpus (§. 889.), & quidem vi præſentis æſtimata dari poteſt. Ex propoſitione itaque præſente intelligitur, quod non ideo deſinat eſſe permutatio, ſi res æſtimatæ dentur, conſequenter habita pretiorum ratione.

§. 903.

Si do rem, ut tu præſtes operas, actus naturaliter ſpectari poteſt tanquam permutatio. Etenim dominiis rerum introductis operæ æquiparantur rebus, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque perinde eſt, ſi operæ præſtentur, ac ſi res dentur. Enimvero ſi do rem, ut des rem permutatio eſt (§. 879.). Ergo etiam tanquam permutatio ſpectari poteſt actus, ſi do rem, ut tu præſtes operas. *De re pro operis data.*

Atque adeo patet contractum do, ut facias, reduci poſſe ad permutationem. E. gr. Si trituranti detur certa quantitas frumenti, ut certam granorum frumenti quantitatem excutiat; naturaliter contractus ſpectari poteſt tanquam permutatio, rei nimirum ac operarum. Neque dubium videtur, quin in primæva ſimplicitate iſtiuſmodi contractum permutationi æquiparaverint homines, cum indigentia operas in locum rerum ſurrogari juberet, quibus non minus indigebat unus, quam alter re alterius. Nihil hominibus magis naturale eſt, quam ut ingenii vi ob æquipollentiam animadverſam minus notum reducant ad id, quod ipſis cognitum, artæ inveniendi naturali uſi, quemadmodum logica naturali utuntur, neceſſitate optima magiſtra. Rerum permutatio utique præceſſit permutationem rerum cum operis, ut adeo hanc ad illam reductam fuiſſe non dubitare poſſit, qui uſum facultatum animæ perſpectum habet.

§. 904.

Quoniam in permutatione operæ ſurrogari poſſunt in locum rerum (§. 903.); naturaliter etiam *operæ permutari poſſunt*, conſequenter *ſi præſto operas, ut tu viciſſim præſtes operas alias, contractus ſpectari poteſt tanquam permutatio.* *De operarum permutatione.*

Atque adeo apparet, contractum facio ut facias etiam ad permutationem reduci poſſe: immo vix dubitandum in primæva ſimplicitate operarum mutuam præſtationem a permutatione non fuiſſe diſtinctam. Ceterum cum demonſtraverimus, dominiis rerum introductis facere ac dare idem eſſe (§. 122. *part. 3. Jur. nat.*); unum quoque idemque intelligitur, ſive res cum re, ſive res cum operis, ſive operæ cum operis permutentur. Immo etiam adhuc, poſtquam contractus do ut facias & facio ut facias a contractu do ut des, diſtingui cœpit, operarum cum rebus & cum operis permutatio adhuc locum habere poteſt, quemadmodum emtione venditione introducta pecunia adhuc cum re permutatur (§. 889.), eo maxime caſu, quo operæ pro operis vel re præſtandæ non æſtimantur, nec permutandorum ſpectatur æqualitas.

§. 905.

Pretium verum dicitur, quanti res valet communi hominum, vel peritorum æſtimatione. Dici etiam poterat *commune pretium.* *Pretium verum quodnam dicatur.*

Ita pretium verum frumenti eſt, quanti certa frumenti quantitas valet communi hominum æſtimatione. Aſt verum pretium ædium eſt, quanti ædes valent æſtimatione architectorum, aut fabrorum lignariorum & murariorum. Verum annuli aurei pretium eſt, quanti valet æſtimatione

matione aurifabrorum. Supponitur nimirum in æſtimatione omnem abeſſe dolum & artificem eſſe peritum in arte ſua. Ceterum ſi ad rigorem naturalem rem exigere volueris, ea obſervanda ſunt, quæ de definiendo rerum pretio ſupra demonſtrata ſunt, ne pretium ſit iniquum, quatenus æſtimatio repugnat officio cuidam erga alios. In Jure civili juſtum pretium differt a vero, quippe quod a vero deficere, vel idem etiam ſuperare poteſt, quemadmodum patebit deinceps, quando de emtione venditione acturi ſumus.

§. 906.

Pretium affectionis quodnam dicatur.

Pretium affectionis eſt, quo res pluris æſtimatur, quam communiter æſtimari ſolet, ex ſingulari aliquo affectu. Unde patet, *pretium affectionis excedere pretium verum* (§. 905.).

E. gr. Tu nummum aureum accepiſti a Rege; qui valet quinquaginta ducatos. Tu enim tanquam donum regium pluris æſtimas, quam centum ducatos; pretium, quanti eum æſtimas, eſt pretium affectionis, quod verum excedit ultra dimidium. Similiter domum tuam inhabitarunt majores tui & propterea eam magni æſtimas, veluti ſi verum pretium ſit peritorum judicio ter mille thalerorum, tu eam æſtimas ex affectu ultra quinquies mille, erit pretium, quo domum tuam æſtimas, pretium affectionis. Ceterum quando ex affectu res æſtimatur, facile intelligitur, affectum eſſe jucundum, non moleſtum (§. 608. 609. *Pſych. empir.*).

§. 907.

Menſura pretii affectionis.

Quoniam pretium affectionis ex affectu venit (§. 906.), jucundo ſcilicet (*not. §. cit.*), affectus jucundi autem cum magno voluptatis gradu conjunguntur (§. 608. *Pſych. empir.*); *qui pretium affectionis rei imponunt, pro voluptate ex ea percipienda eandem æſtimant*. Unde patet, cur *rei eidem ob eandem cauſam non idem ſtatuatur ab omnibus pretium affectionis*.

E. gr. Nummum aureum accepiſti a Rege: accepit etiam alius. Non omnes eandem voluptatem ex dono regio percipiunt. Unde accidit, ut alius majoris eum æſtimet alio, conſequenter nec idem ſit pretium affectionis, immo ut alii nonniſi vero, ſeu communi pretio eundem æſtiment; cum ipſis perinde ſit ſive a Rege, ſive ab alio quocunque donum acceperint, voluptatem ex dono non percipientes, niſi quatenus donatum eſt, hoc eſt, quatenus gratis acceptum.

§. 908.

Quomodo idem pretio aliarum rerum commenſuretur.

Quia *pretium affectionis* imponitur rei pro voluptate ex ea percipienda (§. 907.); ideo *æquale eſt pretio rei, ex qua tanta percipitur, quanta ex illa voluptas*.

E. gr. Ponamus te ex nummo aureo, qui valet 50. ducatos, tantam voluptatem percipere, quantam perciperes ex agro tibi donato, qui valet 100: evidens eſt, nummum aureum tanti a te æſtimari, quanti æſtimatur ager, cujus pretium commune eſt 100. ducatorum, conſequenter pretium affectionis iſtius nummi eſſe 100. ducatorum, duplum adeo veri.

§. 909.

Quid hic inprimis obſervandum.

Quia pretium affectionis æquale eſt pretio rei, ex qua tanta percipitur, quanta ex illa voluptas (§. 908.), non vero omnes ex rebus ejuſdem generis eandem voluptatem percipiunt; *pretium affectionis determinandum eſt per pretium verum ſeu commune iſtiuſmodi rerum, quibus quis maxime delectatur*.

Trahit ſua quemque voluptas. Quamobrem non perinde eſt, qualemcunque rem eligas, ut per ejus pretium verum determinetur pretium affectionis, cum ſit ejuſdem rei diverſum prodiret pretium affectionis, tanto quidem majus, quanto magis re delectaris, cum cujus pretio pretium affectionis confertur. Neceſſe igitur eſt, ut pretium affectionis determinaturus eligat rem talem, quali maxime delectatur, ſeu magis quam rebus aliis, quarum idem eſt pretium commune.

E. gr.

E. gr. Inſignem voluptatem percipis ex horto amœno: pretium affectionis rei alterius determinabitur per rationem ad pretium verum horti cuiuſdam amœni. Similiter ſi plurimum ames gemmas; pretium affectionis determinabitur per pretium alicujus gemmæ verum. Multæ admodum rationes influunt in pretium affectionis, quod unuſquiſque rei ſuæ ſtatuit, ut adeo difficile ſit reperire rem aliam, quam eidem æquiparat. Si duæ res, quarum pretium verum diverſum eſt, earum vero uni pretium affectionis ſtatuitur, electioni ſubmittuntur, & altera huic præfertur; quantum ſit pretium affectionis facilius æſtimatur, modo non adſint rationes particulares, quæ lucrum minus pretio affectionis præferri jubent, quamvis non ſine moleſtia. Pretium affectionis cum pendet ab affectu (§.906.), conſequenter ab appetitu ſenſitivo (§.603. *Pſych. empir.*), opinione regitur, varia pro varietate perſonarum & circumſtantiarum.

§. 910.

De libertate pretium affectionis determinandi.

Unicuique permittendum, ut rei ſuæ pretium affectionis ſtatuat, quantum velit; quamdiu nil fit contra jus alterius. Etenim vi libertatis naturalis permittendum eſt, ut unuſquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu contra jus tuum nil facit (§.156. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem permittendum etiam eſt, ut rei ſuæ pretium affectionis ſtatuat, quantum velit, quamdiu nil fit contra jus alterius.

In determinando pretio affectionis quilibet abundat ſenſu ſuo. Ferendum vero eſt, ut alter abundet ſenſu ſuo, quamdiu hoc non conjunctum eſt cum injuria tua. E. gr. Habes nummum aureum 510. ducatorum, quem pluris facis, quam mille ducatos. Si nihil mihi debes, nec ſis in mora ſolvendi, propterea quod nummum iſtum cum pecunia permutare non vis; mea non refert, quanti eum facias. Permittendum igitur tibi eſt, ut eum pluris facias, quam mille ducatos; hos non accepturus, etiamſi quis hanc ſummam pro eo afferret. Etſi enim pro rerum tuarum ſtatu ſtultitiæ accuſandus fores, quod mille ducatos pro eo accipere nolles; quid tamen ad me, quod ſtultitiam patiatur nummus tuus? Enimvero ſi mihi deberes 40. aureos, quos ſolvere non poteras nummo retento; pretium affectionis, quod ſtatuis, conjunctum foret cum violatione juris mei, adeoque hoc mihi ferendum non eſſet.

§. 911.

Libertas determinandi pretium affectionis quando infinita.

Quoniam nihil fit contra jus tertii, ſi quis rei cuidam ſuæ, quæ alienanda non eſt, pretium affectionis ſtatuit, unicuique autem permittendum eſt, ut rei ſuæ pretium affectionis ſtatuat, quantum velit (§. 910.); *libertas ſtatuendi pretium affectionis pro ſe*, hoc eſt, ut nemo alius idem agnoſcere teneatur *infinita eſt*.

Libertas hæc rem exigui pretii prorſus inæſtimabilem efficere poteſt. Nec a ratione ſemper alienum eſt pretium affectionis in infinitum extendi in caſu præſenti. Ponamus tua merita tanti æſtimari a Rege, ut te ſuo ſuperbiat. Ponamus te ab eo accepiſſe nummum aureum, gratiæ ac amoris monumentum. Ponamus porro Regem fortunas tuas auxiſſe & ab injuriis eorum, qui malevolo in te erant animo, te protexiſſe. Ponamus denique eam eſſe rem familiarem tuam, ut pretium nummi verum tuto contemnere poſſis. Quodſi pretium affectionis omnes reſpuat limites, ut nummus tibi ſit inæſtimabilis; nemo ſanus habebit, quod in eo jure reprehendat. Metiris enim pretium amore & animo grato, cui quod nullos ſtatuas limites, ecquis, quæſo, culpabit, niſi amorem mercenarium eſſe velit? Hoc vero affectionis pretium nonniſi pro te valet, cum unice ſit ſignum amoris ac grati animi tui, quem cum renovat nummi memoria & adſpectus, blanda voluptate demulcetur animus. Qui novit, quanta ſit voluptas, quæ ex officiorum conſcientia originem trahit, & quod ea perennet, is eam voluptati ex rebus aliis percipiendæ utique anteponet. Intelliguntur hic officia non minus ad virtutes morales, quam intellectuales referenda. Et de voluptate hujus generis ſuo loco in Philoſophia morali apertius dicemus.

§. 912.

Principium generale

Si pretium affectionis oriatur ex affectu, qui originem debet officiis, a ratione alienum non eſt: quodſi ita definiendum, ut idem agnoſcatur ab aliis, nil quicquam

moralitatis pretii affectionis. *committendum, quod repugnet officio cuidam erga alios.* Officium enim naturale, de quo hic loquimur, cum ſit actio juxta legem naturalem præceptivam & prohibitivam determinata (§. 225. *part.* 1. *Jur. nat.*), lex autem nos obliget ad actionem committendam, ſi præceptiva fuerit (§. 164 *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad eam omittendam, ſi prohibitiva fuerit (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), obligationi naturali convenit (§. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter affectus, qui originem debet officiis, ab ea non diſſentit, appetitu ſenſitivo & rationali conſentiente (§ 603. 908. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque conſenſus appetitus ſenſitivi, adeoque affectuum (§. 603. *Pſych. empir.*), cum appetitu rationali legi naturæ convenit (§. 267. *part.* 1. *Jur. nat.*), eidem quoque repugnare nequit pretium affectionis ex affectu ortum, qui originem debet officiis. Quamobrem cum lex naturæ rationi conveniat (§. 259. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nec a ratione alienum eſſe poteſt pretium affectionis, ſi oritur ex affectu, qui originem debet officiis. *Quod erat primum.*

Enimvero cum officia erga alios conveniant obligationi naturali *per demonſtrata*, hæc vero neceſſaria & immutabilis ſit (§. 142. *part.* 3. *Jur. nat.*); nil quicquam omnino committendnm, quod repugnet officio cuidam erga alios. Quodſi ergo pretium affectionis ita definiendum, ut idem agnoſcatur ab aliis, nil quicquam omnino committendum, quod officio cuidam erga alios repugnat: *Quod erat alterum.*

Habemus adeo principium generale, vi cujus in dato caſu particulari facile determinabitur pretii affectionis moralitas, ſive quis idem pro ſe ſtatuat, ſive ita determinandum ſit, ut ab alio agnoſcendum. Quando de moralitate pretii affectionis quæſtio incidit, in caſu priori quæritur, num recte faciat, qui hoc pretium affectionis rei ſuæ imponit; in poſteriori quæritur; num ſit æquum, ne qui agnoſcere id tenetur lædatur. Non nego principiorum Juris naturæ apprime peritum & acumine præditum eſſe debere, qui de moralitate pretii affectionis ſtatuere vult, ne a veritatis tramite vel latum unguem recedat: id enim ipſa inſinuat præſens propoſitio. Quando itaque determinationem moralitatis vi propoſitionis præſentis facilem dicimus, judicem ſupponimus competentem. Ceterum nemo miretur, quod pretium affectionis per jus naturæ determinandum eſſe contendamus. Hoc enim jus regit omnes actus humanos, adeoque etiam pretium affectionis. Regit autem actus humanos, quatenus ex officiis erga ſe atque alios, ipſum etiam Deum, tanquam primis principiis deducitur, quomodo iidem determinandi ſint. Unde in determinando pretio affectionis pro ſe habetur ratio officiorum, quatenus moderatur voluptatem propriam; in eodem determinando autem, prouti idem ab alio agnoſcendum, quatenus tuentur alienam utilitatem. Hinc porro facile intelligitur, in determinando pretio affectionis, quod ab aliis agnoſcendum, rationem habendam eſſe tantummodo officiorum erga alios, præſertim negativorum, veluti de non locupletando ſeſe cum damno alterius (§. 585. *part.* 2. *Jur. nat.*), vel damno alterius (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*), aut in genere de non lædendis aliis (§. 695. *part.* 1. *Jur. nat.*). Hæc vero potiſſimum reſpiciunt jus internum. De jure externo ſtatuendi pretium affectionis pro ſe diximus ante (§. 910. 911.); ſed reſtat quæſtio, quid juri externo conveniat, ſi idem agnoſcendum ab alio.

§. 913.

Quando idem pretium affectionis eidem rei imponatur a pluribus. *Pretium affectionis idem ſtatuere nequeunt, niſi qui eodem affectu ducuntur, vel eandem ex re voluptatem percipiunt.* Etenim ponamus idem pretium affectionis ſtatuendum eſſe ab iis, qui eodem affectu non ducuntur, vel eandem ex re voluptatem minime percipiunt. Oriri adeo nequit ex ſingulari aliquo affectu, ſeu idem metiri nequit voluptas, quæ ex re percipitur. Quod cum ſit abſurdum (§. 906. 907.); evidens omnino eſt, pretium affectionis idem ſtatuere non poſſe, niſi eos, qui eodem affectu ducuntur, vel eandem ex re voluptatem percipiunt.

Ex. gr. Nummum aureum; cui pretium affectionis imponis, accepiſti a Rege, qui merita tua ſuſcipit, & quem te amantem amas. Evidens eſt, alium idem pretium affectionis eidem non impoſiturum. Non nego, fieri poſſe, ut alius vel majus ſtatuat pretium affectionis ob ea, quæ inſunt nummo, ad affectum excitandum in ipſo apta; ſed tum non dici poterit idem (§. 181. *Ontol.*), cum ad identitatem pretii affectionis idem requiratur exceſſus ſupra commune

ne (§. 906). Quodſi vero hunc adeſſe ſupponas, aut aderit idem affectus, aut ſaltem alius, qui eadem animum demulcet voluptate, vel tanti æſtimabitur a te voluptas tua, quanti ab altero ſua, ut adeo hoc reſpectu eadem dici poſſit. Ponamus vero te ex nummi raritate voluptatem percipere. Utique non repugnat, ut plures eidem rei idem imponant pretium affectionis. Quodſi ad hæc animum advertas, nihil difficultatis ſupererit circa propoſitionem præſentem, modo rite applicatis principiis ontologicis accurato judicio diſcernere valeas, quatenus res in caſu dato pro iiſdem haberi poſſunt, quæ in ſe ſpectatæ non prorſus eædem ſunt. Tenendum tamen hic quoque eſt, aliud eſſe idem pretium affectionis rei imponere, aliud idem agnoſcere ac ſuum eidem æquare. Sed noſtrum jam non eſt condere theoriam pretii affectionis, quæ ſit omnibus numeris abſoluta: ſufficit tradidiſſe principia, quæ ad ulteriora viam ſternunt nondum ſatis tritam.

§. 914.

Si pretium affectionis ab altero libere agnoſcendum, tantum admittendum, quantum alter agnoſcere vult. Quodſi enim pretium affectionis libere agnoſcendum, in tua unice voluntate politum eſt, utrum id agnoſcere velis, quod ab altero rei imponitur, an nolis. Quamobrem cum vi libertatis naturalis permittendum ſit, ut unuſquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu nil fit contra jus tertii (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*); tibi quoque permittendum eſt, quantum agnoſcere velis pretium affectionis, ſi quod ab altero rei ſuæ imponitur, conſequenter tantum admittendum, quantum tu agnoſcere vis.

De jure externo pretii affectionis ab altero libere agnoſcendi.

Si pretium affectionis, quod quis rei ſuæ imponit, libere agnoſcendum, cum determinatio pendeat a libero alterius ac tuo conſenſu, in eo definiendo nihil difficultatis eſt. Tantum enim erit, quantum vobis placuerit. In hoc igitur caſu jus externum pretii affectionis definiendi manifeſtum eſt. Ex. gr. Ego pretium affectionis rei meæ impono, quod veri duplum eſt. Si tu eam habere a me velis, ac in idem conſentis; jure externo non eſt, quod reprehendi poſſit.

§. 915.

Si pretium affectionis ab altero invito agnoſcendum, veluti ſi reſtituendum, in ſtatu naturali tantum admittendum, ad quantum agnoſcendum unuſquiſque alterum vi adigere poteſt. Quodſi enim quis tibi obligatus eſt ad aliquid reſtituendum, tibi competit jus eundem vi adigendi, ut reſtituat (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo etiam vi alterum adigere potes, ut pretium affectionis reſtituat. Enimvero unicuique permittendum, ut rei ſuæ pretium affectionis ſtatuat, quantum velit, quamdiu nil fit contra jus tertii (§. 910.). Quamobrem ſi alter pretium affectionis tibi reſtituere debet, tuum eſt illud definire, conſequenter cum tibi competat jus alterum ad idem reſtituendum vi adigendi, in ſtatu naturali utique pretium affectionis, quod ab altero agnoſcendum, tantum admittendum, ad quantum agnoſcendum eum vi adigere potes.

De jure externo pretii affectionis ab altero invito agnoſcendi.

Nimirum ſi tu exigis pretium affectionis, tu idem voluntate tua definis. Si alter id reſtituere debet, neceſſe eſt, ut idem agnoſcat. Quoniam vero invitus agnoſcere debet, tantum agnoſcere tenetur, quantum ſuadet metus, ne majus malum incurrat, niſi in eam quantitatem conſentiat, a qua recedere non vis (§. 581. *p.* 1. *Jur. nat.*). Tantum igitur admittendum, ad quantum agnoſcendum alterum vi adigere potes. Non alio fine fieri debet reſtitutio, quam ut is, cui quid deeſt, reſtituatur in eum ſtatum, qui erat, quando ſuum habebat, conſequenter facta reſtitutione perinde eſſe debet, ac ſi ſuum haberet alter, nec quicquam ipſi amplius deeſſet. Suum vero non habet, quamdiu ex eo, quod nunc habet, non eam percipit voluptatem, qualem ex illo percipiebat, quod ante habebat, cum pretium affectionis ſtatuatur pro voluntate ex re percepta (§. 907.). Etſi adeo jure interno non ita indulgendum voluptati propriæ, ut deſimus officio erga alios (§. 910.); jure tamen externo vi libertatis naturalis, unde illud derivatur (§. 398. *part.* 3. *Jur. nat.*), alterius conſcientiæ relinquendum, quid agat (§. 157. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 916.

Quando pretium affectionis probandum.

Qui pretium affectionis ab invito agnoſci vult, id probare tenetur. Etenim ſi pretium affectionis ab invito agnoſcendum, tantum admittendum, ad quantum agnoſcendum alterum quis vi adigere poteſt (§. 915.), conſequenter ipſi competere debet jus ad pretium affectionis agnoſcendum alterum vi adigendi (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero ex eo, quod quis dicat, ſibi eſſe pretium affectionis, conſtare nequit, quod ſit, conſequenter quod jus habeat alterum ad idem agnoſcendum vi adigendi. Quamobrem neceſſe eſt, ut, qui pretium affectionis ab invito agnoſci vult, id probet.

Atque adeo patet, jus externum non dare licentiam fingendi pretium affectionis, quod nullum eſt, ſeſe locupletandi animo cum damno alterius: id quod juri naturæ e diametro adverſum (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*). Jure externo non datur impunitas agendi, niſi in caſu dubio, quando vi libertatis naturalis alterius judicio ſtandum (§. 156. *part. 1. Jur. natur.*), aut quando libere conſentis in actum tibi damnoſum, quem tibi damnoſum non judicare videris, quia in eum conſentire non tenebaris. Jacturam ſui facere non videtur, qui facere vult, cum quilibet rem ſuam derelinquere (§. 256. *part. 2. Jur. nat.*), & dominium ejus quomodocunque (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*); conſequenter etiam ut nihil pro re ſua ab altero viciſſim recipiat, adeoque gratis (§. 18.) transferre poſſit. Quemadmodum injuria non fit volenti; ita etiam damnum non infertur volenti. Ceterum non opus eſt, ut oſtendatur, quomodo probetur pretium affectionis. Ad eam enim manuducit definitio, quæ affectum quendam ſingularem requirit (§. 906.), cujus cauſæ patent per ea, quæ de affectibus in Pſychologia empirica traduntur, dijudicandæ per officia naturalia (§. 912.).

§. 917.

Quo fine pretium affectionis exigatur.

Pretium affectionis exigitur ad tollendum tædium inde ortum, vel oriundum, quod carere debeamus voluptate ex re chara percipienda. Pretium enim affectionis ſtatuitur pro voluptate ex re chara percipienda (§. 907.). Quamobrem cum moleſtum accidat, ſi carere debeamus voluptate, qua frui poteramus, quod tanquam a poſteriori ſatis notum ſumimus; non alio fine pretium affectionis exigi patet, quam ad tollendum tædium inde ortum, vel oriundum, quod carere debeamus voluptate ex re chara percipienda.

Nimirum pretium affectionis excedit verum pretium rei (§. 906.), ut adeo, quod ultra verum pretium accipitur, quaſi gratis accipiatur (§. 18.). Quamobrem cum voluptatem pariat, quod gratis datur, voluptas vero tædio contrarietur (§. 511. 518. *Pſych. empir.*), conſequenter ſimul voluptas atque tædium ex re eadem percipi nequeat, voluptate æquipollente tollitur tædium, exinde oriundum, quod voluptate quadam carere debeamus. Si abſentia rei charæ creat tædium, quod plus habes, quam antea habebas, pretio affectionis accepto, voluptatem parit, ut adeo perinde ſit, ſive ex re qua chara, ſive ex eo, quod plus habes, voluptatem percipias. Sane ſi quis ex eo, quod ultra verum rei pretium accipit, eandem voluptatem non percipit, quam ex re ſibi chara, quatenus chara eſt; is nec dici poteſt hoc ſtatuere pretium affectionis, ſed vel majus, vel prorſus infinitum. E. gr. Si nummum aureum æſtimas duplo majoris, quam eſt verum ejus pretium, quod v. gr. ſit 50. ducatorum, & pro eo accipis ducatos centum; ex quinquaginta utique ducatis tantundem voluptatis percipere debes, quantum ex numero aureo, quatenus tibi charus erat. Quodſi enim cogites, eodem te carere, ac tædium ſuboriri velit; voluptas ſtatim orta, quamprimum animum convertis ad quinquaginta ducatos, quos lucratus es, tædio non ſinit eſſe locum. Equidem fieri poteſt ut propter inconſtantiam animi poſtea pœniteat, te voluptatem ex 50. aureis percipiendam prætuliſſe voluptati ex nummo qua charo percipiendæ; inconſtantiæ tamen hujus nulla habenda eſt ratio. Quemadmodum enim non ſine ratione ſtatuendum, quod ſemel agendum; cum nihil omnino temere ſit faciendum (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*); ita etiam abſonum eſt tum demum pœnitere velle, quando pœnitere non amplius licet, ſeu quem fruſtra pœnitet. Et ſi quando contingat nos carere debere re chara, conſequenter etiam ea voluptate, pro qua pretium affectionis eidem imponebatur; patientiæ, ad quam naturaliter obligamur (§. 593. *part. 1. Jur. nat.*), convenit, ut feramus, quod mutari non poteſt.

§. 918.

§. 918.

Moralitas in exigenda reſtitutione pretii affectionis.

A pretio affectionis exigendo, quando id reſtituendum, abeſſe debet animus vindictæ cupidus; ſed abeſſe nequit amor, quo alterum amamus tanquam noſmetipſos. Animus enim hominis ab omni vindictæ cupiditate alienus eſſe debet (§. 948. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ergo idem abeſſe quoque debet, quando ab altero exigimus, ut pretium affectionis nobis reſtituatur. *Quod erat unum.*

Unumquemque vero, etiam inimicum (§. 632. *part.* 1. *Jur. nat.*), amare debemus tanquam noſmetipſos (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum hæc obligatio ſit prorſus immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), amor iſte univerſalis omnium erga omnes nunquam abeſſe poteſt, quando nobis agendum cum aliis. Abeſſe igitur etiam nequit, quando ab altero exigimus, ut pretium affectionis reſtituatur. *Quod erat alterum.*

Hoc pacto facile præcavebitur, ne affectus, cui pretium affectionis originem debet, exorbitet. Exigitur enim pretium affectionis ad tollendum tædium inde ortum, quod carere debeamus voluptate ex re chara percipienda (§. 917). Tollitur tædium voluptate, qualis etiam percipitur ex tædio alterius, ſi animus vindictæ cupidine flagrat (§. 947. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ad vindictæ cupidinem referendum ſit, quando inimici dolor læſo doloris remedium eſt, quod lege naturalis prohibitum (§. 946. *p.* 1. *Jur. nat.*); qui animum ab omni vindictæ cupidine alienum habet, in determinando pretio affectionis non intendet, ut ægre fiat reſtituenti. Porro qui alterum amat tanquam ſeipſum, ex ejus tædio tædium percipit (§. 642. *Pſych. empir.*), idem averſatus tanquam ſuum, adeoque quando pretium affectionis ab altero ſibi reſtituendum, id non eo uſque extendet, ut gravare queat alterum. Atque adeo patet, quomodo moderandus ſit affectus, ne pretium affectionis ab altero reſtituendum exigatur iniquum. Immo per propoſitionem præſentem etiam obtinebitur, ne pretium affectionis exigatur, quando idem non exigi æquitati magis convenit.

§. 919.

An in permutatione æqualitas obſervanda.

A permutantium unice voluntate pendet, utrum æqualitatem obſervare velint, nec ne. Permutantes enim eſſe debent rerum, quæ permutantur, domini (§. 882.). Enimvero a domini voluntate unice pendet, quomodo dominium rei ſuæ in alterum transferre (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter utrum pro ea, quam dat, tantundem, an minus recipere velit. Quoniam itaque æqualitas obſervatur in permutatione, quando tantundem recipitur, quantum datur, inæqualitas vero obtinet, ſi unus plus dat, alter minus (§. 898.); a permutantium utique voluntate pendet, utrum æqualitatem obſervare velint, nec ne.

Ex eo, quod do ut des, per ſe non ſequitur, te tantundem dare debere, quantum ego do: hoc enim pendet a dantium voluntate, & notioni dominii convenit ea voluntas (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Jure igitur externo ſtandum eſt permutantium voluntate, cujus quænam ſit ratio non attenditur. Ne tamen quis exiſtimet, quaſi tollatur differentia inter donationem reciprocam & permutationem, quam ſupra annotavimus (*not.* §. 215.); ſequentia probe expendenda ſunt.

§. 920.

An in permutatione æqualitas, an inæqualitas præſumenda.

In permutatione is animus eſſe videtur permutantibus, ut obſervetur æqualitas, niſi adſint rationes fortes in contrarium. In permutatione enim datur, ut detur (§. 879.). Enimvero qui aliquid dat, ut detur, conſequenter ut pro eo, quod dat, aliud accipiat, non videtur habere animum alteri quid dandi, pro quo nihil viciſſim accipit, adeoque nec plus dandi, quam recipit, niſi quatenus eo, quod plus dat, alterum ad dandum permovere velit (§. 889. *Pſych. empir.*), vel adſint rationes aliæ, cur gratis quid dare velit (§. 70. *Ontol.*). Quamobrem in permutatione is animus eſſe videtur permutantibus, ut unus tantundem

det,

det, quantum ab altero recipit, conſequenter ut in permutatione obſervetur æqualitas (§. 898), niſi adſint rationes fortes in contrarium.

Ex. gr. Si permutare velim triticum cum piſis, quod hiſce indigeam, non vero tritico; nulla ſaneratio, cur tibi plus dare velim, quam a te recipio, ſed potius tantundem recipere volo, quantum do, ita ut pretium piſorum æquale ſit pretio tritici. Aſt ſi tibi animus non eſt permutandi piſa cum tritico, & ego plus offero, quam tu dare debes, ut hoc lucro te permoveam ad permutandum; æqualitatem non attendi debere quod velimus permutantes, uti-que manifeſtum eſt. Idem obtinet; ſi rei tuæ ſtatuis pretium affectionis, ob quod tam cum alia permutare nolis, niſi eidem ſatisfiat. Quamobrem ordinarium eſt, quod unus permutantium tantum ab altero recipere velit, quantum dat, conſequenter ut æqualitas in permutatione ſpectetur, atque ideo hoc ſemper præſumitur, donec probetur contrarium (§. 248 *part. 2 Jur. nat.*).

§. 921.

Si inæqualitas ſit ſcientium ac volentium, qualis ſit actus. *Si unus permutantium ſciens ac volens plus dat, quam ab altero recipit; actus mixtus eſt ex permutatione & donatione.* Etenim in permutatione is eſt animus permutantibus, ut æqualitas obſervetur, niſi adſint rationes fortes in contrarium (§. 920.), adeoque ex contractu permutationis colligi nequit, quod unus plus dare voluerit, quam ab altero accepit. Quodſi ergo unus ſciens ac volens plus dat, quam ab altero recipit, hoc gratis dare (§. 18.), adeoque donare, quod plus eſt, intelligitur (§. 48.). Quamobrem patet, ſi unus permutantium ſciens ac volens plus dat, quam ab altero recipit, actus mixtus eſt ex permutatione & donatione.

Ex. gr. Do tibi librum, quem multo majoris pretii eſſe conſtat, ut des alium minoris pretii. Dubium non eſt, actum hunc non eſſe meram permutationem, ſed eidem accedere donationem, vel ut te permoveam ad permutationem; vel ne permutationis factæ te pœniteat, conſequenter ne ex ea tibi tædium ſuboriatur (§. 755. *Pſych. empir.*).

§. 922.

Æqualitas ad permutationem requiſita. Quoniam contractus mixtus eſt ex permutatione atque donatione, quando unus permutantium ſciens ac volens plus dat, quam ab altero recipit (§. 921.), quando vero tantundem recipitur, quantum datur, æqualitas obſervatur (§. 898.); *in permutatione per ſe æqualitas obſervanda, nec in ea admittenda inæqualitas, niſi qui plus dat ſufficienter indicaverit plus dandi voluntatem* (§. 919.).

In locum permutationis communis utilitatis gratia ſucceſſit emtio venditio, in quo contractu pecunia tanquam pretium eminens ſurrogatur in locum rei alterius. Cum igitur quilibet ultro admittat æqualitatem in emtione & venditione; nemini quoque mirum videri debet, quod eadem requiratur ad permutationem, cui iſte contractus æquiparatur. Qui dat ut detur, non vult gratis dare (§. 18.): non tamen repugnat, ut & gratis aliquid det, qui aliud gratis dare non vult, conſequenter ut partem det gratis, qui totum gratis dare non vult. Aliud vero eſt permutare, aliud permutare & donare ſimul. Cum nemo alteri donare quid cogatur (§. 73.), juſtitiæ autem conveniat, ut ſuum cuique tribuatur (§. 924-926. *p. 1 Jur. nat.*); ſi neuter permutantium habet animum donandi, quin æqualitas in permutatione obſervanda juſtitiæ conveniat, dubitandum non eſt.

§. 923.

Quomodo æqualitas obſervetur, ſi res permutandæ fuerint pretii diverſi. *Si res inæqualis pretii permutentur, nec dominus rei majoris pretii habeat animum donandi, rei minoris pretii adjiciendum aliud, quod exceſſum alterius adæquat.* Quamdiu enim a permutatione abeſt animus donandi, æqualitas obſervanda, nec ulla inæqualitas admittenda (§. 922.), conſequenter res, quæ permutantur, ejuſdem pretii eſſe debent (§. 898.). Quamobrem ſi contingat dari rem minoris pretii, ut detur res majoris, animum vero donandi non habeat, qui

qui rem majoris pretii dat; alter utique rei ſuæ, quæ minoris pretii eſt, aliud adjicere tenetur, quod exceſſum illius adæquat.

E. g. Permutamus ædes noſtras. Pretium mearum eſt 6000. thalerorum pretium tuarum 7000. Si tibi non eſt animus mihi donandi mille thaleros; utique tibi præter domum meam mille adhuc thaleros dare debeo. Aſt ſi domus mea tibi utilior videatur tua, ut eam utilitatem pluris facias, quam mille thaleros, pretium affectionis ſtatuis domui meæ; vi cujus tibi perinde eſt, ac ſi mihi donare velles mille thaleros, ut me ad permutationem ædium æqualis pretii permovere velles, aut permutationem tibi oblatam remunerari decerneres. Ceterum communiter obſervari, quod vult propoſitio præſens, experientia conſtat.

§. 924.

Pretium affectionis non iniquum non tollit æqualitatem in contractu oneroſo. Quoniam enim pretium affectionis a ratione alienum non eſt, & ita definiendum, quando ab altero agnoſcendum, ut nil committatur, quod repugnat officio cuidam erga alios (§. 912.); ut quis rem ſuam, quam dare debet, pretio affectionis non iniquo æſtimet, utique permittendum. Et quoniam alteri contrahentium liberum eſt, utrum idem agnoſcere malit, an vero contrahere nolit, quando idem agnoſcit, perinde eſt, ac ſi ipſemet hoc pretium rei imponeret, conſequenter tantundem reciperet, quantum daret. Quamobrem cum æqualitas obſervetur in contractu oneroſo, ſi tantundem recipitur, quantum datur (§. 898.); pretium affectionis non iniquum non tollit æqualitatem in contractu oneroſo. *An pretium affectionis in contractu oneroſo admittendum.*

Non metuendum hinc eſt, quaſi fraudibus latæ pandantur fores, ſi pretio affectionis locus in contractibus oneroſis admittatur. Etenim pretium affectionis indicandum eſt, ſi ejus ratio haberi debet (§. 427. *part. 3. Jur. natur.*): quo facto in arbitrio tuo poſitum eſt, utrum id agnoſcere velis, an nolis. Facile autem patet, te idem non agniturum, niſi adſint rationes, cur idem potius agnoſcere, quam re, cui impoſitum carere malis. Et in caſu particulari per has ipſas rationes intelligitur, adeſſe aliquid, quod exceſſu pretii affectionis ſupra verum æſtimes.

§. 925.

Quoniam in permutatione per ſe ſpectatur æqualitas (§. 922.), *pretium* autem *affectionis non iniquum* eandem non tollit in contractu oneroſo (§. 924.), qualis etiam permutatio eſt (§. 879.); idem etiam *in permutatione æqualitatem non tollit*. *An in permutatione.*

Sumamus exemplum de permutatione ædium, quod paulo ante dedimus (*not.* §. 923.). Ponamus ædes meas ad me perveniſſe a majoribus meis, ut ego eas æſtimem pluris, quam 6000. thalerorum, quod verum earum pretium ſit. Sit verum pretium ædium tuarum 7000. thalerorum & tu eas permutare vis cum meis, quoniam tibi utiliores. Quodſi hanc utilitatem magis æſtimes, quam mille thaleros, vel ſaltem non minoris, ſi ego nolim in permutationem conſentire, niſi pure tuæ cum meis permutentur, exceſſus pretii affectionis ſupra verum, qui eſt mille thalerorum, adæquat pretium utilitatis, cujus cauſa a te fit permutatio. Dici adeo nequit ob pretium affectionis, quod impono ædibus meis, ſublatam eſſe æqualitatem in permutatione, cum eodem ædes a me ob pretium affectionis, a te ob ſingularem utilitatem æſtimentur ſeptem millium thalerorum.

§. 926.

Si in permutatione qui plus dedit non habuit animum donandi, qui plus accepit, tantundem alteri reſtituere debet, quantum plus habet. Etenim in permutatione obſervanda æqualitas, niſi unus ſciens ac volens plus det donandi animo (§. 920. 921.), conſequenter eo animo contrahitur, ut tantundem recipiatur, quantum datur (§. 898.). Quoniam igitur nemo quid ab altero invito acquirere poteſt (§. 338. *part. 2. Jur. nat.*); qui plus accepit utique tantundem reſtituere debet, quantum plus habet. *Quando quod plus datum in permutatione reſtituendum.*

Oſten-

Oſtenditur etiam per indirectum hoc modo. Ponamus quod in permutatione animo non donandi plus datum reſtitui non debere. Dolo igitur, vel culpa ſua efficere licet, ut alter minus habeat, quam habere debebat. Quod cum ſit abſurdum (§. 579. *p. 2. Jur. nat.*); quod animo non donandi plus datum, utique reſtituendum.

Ex. gr. Permutatur avena cum hordeo. Ponamus commune pretium avenæ pro uno modio eſſe octo groſſorum, hordei vero duodecim, ut adeo pretia ſint ut 2 ad 3, conſequenter tres modii avenæ æquivaleant duobus modiis hordei. Ego tibi dedi 36. modios avenæ: ut æqualitas obſervetur, tu mihi dare debes 24 modios hordei. Aſt dediſti tantummodo 20. Neceſſe igitur eſt, ut mihi adhuc des quatuor. Similiter ponamus, me permutare domum cum agro tuo. Domus mea æſtimatur a peritis ter mille thalerorum pretio, agri tui pretium commune eſt nonniſi duorum millium & quingentorum. Quodſi æqualitas obſervanda, tu mihi adhuc dare debes thaleros quingentos. Naturaliter nulla toleratur læſio, ſed quantum quis plus habet, tantundem quoque reſtituendum. *Læſio* ultra dimidium, quæ & *enormis* dicitur, inventum juris civilis eſt, de quo plura ſuo loco.

§. 927.

Qualis ſit permutatio. *Naturaliter permutatio contractus conſenſualis eſt.* Naturaliter enim permutatio perficitur ſolo conſenſu contrahentium (§. 880.). Quoniam itaque contractus conſenſualis eſt, qui ſolo conſenſu mutuo perficitur (§. 725.); permutatio quoque naturaliter contractus conſenſualis eſt.

Quod adeo mere civile ſit, quando in Jure Romano ad perfectionem permutationis requiritur ſaltem ex altera parte traditio rei, ſupra jam annotavimus (*not.* §. 880.). Et quæ ibidem annotavimus, ne ullus ex Jure civili ſcrupulus reſtet, relegenda ſunt.

§. 928.

Quando contractus reſcindi dicatur. *Contractus* & *actus* in genere *reſcindi* dicitur, quando pro nullo declaratur, qui jure nullus non eſt Quamvis ſubinde etiam reſcindi dicantur actus, qui ipſo jure nulli ſunt, ſed per inconſtantiam loquendi, in Jure naturæ non facile admittendam (§. 143. *Diſc. prælim.*).

§. 929.

An permutatio ob læſionem reſcindi poſſit. *Naturaliter permutatio reſcindi nequit, læſo invito, immo nec reſcindi poteſt invito eo, qui plus accepit.* Etenim in permutatione datur res pro re (§. 879.) & naturaliter ea ſolo contrahentium conſenſu perficitur (§. 880.), conſequenter dandi voluntate ſufficienter declarata dominium rei tranſit in accipientem (§. 13. *p. 3. Jur. nat.*), quod cum nemini invito auferri poſſit (§. 338. *part. 2. Jur. nat.*), neuter quoque contrahentium cogi poteſt ad rem nunc ſuam reſtituendam & eam, quam dederat, recipiendam, aut, ſi res nondum traditæ fuerint, ad jus ſuum remittendum (§. 95. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem patet, naturaliter reſcindi non poſſe permutationem, ita ut quilibet contrahentium recipiat, vel retineat, quod ſuum eſt, altera parte invita, adeoque nec læſo invito, nec invito eo, qui plus accepit.

Naturaliter adeo quilibet retinet, quod ſuum eſt factum, & qui minus habet, non agit, niſi ut res ad æqualitatem reducatur, niſi utraque contrahentium pars in reſciſſionem contractus conſentiat, ut quod antea erat ſuum quælibet recipiat, vel retineat, ſiquidem res traditæ nondum fuerint, cum naturaliter quilibet jus ſuum remittere poſſit, quando nihil fit contra jus tertii (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*). Ex. grat. permutavi equum meum cum tuo. Equus meus æſtimatur a peritis 90. thalerorum, tuus nonniſi 40. thalerorum pretio. Nullum mihi competit jus ad equum, qui meus fuerat, mihi reſtituendum te invitum adigendi, & ad eum, quem tu dediſti, recipiendum, conſequenter te invito contractum reſcindendi. Similiter nec tibi

tibi competit jus me compellendi ad tibi reddendum equum, quem dederas, & recipiendum eum, quem acceperas. Nil autem obſtare, quo minus mutuo diſſenſu contractus reſcindatur, adeoque unuſquiſque vel recipiat, vel retineat quod ante contractum uniuſcujuſque erat, nemo dubitare poteſt.

§. 930.

De alienatione rerum permutatarum, ſed nondum traditarum

Si res permutatæ nondum traditæ fuerint, neuter tamen permutantium eam, quam adhuc habet, alienare poteſt. Etenim patet, ut in demonſtratione propoſitionis præcedentis, permutantium voluntate ſufficienter declarata ſtatim transferri dominium, ut adeo, ſi res non ſtatim tradantur, utraque pars habeat, quod eſt alterius, adeoque rem alienam (§. 146. *part. 2. Jur. nat.*). Enimvero rem alienam nemo alienare poteſt (§. 667. *part. 2. Jur. nat.*). Ergo etiam neuter permutantium, rebus nondum traditis, eam alienare poteſt, quam adhuc habet.

§. 931.

Quando alienata vindicari poſſit.

Quoniam itaque neuter *permutantium, rebus nondum traditis* eam alienare poteſt, quam adhuc habet (§. 930.), *ſi unus alienaverit, alteri competit jus eam adverſus poſſeſſorem vindicandi* (§. 544. *part. 2. Jur. nat.*).

Cur hæc parum conveniant juri civili, ex anterioribus abunde intelligitur.

§. 932.

De alienatione rei in permutatione traditæ.

Si unus permutantium rem tradidit & qui accepit eam alienat, alienatio valida, nec ei, qui tradidit, adverſus poſſeſſorem jus ullum competit. Etenim patet ut ante in demonſtratione de permutatione ob læſionem non reſcindenda (§. 929.), ſola declaratione voluntatis dandi in accipientem translatum eſſe dominium, ut adeo ſtatim efficiatur ejus dominus. Quodſi adeo acceſſit traditio, in eum quoque collata eſt potentia phyſica de re ſua pro arbitrio ſtatuendi (§. 24. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum dominus rem ſuam alienare poſſit (§. 668. *part. 2. Jur. nat.*); ſi qui permutantium rem ſibi traditam accepit eam alienat, alienatio utique valida eſt, conſequenter nec ei, qui tradidit, adverſus poſſeſſorem jus ullum competit.

Convenit hæc propoſitio cum jure civili: ſed per principia Juris naturalis non minor eſt evidentia propoſitionum præcedentium, quam præſentis.

§. 933.

An contractus conſenſualis in ſcripturam redigendus.

Contractus omnis conſenſualis valet, etiamſi in ſcripturam non redigatur: in ſcripturam vero refertur, ut appareat, quod & qua lege initus fuerit. Etenim contractus conſenſualis ſolo conſenſu mutuo perficitur (§. 725.), adeoque ſtatim valet, quamprimum contrahentes conſenſum ſuum quomodocunque declaraverint. Quamobrem cum non minus verbis ore prolatis, quam ſcriptis, conſenſus declarari poſſit; contractus conſenſualis valet, etiamſi in ſcripturam non redigatur. *Quod erat unum.*

Poſterius oſtenditur eodem modo, quo idem de donatione demonſtravimus (§. 162.). *Quod erat alterum.*

Supervacaneum eſſe, ut contractus conſenſualis in ſcripturam redigatur, ſi ſtatim ab utraque parte adimpletus, per ſe patet. Quamprimum enim contractus ab utraque parte adimpletus, neutra alteri amplius obligatur; adeoque nihil eſt, quod in dubium vocatum probatione poſthac indigeat, niſi forſan, quod fuerit contractum.

§. 934.

An permutatio. Quoniam permutatio contractus conſenſualis eſt (§. 927.), contractus autem conſenſualis valet, etiamſi in ſcripturam non redigatur, in ſcripturam vero refertur, ut appareat, quod & qua lege is initus fuerit (§. 933.); *permutatio* etiam *valida eſt, etiamſi in ſcripturam non redigatur, in eam autem referri debet, ut conſtet, quod & qua lege fuerit facta.*

Facile apparet in eo caſu conſultum eſſe, ut permutatio, & in genere contractus omnis in ſcripturam redigatur, quando non ſine ratione metuendum, ne forſan aliquæ ex contractu oriantur lites, ad quas dirimendas opus eſt ut conſtet, vel quod, vel quomodo contractum ſit.

§. 935.

Quando ad contractum conſenſualem ſcriptura requiratur. *Si de eo conveniant contrahentes, ne ante valeat contractus conſenſualis, quam is in ſcripturam redactus & ab utraque parte ſubſcriptus fuerit; nec ante validus eſt, adeoque pœnitere licet.* Etenim nemo ſibi alterum obligare valet ad dandum, vel faciendum ultra voluntatem ſuam (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque, ſi ita convenitur, ne ante valeat contractus conſenſualis, quam is in ſcripturam redactus & ab utraque parte ſubſcriptus fuerit, neuter contrahentium alteri obligatus eſſe vult, quam contractu in ſcripturam redacto & ſubſcripto (§. 698. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec antequam hoc factum fuerit, unus alteri obligatus eſt, conſequenter contractus conſenſualis, qui alias mutuo conſenſu quomodocunque declarato perficitur (§. 927.), non ante validus eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero quamdiu alteri nondum obligatus es, tibi adhuc liberum eſt, utrum te obligare alteri velis ad dandum, vel faciendum, nec ne, tibi reſervato jure voluntatem mutandi, ſi ita viſum fuerit (§. 377. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum eum pœniteat, qui male, aut minus recte a ſe factum judicat, quod contrahere voluerit (§. 759. *Pſych. empir.*); ſi ita convenitur, ne ante valeat contractus conſenſualis, quam in ſcripturam redactus & ſubſcriptus fuerit, pœnitere licet. *Quod erat alterum.*

Etſi adeo conventum fuerit; ut probationis gratia in ſcripturam redigatur, & ab utraque parte ſuſcribatur contractus, nondum tamen inde infertur, eum non eſſe validum: neque enim hic agitur de modo, quo conſenſus valide declarari debeat, ut inde oriatur obligatio. Ceterum de modo declarandi voluntatem ſuam, ut ex hac declaratione naſcatur obligatio, contrahentes convenire poſſe, dubium videri nequit, cum ab eorum unice voluntate pendeat, quibus ſignis ſibi mutuo voluntatem ſuam declarare velint, immo ſub qua conditione alteri obligatus eſſe velit.

§. 936.

Quando ad permutationem. Quoniam ita conveniri poteſt, ut non ante valeat contractus conſenſualis, quam is in ſcripturam redactus & ab utraque parte ſubſcriptus fuerit, & quamdiu hoc factum non fuerit, pœnitere licet (§. 935.), permutatio autem contractus conſenſualis eſt (§. 927.), *ſi ita convenitur, ne ante valeat permutatio, quam in ſcripturam fuerit redacta & ab utraque parte ſubſcripta, ea nec ante valet, adeoque pœnitere licet.*

Quoniam idem jam demonſtravimus de pacto in genere (§. 847. 843. *part.* 3. *Jur. nat.*), naturaliter autem contractus a pacto non differunt (§. 794. *part.* 3. *Jur. nat.*); idem quoque ex iis inferre poteramus, quæ de pactis demonſtrata fuerunt.

§. 937.

§. 937.

Emtio venditio eſt contractus oneroſus, quo res datur ab uno, & alter eam accipiens dat pretium eminens, ſeu eam pecuniæ ſummam, per quam pretium rei determinatur (§. 294.). *Eſt adeo emtio venditio contractus do rem, ut des pecuniam, ſeu in emtione venditione pecunia pro re datur.* *Emtio venditio quid ſit.*

Facile adeo apparet, cum nemo teneatur alteri gratis dare, ſi is viciſſim dare poſſit (§. 268.), emtionem venditionem ſucceſſiſſe in locum permutationis, ut facilius res ab aliis nobis comparare valeamus, quibus indigemus, cum introductis dominiis eas nobis ab aliis comparare teneamur. Nimirum pecunia fungitur vice omnium rerum in actibus permutatoriis & pro qualibet re dari poteſt (§. 292.). Rem adeo tibi vendit, qui eam cum tua, quam habes, permutare nollet. Et quoniam pecunia rem quamlibet repræſentare apta eſt, dare rem ut des pecuniam, perinde eſt ac dare rem, ut des rem aliam, quam ego habere volo. Atque hoc modo apparet, quomodo ex permutatione enata fuerit emtio venditio, cum viderent homines, non ſtatim reperire poſſe alium, qui rem ſuam, qua ipſi indigebant, cum re ipſorum, qua iidem carere poterant, permutare vellet. Ex. gr. ponamus tibi eſſe frumentum, quo ipſe minime indiges, te autem indigere panno. Non ſtatim reperies aliquem, qui pannum pro frumento dare velit. Aſt ſi tu frumentum das pro pecunia & deinde pecuniam pro panno, perinde eſt ac ſi pro panno dediſſes frumentum. Atque adeo emtio venditio duplex idem operatur, quod permutatio ſimplex, minori tamen difficultate ac certitudine majore. Neque enim unquam deſunt, qui pro frumento pecuniam dare volunt: nec deſunt, qui pecuniam pro panno accipere volunt. Quamobrem emtione venditione introducta rarior eſt permutatio ad res ab aliis ſibi comparandas minus apta.

§. 938.

Qui in emtione venditione rem dat *Venditor*; qui pretium rei, ſeu pecuniam, *Emtor* dicitur. Unde *vendere* idem eſt ac rem pro certo pretio, ſeu certa pecuniæ ſumma dare alteri, & *emere* idem eſt ac rem pro certo pretio, ſeu certa pecuniæ ſumma ſibi comparare ab altero. *Venditor & emtor quinam dicantur.*

In permutatione contrahentes a ſe invicem diſtinguere non licet, cum uterque det rem pro re: aſt in emtione venditione, ubi res & pecunia permutantur, differentia manifeſta inter eos intercedit, cum unus det rem, alter pecuniam. Aliud enim eſt dare rem, aliud pecuniam. Qui dat rem, certam ſpeciem dat: qui dat pecuniam, indefinite dat quamlibet ſpeciem, quatenus res quælibet pecunia comparabilis, & pecunia pro re quacunque accepta dari poteſt pro re quacunque alia.

§. 939.

Venditor dominium rei transferre debet in emtorem. Etenim venditor dare emtori debet rem (§. 938.). Enimvero qui alteri rem dat, dominium ejus in eum transfert (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem dominium rei venditor in emtorem transferre debet. *Translatio dominii in contractu emtionis venditionis.*

Ex. gr. Si tu mihi vendis domum tuam, dominium ejus in me transfers, ut adeo quamprimum domus emta, ea mea ſit. (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*). Unde vi contractus emtionis venditionis emtor efficitur dominus rei, quæ antea erat venditoris.

§. 940.

Quoniam venditor dominium rei transferre debet in emtorem (§. 939.), non dominus vero dominium rei alienæ in alium transferre nequit (§. 667. *part.* 2. *Jur. nat.*); *nemo rem alienam vendere poteſt; &, ſi quis rem alienam vendit tanquam ſuam, emtor non efficitur ejus dominus, ſed res manet ejus, qui dominium in ea habet*, conſequenter cum domino competat jus rem ſuam vindicandi adverſus *De re aliena vendita.*

ſus quemlibet poſſeſſorem (§. 544. *part.* 2. *Jur. nat.*), *rem alienam venditam dominus vindicare poteſt ab emtore.*

Ex. gr. Ponamus librum mihi furto ablatum a Titio tibi vendi. Liber ideo meus eſſe non deſinit, quod tu eum emeris; ſed manet meus, & ego eum vindicare poſſum tanquam meum.

§. 941.

Quando emtio venditio nulla & ſola poſſeſſio transferatur. Quoniam nemo rem alienam vendere poteſt (§. 940.); *ſi venditor rem alienam tradit emtori tanquam ſuam, emtio venditio nulla eſt*, cumque traditione tantummodo transferatur poſſeſſio (§. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*), *emtor non acquirit niſi poſſeſſionem.*

E. gr. Si tu emis librum mihi furto ablatum a Titio, emtio venditio nulla eſt, & tu tantummodo poſſeſſionem ejus nactus es, non vero dominium. Perinde nimirum eſt, ac ſi emtio venditio facta non eſſet, ſed ſola traditio.

§. 942.

An res aliena in loco publico emta ſit emta. Quoniam abſolute impoſſibile eſt, ut quis rem alienam valide vendat (§. 940.); *ſi vel maxime res aliena vendatur tanquam ſua in loco publico, ubi res exponuntur venales, emtio venditio tamen nulla eſt, nec emtor efficitur illius dominus.*

E. gr. Si liber meus in loco publico una cum aliis venalis expoſitus a te ematur, non tamen ideo valet emtio, nec propterea liber fit tuus. Cum enim mihi invito dominium auferri non poſſit (§. 338. *part.* 2. *Jur. nat.*), quod ſolo animo retineo (§. 258. *part.* 2. *Jur. nat.*); nec per hoc idem mihi adimitur, quod alius eandem una cum aliis libris venalem expoſuit. Quando igitur de emtione venditione ſermo eſt, ſemper ſupponitur, rem eſſe venditoris: alias enim venditor videtur, qui non eſt, & emere ſe putat, qui revera non emit. Quemadmodum vero quilibet poſſeſſor præſumitur dominus rei, niſi proſtent rationes probabiles in contrarium (§. 1033. *part.* 3. *Jur. nat.*); ita etiam quilibet venditor præſumitur dominus mercis, niſi in contrarium proſtent rationes.

§. 943.

Merx quid ſit. Res, quæ emitur venditurve, dicitur *Merx*. Subinde vocabuli ſignificatus reſtringitur ad res mobiles: quod inprimis in ſermone noſtro vernaculo obtinet, quando id, quod venditur, Wahre appellamus.

Paulus l. 1. ff. de contr. emt. &c vocabulum mercis in ſignificatu latiori accipere videtur, & in eodem quoque accipiendum, quando mercis mentio fit, ubi ea traduntur, quæ de omni emtione ac venditione valent. Quoniam in emtione venditione datur res pro pecunia, qua pretium ejus determinatur (§. 937.); res dicuntur merces, quatenus venales ſunt. Quamobrem res, quæ poſſidentur, alio fine comparatæ, quam ut vendantur, mercium nomine non veniunt. Hinc non res omnes, quas habet mercator, merces ſunt: ſed eæ ſaltem, quæ ſunt venales & quas vendendi gratia comparavit.

§. 944.

Qualis eſſe debeat res, cujus dominium transfertur. *Res, cujus dominium transfertur, certa eſſe debet.* Etenim ſi dominium rei in te transfertur, ea fit tua (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*) & tibi acquiritur facultas de ea pro arbitrio tuo diſponendi (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Tibi igitur conſtare debet, quænam ſit illa res, adeoque neceſſe eſt eam quomodocunque ſufficienter indicari, ut agnoſci & ab aliis ſui ſimilibus diſtingui poſſit. Quamobrem cum res hoc modo indicata certa ſit (§. 28. *part.* 3. *Jur. nat.*); res, cujus dominium transfertur, certa eſſe debet.

E. gr. Si dico: do tibi nummum quendam aureum; dici ſane nequit, me dominium nummi in te transtuliſſe, cum non conſtet, quinam ſit nummus ille aureus, num is, quem ego forſan

ſan habeo, an alius, quem mihi comparare volo, vel, ſi plures habeam, quemnam illorum tibi dare, ſeu tuum eſſe voluerim. Si igitur dominium nummi in te transferendum, neceſſe eſt ut ſit certus.

§. 945.

Dominium futurum dicitur, quod nobis competit in re extitura, quam primum exiſtit, vel etiam in re accipienda, quam primum accipitur. Unde ſimul patet, quodnam in genere dicatur *Jus futurum*. *Dominium & jus futurum quid ſit.*

E. gr. Fruges, quæ naſcentur futura æſtate in agro meo, meæ ſunt, & fructus arborum ac uvæ, qui naſcentur in horto meo, itidem mei ſunt, quamprimum exiſtent. Mihi adeo, quod in iis competit, dominium furturum eſt. Similiter pecunia, quam ſalarii loco accepturus ſum proxime, mea erit. Dominium, quod mihi in eadem competit, futurum eſt. Patet adeo dominium futurum ſupponere rem vel extituram, vel accipiendam, ſi non certo, ſaltem probabiliter, niſi caſu quodam inevitabili contingat, eam non exiſtere, vel non accipi, ut aliquo modo jam dici poſſit noſtra, quatenus nempe præter nos nemo alius abſque voluntate noſtra dominium in ea habere poteſt, quando exiſtit, vel accipitur. Quodſi enim prorſus incertum ſit, num aliquando in re aliqua dominium ſim habiturus, id futurum dici nequit, cum futurum jam determinatum eſſe debeat per ea, quæ præſentia ſunt, vel omnimode, ſi certo futurum, vel ex parte, ſi probabiliter futurum, probabilitate quædam requiſita ad veritatem exigente (§. 578. *Log.*).

§. 946.

Quoniam dominium futurum in re extitura, vel accipienda nobis competit, quam primum ea exiſtit, vel accipitur (§. 945.), adeoque nemini alii competere poteſt, abſque voluntate noſtra; *dominium futurum continet jus excludendi dominio alios quoſcunque in re extitura, vel accipienda, quando illa exiſtit, vel accipitur.* *Jus præſens in dominio futuro contentum.*

Dominium adeo futurum continet jam jus aliquod præſens, quod cum ad ipſum dominium ſpectet, ſeu eidem inſit (§. 120. *p. 2. Jur. nat.*), aliquid illius jam actu præſens eſt, ut adeo ipſum dominium ſpectari poſſit tanquam naſcens, quatenus ob futuritionem rei cum ea jam quaſi ad actum tendit ſuo tempore complementum conſecuturum. Quibus principia ontologica ſatis ſunt perſpecta una cum coſmologicis generalibus, illis abunde manifeſta erunt, quæ dico, nec nimiæ ſubtilitates, multo minus inanes ac ſteriles videbuntur, quæ veritati conſentanea ac fructuoſa ſunt.

§. 947.

Dominium futurum æquipollet dominio, cujus exercitium ſuſpenditur. Idem patet de jure futuro in genere. Etenim dominium futurum tibi competit in re extitura, vel accipienda, ſeu quam accipere debes, vel accepturus es, quamprimum ea exiſtit, vel a te accipitur (§. 945.), & hoc jure jam actu excludis alium quemcunque (§. 946.). Quoniam tamen res nondum exiſtit, vel nondum a te accepta; nec de ea actu diſponere potes, conſequenter dominium nondum exercere vales (§. 649. *part. 2. Jur. nat.*). Perinde igitur eſt, ac ſi res jam exiſteret, vel in poteſtate tua eſſet, ob certas tamen cauſas tibi dominium ejus exercere nondum daretur, conſequenter dominii exercitium ſuſpenderetur. Atque adeo patet, dominium futurum æquipollere dominio, cujus exercitium ſuſpenditur. Quod vero idem de futuro jure in genere valeat, eodem prorſus modo intelligitur. *Dominium futurum quale ſit.*

E. gr. Dominium futurum mihi eſt in frugibus agri & fructibus arborum futura æſtate exiturris. Nondum fruges & fructus iſtos conſumere licet, cum nondum extent. Inſtar domini adeo de uſu eorum diſponere cum nondum detur, dominii exercitium ſuſpenditur, donec extent. Enimvero ponamus fruges & fructus a te jam poſſideri, ad certum tamen tempus tibi ab eorum uſu abſtinendum eſſe præter voluntatem tuam; perinde ſuſpenditur uſus dominii ac in

caſu

caſu anteriore. Quodſi dicas caſu fieri poſſe, ut in caſu priori non extent fructus vel fruges, conſequenter dominium, quod futurum putabatur, ſit nullum; tenendum eſt, fieri quoque caſu quodam poſſe, ut fruges ac fructus extantes pereant & dominium intereat. In utroque itaque caſu contingere poteſt, ut dominio excidas, antequam ejus uſus tibi ſit conceſſus. Non abſimili modo patet, idem in illo caſu, quo accepturus quidpiam; præſertim ſi id, quod accepturus es, jam debetur.

§. 948.

Dominium & jus futurum num transferri poſſit.

Dominium futurum in alterum transferri poteſt. Idem ſuccedit in genere in jure futuro. Etenim dominium futurum continet jus excludendi dominio alium quemcunque in re extante vel accipienda, quando illa exiſtit, vel accipitur, jam in præſenti (§. 946.), ut adeo quamprimum extat, vel accipitur, ea tua ſit, nec alterius fieri poſſit niſi tua præter voluntatem tuam. Quamobrem cum jus omne proprium in alium transferri poſſit (§. 1. *part.* 3. *Jur. nat.*); in alterum quoque transferri poteſt jus excludendi dominio alium quemcunque in re extitura vel accipienda, quamprimum extat, vel accipitur. Enimvero ſi quis hoc jure inſtructus eſt, res quamprimum extat vel accipitur ſine ullo facto alio ſua eſt, alias enim dominio in ea nondum excluderet alium quemcunque, quod eſt contra demonſtrata, conſequenter quando jus iſtud transfertur, ipſum dominium futurum transfertur. Patet itaque dominium futurum transferri poſſe.

Quoniam jus futurum in genere continet jus excludendi eodem alios, quando actu dabitur (§. 946.), eodem modo intelligitur, jus futurum quodcunque in alium transferri poſſe.

E. gr. Dominium futurum eſt, quod mihi competit in frugibus proxima æſtate in agro meo & fructibus in horto meo naſcendis. Quodſi hoc jus in te transfero, fruges tuæ ſunt, quamprimum percipi poſſunt, & fructus ſimiliter tui ſunt. Et quia meipſum excludis dominio, & hoc jus me excludendi jam tibi competit, quamprimum id in te transtuli, etſi fruges nondum ſint natæ, nondum nati ſint fructus; & fruges jam tuæ dicuntur, & fructus dicuntur tui. Qui dominium futurum in re habet extitura, vel accipienda, actu quidem dominus non eſt, cum res actu nondum ſit, vel adſit, potentia tamen dominus eſt, cum res potentia ſit, vel adſit; potentia dominii per ſe in actum abitura, niſi caſu quodam improviſo impediatur, in præſenti non attendendo, ubi probabile ſtat pro vero. Quodſi nobis integer rerum nexus penitus foret perſpectus, ut futura eodem modo paterent, quo præſentia; futurum dominium tam certum foret, quam præſens. Sed quia nobis deeſt tanta perſpicientia futuri, ideo fieri nequit, ut dominium futurum ſit ſemper certum. Nonne vero eadem de cauſa incertum eſt, utrum dominium ſit duraturum, an vero re intereunte caſu quodam defiturum?

§. 949.

Quid transferatur, quando jus futurum transfertur.

Quoniam dominium & jus futurum in genere transferri poteſt (§. 948.), nemo autem in alterum plus juris transferre poteſt, quam ipſe habet, quod per ſe patet; *ſi dominium vel jus futurum transfertur in alium, tanquam futurum in eum transfertur*, conſequenter cum dominium futurum vel jus futurum non ante nobis actu competat, quam cum res exiſtit, vel accipitur, vel ea ſunt, a quibus jus futurum pendet in actu ſuo (§. 945.), *translatione dominii futuri potentia efficitur dominus is, in quem transfertur, ſed ita, ut ſtatim actu ſit dominus, quamprimum res exiſtit, vel accipitur eadem transferentis voluntate*, & in genere *eadem transferentis voluntate ſtatim potentia jus acquirit proprium, actu autem, quando ea adſunt, a quibus juris actualitas pendet.*

Idem e. gr. jus, quod mihi eſt in frugibus & fructibus futura æſtate naſcendis in agro & horto meo, in te transfero. Quemadmodum itaque ego potentia ſaltem illorum dominus nunc ſum, actu vero tum demum, quando nati fuerint, ita voluntate mea te quoque ſtatim efficio dominum potentia, aſt actu demum, quando nati fuerint. Hinc quando res, cujus dominium futurum in te transtuli, a me accipitur, non ego ejus actu fio dominus, ſed tu dominus evadis, potentia dominii tui ad actum perducta. Unde tu eandem a me exigis tanquam tuam, non tanquam tibi debitam, cum ego quidem tibi obligatus ſim ad eam tradendam, quia tua eſt, non vero ad eam

eam dandam, cum jam data fuerit, antequam a me acciperetur. Quamobrem aliud eſt transferre dominium in te accipienda, aliud promittere, quod dare velis rem, quando eam accepturus es, ut promiſſio vel in diem, vel ſub conditione facta intelligatur, adeoque ipſa datio ſeu dominii translatio ad terminum quendam differatur, vel ab eventu quodam ſuſpendatur. Hæc probe conſideranda ſunt, ne circa translationem juris futuri ſuboriantur difficultates, quæ ad errorem facile ſeducunt incautum.

§. 950.

Si prorſus incertum ſit, num dominium vel jus aliquod ſis acquiſiturus, dominium hoc, vel jus, quod acquirendum forſitan, transferri nequit, niſi ſub hac conditione, ſi acquiratur. Etenim ſi prorſus incertum ſit, num dominium aliquod ſis acquiſiturus, vel jus quoddam aliud: nondum dici poteſt illud futurum, cum adhuc dubitetur, utrum unquam futurum ſit, nec ne. Quamobrem nec iſtud in alium transferri poteſt tanquam futurum. Quoniam tamen ſimpliciter non repugnat, ut acquiras *per hypoth.* dominium, quod forſitan acquirere poteras, transferre licet ſub hac conditione, ſi acquiratur, nimirum ut non mihi, ſed tibi acquiratur, ſi acquiri contingat. *De dominii forſan acquirendi translatione.*

E. gr. Nondum novi, utrum aliquando mihi quiſpiam quid ſit donaturus, nec ne. Quamobrem ſi dico: primum, quod mihi donabitur, tuum eſto, & poculum argenteum mihi donari contingat, de quo tunc temporis ne per ſomnium quidem cogitare poteram, dubium non eſt, quin id ipſum ſit tuum, cum non tibi promiſerim, me illud tibi dare velle, ſed ſub hac conditione generali dominium in te transtuli, ſi quid mihi donari contingat. Hac igitur exiſtente, quod donatum eſt, ſtatim tuum eſt. Aliud nimirum eſt conditionata promiſſio dandi, quæ exiſtente conditione valida eſt (§. 467. p. 3. *Jur. nat.*); aliud conditionata datio, quæ non minus valida eſſe debet, conditione exiſtente, cum conditionate etiam aliquid dari, ſeu dominium ejus transferri poſſit (§. 11. *part.* 3 *Jur. nat.*). Quemadmodum itaque ſtatim actu debetur, quod conditionate promittebatur, conditione exiſtente, promiſſione conditionata in puram abeunte (§. 469. p. 3. *Jur. nat.*); ita etiam ſtatim tuum eſt, quod conditionate datum, conditione exiſtente, datione conditionata in puram abeunte. Ne vero dubium ſit, utrum aliquid ſaltem ſit conditionate promiſſum, an vero conditionate datum, quando de datione ejus ſermo eſt, quod num unquam ſis accepturus, prorſus adhuc incertum eſt, ita ut nullæ ſpei rationes adſint; ideo neceſſe eſt, ut voluntas dandi ſatis aperte declaretur, alias in caſu dubio promiſſio potius præſumitur tanquam ordinaria, quam datio (§. 248. *part.* 2 *Jur. natur.*). E. gr. Si dico: Quamprimum aliquid mihi donabitur, hoc tuum eſto, & ego reſpondeo: erit ne hoc ſtatim meum, vel das ne mihi hoc, ut ſit ſtatim meum, quando tibi donatum; tu vero regeris: eſſe debet ſtatim tuum, vel do tibi hoc, ut ſit ſtatim tuum; nullum ſane dubium eſt, quin dominium ejus, quod tibi primum donabitur, in me conditionate ſit translatum, nimirum ſub hac conditione, ſi quid donari contingat. Non nego promiſſionem dandi conditionatam a datione conditionata ſubtiliter diſtingui, etſi attendentibus manifeſta ſatis ſit differentia, ut adeo raro de hac differentia cogitent homines; per hoc tamen differentia non tollitur, ac ideo diximus promiſſionem conditionatam in caſu propoſitionis præſentis ordinariam eſſe, dationem extraordinariam.

§. 951.

Pecuniæ quantitas certa eſt, nominata ſumma; genus certum eſt, genere nominato; aſt ipſa pecunia certa non eſt, niſi corporibus demonſtratis. Etenim ſi pecuniæ quantitas nominetur, quantitas ſufficienter indicata eſt, ut ab alia quacunque diſtingui poſſit. Quamobrem cum certum ſit, quod ita indigitatur, ut ab aliis ſui ſimilibus diſtingui poſſit (§. 28. *part.* 3. *Jur. nat.*); pecuniæ quantitas certa eſt, nominata ſumma. *Quod erat primum.* *Quando pecunia certa ſit.*

Non abſimili modo patet, genus pecuniæ certum eſſe, ſi genus nominetur, cum vi notionis hujus generis, etiamſi confuſæ, hoc genus monetæ ab omni alio diſtingui poſſit. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero cum pecunia conſiſtat in certis corporibus (§. 290.), ea certa eſſe nequit, niſi corpora certa ſint (§. 28. *part.* 3. *Jur. nat.*): quorum cum confuſa ſaltem detur notio, ea verbis ita deſcribi nequeunt, ut agnoſcantur & ab aliis ſui ſimilibus diſtinguantur. Quamobrem aut certa ſint, aut oculis ſubjici, aut alio

alio quocunque modo per extrinſeca quædam deſcribi debent, ut agnoſcantur & ab aliis ſui ſimilibus diſtinguantur, conſequenter quaſi digito monſtrentur, adeoque demonſtrentur. Atque adeo patet ipſam pecuniam certam eſſe non poſſe, niſi corporibus demonſtratis (§. *cit.*) *Quod erat primum*.

E. gr. Si dico centum thaleros, ſummam nomino, & certa eſt pecuniæ quantitas. Quodſi tibi dare debeo centum thaleros, certa utique eſt quantitas pecuniæ, quæ tibi debetur. Si dico centum ducatos in ſpecie, cum ducatus in ſpecie ſit genus monetæ, genus monetæ, in quo tibi ſolvenda eſt pecunia, certum eſt. Aſt ſi centum ducatos præſentes tibi annumero, certa quoque eſt pecunia ipſa, quam tibi dare volo. Si pecuniæ corpora in tabula poſita, vel in ciſta collocata tibi monſtro, vel ciſtam, in qua ſunt, digito oſtendo, aut a colore & loco, ubi poſita, deſcribo; ipſa pecunia certa eſt, de qua mihi ſermo eſt. Quodſi dicam, te habere pecuniam, quam primam accepero, nec quantitas, nec genus certum eſt: attamen certa eſt quodammodo pecunia, quatenus demonſtrantur per hoc corpora, quod ea eſſe debeant pecunia, quamprimum ſum accepturus.

§. 952.

Pecunia quatenus in dominio.

Pecunia in dominio eſſe nequit niſi qua corpora, ſeu quatenus in certis corporibus conſiſtit. Etenim pecunia res corporalis eſt, cujus quantitas tanquam accidens (§. 780. *Ontol.*) ſine re iſta exiſtere nequit (§. 791. *Ontol.*), & extra quam exiſtere nequit genus (§. 56. *Log.* & §. 235. *Ontol.*). Quamobrem ſi dominium habere debes in pecunia, utique habere debes in corporibus, quæ pecuniam conſtituunt. Atque adeo patet pecuniam in dominio eſſe non poſſe niſi qua corpora.

Non habet pecuniam, niſi qui corpora habet. Quamobrem qui vi dominii de pecunia diſponere vult, is de ipſis corporibus, quibus valor quidam attributus, diſponere debet, ſit ita quod de iis diſponens rationem habeat valoris iſtius. Sane nemo non intelligit, te dominium habere non poſſe in centum thaleris, niſi quatenus habes res corporales, quibus valor iſte impoſitus, ut centum thaleros ſoluturus des iſta corpora. Si quis tibi ſolvere debet centum thaleros, non demonſtratis corporibus, quibus valor iſte inhæret, non dici poteſt te dominium in centum thaleris habere, ſeu centum thaleros eſſe tuos, ſed ſaltem eos tibi deberi: ubi vero accepiſti corpora, quibus valor centum thalerorum inhæret, tum demum dicitur, centum hoſce thaleros, qui per corpora demonſtrantur, eſſe tuos, conſequenter te in iis dominium habere (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 953.

Quomodo dominium in pecunia transferatur.

Dominium in pecunia transferri nequit, niſi datis, vel demonſtratis corporibus. Etenim res, cujus dominium transfertur, certa eſſe debet (§. 944.). Quamobrem cum ipſa pecunia certa non ſit, niſi demonſtratis corporibus (§. 951.); dominium in pecunia transferri nequit, niſi corporibus demonſtratis.

Oſtenditur etiam hoc modo. Dominium in pecunia non datur, niſi quatenus in certis corporibus conſiſtit (§. 952.). Quamobrem ſi dominium in pecunia transferendum, adeoque pecunia danda (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*); corpora danda ſunt. Atque adeo patet, dominium in pecunia transferri non poſſe, niſi datis corporibus.

E. gr. Si volo centum thaleros eſſe tuos, non ſufficit dicere; do tibi centum thaleros. Niſi enim demonſtres corpora, quibus valor iſte inhæret; nihil adhuc eſt, quod dici poſſit tuum: adeſt ſaltem obligatio tibi dandi corpora, quibus valor centum thalerorum tribuitur, cum tibi nondum conſtet, quænam ſint illa corpora, ut ea vindicare poſſes tanquam tua. Ab altero tantummodo exigere potes, ut det corpora quæcunque, quibus tantus valor inhæret.

§. 954.

§. 954.

Quoniam dominium in pecunia transferri nequit, niſi datis vel demonſtratis corporibus (§. 953.); *nuda conventione de danda certa pecuniæ quantitate ſeu ſumma, ſive ſimpliciter, ſive in certo monetæ genere, dominium in pecunia non transfertur, ſed ſaltem promiſſa intelligitur pecunia* (§ 361. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter *obligatio contrahitur ad eam pecuniæ ſummam ſolvendam* (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Effectus nudæ conventionis de pecuniæ ſumma danda.*

Nimirum ſi tantummodo convenitur de certa pecuniæ ſumma ſeu quantitate danda, vel ſimpliciter, vel in certo monetæ genere; in caſu priori transfertur jus exigendi pecuniæ ſummam in eo monetæ genere, quo ſolvere voluerit vel potuerit debitor, in caſu poſteriori eam exigendi in eo monetæ genere, in quo datio promiſſa. Quodſi dominium transferendum in pecunia nondum tradita; dicendum eſt: do tibi hos decem aureos, quos vel manu teneo, vel qui in menſa depoſiti, ſeu quocunque alio modo demonſtratos: ſi vero pecuniam tradens dico me dare, dominium & poſſeſſio una transfertur (§. 25. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 955.

Solutio pecuniæ eſt actus, quo dominium & poſſeſſio pecuniæ debitæ una transfertur, conſequenter cum dominium datione (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), poſſeſſio traditione transferatur (§. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*), *ſolutio pecuniæ & traditionem, & dationem continet*, ſeu eſt *traditio pecuniæ debitæ cum ſufficiente ſignificatione voluntatis dandi* (§. 13. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). *Solutio pecuniæ quid ſit.*

Pecunia tradi nequit, niſi tradantur ipſa corpora. Quamobrem ſi accedat voluntas dandi, dominium in ea transfertur (§. 13. *part.* 3. *Jur. natur.* & §. 944.). Sufficit autem voluntatem dandi quomodocunque declarari, ſive expreſſis verbis, ſive facto quodam, veluti dum pecunia traditur tanquam debita. Quod enim debetur, id tuum futurum eſt, adeoque ſi traditur, eo traditur animo ſeu tradi intelligitur, ut ſit tuum. Ex. gr. Tu mihi debes decem aureos: hi nondum mei ſunt, quamdiu eos debes, ſed mei fieri debent. Quare ſi mihi des decem aureos tanquam debitos, veluti dicendo: accipe decem aureos, quos tibi debeo, hoc ipſo facto declaras dandi voluntatem. Dominium mihi debetur: qui ergo transfert poſſeſſionem rei, in qua dominium mihi debetur, habere quoque debet animum dandi ſeu dominium transferendi, atque adeo facto ſuo eum declarare intelligitur.

§. 956.

Quoniam ſolutione pecuniæ dominium & poſſeſſio pecuniæ debitæ confertur (§. 955.); *qui pecuniam ſolvit, nullam amplius debet*, adeoque *ab obligatione dandi & tradendi pecuniam liberatur*. *Effectus ſolutionis pecuniæ.*

Hinc in genere ſolutio dicitur actualis rei debitæ præſtatio animo tollendi obligationem facta, qui ſemper adeſſe intelligitur, quando quod debetur præſtatur tanquam debitum. Sed de ſolutione in genere agetur ſuo loco.

§. 957.

Quoniam ſolutio requirit, ut pecunia tradatur & detur (§. 955.), dari autem nequit niſi datis corporibus (§. 953.), nec tradi poteſt, niſi traditis corporibus (§. 24. *part.* 3. *Jur. nat.*), utrumque autem fit, ſi pecunia creditori numeretur, cum ipſi tum tradatur tanquam debita, adeoque dandi animo; *pecunia ſolvitur, ſi creditori, ſeu ei, cui debetur, numeretur*. *Quando pecunia ſolvatur.*

Hinc *Marcianus* l. 49. ff. de Sol. & lib. ſolutam, inquit, pecuniam intelligimus, ſi numerata ſit creditori.

§. 958.

Quomodo dominium rei venditæ transferatur.

Venditor in emtorem dominium rei venditæ non transfert niſi ſub hac conditione, ut pretium ſolvatur. Venditor enim dat rem, ut emtor det pretium rei, ſeu pecuniam, qua æſtimatur (§. 937. 938.), conſequenter non vult dare rem, niſi emtor det pretium. Quamobrem patet eum in emtorem dominium rei venditæ non transferre niſi ſub hac conditione, ut pretium ſolvatur (§. 955.).

Abſurdum ſane foret ſtatuere, quod venditor transferat dominium in emtorem pure, ita ut id tranſeat in emtorem, etiamſi pretium non ſolvatur, vel ipſius voluntate in diem differatur. Vendere enim non eſt gratis dare, nec eſt dare eo animo, ut ſibi reſtituatur pretium loco rei.

§. 959.

Utrum pretium rei emendæ ſtatim ſolvendum, an ſolutio in diem differri poſſit.

In venditoris voluntate poſitum eſt, utrum velit pretium ſtatim ſolvi, an ſolutionem in diem differri. Quoniam nemo rem alienam vendere poteſt (§. 940.), venditor dominus eſſe debet rei, quæ emitur venditurve, ſive mercis (§. 943.), aut, ſi non ſit, pro domino ſe gerit. Enimvero a domini voluntate unice pendet, quomodo dominium rei ſuæ transferre velit in alterum (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem etſi venditor in emtorem dominium rei venditæ non transferat niſi ſub hac conditione, ut pretium ſolvatur (§. 958.); in ipſius tamen voluntate poſitum eſt, utrum velit pretium ſtatim ſolvi, an ſolutionem in diem differre.

§. 960.

Quando dominium tranſeat in emtorem.

Quando venditor vult pretium ſtatim ſolvi, dominium non tranſit in emtorem, niſi dum pretium ſolvitur: quando vero ſolutio conſenſu ipſius in diem differtur, dominium ſtatim tranſit & pecunia, qua æſtimatur, quaſi mutuo data intelligitur. Etenim venditor in emtorem rei venditæ dominium non transfert niſi ſub hac conditione, ut pretium ſolvatur (§. 958.). Quamobrem ſi vult pretium ſtatim ſolvi, conditio non exiſtit, niſi dum pretium ſolvitur, conſequenter nec dominium in emtorem tranſit, niſi dum pretium ſolvitur. *Quod erat unum.*

Quodſi vero venditor conſentit in dilationem pretii, cum repugnet velle, ut dominium non transferatur, niſi pretio ſoluto, & tamen rem vendere adeoque dare emtori (§. 937.), ſolutione pretii in diem dilata, quoniam aliud eſt vendere, aliud promittere, quod vendere velis certo tempore; perinde omnino eſt, ac ſi pecuniam numeraſſet adeoque pretium ſolviſſet emtor (§. 957.), & illam mutuo eidem dediſſet, ſeu crediſſet venditor (§. 514.). Quamobrem dominium ſtatim tranſit in emtorem *per demonſtrata n.* 1. & pecunia, qua æſtimatur res vendita, quaſi accepta mutuo data intelligitur emtori. *Quod erat alterum.*

Contractui emtionis venditionis utique convenit, ut pretium ſtatim ſolvatur, cum detur res pro pecunia, qua æſtimatur (§. 937.), ut adeo res emta non intelligatur, niſi pretio ſtatim ſoluto. Atque adeo hoc ſemper præſumitur, niſi de dilatione ſolutionis pretii in diem expreſſe fuerit conventum, nec emtio venditio perfecta intelligitur, ſi emtor pretium ſtatim ſolvere nolit, nec venditor in ſolutionis dilationem conſentire velit: id quod etiam in praxi quotidiana obſervari videmus. Dilatio adeo ſolutionis non pertinet ad emtionem venditionem, ſed eidem tanquam extrinſeca accedit per pactum eidem adjectum. Quemadmodum venditor dat mercem, ita emtor dare debet pecuniam, adeoque eam numerare venditori (§. 957.). Emtio venditio in reciproca dominiorum translatione conſiſtit, quarum una tanquam conditionem ſupponit alteram. Datur enim merx ut detur pecunia & pecunia datur ut detur merx (§. 937. 943.). Aliud vero cum ſit dare rem, ut alter ſe obliget ad dandum pretium, & ſe obligare ad dandum pretium, ut ſibi detur res, aliud vero dare rem, ut alter det pretium, &

dare

dare pretium ut alter det rem, poſterius autem emtioni venditioni conveniat (§. *937.*): proprie loquendo emtio venditio non eſt, ſi detur res, ut alterum obligatum habeam ad pretium dandum, ſed per fictionem hic actus ſubſiſtit per modum emtionis venditionis, quatenus pretium ſtatim ſolutum & pecunia accepta mutuo data intelligitur, ne contractus, quorum frequens in vita humana uſus eſt, multiplicentur, & quia abſurdum non eſt, eos per pacta adjecta alterari.

§. 961.

Quando res emta pignoris loco maneat apud venditorem.

Si venditor in dilationem pretii conſentit, non tamen mercem ſtatim tradit; eam ſecuritatis gratia retinet tanquam rem emtoris. Etenim ſi venditor in dilationem pretii conſentit, dominium ſtatim tranſit (§. 960.), conſequenter res vendita emtoris eſt (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque venditor ad eam emtori tradendam obligatur (§. 19. 23. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam vero eam non ſtatim tradit, ſed tamdiu retinere vult, donec pretium ſolvatur, quod quaſi mutuo datum intelligitur (§. 960.); eam utique tanquam rem emtoris in ſecuritatem crediti retinet.

Merx adeo pignoris loco in hoc caſu manet apud venditorem, quemadmodum ſuo loco conſtabit, quando de pignore ſumus acturi. Nimirum venditor in te transfert dominium mercis, tu quaſi mutuo accepiſti ab eo pecuniam, qua æſtimatur, & in ſecuritatem crediti retinet rem tuam loco pignoris. Non igitur in hoc caſu mera emtio venditio eſt, ſed actus potius mixtus ex emtione venditione, mutuo & contractu pignoris. Atque adeo jura & obligationes metienda ſunt ex triplici hoc contractu: quod niſi obſerves, fieri non poterit, quin ſubinde oriantur difficultates tantum non inſuperabiles, ſiquidem omnia inter ſe cohærere debeant. Venditoris vero arbitrio relictum eſſe per ſe patet, utrum emtori ſine pignore credere velit, an nolit.

§. 962.

De merce pretio ſoluto apud venditorem manente.

Si emptor pretium ſolvit, mercem tamen ſibi non ſtatim tradi vult; ea tanquam res emtoris apud venditorem quaſi depoſita manet. Etenim ſi emtor pretium ſolvit, quin dominium mercis in eum tranſierit, conſequenter ea ſua facta fuerit (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*), dubitandum non eſt (§. 958-960.). Quando igitur eam ſibi ſtatim tradi non vult, non venditoris, ſed emtoris cauſa ea manet apud venditorem, adeoque perinde eſt ac ſi eam cuſtodiendam venditori tradidiſſet emtor & ille gratis cuſtodiendam ſuſcepiſſet. Quamobrem cum res deponatur, quæ ab uno cuſtodienda datur, ab altero cuſtodienda ſuſcipitur gratis (§. 575.); ſi emtor pretium ſolvit, mercem tamen ſibi non ſtatim tradi vult, ea tanquam emtoris apud venditorem depoſita manet.

Equidem non ignoro, requiri a nonnullis, ut cuſtodia a venditore ſit promiſſa, ſiquidem res depoſita eſſe debeat: hoc tamen naturale non eſt, cum ex ipſo negotio cuſtodiam in ſe ſuſcepiſſe intelligatur venditor, propterea quod emtor non præſumatur velle, ut res ſua non cuſtodita maneat apud venditorem. Quamvis adeo depoſitum non expreſſe contrahatur, tacito tamen conſenſu quaſi contractum videtur. Conſultius autem videtur, ut emtor cuſtodiam a venditore ſibi promitti curet.

§. 963.

Quomodo de pretio conveniatur.

De pretio conveniri dicitur, ſi certa pecuniæ ſumma conſenſu contrahentium definiatur.

Venditor pro merce vult ſibi dari quinque thaleros; tu dare non vis niſi quatuor. Tandem conſentitis in pretium quatuor thalerorum cum dimidio, & erit de pretio conventum, ſumma quippe pecuniæ pro merce danda conſenſu veſtro definita.

§. 964.

Quando ſides de pretio habeatur. *Fidem de pretio habere* dicitur venditor emtori, vel *fidem emtoris ſequi*, ſi verbis emtoris de pretio ſolvendo confidens, nec de eo ſolvendo ſibi quocunque alio modo caveri vel ſatisfieri jubens, mercem tradit.

Ex. gr. Volo emere a bibliopola libros. Convenitur de pretio, quod ſit 20. thalerorum. Bibliopola libros mihi tradit, pretio non ſoluto, ſatis ſecurus ſe pecuniam ſibi debitam a me accepturum, ut ſibi alio modo caveri non ſit opus. Tum fidem de pretio mihi habere, vel fidem meam ſequi dicitur.

§. 965.

Quod fidem de pretio habere ſit quaſi accipere. Quoniam venditor, ſi fidem de pretio habet, vel fidem emtoris ſequitur, verbis emtoris confidit, quod pretium ſit ſoluturus, ut adeo de eo ſolvendo ſatis ſecurus alio modo ſibi caveri vel ſatisfieri non deſideret (§. 964.); perinde omnino eſt, ac ſi pretium ſolutum fuiſſet, ac tantundem pecuniæ mutuo data eſſet emtori, conſequenter *fidem de pretio habere, vel fidem ſequi eſt quaſi accipere*.

§. 966.

Num dominium mercis transferatur fide de pretio habita. *Quamprimum venditor emtori fidem de pretio habet, vel fidem ejus ſequitur, dominium mercis in emtorem tranſit.* Etenim venditor in emtorem dominium rei venditæ non transfert, niſi ſub hac conditione, ut pretium ſolvatur (§. 958.). Quamobrem cum fidem habere de pretio, vel fidem ſequi ſit quaſi accipere (§. 965.); ſi venditor emtori fidem de pretio habet, vel fidem ejus ſequitur, perinde eſt ac ſi pretium ſolutum fuiſſet. Dominium igitur mercis ſtatim in emtorem tranſit, quando eidem de pretio fidem habet venditor, vel fidem ejus ſequitur.

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* § 964.), dominium librorum ſtatim in me tranſit & mei ſunt libri, quamprimum bibliopola de pretio fidem mihi habet. Quamobrem quæſitus, cur libros mihi tradat, pretio nondum ſoluto, reſpondet, ſibi perinde eſſe, ac ſi pretium jam haberet. Nimirum quando fide de pretio habita emtori rem tradit venditor, ipſo facto declarat ſe rem dare emtori, adeoque dominium ejus in eum transferre, conſequenter dum eam tradit fidem de pretio habens cum poſſeſſione dominium una transfert (§. 25. *p. 3. Jur. nat.*). Traditur nimirum eo animo, ut ſit tua, quatenus venditor putat ſe pretium certo accepturum, adeoque quod certo accipiendum jam accepto æquiparat.

§. 967.

Num ſi de eo venditori quocunque modo ſatisfiat. *Quando venditori de pretio quocunque modo ſatisfit, vel cavetur; dominium mercis in emtorem tranſit.* Etenim ſi venditori de pretio quocunque modo ſatisfit, vel cavetur; tum perinde eſt, ac ſi pretium actu eſſet ſolutum, cum non amplius dubitet venditor, fore ut ſolvatur. Quamobrem cum venditor dominium mercis transferat in emtorem ſub ea conditione, ut pretium ſolvatur (§. 958.); idem in emtorem tranſit, quando venditori de pretio quocunque modo ſatisfit.

Ex modo, quo de pretio venditori ſatisfit, idem adhuc clarius eluceſcit in caſu particulari. Quodſi enim ſatisfiat pignore dato, vel ipſa re emta pignoris loco relicta (§. 961.); cum ex pignore pretium conſequi poſſit venditor, niſi ſolvatur, perinde omnino eſt ac ſi pretium jam actu haberet, conſequenter id ſolutum fuiſſet. Quodſi fidejuſſore, vel expromiſſore dato ſatisfit; cum fidejuſſoris vel expromiſſoris fidem ſequatur venditor, qui pro emtore ipſi obligatur (§. 782.), vel emtoris obligationem in ſe transfert (§. 865.), perinde omnino eſt ac ſi emtoris fidem ſequeretur, quia expromiſſor ipſi eſt loco emtoris (§. 867.), fidejuſſor autem in locum ejus ſuccedit, quando emtor non ſolvit (§. 786.). Quamobrem dominium ſtatim eodem modo tranſire intelligitur in emtorem, quo idem tranſire oſtendimus in eo caſu, quo emtori fides de pretio habetur (§. 966.).

§. 968.

§. 968.

Quando emtio venditio perfecta.

Naturaliter emtio venditio perficitur, quamprimum de pretio conventum & emtor ad pecuniam pro merce venditori numerandam paratus eſt, vel de pretio alio modo eidem ſatisfacit, aut venditor fidem emtoris ſequitur. Etenim in emtione venditione datur pecunia pro re (§. 937.), adeoque hic contractus perfectus eſt, quamprimum venditor dominium rei ſive mercis tranſtulit in emtorem & emtor viciſſim dominium in pecunia pro ea ſolvenda in venditorem (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*). Quamprimum de pretio conventum eſt, ſumma pecuniæ pro merce danda emtoris ac venditoris conſenſu definitur (§. 963.), adeoque hoc ipſo declarat venditor, ſe dominium mercis in venditorem transferre, ſi pretium hoc ſolverit (§. 958.). Quodſi ergo emtor ad pecuniam pro merce venditori numerandam paratus ſit; dum ſe paratum eſſe indicat pecuniam depromens, cum pecunia ſolvatur, quando ei, cui debetur, numeratur (§. 957.), ſolutione autem cum dominio poſſeſſio transferatur (§. 955.), quin hoc ipſo declaret emtor transferendi dominium in pecunia præſente animum dubitandum non eſt. Quoniam vero tam emtor ad rem, quam venditor ad pecuniam accipiendam paratus eſt, quemadmodum ex ipſorum factis intelligitur, nuda autem domini voluntate ſufficienter declarata dominium transfertur in accipientem (§. 13. *p. 3. Jur. nat.*); quin dominium mercis in emtorem, pecuniæ præſentis venditori jam numerandæ in ipſum tranſeat, quamprimum de pretio conventum & emtor ad pecuniam pro merce venditori numerandam paratus eſt, dubitandum non eſt. Atque adeo patet naturaliter emtionem venditionem perfici, quamprimum de pretio conventum, & emtor ad pecuniam pro merce venditori numerandam paratus eſt. *Quod erat primum.*

Jam vero cum dominium mercis etiam transferatur in emtorem, ſi fidem ei de pretio habuerit venditor, vel fidem ejus ſequatur (§. 966.), aut ſi emtor alio modo eidem ſatisfecerit (§. 967.), pecunia autem in utroque caſu quaſi accepta & mutuo emtori data intelligatur (§. 960. 965.); patet ut ante naturaliter emtionem venditionem perfici, ſi venditor fidem emtoris ſequatur, vel hic de pretio alio modo eidem ſatisfaciat. *Quod erat alterum.*

Ita omnino ratiocinandum, ſi nihil admittendum, niſi quod ex notionibus ſumtis deducitur, quemadmodum in Jure naturæ fieri debet. Quod vero in Jure civili emtio venditio contrahi dicatur, ſimulatque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum ſit, ac ne arrha quidem data fuerit, pr. Inſtit. de emt. & vend. conſequenter antequam dominium translatum fuerit §. 41. Inſtit. de rer. diviſ. id principiis quidem Juris civilis convenit, ſed in Jure naturæ admitti nequit, prouti ex hactenus demonſtratis abunde perſpicitur. Quoniam emtio venditio ſucceſſit in locum permutationis, quatenus in locum rei pro re altera danda ſurrogata eſt pecunia, id quod etiam admittit *Paulus* l. 1. ff. de contr. emt. in permutatione autem datur res pro re (§. 879.), adeoque permutatio reciproca dominiorum translatione perficitur (§. 675. *part. 2. Jur. natur.*); emtio quoque & venditio reciproca translatione dominii in re & pecunia perfici debet. Jure autem naturali ad translationem dominii non requiritur traditio, quemadmodum in civili (*not.* §. 25. *part. 3. Jur. nat.*); unde quando de translatione dominii ſermo eſt, aliter ratiocinandum in Jure naturæ, aliter in civili. Ac præterea utilitatis gratia quædam arbitraria admittuntur in jure civili, cum in Jure naturæ admitti nequeant, niſi quæ ex notionibus ſumtis neceſſario conſequuntur. Hæc diſertius inculcare viſum eſt, ne quis opinetur, quaſi tradantur vel a veritate aliena, vel nimiæ indulgeatur ſcrupuloſitati.

§. 969.

De promiſſione emtionis venditionis perficiendæ.

Si venditor promittit emtori ſe eidem rem pro certo pretio dare velle, & emtor promittit ſe dare velle pretium iſtud pro ea re; emtio venditio nondum actu perficitur, ſed ad eam perficiendam utraque ſaltem pars contrahentium obligatur. Quoniam enim venditor promittit emtori ſe eidem rem pro certo pretio dare velle,

le; hoc ipſo ſeſe obligat ad rem dandam, quando ad pretium ſolvendum paratus eſt (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*). Et quia emtor promittit ſe dare velle pretium iſtud pro ea re; hoc ipſo ſeſe obligat ad pretium ſolvendum, ut iſta detur (§. *cit.*). Quamobrem cum emtio venditio perficiatur, ſi a venditore detur *res*, ab emtore pecunia, qua pretium æſtimatur (§. 937.), nondum vero actu det, qui ad dandum ſeſe obligat, quod per ſe patet; ideo ſi venditor promittit emtori ſe eidem rem pro certo pretio dare velle, & emtor viciſſim promittit, ſe dare velle pretium iſtud pro ea re; emtio venditio nondum quidem actu perficitur, ad eam tamen perficiendam utraque pars contrahentium obligatur.

Promiſſio hæc efficit, ne pars una altera invita a contractu perficiendo & adimplendo recedere poſſit, adeoque pœnitentiam excludit. Differunt autem contractum perficere & adimplere, ut dare & tradere, adeoque naturaliter, non civiliter, cum civiliter datio inſit traditioni, quia dominium transfertur una cum poſſeſſione, naturaliter autem duo diſtincti ſint actus, quibus dominium & poſſeſſio transfertur, quamvis ſimul transferantur (§. 25. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 970.

Quomodo obligatio ad emtionem contrahendam oriatur.

Si tibi promitto, me rem meam tibi venditurum; ad emtionem venditionem contrahendam obligatus ſum. Idem valet, ſi tibi promitto, me rem tuam emturum. Etenim ſi tibi promitto, me rem meam tibi venditurum eſſe, me tibi perfecte obligo ad eandem tibi vendendam (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*). Et ſimiliter ſi tibi promitto me rem tuam emturum, me tibi perfecte obligo ad eandem emendam (§. *cit.*). In caſu adeoque priori venditor emtori, in poſteriori emtor venditori ad emtionem venditionem contrahendam obligatus.

Differt utique promiſſio venditionis emtionis contrahendæ ab obligatione contractus hujus perficiendi. Etenim ſi quis ad contractum hunc perficiendum ſeſe obligat, de pretio jam conventum eſt; ſi quis vero ſeſe obligat ad eum contrahendum, de pretio nondum conventum eſt. Nimirum in caſu priori venditor dicit: promitto me tibi domum meam venditurum pro pretio quatuor mille thalerorum, in quod pretium tu conſentis; in poſteriori autem ſimpliciter dicit: promitto me tibi domum meam venditurum, & tu promiſſionem acceptas, nulla pretii mentione facta.

§. 971.

Quoniam ex promiſſo venditoris ſaltem naſcitur obligatio venditoris ad vendendum, ex promiſſo emtoris vero obligatio emtoris ad emendum, cum promiſſor promiſſario, non autem promiſſarius promiſſori obligetur (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), promiſſarius vero acquirat jus acceptatione ſua ad id quod promittitur (§. 381. *part.* 3. *Jur. nat.*); *ſi & venditor ad vendendum, & emtor ad emendum obligatus eſſe debet, neceſſe eſt tam emtionem ab emtore, quam venditionem a venditore reciproce promitti* (§. 970.).

Nimirum ſi venditor ſaltem obligatus eſt ad vendendum, tibi tantummodo vendere debet, ſi emere adhuc volueris. Et ſi emtor ſaltem obligatus eſt ad emendum, emere tenetur, ſi eidem vendere volueris, veluti ſi vendere volueris, nec alium emtorem reperire poſſis. In caſu autem priori pœnitere licet emtorem, in poſteriori venditorem, cum quilibet jus ſuum ex promiſſione quæſitum alteri remittere poſſit (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*). Aſt ſi & venditor emtori obligatus eſt ad vendendum, & emtor venditori ad emendum, pœnitere partem unam non licet invita altera. Equidem de hac promiſſione non agitur in Jure civili, quamvis etiam ea per ſtipulationem eodem Jure valida fieri poſſit; e Jure tamen naturæ minime exulare debet, cum eidem conſentanea ſit. Quæ vero de promiſſione in genere demonſtravimus in parte tertia Juris naturæ integro capite quarto; ea etiam in hac promiſſione attendenda veniunt, ut caſus particulares definiantur.

§. 972.

§. 972.

Promiſſio emtionis venditionis contrahendæ fit ſub tacita hac conditione, ſi de pretio conveniri poſſit. Et in ſpecie venditio promiſſa intelligitur ſub hac conditione, ſi emtor pretium obtulerit æquum; emtio autem intelligitur promiſſa ſub hac conditione, ſi venditor pretium exegerit non iniquum. Etenim in emtione venditione pro re datur pretium eminens, ſeu ea pecuniæ ſumma per quam pretium rei determinatur (§. 937.), adeoque ea contrahi nequit, niſi de pretio conveniatur, in ſtatu naturali mutuo conſenſu determinandum (§. 319.). Quamobrem emtio venditio contrahenda promiſſa intelligi nequit niſi ſub hac conditione facta, ſi de pretio conveniri poſſit. *Quod erat unum.* *Promiſſio emtionis venditionis contrahendæ quomodo intelligatur.*

Quoniam vero homines naturaliter ad res pro æquo pretio ſibi invicem communicandas obligantur (§. 322.); venditio utique promiſſa intelligitur ſub hac conditione, ſi emtor pretium æquum obtulerit; emtio autem ſub iſta, ſi venditor pretium exegerit non iniquum. *Quod erat alterum.*

Quoniam variis circumſtantiis pretium rerum æquum eſſe poteſt, quod ſub aliis erat iniquum (§. 325.); difficile haud raro eſt determinare, quoniam pretium ſit æquum, quodnam iniquum. Iniquum tamen jure externo cenſeri nequit; quod commune eſt (§. 905.), aut quod ab alio offertur, ſi tu dare nolis. Hoc nimirum pacto quantitas pretii pro re dandi facilius definitur. Ceterum non inficias imus, pacta hæc & promiſſa magis fide, adeoque interno jure, quam externo illo, quod coactivum eſt, ſubſiſtere; ne litibus detur cauſa & in ſtatu naturali bello.

§. 973.

Si ego tibi promiſi, me tibi rem meam venditurum, eam alii vendere nequeo, quando idem dare vis pretium, quod daturus eſt alius. Etenim ſi tibi promiſi, me tibi rem meam venditurum, ad eam tibi vendendam obligatus ſum (§. 970.); ſi nimirum æquum offeras pretium, ſeu pretium dare velis non iniquum (§. 972.). Quamobrem cum pretium pro iniquo habendum non ſit, ſi idem a te exigo, quod mihi ab alio offertur (§. 325.); quando idem dare vis pretium, quod daturus eſt alius, rem alii vendere nequeo, quam tibi me venditurum promiſi. *Effectus venditionis promiſſæ.*

Atque adeo patet, promiſſionem venditionis non carere omni juris effectu, ut pro inutili haberi poſſit.

§. 974.

Si a me emere rem promiſiſti, eam a me emere teneris, quando eodem contentus ſum pretio, quod alius venditor exigit, a quo emere poteras. Etenim ſi a me rem emere promiſiſti, ad eam a me emendam obligatus es (§. 970.), ſi nimirum pretium exigo non iniquum (§. 972.). Quamobrem cum pretium pro iniquo haberi nequeat, quod alii venditori dare debes, ſiquidem ab eo emere volueris (§. 905.); quando eodem pretio contentus ſum, quod alii venditori dandum, ſi ab eo emere volueris, rem, quam a me emere promiſiſti, a me emere teneris, non ab alio. *Effectus promiſſæ emtionis.*

Quæ hic demonſtrantur, obſervanda omnino ſunt iis, qui æquitati ſtudent, ſi vel maxime lege poſitiva contrarium impune fieri permittatur. Servanda nimirum fides eſt non modo in promiſſis (§. 765. p. 3. *Jur. nat.*); verum etiam alias (§. 758. 163. p. 3. *Jur. nat.*).

§. 975.

An in emtione venditione æqualitas neceſſario obſervanda.

In emtione venditione a contrahentium unice voluntate pendet, utrum æqualitatem obſervare velint, nec ne. Etenim venditor dominus eſſe debet mercis (§. 939.) & emtor dominus eſſe cenſetur pecuniæ, quam pro re dat (§. 1033. *p. 2. Jur. nat.*). Enimvero a domini voluntate unice pendet, quomodo dominium rei ſuæ in alterum transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter utrum pro ea, quam dat, tantundem, an minus recipere velit. Quamobrem a venditoris etiam voluntate pendet, utrum integrum pretium, an ejus partem ab emtore accipere velit, & ab emtoris voluntate pendet, utrum verum pretium, an vero majus dare velit. Quamobrem cum æqualitas obſervetur, ſi tantundem recipitur, quantum datur (§. 898.), adeoque in emtione venditione æqualitas obſervata intelligitur, ſi verum pro re datur pretium (§. 905.); in emtione venditione a contrahentium unice voluntate pendet, utrum æqualitatem obſervare velint, nec ne.

Oſtenditur etiam hoc modo. Emtio venditio ſucceſſit in locum permutationis (*not.* §. 937.). Enimvero in permutatione a permutantium voluntate pendet, utrum æqualitatem obſervare velint, nec ne (§. 919.). Ergo etiam in emtione venditione a contrahentium unice voluntate pendet, utrum æqualitatem obſervare velint, nec ne.

§. 976.

An inæqualitas præſumi poſſit.

In emtione venditione is animus eſſe videtur contrahentibus, ut obſervetur æqualitas, niſi adſint rationes fortes in contrarium. In emtione venditione datur res, ut detur pretium eminens, ſeu pecunia, per quam pretium rei determinatur (§. 93[illegible].). Unde porro eodem modo infertur, quod is eſſe videatur venditori atque emtori animus, ut obſervetur æqualitas, niſi adſint rationes fortes in contrarium, quemadmodum idem de permutatione oſtendimus (§. 920.).

Immo quod de permutatione demonſtravimus, ad emtionem venditionem trahere licebat, quatenus hæc iſti æquipollet (*not.* §. 937.). Nimirum quia pecunia fungitur vice omnium rerum (§. 292.), ea etiam rem quamcunque repræſentare, atque adeo emtio venditio quoque inſtar permutationis ſpectari poteſt.

§. 977.

Æqualitas ad emtionem venditionem requiſita.

Quoniam *in emtione venditione* is eſſe videtur animus contrahentibus, ut obſervetur æqualitas, niſi rationes fortes adſint in contrarium (§. 976.); in ea quoque *per ſe æqualitas obſervanda, nec admittenda inæqualitas, niſi emtor pretium vero majus dans ſufficienter indicet, ſe vero majus dare velle, aut venditor vero minus accipiens ſufficienter indicet, ſe vero minus accipere velle.*

Superfluum videri poterat demonſtrare velle, quod in ipſa definitione ſumtum. Diximus enim in emtione venditione dari pretium pro re (§. 976.). Aſt pretium pro re non dediſſe cenſetur, qui dat partem, non totum, nec qui plus dat, quam pretium; cum aliud utique ſit dare pretium, aliud partem pretii dare, vel plus dare, quam pretium (§. 183. *Ontol.*). Enimvero non ſufficit hoc in emtione venditione ſumi; ſed oſtendendum etiam eſt, quod recte ſumatur: cum definitionibus nominalibus per ſe non inſit veritas.

§. 978.

§. 978.

Si inæqualitas ſit ſcientium qualis ſit actus.

Quia in emtione venditione per ſe ſpectanda æqualitas eſt (§. 977.); *ſi emtor ſciens det pretium vero majus, ſeu plus quam pretium rei, venditor autem ſciens accipit pretio vero minus, actus mixtus eſt ex emtione venditione atque donatione* (§. 48.).

Oſtendi idem poterat eodem modo, quo idem de permutatione oſtendimus. Vendere & gratis dare non ſunt idem. Qui vult vendere non vult dare gratis, adeoque nec partem mercis vendere, alteram vero partem dare gratis. Animus adeo gratis dandi in venditore non præſumitur. Similiter emere & gratis dare non ſunt idem. Qui emere vult gratis dare non vult, adeoque nec ex eo, quod emere vult, habere intelligitur aliquid gratis dandi animum. Donatio adeo nec in emtore, nec in venditore unquam præſumitur. Quamobrem nec pro ſimplici emtione ac venditione haberi poteſt, ſi animus aliquid gratis dandi ex parte alterutra accedat. Licet enim ideo emtio ac venditio non fiat irrita (§. 975.); genus tamen mutat, quatenus actus ex emtione venditione & donatione mixtus non eſt in ſpecie emtio venditio.

§. 979.

Quando venditor poſſeſſionem transferat ſine dominio.

Si venditor mercem tradit emtori, non tamen de pretio fidem eidem habet, nec hic pretium ſolvit, vel alio modo eidem de eo ſatisfacit; dominium in re ſibi reſervat. Venditor enim in emtorem dominium rei venditæ non transfert niſi ſub hac conditione, ut pretium ſolvatur (§. 958.), nec pretio nondum ſoluto dominium in emtorem tranſit, niſi vel creditor emtori de pretio fidem habuerit (§. 966.), vel emtor venditori quocunque modo de eodem ſatisfecerit (§. 967.). Quamobrem cum traditione poſſeſſio, non vero dominium transferatur (§. 23. *part. 3. Jur. nat.*) & in voluntate venditoris poſitum ſit, utrum poſſeſſionem ſine dominio transferre velit nec ne (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*); evidens omnino eſt, ſi venditor mercem tradit emtori, cui de eo fidem non habet, nec hic pretium ei ſolvit, vel alio modo de eo ſatisfacit, illum dominium in re ſibi reſervare.

Juxta principia Juris naturalis nihil difficultatis in eo eſt, ut venditor tradat emtori mercem, dominio ſibi in ea reſervato, donec pretium fuerit ſolutum: ſed cum jure civili traditione transferatur dominium, ejus principiis non ſatis convenire videatur tradere emtori mercem, non tamen ante transferre dominium, quam pretium ſolvatur. Abſit tamen, ut ideo abſurditatis redarguas juris Romani conditores: cum enim jus civile efficiatur ex naturali, dum publicæ utilitatis gratia quædam immutantur: ex theoria demum naturali Juris civilis definiendum, num & quomodo conſonent, quæ diſſonare videntur. Sufficit ex propoſitione præſente conſtare, quod venditor poſſeſſionem mercis traditione transferre poſſit in emtorem, dominio ſibi reſervato, donec pretium ſolvatur, nec hoc obſtare, ut in aliis caſibus civiliter non transferatur dominium ſine poſſeſſione, ſiquidem utilitas publica hoc ſuaſerit, cujus in Jure civili conſtituendo habendam eſſe rationem ſuo conſtabit loco.

§. 980.

De merce ſine pretio convento data & tradita.

Si venditor mercem dat & tradit, quamvis de pretio nondum fuerit conventum; emtori fidem de pretio habet, & hic tacite conſentit in pretium commune illius temporis, quo mercem accipit. Qui enim mercem ſibi dari & tradi vult, emendi utique animum habet (§. 943.), conſequenter dandi pretium pro merce (§. 937.). Et quia venditor dominium non transfert, & poſſeſſionem, quando pretium nec ſolutum, nec alio modo de eo ipſi ſatisfactum, niſi verbis emtori de ſolvendo pretio confidat (§. 958.), conſequenter de eodem fidem habeat emtori (§. 964.), ſi dat mercem & tradit, quamvis de pretio nondum fuerit conventum, de eo utique fidem habere debet emtori. Enimvero quoniam emtor non ante de pretio convenit, quam mer-

mercem ſibi dari ac tradi vult; neceſſe omnino eſt ut confidat, venditorem contentum fore eo pretio, quanti res valet communi hominum, vel peritorum æſtimatione adeoque communi (§. 905.), & quidem eo tempore, quo res datur ac traditur, ſi idem variet, ſeu omni tempore idem non eſt. Tacite itaque conſentit in pretium commune illius temporis, quo mercem accipit (§. 660. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Patet itaque ſi venditor mercem dat & tradit, quamvis de pretio nondum fuerit conventum, venditorem de pretio emtori fidem habere & emtorem in pretium commune ejus temporis, quo merx accipitur, tacite conſentire.

Monuimus jam ſupra (§. 960.), proprie emtionem venditionem non eſſe, niſi pretium ſtatim ſolvatur, adeoque multo minus emtio venditio ſimplex erit, ſi de pretii ſolvendi quantitate ne quidem conveniatur. Idiomate quoque patrio diſtinguimus inter wahren verkauffen und ausnehmen, ſeu merces emere ac mutuo ſumere ea lege; ut pro ea pretium reſtituatur ex parte emtoris, & inter verkauffen und verborgen, ſeu vendere merces & eadem lege mutuo dare ex parte venditoris, non tamen attenditur differentia, utrum de pretio fuerit conventum, nec ne, quia tacita conventio idem operatur, quod expreſſa.

§. 981.

Qualis contractus ſit emtio venditio.

Emtio venditio contractus conſenſualis eſt. Etenim in emtione venditione venditor dat rem, emtor pecuniam, qua pretium ejus æſtimatur (§. 294.), adeoque contractus perficitur, quamprimum venditor animum rem dandi ſufficienter declarat (§. 13. *p.* 3. *Jur. nat.*) &, niſi pretium ſtatim ſolvatur, in dilationem ſolutionis conſentit (§. 960.), emtor autem, niſi fides de pretio ipſi habeatur, ad numerandum pecuniam ſe paratum oſtendit, vel alio modo venditori de pretio ſatisfacit (§. 968.), conſequenter quamprimum emtor & venditor in mercem pro pretio tradendam conſentiunt (§. 19. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum contractus conſenſualis ſit, qui mutuo conſenſu perficitur (§. 725.); emtio venditio contractus conſenſualis eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Naturaliter emtio venditio perficitur, quamprimum de pretio convenitur & emtor ad pecuniam pro merce vendita numerandam paratus eſt, vel de eo pretio alio modo venditori ſatisfacit, aut venditor emtori de eo fidem habet (§. 968.). Quoniam vero ut hoc fiat, emtoris ac venditoris ſufficit voluntas ſufficienter indicata, adeoque conſenſus (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); emtio venditio mutuo conſenſu emtoris ac venditoris perficitur, adeoque contractus conſenſualis eſt (§. 725.).

In Jure civili ſumitur, emtionem venditionem contractum conſenſualem eſſe debere, adeoque ibidem probandum non eſt: non tamen ſumitur ſine ratione. Cum enim in jure civili actibus obligatoriis præſcribatur certa forma, ut conſtet, num adſit aliqua obligatio civilis, ex qua datur eodem jure actio; definiendum utique erat, quandonam ſolus conſenſus ad eam pariendam ſufficere debeat, quandonam vero alius adhuc actus accedat neceſſe ſit, veluti in contractibus realibus traditio latiori quodam ſignificatu accepta, qui differentiam ſpecificam a contractu habet, veluti traditio ad certum uſum in commodato, traditio ad cuſtodiam in depoſito. Nimirum quemadmodum traditio ſtrictiori ſignificatu, quo actum transferendi poſſeſſionem ſignificat (§. 23. *part.* 3. *Jur. natur.*), denotat actum, quo res redigitur in poteſtatem ejus, in quem dominium translatum eſt, dominii exercendi cauſa (§. 24. *p.* 3. *Jur. nat.*); ita traditio ſenſu generali accipitur pro actu, quo res transfertur in poteſtatem alterius finis cujuſcunque alterius gratia, veluti uſus cauſa in commodato, cuſtodiæ cauſa in depoſito. Hinc *in genere traditio* definiri poterat, quod ſit actus, quo res redigitur in poteſtatem alterius, finis cujuſdam gratia. Unde deinceps pro diverſitate finis oriuntur diverſæ traditionis ſpecies, quarum una ſit dominii exercendi cauſa, conſequenter qua poſſeſſio transfertur. Ceterum probe notandum eſt, non omnia demonſtranda eſſe in jure civili, quæ in naturali demonſtranda ſunt, quamvis ratio reddenda ſit eorum, quæ ſumuntur, ut pateat, cur ſumantur & judicari poſſit, num recte ſumantur. Unde porro ſequitur, in Jure civili definitionibus inſerenda eſſe, quæ in naturali ex eadem exulare debent. Hæc ideo monemus, ne qui Jus civile methodo demonſtrativa in ſyſtema redigere voluerit, quantum res patitur, ea, quæ ſumenda ſunt, ab iis, quæ demonſtranda, non diſtinguat, nec in definitionibus condendis in regulas logicas impin-

impingat, dum eas obſervare intendit, & ne in Jure naturæ præcocibus cenſuris ſibi magis aditum ad ſcientiam præcludat, quam aliis moleſtus ſit.

§. 982.

Contractus emtionis venditionis adimpletur vel conſummatur, quando a venditore traditur merx, ab emtore autem pecunia eidem numeratur. Etenim in contractu emtionis venditionis venditor dat rem, & emtor pecuniam, per quam pretium ejus determinatur (§. 937.). Enimvero ſi venditor rem tradit, poſſeſſionem ejus in emtorem, qui dominium dando acquiſivit (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), una cum jure poſſidendi (§. 19. *part.* 3. *Jur. nat.*), transfert (§. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque is habet rem emtam. Et quando emtor pecuniam, per quam pretium rei determinatur, numeratam venditori, cujus dandi animum, cum de eo conveniretur, declaravit, ſeu pretium ſolvit, poſſeſſionem quoque cum dominio in eundem transfert (§. 935.), adeoque & venditor pretium pro re habet. Emtio adeo venditio adimpleta, ſeu conſummata, ſi venditor rem tradit emtori, emtor pretium ſolvit, ſeu pecuniam, qua æſtimatur, venditori. *Quando emtio venditio conſummetur, vel adimpleatur.*

Ex. gr. Bibliopola tibi tradit librum, tu eidem ſolvis pretium ſedecim groſſorum: contractus conſummatus eſt, ſeu adimpletus. Nimirum qui erat bibliopolæ, eum tu accepiſti librum, atque is nunc tuus eſt. Et quæ erat pecunia tua, eam accepit bibliopola, atque ea nunc ipſius eſt. Uterque igitur habet id, cujus cauſa contraxit. Quare contractus conſummatus.

§. 983.

Si emtio venditio contrahenda per literas, venditor aut fidem habere emtori de pretio, aut hic ei alio modo ſatisfacere debet. Etenim ſi emtio venditio per literas contrahenda, non ſufficit, ut tu ſignifices te rem emere velle pro hoc pretio, & alter reſpondeat, ſe pro eodem tibi eandem vendere velle, cum hoc pacto ſaltem contrahatur obligatio ad emtionem venditionem perficiendam (§. 969. & *ſeqq.*). Quamobrem cum emtio venditio non perficiatur natnraliter, ſi pretium non ſtatim ſolvatur, niſi vel venditor aut fidem habeat emtori de pretio, aut hic alio modo venditori ſatisfaciat (§. 968.); ſi emtio venditio contrahenda per literas, venditor aut fidem emtori habere de pretio, aut hic ei alio modo ſatisfacere debet. *Quomodo emtio venditio per literas contrahatur.*

Quoniam contrahitur emtio venditio, ſi poſtquam de pretio conventum, venditor rem ſecuritatis gratia retinet, donec pretium ſolvatur (§. 961.); cum hoc modo de pretio ſatisfiat venditori, eodem quoque per literas contrahi poteſt, ut nimirum rem emtam tamdiu retineas, donec pretium ſolverim. Quod autem hoc procedat, ut per literas contrahatur, etiamſi de pretio nondum fuerit conventum, adeoque merces ad te mittantur, patet per ea, quæ modo demonſtravimus (§. 980.).

§. 984.

Quoniam per alium quoque venditori eadem ſignificare potes, quæ per literas ſignificas; *quin per internuncium emtio venditio contrahi poſſit, modo venditor norit, te hoc ei mandaſſe, dubitandum non eſt* (§. 983.). *An per internuncium.*

Quæ hic tenenda ſint, ex ſuperioribus patent, quæ de mandato demonſtravimus, ut adeo opus non ſit ibidem demonſtrata ad caſum præſentem emtionis venditionis applicare. Non tamen hic caſus, de quo loquimur, confundendus cum altero, quo ego tibi mando, ut mihi emas merces, venditor autem ignorat, utrum eas tuo, vel meo nomine emas, conſequenter tu cum eo contrahis tuo, non meo nomine.

§. 985.

De emtione per ſcripturam contrahenda.

Emtio venditio ſine ſcriptura perficitur, niſi conveniatur, ne ante valeat, quam in ſcripturam fuerit relata & ab utraque parte ſubſcripta. Eſt enim emtio venditio contractus conſenſualis (§. 981.). Enimvero omnis contractus conſenſualis ſine ſcriptura perficitur, niſi conveniatur, ne ante valeat, quam in ſcripturam fuerit relatus & ab utraque parte ſubſcriptus (§. 933. 935.). Ergo etiam emtio venditio ſine ſcriptura perficitur, niſi conveniatur, ne ante valeat, quam in ſcripturam fuerit redacta & ab utraque parte ſubſcripta.

§. 986.

Quando probationis gratia in eam referatur.

Emtio venditio jam perfecta probationis gratia in ſcripturam refertur. Eſt enim contractus conſenſualis (§. 981.). Sed omnis contractus conſenſualis jam perfectus in ſcripturam non redigitur niſi ut appareat, quod & qua lege fuerit contractum (§. 933.); conſequenter probationis gratia. Ergo etiam emtio venditio jam perfecta probationis gratia in ſcripturam refertur.

Scriptura inprimis neceſſaria eſt in rerum immobilium & incorporalium emtione, aut ſi contractui adjiciantur pacta, quæ in futurum prominent, nec ſtatim adimpleri poſſunt.

§. 987.

Arrha quid ſit.

Arrha dicitur pecunia vel res, quæ ab uno contrahentium datur alteri contractus probandi & confirmandi gratia. Atque ideo *Datio arrhæ* contractus eſt, quo unus contrahentium certam pecuniæ quantitatem, vel rem aliam dat alteri probandi confirmandique contractus alterius gratia.

Ex. gr. Emo a te domum tuam pretio quatuor mille thalerorum, ſed ea lege, ut traditio fiat & pecunia numeretur certo die. Do tibi quinquaginta thaleros, ut de contractu adimplendo ſis ſecurus & domum tuam a me emtam per hanc dationem probare poſſis. Quinquaginta iſti thaleri, quos tibi numeravi, arrha dicuntur. Similiter emo a bibliopola librum, ſed eum apud ipſum remanere volo, donec pretium ſolvatur. Do ipſi unum florenum, ne dubitet, me pretium ſoluturum & librum traditum apprehenſurum, utque a me emtum probare poſſit, ſiquidem contingat me a contractu recedere velle. Florenus iſte, quem dedi, arrha eſt. Similiter arrhæ loco dari poteſt liber alius, quem mecum habeo, vel in caſu domus emtæ horologium portatile ex argento vel auro confectum. Non tamen arrhæ dantur eodem modo, cum enim non uno modo dari poſſint, conſenſu contrahentium is definiendus. Unde etiam datio arrhæ non ſemper eundem habet effectum; ſed is ex modo, quo data eſt arrha, determinandus, prouti ſequentia docebunt.

§. 988.

Arrha a quonam detur & accipiatur.

Quoniam arrha datur contractus alterius probandi confirmandique gratia (§. 987.); *arrham ſibi dari petit, cujus maxime intereſt, ne a contractu ſeu pacto recedatur, arrham vero ultro offert etiam is, cujus maxime intereſt, ne a contractu recedatur, vel qui ſibi metuit, ne contractus ab altero non adimpleatur, vel nondum perfectus non perficiatur.*

Ex. grat. Promitto tibi, me domum tuam eſſe emturum. Quodſi tu tibi metuis, ne forſan non ſtem promiſſis; arrham tibi dari vis: tua nimirum intereſt, ne aliam vendendi occaſionem, quæ ſeſe offerre poterat, prætermittas. Similiter tu mihi promittis, te domum tuam mihi vendidurum pretio quater mille thalerorum. Mea intereſt, ut eam mihi, non alii vendas. Ultro igitur tibi do arrhæ loco quinquaginta thaleros.

§. 989.

§. 989.

Qualis ſit contractus arrhæ datio

Quoniam arrhæ datio non perficitur niſi pecunia, vel res, in qua arrha conſiſtit, actu ſolvatur, vel tradatur (§. 987.), contractus autem realis eſt, qui rei traditione perficitur (§. 437.; *arrhæ datio contractus realis eſt*.

Datur nimirum arrha contractus alterius probandi confirmandique gratia (§. 987.). Quodſi igitur arrha indicium eſſe debet contractus initi, vel pacti; neceſſe eſt ut ea ſit in poteſtate tua, vel manibus tuis. Et idem intelligitur, ſi arrha debet eſſe motivum, quo dans compellitur ad contractum perficiendum & adimplendum. Quamobrem neceſſe eſt, ut arrha actu tradatur (§. 24. *part.* 3. *Jur. nat.*): ſit ita quod traditio latiori ſignificatu ſubinde accipi debeat (*not.* §. 981.).

§. 990.

Arrha quid ſignificet & quomodo contractui accedat.

Quoniam *arrha* datur contractus alterius probandi & confirmandi gratia (§. 987.), ea *indicium eſt contractus initi & motivum ab eo non recedendi*, ſeu *ſignum conſtantiæ voluntatis*, conſequenter *ſi arrhæ datio ad contractum accedit, in eodem nihil immutat, niſi aliter fuerit conventum*.

Nimirum contractus per ſe conſiſtit, nec arrha demum efficitur validus, etſi per arrham probare poſſis, contractum eſſe, neque enim arrham dediſſet, niſi contraxiſſet qui dedit. Eadem ergo, quæ ex contractu oritur, obligatio manet, arrha data, quæ fuerat ea nondum data. Nec ſi motivum eſſe debet a contractu non recedendi, ut is firmior ſit, propterea in obligatione; quæ ex contractu eſt, quicquam mutatur. Eſt arrhæ datio contractus peculiaris, qui alio contractu, ad quem accedit, ſalvo abeſſe, & adeſſe poteſt.

§. 991.

De arrha tanquam parte debiti data.

Si arrha detur tanquam pars ejus, quod ex contractu debetur, veluti tanquam pars pretii pro merce ſolvendi in contractu emtionis venditionis; in id, quod ex contractu præſtandum, imputatur. Quodſi enim arrha detur tanquam pars ejus, quod ex contractu debetur, non modo datur contractus hujus probandi confirmandive gratia (§. 987.); verum dans etiam contractum ex parte adimplet partem ejus præſtando, quod ex eodem præſtare debet. Quamobrem cum data arrha non amplius totum debeat, ad quod præſtandum contrahendo ſe obligavit alteri; ideo ut contractus prorſus adimpleatur ex parte ſui, nonniſi reſiduum adhuc præſtare tenetur. Arrha igitur tanquam pars ejus data, quod ex contractu debetur, in id imputandum.

Ex. grat. Emo a te librum decem thalerorum pretio: quod cum non ſtatim ſolvam, nec tu illum mihi ſtatim tradas, do arrhæ nomine tanquam pretii partem ducatum, qui valet duos thaleros cum tribus quartis. Patet me tibi adhuc ſolvere debere ſeptem thaleros cum una quarta; ſeu ſex groſſis, arrha in pretium imputata.

§. 992.

Effectus arrhæ tanquam partis debiti datæ.

Quoniam arrha tanquam pars ejus, quod ex contractu debetur, data in id imputanda, quod ex contractu debetur; (§. 991.), adeoque is, qui dedit, contractum jam adimplere cœpit, & alter, qui accepit, in ejus adimpletionem conſenſit; *ſi arrha tanquam pars ejus, quod ex contractu debetur, data, nec is, qui dedit, cum ejus diſpendio altero invito recedere, nec qui accepit eam reſtituendo invito eo, qui dedit, contractum reſcindere poteſt* (§. 928.), cum nemo ſe ab obligatione ſua liberare poſſit (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec jus acquiſitum invito auferri poſſit (§. 336. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §.991.), tu ſolvere teneris pro libro a te emto reſiduos ſeptem thaleros cum ſex groſſis, ſi venditor nolit te a contractu recedere cum diſpendio ducati, quem dediſti. Et viciſſim venditor tenetur tibi tradere librum, nec a contractu recedere, ſeu eum reſcindere poteſt, etiamſi tibi ducatum reddere velit. Arrha adeo data tanquam pars ejus, quod ex contractu debetur, obligationem adimplendi contractus firmat, qui etiam abſque ea jam conſiſtebat, adeoque adimplendus erat. Turpius vero eſt a contractu recedere velle, quem arrha in gratiam adimplendi, non tantummodo firmandi contractus data adeo corroboraſti, ut de conſtantia tua alterum prorſus ſecurum eſſe volueris: id quod etiam valet de altero, qui arrham accepit. Uterque enim facto ſuo fidem ſuam magis adſtrinxit, ſeu ad eam non fallendam ſeſe obligavit (§. 758. p. 3. *Jur. nat.*). Etſi autem in exemplo, quod dedimus, qui arrham accepit, facile conſenſurus in hoc videatur, ut cum arrhæ diſpendio a contractu recedas; dantur tamen caſus alii, in quibus is malit contractum adimpleri, quam arrham lucrari, veluti ut domus maneat tibi emta, quam ut ſit inemta ob lucrum 25 thalerorum, quos arrhæ nomine dediſti, in pretium imputandos, contractu non rupto. Et in exemplo quoque dato fidem tuam ſuſpectam reddis; quam illibatam conſervari plurimum refert.

§. 993.

De arrha data eo fine, ut contractus adimpleatur.

Si arrha datur tanquam pars pretii, eo tamen fine, ut ſit motivum contractum adimplendi, eam reddendo contractum reſcindere nequit, qui acceperat, ſed manet etiam recipienti adhuc obligatus: qui vero dedit cum diſpendio arrhæ a contractu recedere nequit. Quodſi arrha detur eo fine, ut contractum adimpleas, non novam inducit obligationem, ſed veterem firmat (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum qui accepit etiam ſine arrha ad contractum adimplendum obligatus ſit; quin adhuc obligatus maneat, etiamſi arrham reddat, evidens eſt. Immo non minus patet, obligationem per hoc non tolli, quod arrham recipiat qui dederat. Redditione adeo arrhæ declarari nequit, quod contractus, qui jure conſiſtit, debeat eſſe nullus, conſequenter non reſcinditur (§. 928.), & quamvis qui dederat eandem recipiat, eidem tamen obligatus manet, qui reddit. *Quod erat unum.*

Et quoniam arrha ad contractum accedens in eo nihil immutat (§. 990.); per hoc quod arrha data eo etiam fine, ut ſit contractus adimplendi motivum, minime is, qui dedit, tantummodo accipientem ſibi certo habet obligatum, ipſe autem conſequitur libertatem contractum vel adimplendi, vel cum diſpendio arrhæ ab eodem recedendi. Quamobrem cum ſimpliciter obligatus maneat ad contractum adimplendum, quemadmodum erat ante arrhæ dationem; cum arrhæ diſpendio ei, qui dedit, a contractu recedere non licet. *Quod erat alterum.*

Nimirum in hoc caſu arrha datur non modo contractus probandi & confirmandi cauſa, verum etiam ſub modo, ut adimpleas contractum. Unde dubium oriri poterat, annon per hoc ipſum in libertatem tuam conferatur, utrum adimplere velis contractum, an vero arrham reddere. Dubium vero hoc inde oritur, quod quando ſub modo quid datur, vel promittitur, accipienti liberum ſit; utrum id habere & modum adimplere, an vero eo carere & modum non adimplere malit. Sed hoc dubium ſtatim evaneſcit, ubi cogitamus, in eo caſu ſupponi accipientem ad modum adimplendum non aliunde jam eſſe obligatum, quemadmodum in hypotheſi propoſitionis præſentis. Exemplum, quo illuſtretur propoſitio præſens, ſit tale. Conduco operas tuas pro certa mercede: tu obligatus es mihi ad illas operas pro ea mercede præſtandas, prouti deinceps diſertius docebimus. Enim vero do tibi arrhæ nomine nummum argenteum, ut hoc motivo te incendam ad operas iſtas, quas præſtare debes, tanto lubentius præſtandas. Evidens eſt arrham nihil immutare quoad obligationem, quæ ex contractu eſt, cum etiam ſine hoc motivo maneas obligatus ad id præſtandum, ad quod te mihi obligaſti, quemadmodum ego tibi obligatus maneo ad mercem ſolvendam, perinde ac ſi nihil arrhæ loco dediſſem. Neque tu potes mihi reddere arrham, ne operas præſtare tenearis promiſſas; nec ego a contractu recedere poſſum, etiamſi arrhæ loco quod dedi tuum manere debeat.

§. 994.

De arrhæ retentione & reſtitutione.

Si arrha detur non tanquam pars debiti ex contractu, ſed eo fine, ut ſit motivum contractus adimplendi; ea accipientis manet, ſi contractum adimplere velit, quodſi vero culpa ipſius non adimpleatur, eam reſtituere tenetur, contractu autem adimpleto

to in id, quod ex eodem debetur, imputari nequit. Etenim ſi arrha detur, ut ſit motivum contractus adimplendi; ſub modo data intelligitur (§. 557 *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero cui quid ſub modo datum eſt, is id reſtituere tenetur, niſi modum adimpleverit, minime autem ſi adimpleverit (§. 562. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam is, qui arrham accepit non tanquam pretii partem, ſed tanquam motivum contractus adimplendi, eam retinet, ſi contractum adimplet, vel adimplere velit; reſtituere autem debet, ſi culpa ipſius non adimpleatur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum arrha non detur tanquam pars ejus, quod ex contractu debetur, *per hypoth.* per ſe patet, quod contractu adimpleto in id, quod ex eodem debetur, imputari nequeat. *Quod erat alterum.*

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 993.), ſi tu operas præſtare velis, quas mihi collocaſti, arrham retines, nec præſtitis operis ea in mercedem computatur: immo ſi ego te invito a contractu recedo, eandem non minus retines, cum per te non ſtet, ut modum adimpleas, ſub quo arrha data intelligitur; atque adeo quoad te perinde ſit, ac ſi contractum adimpleviſſes, conſequenter etiam modum, ſub quo arrha data. Quodſi vero contractum adimplere neglexeris, vel nolis; arrha utique reſtituenda.

§. 995.

De libertate a pacto recedendi arrhæ datione acquiſita.

Si arrha datur ea lege, ut in id imputetur, quod ex contractu debetur, ſi dans eundem impleverit, eam vero retineat qui accepit, ſi ille non impleverit; ſtandum erit pacto, prouti conventum fuerit, & danti liberum eſt, utrum arrham amittere, an contractum adimplere velit: accipienti tamen liberum non eſt, utrum reddere malit arrham, an contractum adimplere. Etenim ſi arrha detur ea lege, ut in id imputetur, quod ex contractu debetur, ſi dans eundem impleverit, eam vero retineat qui accepit, ſi ille non impleverit; cum pacta ſint ſervanda (§. 789. *p.* 3. *Jur. nat.*), ſi dans contractum impleverit, arrha imputanda utique eſt in id, quod ex contractu is præſtare tenetur, ſin vero non impleverit, eam retinet accipiens, conſequenter ſtandum pacto, prouti conventum. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam arrham dans eam in id, quod ex contractu debet, imputari vult, ſi eum adimpleverit, accipiens vero eam retineat ac lucrum inde faciat, ſi non impleverit; eo ipſo utique declarat, quod ſibi liberum eſſe velit, contractum vel adimplere, vel ab eo recedere: in quod ut conſentiat accipiens, qui arrham dat vult, ut is eandem lucretur, ne gratis vel impune a contractu recedere liceat. Quamobrem cum ſtandum ſit pacto, prouti conventum eſt (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), liberum utique eſſe debet arrham danti vel contractum adimplere, ut ea in id, quod debet, imputetur, vel ab eo recedere cum arrhæ diſpendio. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam denique arrha datur contractus probandi & confirmandi gratia, ſiquidem accipiens ab eo recedere velit (§. 987. 988.), cum ipſius reſpectu in hypotheſi propoſitionis præſentis nihil fuerit expreſſum, datio ejus quoad accipientem nihil in contractu immutat, conſequenter dator liberum non facit eidem, utrum arrham lucrari, an ab eodem recedere malit, adeoque arrham reddere nequit, ut a contractu recedere liceat. *Quod erat tertium.*

Ex. gr. Emo a bibliopola librum & arrhæ loco do quartam pretii partem, ea lege, ut, ſi a contractu recedam, nec reliquam pretii partem ſolvam, quartam datam lucretur. Mihi quidem a contractu recedere licet, quippe quod jus ex pacto conſecutus ſum, non autem bibliopolæ, quippe quem mihi obligatum eſſe volui ad contractum ſervandum.

§. 996.

De arrhæ reſtitutione.

Si arrha detur ſimpliciter ut indicium contractus initi & conſtantiæ voluntatis; contractu adimpleto, vel, ſi accipiens eum adimplere nolit, reſtituenda: quodſi ve-

ro

ro dator contractum conſummare nolit, qui eam accepit, tamdiu retinere poteſt, donec ipſi fuerit ſatisfactum. Etenim ſi arrha detur ut indicium contractus initi & conſtantiæ voluntatis, non aliud intenditur, quam ut probari poſſit, contractum fuiſſe initum, & ut contrahentes ſint ſecuri de contractu adimplendo, quod per ſe patet. Quoniam vero præterea nihil de arrha fuit expreſſum *per hypoth.* contractu autem adimpleto ea non amplius opus ſit ad probandum, quod fuerit initus, vel ad præſtandam ſecuritatem de eodem adimplendo; contractu adimpleto, cum jam ceſſet ratio, cur arrha ſit penes eum, qui acceperat, alteri, qui dederat, utique reſtituenda. *Quod erat primum.*

Porro cum arrha detur non eo animo, ut ſit accipientis, ſi tantummodo indicium eſſe debet contractus initi ac conſtantiæ voluntatis; dominium quoque ejus non tranſit in accipientem (§. 23. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque manet dantis (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi ergo qui accepit contractum non adimplet, vel adimplere non vult; quin eam reſtituere debeat alteri, qui dedit, dubitandum non eſt (§. 466. *part. 2. Jur. nat.*). *Quod erat ſecundum.*

Enimvero quoniam arrha accipitur, ut ſimus ſecuri de contractu ab altero adimplendo; ea quoque ab accipiente non ante reſtituenda ei, qui dederat, quam ipſi ſatisfecit, conſequenter donec hoc factum fuerit, eam jure retinet. *Quod erat tertium.*

Arrham probationis & ſecuritatis unice gratia datam eſſe reſtituendam, quando ad probandum & ſecuritatem præſtandam non amplius facit, ſine probatione intelligi facile poterat: quod vero retineri poſſit, quamdiu non ſatisfecit qui dedit accipienti, ubi contractum adimplere recuſat, aut eum adimplere non amplius datur, dubium videri poterat. Enimvero cum ſecuritatem præſtare debeat contrahentibus arrha, ea data omnino intelligitur ad omne id, quod intereſt ejus, cui data fuit, ut contractus adimpleatur: ut vero arrham lucretur qui accepit, ſi contractum adimplere noluerit qui dedit, naturale non eſt, cum ex arrhæ datione hoc minime ſequatur. Notandum præterea, quando arrha dari dicitur, dationem non ſignificare dominii translationem, ſed ſignificatu communi denotare actum, quo res conſtituitur in poteſtate accipientis certi cujuſdam finis gratia, qualem ſignificatum generalem tribuimus ſupra traditioni (*not.* §. 981.). Ex ſubſtrata autem materia facile intelligitur, utrum datio ſumatur tanquam terminus artis pro dominii translatione; an vero in ſignificatu communi pro ſynonymo traditionis in genere acceptæ, ut adeo ob homonymiam non metuenda ſit confuſio errorem paritura. Ita in caſu præſenti per ſe patet, non opus eſſe, ut dominium rei in te transferatur, per quam probare debes contractum fuiſſe & alterum ſe tibi ac te ſibi firmius obligare voluiſſe ad contractum adimplendum, vel ut etiam qui dedit firmius ſit tibi obligatus. Nam ſit arrha annulus tuus. Non opus eſt, ut annulus ſit meus, ſi per eum probare velim, a te contractum initum fuiſſe, vel ut tu permovearis ad contractum adimplendum, aut ut tu probes, me tecum contraxiſſe & fidem tuam adſtrinxiſſe; quod promiſſa ſancte ſervare velis: quin potius manifeſtum eſt, hæc fieri multo melius poſſe, ſi annulus adhuc ſit tuus a me tibi reſtituendus. Et eodem modo idem patet in caſibus aliis, quando res quædam in ſpecie dari dicitur certi cujuſdam finis gratia, qui dominii translationem non requirit. Etſi accurate loqui velimus, quando quid datur certi cujuſdam finis gratia, non tam res ipſa datur, quam uſus quidam rei datus intelligitur, cujus gratia res venire debet in poteſtatem alterius. Quamobrem ſi quis in verbis ſcrupuloſior fuerit rigorem methodi ſummum urgens, is facile evitare poterit omnem homonymiam, etſi tolerabilem, cum ea nullum creet periculum errandi. Sumatur enim vocabulum arrhæ datio tanquam terminus artis, qualis revera eſt, & definiatur per actum, quo res vel pecunia conſtituitur in poteſtate alterius contrahentium contractus probandi confirmandique gratia: ita evitatur omnis homonymia in vocabulo *dari*. *Hæc* ideo monemus, ne quis argutetur nos leges methodi violaſſe, dum communi more loqui volumus, ne, dum nimis rigidi in methodo obſervanda eſſe volumus, obſcuri videamur pleriſque, quos ſcientiæ cultores, non deſertores efficere ſtudemus. A communi nimirum ſeu recepto uſu loquendi recedere nolumus, quamdiu id ſine veritatis diſpendio conceditur. Ceterum quæ de arrhæ datione diximus, ad alias quoque dationes, quibus dominii translatio non ſignificatur, applicari poſſunt. Conſultum vero ducimus talia hinc inde monere, ut etiam ſatisfaciamus iis, quibus ſummus rigor methodi potior eſt communi loquendi uſu, & ad ipſas ſcrupuloſitates in verbis extenditur.

§. 997.

§. 997.

Quando ſub pœna revocabiliter contractum arrha indicet.

Si ita convenitur, ut, niſi contractum alteruter contrahentium adimplere velit, arrhæ dator cum diſpendio arrhæ recedat a contractu, ab eodem vero recedens, qui accepit, duplum reſtituat; naturaliter contractus revocabiliter initus intelligitur, ſed ſub pœna. Etenim ſi qui arrham dat ita convenit, ut ea ſit accipientis, niſi contractum adimpleverit, datori liberum eſt, utrum arrham amittere, an contractum adimplere malit (§. 995.). Quamobrem ſi qui arrham accipit ſe datori viciſſim obligat ad duplum reſtituendum, niſi contractum adimpleverit; ei etiam liberum eſſe debet, utrum duplum reſtituere, an contractum adimplere malit. Quamobrem ſi ita convenitur, ut niſi alteruter contrahentium contractum adimplere velit, arrhæ dator cum diſpendio arrhæ, qui eam accepit cum reſtitutione dupli a contractu recedat; utrique contrahentium liberum eſt vel adimplere contractum, vel cum diſpendio quodam ſuo ab eodem recedere. Quoniam itaque jus quoddam in alterum revocabiliter transfertur, ſi ea lege transfertur, ut tibi integrum ſit alterum eodem rurſus excludere (§. 16. *part.* 3. *Jur. nat.*); in hypotheſi propoſitionis præſentis revocabiliter contractum intelligitur. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam arrhæ dator promittit, ſe a contractu recedere nolle niſi cum diſpendio arrhæ, & qui eam accepit, ſe duplum reſtituturum, niſi illum adimpleat *per hypoth.* pœna autem promiſſo adjicitur, quando reus promittendi declarat, ſe daturum, niſi ſteterit promiſſo (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*); in hypotheſi propoſitionis præſentis contractus ſub pœna revocabiliter initus intelligitur. *Quod erat alterum.*

Ita conveniri poſſe, ut cum diſpendio arrhæ datori, cum reſtitutione dupli acceptori a contractu recedere liceat, cum in paciſcentium arbitrio poſitum ſit, quam legem contractui dare velint (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), nemo eſt qui dubitet. Naturale vero non eſt, ſed civile, quando Imperator pr. Inſt. de em:. & vendit. idem ad omnem arrhæ dationem ſimpliciter extendit, licet ſuper arrhis nihil fuerit expreſſum.

§. 998.

Quando contractus ſubſiſtat cum diſpendio arrhæ, vel dupli reſtitutione.

Si ita conveniatur, ut ſi arrhæ dator a contractu recedere velit eam perdat, acceptor vero duplum in eodem caſu reſtituat, ſalvo tamen jure ejus, qui contractum adimplere velit; contractus ſubſiſtit cum diſpendio arrhæ, vel dupli reſtitutione. Quoniam enim contrahentes contractui legem dare poſſunt, quam voluerint (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), quin ita etiam convenire poſſint, ut arrhæ dator arrham perdat, ſi a contractu recedere velit, ſalvo tamen jure acceptori ex contractu quæſito, & ex adverſo acceptor duplum reſtituere teneatur, ſi pœnitere velit, ſalvo jure datori ex contractu quæſito, dubitandum non eſt. Quamobrem cum pacta ſint ſervanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi ita convenitur, ut, ſi arrhæ dator a contractu recedere velit, eam perdat, acceptor vero duplum in eodem caſu reſtituat, ſalvo tamen jure ejus, qui contractum adimplere velit; contractus ſubſiſtit cum diſpendio arrhæ, vel dupli reſtitutione.

Manifeſta eſt differentia inter caſum propoſitionis præſentis & præcedentis. Etenim in caſu præcedentis diſpendium arrhæ & reſtitutio dupli eſt pœna contractus non adimpleti; in caſu præſentis autem pœna pœnitentiæ. Quamobrem in caſu præcedenti contractus non ſubſiſtit, ſi pœna detur; ſubſiſtit tamen in præſenti una cum pœna. Juris civilis interpretes inter ſe diſceptant de mente Imperatoris, utrum ea ſit, quæ convenit propoſitioni præcedenti, an accipienda de caſu propoſitionis præſentis. Vid. *Manzius* in Comment. ad Inſtit. lib. 3. tit. 24. pr. n. 22. & ſeqq. ſed hanc litem cur noſtram faciamus, nulla ratio ſuadet, qui non de mente Imperatoris ſolliciti ſumus, ſed quid juri naturali conveniat definimus. Me autem tacente patet, in hypotheſi propoſitionis præſentis, quo pœna pœnitentiæ decernitur, fortius contrahi cum arrhis, quam ſine arrhis: contrarium vero obtinere in caſu propoſitionis præcedentis.

ro dator contractum conſummare nolit, qui eam accepit, tamdiu retinere poteſt, donec ipſi fuerit ſatisfactum. Etenim ſi arrha detur ut indicium contractus initi & conſtantiæ voluntatis, non aliud intenditur, quam ut probari poſſit, contractum fuiſſe initum, & ut contrahentes ſint ſecuri de contractu adimplendo, quod per ſe patet. Quoniam vero præterea nihil de arrha fuit expreſſum *per hypoth.* contractu autem adimpleto ea non amplius opus ſit ad probandum, quod fuerit initus, vel ad præſtandam ſecuritatem de eodem adimplendo; contractu adimpleto, cum jam ceſſet ratio, cur arrha ſit penes eum, qui acceperat, alteri, qui dederat, utique reſtituenda. *Quod erat primum.*

Porro cum arrha detur non eo animo, ut ſit accipientis, ſi tantummodo indicium eſſe debet contractus initi ac conſtantiæ voluntatis; dominium quoque ejus non tranſit in accipientem (§. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque manet dantis (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi ergo qui accepit contractum non adimplet, vel adimplere non vult; quin eam reſtituere debeat alteri, qui dedit, dubitandum non eſt (§. 466. *part.* 2. *Jur. nat.*). *Quod erat ſecundum.*

Enimvero quoniam arrha accipitur, ut ſimus ſecuri de contractu ab altero adimplendo; ea quoque ab accipiente non ante reſtituenda ei, qui dederat, quam ipſi ſatisfecit, conſequenter donec hoc factum fuerit, eam jure retinet. *Quod erat tertium.*

Arrham probationis & ſecuritatis unice gratia datam eſſe reſtituendam, quando ad probandum & ſecuritatem præſtandam non amplius facit, ſine probatione intelligi facile poterat: quod vero retineri poſſit, quamdiu non ſatisfecit qui dedit accipienti, ubi contractum adimplere recuſat, aut eum adimplere non amplius datur, dubium videri poterat. Enimvero cum ſecuritatem præſtare debeat contrahentibus arrha, ea data omnino intelligitur ad omne id, quod intereſt ejus, cui data fuit, ut contractus adimpleatur: ut vero arrham lucretur qui accepit, ſi contractum adimplere noluerit qui dedit, naturale non eſt, cum ex arrhæ datione hoc minime ſequatur. Notandum præterea, quando arrha dari dicitur, dationem non ſignificare dominii translationem, ſed ſignificatu communi denotare actum, quo res conſtituitur in poteſtate accipientis certi cujuſdam finis gratia, qualem ſignificatum generalem tribuimus ſupra traditioni (*not.* §. 981.). Ex ſubſtrata autem materia facile intelligitur, utrum datio ſumatur tanquam terminus artis pro dominii translatione; an vero in ſignificatu communi pro ſynonymo traditionis in genere acceptæ, ut adeo ob homonymiam non metuenda ſit confuſio errorem paritura. Ita in caſu præſenti per ſe patet, non opus eſſe, ut dominium rei in te transferatur, per quam probare debes contractum fuiſſe & alterum ſe tibi ac te ſibi firmius obligare voluiſſe ad contractum adimplendum, vel ut etiam qui dedit firmius ſit tibi obligatus. Nam ſit arrha annulus tuus. Non opus eſt, ut annulus ſit meus, ſi per eum probare velim, a te contractum initum fuiſſe, vel ut tu permovearis ad contractum adimplendum, aut ut tu probes, me tecum contraxiſſe & fidem tuam adſtrinxiſſe; quod promiſſa ſancte ſervare velis: quin potius manifeſtum eſt, hæc fieri multo melius poſſe, ſi annulus adhuc ſit tuus a me tibi reſtituendus. Et eodem modo idem patet in caſibus aliis, quando res quædam in ſpecie dari dicitur certi cujuſdam finis gratia, qui dominii translationem non requirit. Etſi accurate loqui velimus, quando quid datur certi cujuſdam finis gratia, non tam res ipſa datur, quam uſus quidam rei datus intelligitur, cujus gratia res venire debet in poteſtatem alterius. Quamobrem ſi quis in verbis ſcrupuloſior fuerit rigorem methodi ſummum urgens, is facile evitare poterit omnem homonymiam, etſi tolerabilem, cum ea nullum creet periculum errandi. Sumatur enim vocabulum arrhæ datio tanquam terminus artis, qualis revera eſt, & definiatur per actum, quo res vel pecunia conſtituitur in poteſtate alterius contrahentium contractus probandi confirmandique gratia: ita evitatur omnis homonymia in vocabulo *dari*. Hæc ideo monemus, ne quis argutetur nos leges methodi violaſſe, dum communi more loqui volumus, ne, dum nimis rigidi in methodo obſervanda eſſe volumus, obſcuri videamur pleriſque, quos ſcientiæ cultores, non deſertores efficere ſtudemus. A communi nimirum ſeu recepto uſu loquendi recedere nolumus, quamdiu id ſine veritatis diſpendio conceditur. Ceterum quæ de arrhæ datione diximus, ad alias quoque dationes, quibus dominii translatio non ſignificatur, applicari poſſunt. Conſultum vero ducimus talia hinc inde moneri, ut etiam ſatisfaciamus iis, quibus ſummus rigor methodi potior eſt communi loquendi uſu, & ad ipſas ſcrupuloſitates in verbis extenditur.

§. 997.

Quando ſub pœna revocabiliter contractum arrha indicet.

Si ita convenitur, ut, niſi contractum alteruter contrahentium adimplere velit, arrhæ dator cum diſpendio arrhæ recedat a contractu, ab eodem vero recedens, qui accepit, duplum reſtituat; naturaliter contractus revocabiliter initus intelligitur, ſed ſub pœna. Etenim ſi qui arrham dat ita convenit, ut ea ſit accipientis, niſi contractum adimpleverit, datori liberum eſt, utrum arrham amittere, an contractum adimplere malit (§. 995.). Quamobrem ſi qui arrham accipit ſe datori viciſſim obligat ad duplum reſtituendum, niſi contractum adimpleverit; ei etiam liberum eſſe debet, utrum duplum reſtituere, an contractum adimplere malit. Quamobrem ſi ita convenitur, ut niſi alteruter contrahentium contractum adimplere velit, arrhæ dator cum diſpendio arrhæ, qui eam accepit cum reſtitutione dupli a contractu recedat; utrique contrahentium liberum eſt vel adimplere contractum, vel cum diſpendio quodam ſuo ab eodem recedere. Quoniam itaque jus quoddam in alterum revocabiliter transfertur, ſi ea lege transfertur, ut tibi integrum ſit alterum eodem rurſus excludere (§. 16. *part.* 3. *Jur. nat.*); in hypotheſi propoſitionis præſentis revocabiliter contractum intelligitur. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam arrhæ dator promittit, ſe a contractu recedere nolle niſi cum diſpendio arrhæ, & qui eam accepit, ſe duplum reſtiturum, niſi illum adimpleat *per hypoth.* pœna autem promiſſo adjicitur, quando reus promittendi declarat, ſe daturum, niſi ſteterit promiſſo (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*); in hypotheſi propoſitionis præſentis contractus ſub pœna revocabiliter initus intelligitur. *Quod erat alterum.*

Ita conveniri poſſe, ut cum diſpendio arrhæ datori, cum reſtitutione dupli acceptori a contractu recedere liceat, cum in paciſcentium arbitrio poſitum ſit, quam legem contractui dare velint (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), nemo eſt qui dubitet. Naturale vero non eſt, ſed civile, quando Imperator pr. Inſt. de emt. & vendit. idem ad omnem arrhæ dationem ſimpliciter extendit, licet ſuper arrhis nihil fuerit expreſſum.

§. 998.

Quando contractus ſubſiſtat cum diſpendio arrhæ, vel dupli reſtitutione.

Si ita conveniatur, ut ſi arrhæ dator a contractu recedere velit eam perdat, acceptor vero duplum in eodem caſu reſtituat, ſalvo tamen jure ejus, qui contractum adimplere velit; contractus ſubſiſtit cum diſpendio arrhæ, vel dupli reſtitutione. Quoniam enim contrahentes contractui legem dare poſſunt, quam voluerint (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), quin ita etiam convenire poſſint, ut arrhæ dator arrham perdat, ſi a contractu recedere velit, ſalvo tamen jure acceptori ex contractu quæſito, & ex adverſo acceptor duplum reſtituere teneatur, ſi pœnitere velit, ſalvo jure datori ex contractu quæſito, dubitandum non eſt. Quamobrem cum pacta ſint ſervanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi ita convenitur, ut, ſi arrhæ dator a contractu recedere velit, eam perdat, acceptor vero duplum in eodem caſu reſtituat, ſalvo tamen jure ejus, qui contractum adimplere velit; contractus ſubſiſtit cum diſpendio arrhæ, vel dupli reſtitutione.

Manifeſta eſt differentia inter caſum propoſitionis præſentis & præcedentis. Etenim in caſu præcedentis diſpendium arrhæ & reſtitutio dupli eſt pœna contractus non adimpleti; in caſu præſentis autem pœna pœnitentiæ. Quamobrem in caſu præcedenti contractus non ſubſiſtit, ſi pœna detur; ſubſiſtit tamen in præſenti una cum pœna. Juris civilis interpretes inter ſe diſceptant de mente Imperatoris, utrum ea ſit, quæ convenit propoſitioni præcedenti, an accipienda de caſu propoſitionis præſentis. Vid. *Manzius* in Comment. ad Inſtit. lib. 3. tit. 24. pr. n. 22. & ſeqq. ſed hanc litem cur noſtram faciamus, nulla ratio ſuadet, qui non de mente Imperatoris ſolliciti ſumus, ſed quid juri naturali conveniat definimus. Me autem tacente patet, in hypotheſi propoſitionis præſentis, quo pœna pœnitentiæ decernitur, fortius contrahi cum arrhis, quam ſine arrhis: contrarium vero obtinere in caſu propoſitionis præcedentis.

§. 999.

De arrhis ſimpliciter datis.

Si de arrha nihil expreſſe fuerit conventum, cum diſpendio arrhæ a contractu recedere non licet & ei, qui dedit, reſtituenda. Etenim ſi de arrhis nihil expreſſe fuerit conventum, ſimpliciter datæ intelliguntur tanquam indicium contractus initi & conſtantiæ voluntatis (§. 990.). Enimvero ſi arrhæ ſimpliciter dantur ut indicium contractus initi & conſtantiæ voluntatis, contractu adimpleto vel præſtito eo, quod intereſt, arrhæ reſtituendæ & contractus adimplendus, aut, ſi eum adimpleri non amplius integrum eſt, præſtandum intereſſe (§. 996.). Ergo ſi de arrhis nihil expreſſe fuerit conventum, idem obtinere debet, conſequenter cum diſpendio arrhæ a contractu recedere non licet & ei, qui dedit, reſtituenda.

Civile adeo eſt, quod Imperator l. c. (*not.* §. 997.) diſpendio arrhæ ac reſtitutioni dupli locum faciat, etiamſi de ea nihil fuerit expreſſum. Naturaliter vi propoſitionis præſentis in caſu dubio arrhæ ſimpliciter datæ ſemper præſumuntur, cum iis per ſe conveniat, ut nihil immutent in ipſo contractu, quem certificare & firmare debeant (§. 987. 990.). Quodſi pecunia arrhæ nomine data fuerit, ubi contractus adimpletur, eandem in ſolutum accipere poſſe eum, cui ex contractu quid debetur, dubium non eſt, etiamſi non ſupponatur data tanquam pars pretii vel ejus, quod ex contractu debetur (§. 991.), cum hoc pacto ſolutio fiat brevi manu (§. 41. *p. 3. Jur. nat.*): quod enim de traditione dicitur, ad ſolutionem pecuniæ quoque recte trahitur (§. 955.).

§. 1000.

Objectum emtionis venditionis.

Quicquid æſtimabile eſt, emi ac vendi poteſt. Quicquid enim æſtimabile, ejus aliquod pretium ſtatui (§. 275.), & hoc per pecuniam determinari poteſt (§. 290.). Quamobrem cum in emtione venditione detur pecunia pro re (§. 937.); quicquid æſtimabile eſt, emi ac vendi poteſt.

Latius adeo naturaliter patet emtio venditio, quam vulgo putatur, ita ut ad hunc contractum referri poſſint actus, qui ſub eo non comprehendi videbantur.

§. 1001.

Quænam res emi ac vendi poſſint.

Emi ac vendi poſſunt res corporales, mobiles ac immobiles, & incorporales. Quoniam enim emtio venditio ſucceſſit in locum permutationis (§. *not.* 937.), quæ permutari poſſunt, ea etiam emi ac vendi poſſunt. Enimvero permutari poſſunt res corporales, mobiles ac immobiles, atque incorporales (§. 889.). Ergo etiam emi ac vendi poſſunt res corporales, mobiles ac immobiles, atque incorporales.

Oſtenditur etiam hoc modo. In emtione venditione datur pecunia pro re (§. 937.), conſequenter res emi ac vendi poteſt, pro qua pecunia dari poteſt. Enimvero pecunia dari poteſt pro re qualibet (§. 292.). Ergo etiam res quælibet, adeoque mobilis & immobilis corporalis atque incorporalis, emi ac vendi poteſt.

Immo etiam hoc modo demonſtratur. Quicquid æſtimabile, id emi ac vendi poteſt (§. 1000.). Sed res omnes tam corporales, adeoque mobiles & immobiles, quam incorporales admittunt pretium, quod per pecuniam determinari poteſt (§. 290.), adeoque æſtimabiles ſunt. Quamobrem res omnes tam corporales, mobiles & immobiles, atque incorporales emi ac vendi poſſunt.

Si quæ ſunt res, quibus nullum ſtatuitur pretium, adeoque nullius pretii, eæ quoque nobis nullam præbent utilitatem, ac ideo in numerum rerum non referuntur in ſenſu juris (§. 495. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 1002.

§. 1002.

An quod non exiſtit emi poſſit.

Quod in rerum natura exiſtit, nec emi ac vendi poteſt. Venditor enim in emtorem transferre debet dominium rei, quam ipſi vendit (§. 939.). Enimvero cum in re non exiſtente nullum detur dominium (§. 118. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec id in alium transferri poteſt. Quamobrem quod in rerum natura non exiſtit, nec emi ac vendi poteſt.

Ex. gr. Si nullam habes domum, nec eam alteri vendere potes. Quodſi fingas te habere; & eam alteri vendas; contractus nullus eſt.

§. 1003.

An domus exuſta emi poſſit.

Quoniam domus exuſta in rerum natura non amplius exiſtit, quod vero in rerum natura non exiſtit, nec emi, nec vendi poteſt (§. 1002.); *domus exuſta emi ac vendi nequit*.

Nec opus eſt, ut diſtinguas, utrum utroque ſciente veneat, an ignorante. Ipſa enim demonſtratio propoſitionis præcedentis aperte loquitur, rei non exiſtentis, adeoque etiam domus exuſtæ, emtionem venditionem eſſe nullam. Quamvis enim domo exuſta area adhuc maneat; aliud tamen eſt emere aream, aliud ſuperficiem cum area. Quando emitur domus, ſuperficies cum area emitur, non area ſola, & contrahentes ad ſuperficiem potiſſimum reſpiciunt, non ad aream.

§. 1004.

An res extituræ emi poſſint.

Emi etiam ac vendi poſſunt res extituræ. Etenim in rebus extituris datur dominium futurum (§. 945.). Quamobrem cum in emtione venditione venditor dominium transferre debeat in emtorem (§. 939.), dominium autem futurum in alterum transferri poſſit (§. 948.); res etiam extituræ emi ac vendi poſſunt.

Ita emuntur ac venduntur fructus arborum futura æſtate naſcendi in horto, fruges, quæ naſcentur in agro. Non tamen cum hac emtione ac venditione confundendus eſt contractus de emtione ac venditione contrahenda, quo ſaltem fit promiſſio de ea contrahenda (§. 970. *& ſeqq.*).

§. 1005.

Sub qua conditione emantur res extituræ.

Emtio rerum extiturarum contrahitur ſub tacita conditione, ſi exiſtant. Etenim ſi res extituræ venduntur, cum in emtorem transferendum ſit dominium (§. 939.), nonniſi futurum transferri poteſt (§. 945.). Quamobrem cum dominium futurum nullum ſit, niſi res exiſtant, nec transferri poteſt niſi ſub hac conditione, ſi exiſtant res, quæ extituræ putantur. Ergo emtio rerum extiturarum contrahitur ſub hac conditione, ſi exiſtant.

Ex. grat. Vendo tibi fructus arborum futura æſtate in horto meo naſcituros. Utique hi fructus tibi emti ſunt ſub hac tacita conditione, ſi qui naſcantur. Si enim nulli naſcantur, nullum quoque eſt dominium, quod in te translatum fuit, adeoque nihil datum, conſequenter nihil venditum intelligitur (§. 937.).

§. 1006.

Rerum extiturarum emtio quando nulla.

Quoniam emtio rerum extiturarum contrahitur ſub tacita conditione, ſi exiſtant (§. 1005.), conditione autem non exiſtente contractus evaneſcit (§. 534. *part.* 3. *Jur. nat.*); *rerum extiturarum emtio nulla eſt, ſi non exiſtant*.

Patet in exemplo; quod modo dedimus (*not.* §. 1005.), quod emtum intelligi nequeat, quod non exiſtit, nec exiſtet unquam. Unde etiam ex eo inferri poterat, emtionem in hoc caſu nullam eſſe, quod emi ac vendi nequeat, quod in rerum natura minime exiſtit (§. 1002.). Res enim, quæ non exiſtit, nec unquam exiſtet, in eorum utique numerum referenda, quæ in rerum natura non exiſtunt. Nimirum in ſe ſemper certum eſt, utrum aliqui fructus naſcituri futura æſtate, an nulli, adeoque emtio in ſe ſtatim valida eſt, vel nulla. Aſt cum noſtri reſpectu incertum ſit; quid futurum; an revera emtio fuerit contracta, an nulla, tum demum patet, quando tempus advenit, quo fructus exiſtere debent. Relegenda hic ſunt, quæ de promiſſione conditionata in ſe nulla annotavimus (*not.* §. 464. *part.* 3. *Jur. natur.*). Ceterum hic ſupponimus contrahentibus non eſſe animum aleam ſubeundi, qui præſumi nequit juxta iſtud vulgatum: ſpem pretio non emo. De iis enim contractibus, quæ aleam continent, agemus deinceps.

§. 1007.

De modo contrahendæ emtionis rerum exiturarum & ejus effectu.

Si res exituræ emuntur, vel emenda eſt certa quantitas, vel pretium ad quantitatem conſtituendum. Quodſi minor quantitas exiſtat, ultra eam ad tradendum non tenetur venditor; ſi major exiſtat, nonniſi ea emta intelligitur, de qua conventum eſt. Si pretium ad quantitatem conſtitutum, venditor tradere tenetur omnes, ac omnes emtæ cenſentur. Etenim in emtione venditione is animus eſſe videtur contrahentibus, ut obſervetur æqualitas, niſi adſint rationes fortes in contrarium (§. 976.); conſequenter in emtione ac venditione rerum exiturarum neuter contrahentium habere præſumitur animum aleam ſubeundi. Quodſi vero ſervanda æqualitas eſt, tantundem recipi debet, quantum datur (§. 898.). Quamobrem aut determinanda eſt quantitas, quæ emta eſſe debet, aut pretium conſtituendum eſt ad quantitatem, ut conſtet, quid ab unoquoque debeatur. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam emtio facta non intelligitur niſi earum rerum, quæ certo exiſtent (§. 1006.); ſi quantitas certa fuerit emta, minor tamen exiſtat, ad majorem ea, quæ exiſtit, tradendam venditor utique non obligatur. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi major quantitas exiſtat, quam quæ emta; per ſe patet, nonniſi eam emtam eſſe, de qua conventum eſt, cum non omnes emtæ ac venditæ fuerint, quæ exituræ ſunt. *Quod erat tertium.*

Denique ſi pretium ſit ad quantitatem conſtitutum, & res exituræ emtæ, non minus patet, res omnes emtas eſſe, & pretium earum, quæ exiſtunt, computandum eſſe ex pretio ad quantitatem conſtituto, conſequenter venditorem omnes tradere, emtorem pro omnibus pretium, de quo conventum, ſolvere debere. *Quod erat quartum.*

Ex. gr. Vendo tibi centum modios frumenti, quod proxima æſtate naſcetur in agro meo. Quodſi naſcantur tantummodo nonaginta, non plures quam nonaginta emti cenſentur, adeoque ultra hoſce tibi tradere frumentum non teneor. Sin naſcantur centum & quadraginta; nonniſi centum tui ſunt: de reliquis quadraginta ego diſponere poſſum, quomodo voluero. Si vero emas frumentum, quod naſcetur proxima æſtate in agro meo, & pro uno modio conſtituatur pretium unius floreni; omne frumentum, quod naſcitur tuum eſt, & tu pro ſingulis modiis mihi ſolvere teneris florenum unum, ita ut, ſi percipiantur modii centum & quadraginta, tu totidem florenos ſolvere tenearis. Hoc pacto perinde eſt, ac ſi emerentur ac venderentur res jam exiſtentes: id quod omnino requiritur, ſi æqualitas inter mercem ac pretium attendenda. Non dubium movere debet variabilitas pretii; ſi omni tempore idem non eſt: ſufficit enim; quod pro datis circumſtantiis, quando contrahitur, non ſit iniquum, vel ita etiam conveniri poteſt, ut ſolvatur pretium, quod erit illo tempore, quo res exituræ ſunt, commune. Patet adeo emtionem rerum exiturarum abſque ulla iniquitate contrahi poſſe, ſi vel certa quantitas ematur, vel pretium ad quantitatem conſtituatur. Alius vero eſt contractus, ſi contrahentes aleam ſubire velint ſpem emendo ac vendendo: de quo agemus deinceps, quando contractus aleam continentes conſideraturi ſumus.

§. 1008.

Quoniam *res præſentes, ſed imperfectæ*, veluti poma immatura, æquiparantur rebus exstituris, ſi vero res exstituræ emantur, vel emenda ſit certa quantitas, vel pretium ad quantitatem conſtituendum (§. 1007.); etiam *ſi illæ emantur, vel certa emenda quantitas eſt, vel pretium ad quantitatem conſtituendum*: quo facto, cetera ſe habent ut in caſu propoſitionis præcedentis. *De emtione rerum præſentium, ſed imperfectarum.*

Supponimus nimirum etiam hic, contrahentibus non eſſe animum ſubeundi aleam: qui utique ſupponitur in jure civili, quando fructus pendentes vel qui ſunt in herbis valide emi dicuntur, periculo omni ad emtorem pertinente. Nobis hic demonſtrandum eſt, quid naturali conveniat æquitati, cui omnino convenit æqualitatem obſervari (§. 268. 898.).

§. 1009.

Si res exstituræ emantur, pretio nullo conſtituto, nec quantitate expreſſa, res omnes emtæ videntur, quæ exstituræ ſunt, & tacite conſenſiſſe intelliguntur contrahentes in pretium, quod erit commune illo, quo exiſtunt, tempore. Etenim ſi res exstituræ emantur, quantitate non expreſſa, dubium non eſt, quin omnes emantur, quæ exstituræ ſunt: quodſi enim emtor non omnes emere voluiſſet, cum adhuc dubia ſit quantitas exstiturarum, eam definire debuiſſet, ultra quam venditori ad ſolvendum pretium teneri minime voluiſſet. Enimvero quoniam pretium nullum conſtituitur, cum ſine pretio non contrahatur emtio (§. 937.), tacite in pretium conſenſiſſe intelliguntur. Quamobrem cum conſentientes idem velle debeant (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); in idem pretium conſentire nequeunt, niſi conſenſiſſe dicantur in pretium commune illo tempore, quo res exstituræ ſunt. Patet itaque, ſi res exstituræ emantur, pretio nullo conſtituto, nec certa quantitate expreſſa, res omnes emtas videri, quæ exstituræ ſunt, & tacite conſenſiſſe intelligi contrahentes in pretium, quod commune erit eo tempore, quo res exstituræ ſunt. *Quid actum intelligatur, nec quantitas expreſſa, nec pretium ad quantitatem conſtitutum.*

§. 1010.

Si pecunia qua corpus emitur, vel valor intrinſecus præſtatur, vel pretium affectionis, quod valori extrinſeco accedit. Pecunia enim eſt res corporalis (§. 290), cujus materia eſt aurum & argentum (§. 333.), etſi non ſemper pura (§. *cit.*), & quæ ſignata (§. 338.), ut adeo certum ſignum eidem ſit impreſſum (§. 337.). Quodſi ergo pecunia qua corpus vendi debet, aut valor definiendus ex materia, qua conſtat, aut aliquis valor ei, qui publice eidem tributus, accedere debet a ſigno, quod eidem impreſſum, vel a caſu quodam ſingulari, in quo cuſa fuit. Bonitas intrinſeca monetæ eſt, quæ ex materia & pondere æſtimatur; extrinſeca vero valor eſt arbitrio humano eidem impoſitus (§. 544.). Quamobrem ſi in pecuniæ venditione valor definitur ex materia, qua conſtat, ſecundum bonitatem intrinſecam venditur, adeoque præſtandus eſt valor intrinſecus: quodſi vero ob ſignum eidem impreſſum, adeoque ex ſingulari aliquo affectu, valori extrinſeco accedit aliquod pretium, pretium affectionis eidem ſtatuitur (§. 906.), quod ab emtore præſtandum. Atque adeo patet ſi pecunia qua corpus venditur ac emitur, vel valorem intrinſecum præſtandum eſſe, vel pretium affectionis, quod valori extrinſeco accedit. *De venditione pecuniæ tanquam corporis.*

Ex ipſa demonſtratione abunde patet, ſi pecunia qua corpus venditur, eam conſiderari vel ut metallum infectum, vel ut monetam rariorem, aut ſingularem.

§. 1011.

§. 1011.

Caſus quo modo diſcernendi. Quoniam valor intrinſecus idem eſt cum pretio materiæ, ex qua pecunia conſtat (§. 544.), eidem vero pretium affectionis accedere nequit, niſi ob ſignum eidem impreſſum, vel caſum quendam ſingularem, in quo cuſa fuit, quemadmodum ipſa monetæ notio ſatis manifeſto inſinuat (§. 339.), *ſi in emtione pecuniæ præſtandus valor intrinſecus, pecunia venditur tanquam metallum infectum, ſi vero pretium affectionis præſtatur, quod valori extrinſeco accedit, eadem venditur tanquam moneta rarior, aut ſingularis.*

Quæ de pretio affectionis tenenda ſunt, ea in ſuperioribus in genere demonſtravimus (§. 907. & ſeqq.); ut adeo opus non ſit ea ad caſum præſentem transferre.

§. 1012.

An res propria emi poſſit. *Res propria emi nequit.* Venditor enim in emtorem transfert dominium rei emtæ (§. 939.). Sed ſi res emtoris propria fuerit, dominium in ea jam habet (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque a venditore, qui non habet, in eum transferri nequit. Quamobrem res propria emi nequit.

§. 1013.

De re propria ab ignorante emta. Quoniam res propria emi nequit (§. 1012.), *ſi quis ignorat, rem eſſe ſuam, quam emit, emtio venditio nulla eſt*, conſequenter *emtor pretium ſolvere non tenetur*, cum ea ipſi ſit reſtituenda (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*) & emtor eam vindicare poſſit (§. 545. *part.* 2. *Jur. nat.*), *aut, ſi ſolvit, reſtituere tenetur idem venditor*, utpote qui ad rem ſine pretio reſtituendam erat obligatus (§. 467. *p.* 2. *Jur. nat.*).

§. 1014.

An poſſeſſio emi poſſit. *Poſſeſſio rei propriæ emi poteſt & in genere poſſeſſio emi poteſt.* Poſſeſſio enim cum ſit detentio rei tanquam ſuæ (§. 150. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque ſi transfertur, ei, in quem transfertur, tribuatur potentia phyſica de re ſua pro arbitrio diſponendi (§. 463. 461. *part.* 2. *Jur. nat.*); eadem in numerum rerum incorporalium referri poteſt (§. 497. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum res incorporales emi poſſint (§. 1001.); poſſeſſio etiam emi, conſequenter ſi rem tuam non poſſides, poſſeſſio quoque rei propriæ emi poteſt.

Quodſi quæras, quomodo definiri poſſit pretium poſſeſſionis, haud difficilis eſt reſponſio. Definiendum ſcilicet eſt ex difficultate recuperandi poſſeſſionem, vel ex tædio, quod ſubeundum foret, ſiquidem rem vindicare velles.

§. 1015.

De re propria a ſciente emta. *Si quis ſciens rem propriam emit, vel rem dereliquiſſe præſumitur, vel poſſeſſionem emit.* Quoniam enim dominus rem ſuam derelinquere poteſt (§. 256. *part.* 2. *Jur. nat.*); qui ſciens rem propriam emit, aut eam dereliquit, aut non dereliquit. Et qui rem derelinquit, ſtatim ejus dominus eſſe deſinit (§. 250. *part.* 2. *Jur. nat.*), & parum ſollicitus eſt, quinam eandem faciat ſuam (§. 249. *p.* 2. *Jur. nat.*); ſi quis ſciens emit rem propriam, cum res propria emi non poſſit (§. 1012.), eam eo animo dereliquiſſe præſumitur, ut ſit poſſidentis, adeoque tacita quaſi voluntate eum fecit dominum. Quamobrem cum jam dominium a ven-

venditore transferri poſſit in emtorem (§. 665. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi quis rem ſuam dereliquit, eam a poſſeſſore emere poteſt. Enimvero ſi quis ſciens rem eſſe ſuam ea facit, quæ facere non poterat, ſi eam ſuam eſſe vellet, eam derelinquere præſumitur (§. 1053. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam qui ſciens rem propriam emit tanquam alienam, eam dereliquiſſe præſumitur. Quoniam tamen etiam poſſeſſio rei propriæ emi poteſt (§. 1014.), ſi adſint rationes quædam in contrarium, cur derelicto præſumi non poſſit, poſſeſſionem emiſſe cenſendus eſt. Patet itaque ſi quis ſciens rem propriam emit, eum vel rem dereliquiſſe præſumi debere, vel poſſeſſionem emiſſe.

In caſu particulari, qui ſciens rem propriam emit, verbis haud obſcure prodere ſolet animum vel rem derelinquendi, vel poſſeſſionem emendi. In caſu priori dicimus nos nolle, ut poſſeſſor, ſi pretium perdat, quod pro re ſolvit, damnum incurrat, quod nos potius ſentire volumus; in poſteriori autem, nos malle pretium denuo ſolvere, quam multa tædia devorare, ut ſine pretio rem recuperemus. Emi poſſeſſionem non abhorret a principiis Juris Romani: etenim *Paulus* emtionem rei propriæ conſiſtere declarat per hoc, quod poſſeſſio emta videatur.

§. 1016.

Qui rem alienam emit, eam domino ſine pretio reſtituere tenetur. Si enim res aliena emitur, emtor non efficitur ejus dominus (§. 940.), ſed ſaltem poſſeſſionem acquirit, quando traditur (§. 941.), res ipſa manet ejus, qui dominium in ea habet (§. 940.). Enimvero qui rem alienam in poteſtate ſua habet, eam domino reſtituere debet (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*), cumque res propria emi non poſſit (§. 1002.), adeoque dominus pretium pro ea ſolvere non teneatur (§. 937.), eam ſine pretio reſtituere debet. Quamobrem qui rem alienam emit, eam domino ſine pretio reſtituere tenetur. *De reſtitutione rei alienæ emtæ.*

Non eſt quod excipias poſſe rem propriam emi tanquam alienam, ſi ea derelinquatur, poſſe etiam emi poſſeſſionem (§. 1015.), adeoque pretium venditori, quod ipſe dedit, reſtituendum eſſe, ſive pro poſſeſſione, ut eam recuperes, ſive pro ipſa re derelicta. Etenim non ab ejus, qui rem tuam poſſidet, voluntate pendet, num tibi rem reſtituere velit, an poſſeſſionem vendere malit, & num tu rem derelinquere velis, ut eam acquirat poſſeſſor & tanquam ſuam vendere poſſit. Ipſe tenetur ad eam ſine pretio reſtituendam: quoniam vero tu jus tuum remittere potes (§. 117. *part.* 3. *Jur nat.*), ideo tibi integrum eſt vel rem derelinquere, vel poſſeſſionem emere, ſi malis pretium ſolvere, quam rem non ſine tædio, nec ſine ſumtu vindicare.

§. 1017.

Qui rem alienam vendidit, emtori pretium reſtituere tenetur, ſi ipſe domino eam reſtituit. Etenim emtor dedit venditori pecuniam pro re (§. 937.). Sed quia venditor rem alienam ipſi tradidit, emtio venditio nulla eſt (§. 941.). Quamobrem ſi emtor domino rem ſine pretio reſtituere tenetur (§. 1016.); venditor quoque pretium ipſi datum retinere nequit, ſed idem emtori reſtituere debet. *De reſtitutione pretii rei alienæ venditæ.*

Pretium adeo non perdit emtor, quando rem domino ſine pretio reſtituit, cum idem recipiat a venditore. Nimirum pecunia fungitur vice rei, ut adeo perinde ſit, ac ſi rem quandam eidem dediſſet, conſequenter rem cum re permutaſſet. Sed in hoc caſu dominium rei ſuæ non transtuliſſe intelligitur, qui rem ſuam pro aliena dedit (§. 883.). Ergo nec pecuniæ dominium in venditorem rei alienæ transtuliſſe cenſetur emtor, conſequenter hæc perinde ac res reſtituenda venit (§. 467. *part.* 2. *Jur. natur.*). Equidem hæc non conſona ſunt menti JCtorum Romanorum, qui negant a venditore in emtorem dominium neceſſario transferri debere L. 25. ff. de contr. emt. ut adeo etiam res aliena vendi poſſit; non tamen hoc ex principiis Juris naturalis demonſtrari poteſt, quemadmodum & alia occurrunt in Jure Romano de emtione & venditione, quæ cum Jure naturæ minime conveniunt. Et ſane communiter quoque ho-

homines non alia intentione emunt, quam ut ſuum ſit, quod emunt. Nemo igitur reprehendat, nos ex principiis Juris naturæ ratiocinari, quando ſecundum hoc jus quæſtiones decidendæ.

§. 1018.

An res aliena emta venditori reſtitui poſſit.

Emtor rem alienam venditori reſtituere nequit, ut ab eo pretium recipiat. Tenetur enim eam reſtituere domino ſine pretio (§. 1016.) & pretium a venditore repetere (§. 1017.). Quamobrem eam reſtituere nequit venditori, ut ab eo pretium recipiat.

Reſtitutio enim naturaliter debetur & ex dominio fluit (§. 467. *part. 2. Jur. natur.*); non vero a pacto venit, quod diſſolvi mutuo diſſenſu poteſt. Non ignoro, durum videri emtoribus, quod rem ſibi emtam domino reſtituere debeant ſine pretio, quod ſubinde difficulter a venditore repetitur, ſubinde repeti prorſus non poteſt. Sed cauti eſſe debemus, ne contrahamus cum iis, a quibus idem repeti non poſſet, ſiquidem repetendum foret, & ne a non domino emamus, quantum quidem datur.

§. 1019.

An res communis vendi poſſit.

Res communis ab uno vendi nequit, niſi pro parte, pro qua quis dominus eſt. Etenim ſi res pluribus fuerit communis, unus ſociorum nonniſi pro parte dominus eſt (§. 127. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo vendere poſſit niſi rem ſuam, quia nemo vendere poteſt alienam (§. 941.); unus quoque ſociorum rem communem vendere nequit niſi pro ea parte, pro qua dominus eſt.

Ex. gr. Si pro tertia parte dominus es, rem communem pro parte tertia vendere potes, ita ut emtori competat dominium pro parte tertia in re indiviſa. Communio enim poſitiva, de qua hic ſermo eſt, non admittit dominium niſi pro parte in re indiviſa. Vide quæ de ea re uberius diximus, cum communionem poſitivam explicaremus (*not.* §. 126. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 1020.

De re communi tota vendita.

Si unus ſociorum rem communem totam vendit abſque conſenſu ceterorum; emtio venditio conſiſtit nonniſi pro ea parte, pro qua dominus eſt. Etenim unus ſociorum rem communem vendere nequit, niſi pro ea parte, pro qua dominus eſt) §. 1019.). Quodſi ergo abſque ceterorum conſenſu totam vendit, pro parte reliqua perinde eſt, ac ſi rem alienam vendidiſſet. Enimvero ſi qnis rem alienam vendit, emtio venditio nulla eſt (§. 941.). Quamobrem nulla quoque erit pro ea parte, pro qua ſocius venditor dominus non eſt. Patet itaque, ſi unus ſociorum rem communem totam vendit abſque conſenſu ceterorum, emtionem venditionem conſiſtere nonniſi pro ea parte, pro qua is dominus eſt.

§. 1021.

Quale jus acquirat emtor rei communis.

Quoniam venditio rei communis ſine conſociorum conſenſu facta non conſiſtit niſi pro ea parte, pro qua quis dominus eſt (§. 1020.), venditor autem pro parte dominium in re communi non habet niſi in indiviſa (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*); *emtor in re communi ſine conſenſu conſociorum emta dominium nonniſi pro parte venditoris in re indiviſa habet.*

Nimirum jus, quod quis habet, in alium transferre poteſt (§. 12. *p. 2. Jur. nat.*). Quamobrem qui habet dominium pro parte tertia indiviſa, hoc quidem transferre poteſt in alium, non tamen in parte rei diviſæ tertia. Hinc idiomate patrio recte diſtinguimus inter venditionem ſeines Antheils, & inter venditionem ſeines Theils: per illam enim intelligimus partem indiviſam, per hanc vero diviſam.

§. 1022.

§. 1022.

Si quis rei communis ſine conſenſu conſociorum partem diviſam vendit; venditio & emtio nulla eſt. Quodſi enim partem diviſam vendis, dominium in parte diviſa transfers (§. 939.). Quamobrem cum non habeas dominium niſi in parte indiviſa rei communis (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*); in emtorem transfers jus, quod non habes. Cum itaque nil agatur, ſi rei communis pars diviſa ſine conſenſu conſociorum venditur, venditio & emtio nulla eſt. *An rei communis pars diviſa vendi poſſit.*

Non eſt quod excipias poſſe emtionem conſiſtere in parte indiviſa: etenim a voluntate emtoris pendet, utrum dominium in parte indiviſa habere velit, nec ne, non autem neceſſitatis eſt. Quodſi enim emtor conſentiat in venditionem partis indiviſæ, ea ex poſtfacto valida efficitur. Alia ratio eſt in caſu præcedente. Quando enim dominium rei totius transfert venditor, eo ipſo actu transfert dominium in parte indiviſa, quippe quod in eo continetur: dominium vero in parte diviſa non ineſt dominio in indiviſa, ſed ſeparata hæc jura ſunt.

§. 1023.

Si quis rei propriæ partem indiviſam vendit; fit ea venditori & emtori communis. Etenim ſi tibi vendo partem indiviſam rei meæ, in te transfero dominium in parte indiviſa rei meæ (§. 939.), adeoque tu in re indiviſa pro parte dominium habes, pro parte reliqua ego habeo. Enimvero ſi ego & tu in re indiviſa pro rata dominium habemus, res communis eſt (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem ſi rei propriæ indiviſam partem tibi vendo, fit ea mihi & tibi communis. *Quando res, cujus pars venditur, communis fiat.*

Ex. gr. Vendo tibi partem tertiam juris venandi in aliquo diſtrictu. Cum hoc jus dividi nequeat, partem ejus indiviſam tibi vendidi, adeoque hoc jus nobis commune eſt. Quoniam vero tibi competit pro parte tertia: lucrum ex venatione quæſitum pro parte tertia tuum eſt. Quodſi venderem jus venandi in tertia parte diſtrictus, tum venderetur pars ejus diviſa, & diſtrictu in partes tres diviſo tibi certa pars aſſignanda foret, ut jus venandi tibi emtum foret certum. Contractu adimpleto, duo ſunt jura venandi diſtincta, nec jus tuum amplius pars eſt juris mei. Simile quid obſervare licet in rerum natura, ubi duæ totius partes commune habent centrum gravitatis, idque nonniſi unum: quamprimum vero actu a ſe invicem ſeparantur, pars quælibet proprium habet centrum gravitatis, ut adeo loco unius, quod commune erat, reſultent duo a ſe invicem prorſus diſtincta, quæ antea nonniſi potentia inerant.

§. 1024.

Si quis rem emit pro parte propriam, emtio ſubſiſtit pro parte reliqua, nec pretium ſolvere tenetur emtor niſi pro hac parte. Etenim res propria emi nequit (§. 1013.). Quamobrem pro parte propria emtio non ſubſiſtit. Cum tamen nulla ſubſit ratio cur non pro parte reliqua, quæ vendi eidem potuit, ſubſiſtat; pro ea utique ſubſiſtere debet, & emtor, qui pro parte propria pretium ſolvere non tenetur (§. *cit.*), idem detrahit, adeoque non ſolvit niſi partem pretii reliquam pro parte reliqua. *De emtione rei pro parte propriæ.*

Nimirum quando venditur res tota, ſingulæ ejus venduntur partes (§. 342. *Ontol.*). Quamobrem ſi res emta pro parte propria fuerit, tibi vendita eſt & pars propria, & pars reliqua, quæ propria non erat. Venditio adeo ſpectari poteſt tanquam duplex. Altera nulla eſt, altera valida. Quamobrem per hoc, quod una nulla ſit, altera in ſe valida invalida minime efficitur.

§. 1025.

Si tu emis jus, quod alter in re tua, vel ad eam habet, vel habere prætendit; emtio ſubſiſtit. Etenim jus, quod alter in re tua, vel ad eam habet, aut prætendit, *De jure alterius in re ſua, vel ad eam emto.*

tendit,

tendit, res incorporalis eſt (§. 497. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum res incorporales emi ac vendi poſſint (§. 1001.); dubium non eſt, quin etiam emere poſſis jus, quod alter in re tua, vel ad eam habet, vel habere prætendit.

Jus converſum etiam æſtimabile quid eſt, cum ſi id acquiras libereris in ſtatu naturali a metu belli, quo alter jus ſuum perſequi poterat, quod habere prætendit (§. 1102. *p.* 1. *Jur. nat.*), in ſtatu civili ab actione, quam tibi intentare poteſt, qui jus quoddam in re, vel ad rem tuam prætendit. Quod vero æſtimabile eſt, emi ac vendi poteſt.

§. 1026.

Idem porro expenditur. *Immo jus, quod quis in re, vel ad rem quamcunque habet, vel prætendit, ab eo vendi cuicunque poteſt.* Oſtenditur eodem prorſus modo, quo idem in caſu præcedente oſtendimus (§. 1025.).

Non infrequens eſt, ut prætenſiones emantur, ſive ab eo, qui etiam ea in re, vel ad eandem jus aliquod prætendit, ſive a tertio. Quamobrem id juri naturæ conſentaneum eſſe, demonſtrandum utique erat. Qui jus aliquod prætendit, probabiles utique rationes habere debet, cur prætendat: alias enim pateret, jus ipſius eſſe nullum. Quod vero probabile eſt, cum tamdiu habeatur pro vero, donec contrarium fuerit probatum (§. 591. *Log.*); jus quoque controverſum tamdiu habetur pro jure vero, donec contrarium fuerit probatum, adeoque quamdiu controverſum eſt, emi ac vendi poteſt.

§. 1027.

De pecunia & re pro re data. *Si quis dat pro re rem & pecuniam tanquam additamentum, permutatio eſt; ſi vero pro re dat pecuniam & rem tanquam ſupplementum pretii, emtio venditio eſt.* Etenim ſi pecunia datur cum re tanquam additamentum hujus, res & pecunia æquipollent rei uni, atque adeo perinde eſt ac ſi tantummodo daretur res pro re. Enimvero ſi datur res pro re, permutatio eſt (§. 879.). Ergo etiam permutatio eſt, ſi datur pro re res & pecunia tanquam rei additamentum. *Quod erat unum.*

Quodſi pro re detur pecunia & res tanquam ſupplementum pretii, perinde omnino eſt, ac ſi pretium rei pro re dares. Enimvero ſi datur pretium pro re, emtio venditio eſt (§. 937.). Ergo etiam emtio venditio eſt, ſi datur pro re pecunia & res quædam alia tanquam ſupplementum pretii. *Quod erat alterum.*

Non eſt, quod diſtinguas, utrum potior ſit pecunia, an res, & minus habeatur pro additamento. Etenim nil obſtat, quo minus rem cum alia majoris pretii permutes, ita ut pecunia addenda ſuperet pretium rei tuæ: nec quicquam obſtat, quo minus rem emas & res tua, quam pecuniæ addis, ut ſuppleatur pretium rei emtæ, majorem pretii partem adæquet. Quamobrem a voluntate contrahentium unice pendet, utrum res permutare velint, an emtionem contrahere, ut in caſu priori rei minoris pretii addatur pecunia, in poſteriori pecuniæ addatur res quædam in ſupplementum pretii, quo obſervetur in utroque caſu æqualitas (§. 898.). Ex verbis adeo contrahentium de mente eorum ſtatuendum (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*). Naturaliter vero parum differt, utrum contractum permutationem, an emtionem venditionem dicere velis (*not.* §. 937.), quamvis in Jure Romano non perinde ſit, utrum permutatio, an emtio venditio contracta (*not.* §. 879.): id quod clarius eluceſcit, ubi ea, quæ de utroque contractu hic demonſtrantur, cum iis conferre volueris, quæ in Jure Romano traduntur. Quodſi exiſtimes, ſi pro re detur pecunia & res, naturaliter contractum pro mixto habendum eſſe ex permutatione & emtione, cum partim res pro re, partim pecunia ſive pretium eminens pro re datur; tenendum eſt, aliud eſſe pro re dare pecuniam & rem, aliud pro parte rei pecuniam, pro parte rei vero rem, ita ut res in ſe licet individua intuitu pretii quaſi actu diviſa concipiatur. Hodie pretia rerum pecunia definiuntur, & dum inter ſe comparantur, pecuniæ ad pecuniam ratio attenditur. Ideo in permutatione res permutandæ æſtimantur pecunia, ſaltem tacite, &, quando pretium rei unius ita definitum minus eſt pretio alterius, tantundem pecuniæ adjicitur, ut ejus pretium æquale efficiatur pretio rei alterius. In emtione venditione pretium mercis æſtimatur pecunia, & ſi pecuniam omnem non offerat emtor, ſed rem addit, hujus etiam pretium pecunia definitur, quæ illi addita totum mercis pretium conſtituit. In permutatione itaque pecunia additur pretio rei ſuæ, ut id æquale efficiatur pretio rei acci-

cipiendæ: aſt in emtione emtor pecuniæ, quam ſolvit pro merce, addit pretium rei ſuæ, ut integrum prodeat pretium pro merce ſolvendum. Quamobrem ſi negotium mixtum eſſe debet ex permutatione & emtione ac venditione, pretia rerum definienda ſunt pecunia, ut per pecuniæ ad pecuniam rationem determinetur ratio pretiorum, in qua res majoris pretii diviſa concipi debet, ac pro una parte rei majoris pretii danda eſt res minoris pretii, pro parte reliqua illius ſolvenda pecunia, qua pretium ejus definitur. Ex. grat. Sit rei majoris pretii pretium 30, rei autem minoris pretii 20: res majoris pretii diviſa concipitur in ratione ſeſquialtera, quæ eſt ut 3. ad 2. Duæ igitur hujus partes tertiæ permutantur cum re; aſt pars tertia, quæ valet 10, venditur pro pretio 10. Ita contraxiſſe dici non poſſunt, niſi qui habuerunt animum ita contrahendi, quem verbis vel factis ſufficienter indicare debent (§. 428. *part. 3. Jur. natur.*), nec præſumere licet, niſi ex iiſdem probabiliter colligatur (§ 244. *part. 2. Jur. natur.*). Hactenus dicta qui probe expendit, facile largietur, rariſſime accidere, ut, quando pro re datur res & pecunia, contrahentibus ſit animus partim permutationem, partim emtionem ac venditionem contrahendi. Ceterum hinc ſimul apparet, quomodo de mente contrahentium ſit ſtatuendum, ne ipſis attribuantur ea, de quibus minime cogitarunt & quæ mentem eorum ſubire non poterant. Illiuſmodi enim principia, qualibus vulgo utuntur ad eam conjectandam, veluti quod probabilius ſit contrahentes potius cogitaſſe de contractu recentiori, adeoque de emtione ac venditione, quam de antiquiori, adeoque de permutatione, & quod majus ad ſe trahat minus, adeoque pecunia rem, ſi ejus pretium illa minus ſit, vel res pecuniam, ſi hæc pretium ejus ſuperet, talia profecto ſunt, quæ omnem conjectationem caſui committunt, non majori ſucceſſu, quam ſi teſſerarum jactu definire volueris, quænam fuerit mens contrahentium, ſignificatu numerorum, quos jactus oſtendit, pro arbitrio determinato, veluti ut permutationem indicent, ſi a numero quodam aſſumto veluti 9. deficiant, emtionem venditionem, ſi eundem ſuperent. Non piget hæc uberius explicaſſe, cum ad alia majoris momenti uſui eſſe poſſint, ſiquidem animo probe comprehendantur.

§. 1028.

Ad menſuram emi dicitur, ſi quantitas determinetur, quæ emta eſſe debet, & pretium ex quantitate quadam certa definiatur, vel ſi res certa tota emitur, ſed ea lege, ut ejus quantitas certa menſura determinetur, ex qua pretium ejus definitur. Sed *per averſionem emi* dicitur, ſi res certa emitur ita, ut ejus pretium ad nullam quantitatem reſtringatur, unde computandum. *Quid ſit emtio per averſionem & ad menſuram.*

Ex gr. Emo omne frumentum, quod habes, pretio pro uno modio conſtituto floreno uno: frumentum ad menſuram emitur. Similiter emo 16. modios frumenti, pretio unius modii conſtituto ut ante floreno uno: frumentum ad menſuram emitur. Eodem modo ager emitur ad menſuram, ſi pro ſingulis jugeribus certum conſtituitur pretium. Sed per averſionem emitur frumentum, quod habes, ſi pro tota quantitate ad nullam menſuram revocanda pretium aliquod conſtituitur. Et idem eodem modo intelligitur de agro per averſionem emto.

§. 1029.

Si res ad menſuram emitur ita, ut certa quantitas determinetur, quæ emta eſſe debet, & facta menſura minus deprehendatur; venditor partem pretii remittere tenetur, niſi defectum ſupplere poſſit. Etenim ſi res ad menſuram emitur, pretium ex certa quadam quantitate, quæ pro menſura ſumitur (§. 438. *Ontol.*) definiendum (§. 1020.), adeoque ut de rei quantitate abſoluta conſtet, ea menſuranda. Quodſi ergo certa quantitas determinetur, quæ emta eſſe debet, & facta menſura minor deprehendatur, nec defectum ſupplere poſſit venditor; de pretio totius quantitatis, quæ emta eſſe debebat, tantum remittere utique debet, quantum valet quod deficit, cum quantitas certa non alio fine determinata intelligatur, quam ne emtor obligatus ſit ad majorem accipiendam, niſi voluerit. Quodſi vero venditor defectum ſupplere poſſit, cum tota quantitas emta ſit *per hypoth.* pretium quoque totum ex menſura, pro qua conſtitutum eſt, computatum ſolvendum, quemadmodum ipſa emtionis venditionis notio inſinuat (§. 937.). *De re ad menſuram emta certa quantitate expreſſa.*

Ex. gr. Emo frumentum tuum, quod æſtimas 12 modiorum, pretio unius modii conſtituto uno floreno, ut adeo totum pretium ſit 12. florenorum. Quodſi facta menſura tantummodo deprehendantur undecim modii cum dimidio; dimidium florenum de pretio detraho. Sin vero

ro venditor dimidium modium, qui deficit, aliunde ſupplere poſſit; integrum pretium 12. florenorum ſolvere teneor. Similiter ſi dico, me emere agrum tuum, quæ 12. jugerum æſtimas, pretio certo pro uno jugero conſtituto; & facta menſura, numerus jugerum deprehendatur minor, veluti decem cum tribus quartis; de pretio totius agri detraho pretium unius jugeri cum quarta ejus parte.

§. 1030.

Caſus alter. *Si res ad menſuram emitur ita, ut certa quantitas determinetur, quæ emta eſſe debet, factaque menſura major deprehendatur; venditor ſuperfluum retinet, niſi emtor pretium ipſo conſentiente augere velit.* Patet ut ante (§. 1029.), rem eſſe menſurandam, ut de vera ejus quantitate conſtet. Quodſi ea facta menſura major deprehendatur ea, de qua conventum eſt; emtor ultra eam non tenetur venditori, adeoque ſuperfluum cum emtum non ſit, venditoris manet, conſequenter idem retinet. Quodſi vero emtor pretium pro eo, quod ſuperfluum eſt, dare adeoque pretium, quod pro quantitate emta debet, augere velit; revera quod ſuperfluum eſt, emit ex poſt facto (§. 937.), conſequenter neceſſe non eſt, ut idem retineat venditor, ſed pretium ſi velit auctum accipit.

Ex. gr. Emo tuum frumentum, quod æſtimas ut ante 12. modiorum pretio pro modio uno conſtituto uno floreno, ut adeo totum pretium ſit 12. florenorum. Quodſi facta menſura deprehendantur modii duodecim cum dimidio: cum non emeris niſi 12, dimidius emtus non eſt & a venditore retinetur. Si vero ſolvere ultra 12. florenos velis adhuc dimidium, nec venditor ſuperfluum ipſe retinere malit, quod eſt ſuperfluum, tibi quoque emtum eſt. Idem intelligitur de agro ad menſuram emto, certo jugerum numero expreſſo & pretio pro uno conſtituto, ſi facta menſura numerus jugerum reperiatur major.

§. 1031.

De re emta ad menſuram quantitate non expreſſa. *Si res ad menſuram emitur, quantitate nulla expreſſa; totius rei pretium ab emtore ſolvendum, quod facta menſura quantitati deprehenſæ convenit.* Etenim ſi res ad menſuram emitur, nulla quantitate expreſſa, tota omnino emta intelligitur, & pretium ad certam quantitatem, quæ pro menſura ſumitur (§. 438. *Ontol.*), reſtringitur, unde pretium totius computandum (§. 1028.). Quamobrem ut de quantitate totius rei conſtet, eidemque convenienter pretium determinari queat, menſuranda utique eſt. Quod adeo facta menſura quantitati deprehenſæ convenit pretium, id emtor ſolvere tenetur (§. 937.).

Ex. gr. Frumentum, quod habes, emo, pretio pro ſingulis modiis conſtituto uno floreno. Quodſi menſura facta deprehendantur modii tredecim cum dimidio; ſolvendi omnino ſunt floreni tredecim cum dimidio, ſeu octo groſſis. Similiter ſi agrum tuum emo, certo in ſingula jugera conſtituto pretio, non expreſſo jugerum numero. Ager totus emtus eſt & menſurandus, ut conſtet de numero jugerum conſtitutum, ut prodeat pretium integrum ſolvendum. Singula, quæ de re ad menſuram emta traduntur, exemplo manifeſta ſunt ei, qui notionem emtionis venditionis habet.

§. 1032.

De emtione per averſionem. *Si res per averſionem emitur; pretium ſolvendum, de quo conventum, etſi alia deprehendatur ejus quantitas, facta menſura, quam putabatur.* Quodſi enim res per averſionem ematur, pretium ejus ad nullam quantitatem reſtringitur unde computari poſſet (§. 1028.), adeoque abſolute conſtituitur in quantitatem rei nulla menſura determinandam, ſit ita quod oculorum judicio ea utcunque æſtimetur. Quamobrem cum ita conveniatur, ut pro pretio in rem non menſuratam conſtituto ea detur; venditor utique ſolvere tenetur pretium conventum, etſi alia deprehendatur rei quantitas, menſura facta, quam putabatur.

Ex. gr.

Ex gr. Ponamus me emere acervum frumenti, quem æſtimo 40. circiter modiorum, pretio certo in integrum acervum conſtituto, non tamen ea lege, ut menſuretur, etſi in conſtituendo pretio quantitatis illius rationem habuerim. Quodſi frumentum traditum menſurare libuerit, ut conſtet, quantum habeam, & quantum ſit modii unius pretium, facta menſura vero nonniſi 38. cum dimidio deprehendantur modii, nihil tamen de pretio detrahere licet, quamvis pretium unius modii prodeat majus communi, quemadmodum, nec ex adverſo illud augendum, ſi numerus modiorum fuerit 42, & pretium unius deficiat a communi. Non eſt quod exiſtimes emtionem per averſionem minus convenire æquitati naturali, propterea quod vel emtor, vel venditor damnum incurrere poſſit, ſi res & pretium ad æqualitatem redigantur juxta pretium tunc commune. Pendet enim a voluntate contrahentium, utrum æqualitatem obſervare velint, nec ne (§. 975.). Si vero per averſionem emitur, æqualitatem exacte obſervari nolunt contrahentes, cum alias ad menſuram fieret emtio ac venditio (§. 1028.). Ceterum emtio rei per averſionem habet aliquid aleæ, ut adeo lux aliqua adhuc eidem affulſura ſit per ea, quæ de contractibus aleæ demonſtrabuntur. Vulgo dicitur, emtionem per averſionem contrahi, quantitatis nulla mentione facta, aut factæ nonniſi demonſtrationis gratia, quod poſterius intelligitur, ſi quantitatem equidem nominat venditor, in eam tamen non conſtituitur pretium, ut adeo nulla quantitas attendatur in ipſa conventione.

§. 1033.

Si res venditur pro juſto pretio, de quo emtori fidem habet venditor, in pretium commune conſenſiſſe intelliguntur contrahentes, quod tempore contractus obtinet. Etenim ſi res venditur pro juſto pretio, & venditor emtori de eo fidem habet, venditor mercem dat & tradit, quamvis de pretio nondum fuerit conventum, quod per ſe patet. Quamobrem cum contrahentes tacite conſentiant in pretium commune, quod tempore contractus obtinet, ſi venditor mercem dat & tradit, quamvis de pretio nondum fuerit conventum (§. 980.); in idem quoque conſenſiſſe intelliguntur, ſi res venditur pro juſto pretio, de quo emtori fidem habet venditor.

De re pro juſto pretio vendita.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si res venditur pro juſto pretio, de quo fidem emtori habet venditor, dubitari nequit, quin emtori fuerit animus ad contrahendam emtionem & venditor habuerit animum vendendi, conſequenter contractus fuerit perfectus (§. 968.). Enimvero quoniam emtio contrahi nequit ſine certo pretio, quod pro re ſolvendum (§. 937. *h.* & §. 28. *part.* 3. *Jur. nat.*); per pretium juſtum tale intelligi debet, quod tempore contractus certum eſt, conſequenter ſufficienter indicatum (§. 28. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum certum ſit pretium, ſi conſentiatur in id, quod communi hominum, vel peritorum æſtimatione obtinet, & quidem tempore contractus, ſiquidem omni tempore non fuerit idem; ſi quis rem vendit pro juſto pretio & de eo emtori fidem habet venditor, in commune, quod tempore contractus eſt, conſenſiſſe intelliguntur (§. 905.).

Nimirum quando vel verbis contrahentium inſunt, per quæ pretium certum reddi poteſt, vel id alio quocunque modo certum fieri poteſt: in id contrahentes naturaliter conſenſiſſe intelliguntur, cum non habuerint animum nihil agendi, ſed voluerint, ut contractus conſiſtat. Sane pretium certum efficitur non modo per ſpecificationem, v. grat. quando conſentitur in pretium duodecim thalerorum; verum etiam per relationem, ver. grat. quando conſentitur in pretium, quo res eo tempore in foro venit, vel ab aliis venditur, vel quanti antea emiſti, aut quanti futuro tempore certo erit. Per relationem vero etiam tacite pretium certum effici poteſt, modo tacitam relationem aut verba contrahentium, aut aliæ circumſtantiæ inſinuent. Et per relationem illiuſmodi tacitam pretium certum effectum intelligitur in propoſitione præſente, ut adeo nil obſtet, quo minus emtio ac venditio pure facta dicatur in propoſitionis præſentis hypotheſi. Immo non infrequens eſt, ut merces emantur, fide de pretio habita, pretio juſto tacite ſuppoſito, veluti ſi animo emendi, accipias merces a mercatore quales jam antea emiſti, vel quotidie emunt alii, fide de pretio habita, etiamſi de eo non fuerit expreſſe conventum, quatenus tacite fit relatio ad pretium antea datum, vel datum ab aliis, conſequenter ad commune (§. 905.). Præſtaret utique contrahentes pretium ſemper certum efficere per ſpecificationem; cum tamen non fieri ſoleat, ideo demonſtrandum quoque eſt, quid veritati conveniat, ſi non fiat.

§. 1034.

§. 1034.

De pretii determinatione in arbitrium tertii collata.

Si pretii determinatio in arbitrium tertii vel certi, vel incerti confertur, naturaliter valet, modo pretium non ſit manifeſte iniquum, & qui in caſu poſteriori eligitur ſit peritus rei æſtimator. Si enim determinatio pretii in arbitrium tertii confertur, uterque contrahentium promittit, adeoque alteri ſe obligat (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), quod velint in pretium iſtud conſentire, quod tertius quidam determinaverit. Quamobrem cum promiſſa ſint ſervanda (§. 431. *part.* 3. *Jur. nat.*), & ad quod quis ſe obligavit, id faciat neceſſe ſit (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quin in pretium a tertio, in cujus arbitrium collata eſt determinatio, determinatum conſentire debeant, adeoque naturaliter valeat iſta determinatio, dubitandum non eſt. *Quod erat primum.*

Quoniam tamen ipſimet de pretio convenire nolunt, qui contrahunt; ideo is videtur iisdem animus, ut in contractu ab æqualitate non nimis recedatur (§. 898.). Quamobrem cum in arbitrium tertii conferunt determinationem pretii, tacite utique ſupponunt, pretium determinari debere non iniquum. Quoniam itaque ſub tacita hac conditione promiſerunt, ſe conſenſuros in pretium a tertio determinatum, niſi fuerit iniquum, deficiente autem conditione promiſſio conditionata evaneſcit, ſeu pro non facta habenda (§. 534. *part.* 3. *Jur. nat.*); determinatio pretii a tertio, in cujus arbitrium ea collata fuit, minime valet, ſi pretium deprehendatur manifeſte iniquum, veluti ſi a communi nimis deficiat, vel idem ſuperet (§. 905.). *Quod erat ſecundum.*

Quando certa perſona nominatur, in cujus arbitrium determinatio pretii confertur; contrahentes eam pro perito rei æſtimatore habent. Quamobrem niſi pretium determinaverit manifeſte iniquum, ut appareat, eum alterutri contrahentium parti faviſſe; ſtandum omnino eſt ejus æſtimatione, *per demonſtrata n.* 1. & 2. *Quod erat tertium.*

Denique ſi determinatio pretii confertur in tertium incertum, cum æquum definiri velint *per demonſtrata n.* 2. id utique voluiſſe cenſentur contrahentes, ut eligatur peritus rerum æſtimator. Quamobrem ſi minime peritum electum fuiſſe contingat, patet ut ante *n.* 2. determinationem pretii non valere, conſequenter alium eligendum eſſe peritiorem. *Quod erat quartum.*

Velim quæ hic demonſtrantur probe perpendi, ne communi interpretum Juris civilis opinioni plus tribuatur, quam veritati, quando ea per omnia cum ea non conſentit. Ceterum ſi in arbitrium tertii confertur determinatio pretii, plures etiam eligi poſſunt, quorum conſenſu idem determinetur, ſive omnes mutuo contrahentium conſenſu eligantur, ſive alium vel alios nominet emtor, alium vel alios venditor. Immo conveniri etiam poteſt ea lege, ut a pluribus determinetur pretium non communicato conſilio, & ex diverſis pretiis eligatur medium, vel id in quod uterque contrahentium conſenſerit.

§. 1035.

De determinatione pretii in tertii arbitrium collata, qui id determinare nequit, vel non vult.

Si determinatio pretii in arbitrium tertii collata fuerit, & is idem determinare vel nolit, vel non poſſit; emtio venditio nulla eſt. Quando enim determinatio pretii in arbitrium tertii certi collata fuerit; contrahentes ſibi mutuo promiſerunt, quod velint ratihabere pretium, quod tertius ille, quem nominarunt, determinaverit, conſequenter cum ipſis nondum certo conſtiterit, utrum id determinare poſſit, aut velit, nec ne, ſub tacita hac conditione promiſſio hæc facta intelligitur, ſi is determinare poſſit, aut voluerit. Quoniam itaque promiſſio conditionata evaneſcit, conditione deficiente (§. 534. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi determinatio pretii in arbitrium tertii certi collata fuerit, & is idem determinare vel nolit, vel non poſſit, pretium nullum in mercem conſtitutum intelligitur. Quamobrem cum ſine pretio certo contrahi non poſſit emtio ac venditio (§. 937.); ſi determinatio pretii in arbitrium tertii certi collata fuerit, & is idem determinare vel nolit, vel non poſſit; emtio venditio nulla eſt.

Non

Non eſt quod excipias, ſi is, in cujus arbitrium collata eſt determinatio pretii, idem determinare vel nolit, vel non poſſit, eligendum eſſe alium rei æſtimatorem: neque enim hic quæritur, quid fieri poſſit, ſed quid fieri debeat. Quoniam enim contrahentes in pretii determinationem conſentire non obligantur, niſi quod a tertio, in quem eam contulerunt, fuerit determinatum; neuter quoque cogi poteſt, ut conſentiat in electionem alius æſtimatoris, ſi is, quem contrahentes nominarunt, pretium definire non poſſit, vel nolit. Nimirum pro vero contra contrahentes non habetur, niſi quod ſufficienter indicatum (§. 428. *part. 3. Juris nat.*).

§. 1036.

Si pretium a venditore in arbitrium emtoris confeᵣatur, naturaliter valet emtio, pretium tamen ab emtore dari non debet nimis parvum, ſeu quod a communi nimis recedit, niſi donandi animum prodat venditor, aut is aliunde præſumi poſſit. *De pretio in emtoris voluntatem collato.* Etenim ſi pretium a venditore in arbitrium emtoris confertur, exactam æqualitatem in contractu obſervari non vult venditor (§. 898.). Quamobrem cum a contrahentium voluntate unice pendeat, utrum exactam æqualitatem obſervare velint, nec ne (§. 975.); nulla eſt ratio, cur emtio venditio conſiſtere non debeat, etiamſi pretii determinatio conferatur in emtorem, conſequenter ſi hoc fiat, valida eſt. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi venditor pretii determinationem in arbitrium emtoris confert, adeoque eo contentus eſſe vult, quod dabit emtor, aut habet animum reliquam pretii partem, quantacunque fuerit, emtori donandi, aut eum non habet. Quodſi ergo venditor animum donandi quomodocunque prodit, aut is aliunde colligi poſſit; emtor dare poteſt pretium, quantum voluerit. Si vero animus donandi præſumi non poſſit, vel prorſus adſint rationes fortes in contrarium; venditor tacite ſupponit, emtorem daturum pretium non nimis iniquum, ſeu quod a vero non nimis deficit, conſequenter venditio ea lege contracta intelligitur, ut detur pretium non nimis iniquum. *Quod erat ſecundum.*

Oſtendimus jam ſupra (§. 578.), actum mixtum eſſe ex donatione & emtione venditione, ſi venditor ſciens accipit pretium vero minus. Quidni igitur emtio venditio conſiſtat tanquam actus mixtus, ſi venditor animum donandi habens conferat determinationem pretii in arbitrium emtoris, ita ut eidem relinquat, quantum dare velit. Ex. grat. Offero tibi emendum librum, quem pretium duorum thalerorum mihi comparavi. Tu respondes, te librum libenter emturum; ſed tanto pretio redimere non poſſe. Ego tibi librum trado, ut mihi des pro eo, quantum libuerit. Accepto libro, tibi do thalerum unum, adeoque pretium dimidium veri. Cum promiſeris te fore contentum eo quod dederis; nulla ſane ratio eſt cur emtio conſiſtere non debeat, dimidio pretii donato. Ex adverſo ſi quis pecunia carens rem quandam vendere cogitur, cumque reperire nequeat emtorem rogat ut emas. Tu emere recuſas: ille iterato te rogat, ut emas pretio in arbitrium tuum collato. Hic animus donandi præſumi nequit; etſi minori pretio, quam vero contentum ſe eſſe velle ſatis indicet venditor. Quamobrem ſupponendum eſt, venditorem tibi rem tradere ſub tacita hac conditione, ut des pretium non nimis parvum. Quodſi ergo ne tertiam quidem partem veri pretii des, emtio nulla eſt, adeoque rem repetere poteſt venditor: ſi vero des tres quartas, cum in gratiam ipſius emas alias non emturus, nihil in hac emtione iniqui. Iſtiuſmodi emtiones magis officiis reguntur, quam juri externo conveniunt, quod ex pactis venit. Quamobrem iniquum non eſt, ſi lege poſitiva declarentur pro nullis, cum ab officiorum tramite facile recedant emtores, qui communiter vili emere volunt, &, ubi pretium de quo habita fides, vi exigendum, non ſatis conſtet, quid exigi debeat. In Jure naturali autem admittenda, quæ per officia conſiſtunt, quibus ſi contraria fuerint pacta, eodem jure improbantur.

§. 1037.

Quodſi pretii determinatio in arbitrium venditoris conferatur, qui emtori de eodem fidem habet, in vero majus conſentiunt contrahentes, emtio naturaliter conſiſtit, venditor tamen ab emtore exigere nequit niſi pretium affectionis non iniquum, ſi ob idem vendere nolebat, vel inde æſtimandum, quod carere debeat re in gratiam alterius, qua ipſe indigebat. *De pretio in venditoris arbitrium collato.* Si emtor determinationem pretii in arbitrium venditoris confert, neceſſe eſt, ut venditor, rem, quam emere vult, vendere nolit,

lit: quodſi enim res ſit venalis & emtor verum pretium ignoret, a venditore ſibi idem indicari vult; nec in indicatum conſentit, niſi quatenus ſupponit id eſſe verum, ſeu commune, conſequenter hic caſus in præſenti non attendendus. Quoniam itaque determinatio pretii arbitrio venditoris relinquitur ea de cauſa, ut ipſum lucro permoveas ad vendendum; evidens omnino eſt, te in pretium vero majus conſentire, & in idem conſentire venditorem, qui rem tradit fide de pretio habita. *Quod erat primum.*

Quoniam vero a voluntate emtoris ac venditoris unice pendet, utrum æqualitatem obſervare velint, nec ne (§. 975.); ſi eam obſervare noluerint, hoc non obſtante emtio venditio naturaliter conſiſtit. Quamobrem conſiſtere etiam debet determinatione pretii in arbitrium venditoris collata. *Quod erat ſecundum.*

Jam vero ſi venditor rem emtori vendere non vult, vel ideo vendere recuſat, quod eidem pretium aliquod affectionis ſtatuit, vel quia ipſemet ea re indiget, adeoque commode carere nequit. Quamobrem cum pretium affectionis agnoſcendum ſit ab emtore, in eo definiendo nil quicquam committendum, quod repugnet officio cuidam erga alios (§. 912.), conſequenter venditor ab emtore exigere nequit niſi quod fuerit non iniquum (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quando de eodem non determinato fidem habuit *per hypoth.* Quodſi vero in gratiam emtoris vendit rem, qua ipſemet indigebat, adeoque carere debet, ex carentia uſus proprii utique pretium æſtimandum venit. *Quod erat tertium.*

Quemadmodum pretium affectionis aliquid æſtimabile eſt (§. 908.), & intra limites rectos continetur per officia (§. 912.); ita etiam carentia uſus proprii in gratiam alterius non abſimili modo æſtimabilis eſt & limites rectos recipit ab officiis. Etenim ſi venditor non vult vendere rem, quam tu emere vis, quia ipſemet eadem indiget, neceſſe eſt, ut carentiam uſus proprii ſibi repræſentet tanquam malam (§. 892. 893. *Pſych. empir.*), adeoque tædium, ſeu moleſtiam quandam ex ea percipiat (§. 570. *Pſych. empir.*): quod ut tollatur, neceſſe eſt ut ex lucro, quod facit, dum pretium vero majus accipit, voluptatem percipiat, quæ tædium iſtud ſuperat (§. 528. *Pſych. empir.*). Hoc igitur lucrum menſura eſt exceſſus pretii ſupra verum. Enimvero quoniam obligatio naturalis neceſſaria ac immutabilis eſt (§. 142. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*); in lucro hoc determinando nil quicquam committendum, quod officio cuidam erga alios repugnet. Regit adeo voluptatem ex lucro percipiendam & tædium, quod per eam tolli debet, jus naturæ per officia, quemadmodum affectum in determinando pretio affectionis (§. 912.). Non nego, determinationem exceſſus ſupra verum pretium eſſe difficilem: ſed de eo jam quæſtio non eſt. Pretii affectionis determinatio, ut æquum ſit, non minus difficilis eſt; non tamen propterea affectio eximitur e numero rerum æſtimabilium, ita ut in ipſo foro admittatur pretium affectionis, quatenus ab altero agnoſcendum. Quamobrem non minore difficultate in eodem etiam admitti poterat æſtimatio carentiæ uſus proprii. Enimvero talia referenda ſunt ad difficiliores Juris nodos, qui ſolvendi adhuc ſunt, & nullibi magis verum eſt, Juris artem penitus ex intima philoſophia hauriendam eſſe, quemadmodum *Cicero* pronunciat. Et quando de iſtiuſmodi difficilioribus Juris naturalis capitibus exaſciata proſtabit theoria, quid maxime conveniat juri civili, tum demum rite ſtatuere licebit. Ceterum quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus de modo, quo emtiones in arbitrium emtoris collata pretii determinatione conſiſtunt; de emtione quoque, eadem determinatione in arbitrium venditoris collata, tenenda ſunt.

§. 1038.

De accidentibus gratis & ingratis. *Accidentia grata* vocamus, quæ ad utilitatem vel jucunditatem quid conferunt: *ingrata* vero, quæ utrique obſtant, vel alio quocunque modo moleſtiam pariunt, aut ad eam afferendam apta ſunt.

Nimirum gratum nobis accidit, quod voluptatem; ingratum vero, quod moleſtiam parit. Quemadmodum vero quod utilitati obſtat moleſtiam affert; ita ex adverſo voluptatem creat, quod ad utilitatem facit, modo ad eam ſatis attendamus. Utilitas enim, ſeu commoditas ex eorum numero eſt, quæ plerumque tum demum bona agnoſcuntur, quando iis carere debes, & oppoſito locus eſt. Ita accidens gratum agri eſt, ſi is non procul ab horreo diſtat: ex adverſo ingratum eſt, ſi longo admodum intervallo ab horreo removeatur ager. Similiter accidens gratum eſt, ſi hortus fuerit ædibus, quas inhabitas, contiguus: ingratum contra, ſi extra urbem procul ab ædibus tuis ſitus. Eodem modo accidens gratum intelligitur mercatori, ſi ædes loco

loco ipſi commodo ſitæ, ut facilius accedant emtores. Accidens ingratum agri eſt, ſi is ſitus ſit prope flumen in loco ruinoſo, & ædium, ſi malus iis fuerit vicinus, vel ſi eædem pericu-lo incendii ſubjectæ ſint. Accidentia rerum grata ſemetipſa haud raro produnt, quando res ob ea placent, quam primum conſpiciuntur; ſicuti ex adverſo ingrata, quando res ob ea diſplicent.

§. 1039.

An ea ſint æſtimabilia & quo effectu.

Accidentia tam grata, quam ingrata aliquid æſtimabile ſunt, & illa pretium verum augent, hæc imminuunt. Etenim cum accidentia grata ad utilitatem vel jucunditatem vitæ quid conferant (§. 1038.): ea rem reddunt utiliorem, vel jucundiorem. Enimvero rebus utilibus & voluptuariis qua talibus, conſequenter etiam rebus, quatenus ad vitam commode degendam (§. 500. *p. 1. Jur. nat.*), vel ad ejus jucunditatem faciunt (§. 501. *part. 1. Jur. nat.*), pretium ſtatuere licet (§. 317.). Quamobrem cum quid ſit æſtimabile, quatenus eidem pretium quoddam ſtatui poteſt; accidentia grata utique ſunt aliquid æſtimabile. *Quod erat primum.*

Jam vero in accidentibus ingratis deficit, ob quod *per demonſtrata* gratis pretium ſtatuitur (§. 1038.), vel adeſt quidpiam, quod defectui iſti æquipollet (§. *cit.*). Quamobrem cum defectus æſtimetur pretio ejus, quod abeſt, quin etiam accidentia ingrata aliquid æſtimabile ſint, dubitandum non eſt. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam accidens gratum per ſe æſtimabile quid eſt *per demonſtrata n. 1.* ſi rei inſit, vel adſit, pretio rei ejus pretium ſuperaccedit, conſequenter rei pretium augetur (§. 426. *Ontol.*). *Quod erat tertium.*

Denique cum etiam accidens ingratum per ſe æſtimabile ſit, *per demonſtrata n. 2.*, ſed ita ut valor ejus ſit negativus, quemadmodum ex demonſtratione n. 2. patet, adeoque quantitati privativæ, quemadmodum pretium verum rei poſitivæ æquivalet; ſi accidens ingratum adſit, pretio rei vero pretium aliud ſuperaccedit per modum quantitatis privativæ ad poſitivam. Quamobrem cum quantitas privativa a poſitiva ſubtrahenda, ſi eidem addenda (§. 27. *Analyſ.*); valor quoque accidentis ingrati ſubducendus a pretio rei vero, conſequenter accidens ingratum hunc minuit (§. 426. *Ontol.*). *Quod erat quartum.*

Nobis hic ſufficit demonſtraſſe, quod accidentia rei æſtimabilia rei adeſſe, vel ineſſe poſſint, tam poſitiva, quæ pretium rei augent, quam privativa; quæ idem imminuunt. Nemo vero a nobis requiſiverit, ut oſtendamus, quomodo ea æſtimanda ſit: neque enim hoc tam facile, nec adeo breviter fieri poteſt. Amplam requirit theoriam æſtimatio accidentium æſtimabilium, & vix eam ſperandam eſſe puto antequam æſtimatio in multis caſibus particularibus fuerit tentata: quo facto incidet in principia generalia, qui omnem attentionem huc allaturus eſt, de quibus cogitare non licet, ſi quis ſtatim de theoria generali condenda ſollicitus fuerit. Quibus ars inveniendi non prorſus incognita eſt, ii mecum facile conſentient. Quamvis enim ſolutio caſuum particularium multo difficilior ſit ſolutionibus generalibus, unde deinceps particularia veluti ſua ſponte fluunt; non tamen generales magis in poteſtate ſunt, quam particulares, per quas ad illas demum patet aditus. Ceterum quæ de valore privativo accidentium ingratorum diximus, ea notioni quantitatum privativarum conſona ſunt, & ſine ulla difficultate capiuntur ab iis, quibus hoc quantitatum genus ex Algebra perſpectum eſt, ubi frequentiſſimus earundem uſus occurrit. Ne tamen ceteris maneant ſine mente ſonus ea, quæ dicta ſunt, tenendum eſt, quantitates privativas eſſe verarum ſeu poſitivarum defectus, ut adeo eodem modo infra nihilum decreſcant, quo poſitivæ ſupra idem creſcunt. Numeri poſitivi creſcunt continua unitatis additione, unitate tanquam numero primo prodeunte, ſi ea addatur nihilo, ſive 0, quod ſumitur totius ſeriei numerorum naturalium principium. Sed privativi decreſcunt continua unitatis ſubtractione, unitate ex nihilo ſubtracta, ut primus reſultet numerus negativus ſeu privativus — 1, ac deinceps — 2. — 3. — 4. in infinitum. Ita 36. thaleri, qui conſiſtunt in pecunia numerata, & quos in crumena habes, ſunt quantitas poſitiva, ſeu valor poſitivus, ſi eodem æſtimentur res præſentes, cum totidem thaleros habeas ſupra nihil: aſt debitum 36. thalerorum ſunt quantitas negativa, quippe quibus ſolutis demum nihilum habes. Atque hinc patet ſolutione 36. thalerorum tolli debitum totidem thalerorum, conſequenter ſi quantitas negativa accedit ad poſitivam, eandem ex hac ſubducere partem ſibi æqualem. Et hoc modo intelligi poteſt, quomodo accidens ingratum æſtimabile detrahat aliquid de pretio vero rei & quantum detrahat.

§. 1040.

An æſtimationem accidentium ferat æqualitas?

Quoniam accidentia grata pretium rei augent, & ingrata idem imminuunt (§. 1039.); *ſi ob accidentia grata res carius, ob ingrata vilius venditur, ab æqualitate non receditur* (§. 898.).

Tum demum receditur ab æqualitate, ſi unus contrahentium aliquid dat, pro quo nihil viciſſim recipit, vel non tantundem, quantum dat. Enimvero qui dat accidens æſtimabile dat utique aliquid, & ejus ſi præſtatur pretium tantundem recipit, quantum dedit; æqualitas adeo obſervatur. Notandum vero eſt, cum accidentia ingrata reſpondeant quantitatibus negativis, idem eſſe ac non dare, quod dari debebat, ſed non poteſt, conſequenter ad obſervandam æqualitatem nec dandum eſſe pretium, quod dari deberet, ſi accidens abeſſet, vel oppoſitum ejus adeſſet (*not.* §. 1039).

§. 1041.

Accidentia grata emtori eſſe indicanda.

Si venditor pretium rei auget ob accidens gratum, id emtori indicare debet. Etenim ſi venditor pretium rei auget ob accidens gratum, idem dat emtori pro pretio, quod æquale eſt exceſſui ſupra commune rei pretium, adeoque accidens iſtud vendit (§. 937.). Enimvero emtio venditio contractus conſenſualis eſt (§. 981.), adeoque mutuo emtoris ac venditoris conſenſu perfici debet (§. 725.), conſequenter ignoranti nil vendi poteſt. Quamobrem cum in emtoris unice voluntate poſitum ſit, utrum accidens iſtud emere velit, nec ne, ſi venditor pretium rei auget ob accidens gratum, id emtori utique indicare debet.

Venditor tenetur accidens, ob quod ſupra pretium commune rem vendit, emtori indicare, quia id conſiderat tanquam rem venalem, ut perinde ſit ac rem unam vendere nollet ſine altera. Enimvero ſi quis rem unam ſine altera vendere non vult, is non poteſt vendere unam & alteri pro lubitu ſuo adjicere aliam, quam num emtor ſimul emtam eſſe velit ignorat: multo minus rei emtæ pro certo pretio adjicere poteſt aliam, ſibi reſervata libertate pretium ejus pro arbitrio ſuo determinandi. Quamobrem cum hoc fieret, ſi rem pluris venderet, quam communi pretio venit, ob accidens aliquod æſtimabile, hoc tamen non indicaret emtori; quin id indicare debeat, dubitandum non eſt.

§. 1042.

An etiam ab emtore indicandum quod ob accidens æſtimabile majus pretium det.

Si emtor rem pluris emit, quam vulgo vendi ſolet, ob accidens quoddam æſtimabile; id venditori indicare non tenetur. Etenim ſi emtor ob accidens aliquod æſtimabile in pretium communi majus conſentit; id motivum eſt, cur conſentiat, ut majus pretium dare velit (§. 887. *Pſych. empir.*). Enimvero motiva voluntaris ſuæ nemo contrahentium alteri indicare tenetur, cum ſufficiat indicatam eſſe voluntatem, quæcunque tandem ſit ratio, cur in hanc potius contradictionis partem determinata fuerit, quam in aliam (§. 428. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem ſi emtor rem pluris emit, quam vulgo vendi ſolet, ob accidens quoddam æſtimabile; id venditori indicare non tenetur.

Alia omnino eſt emtoris, alia venditoris conditio. Si venditor pretium rei auget ob accidens æſtimabile, hoc ipſum ſpectari debet tanquam res cum re altera, cui ineſt, vel adeſt, ſimul vendenda (*not.* §. 1041.); ſi vero emtor in majus pretium conſentit, quia communi vendere non vult venditor, ob accidens aliquod ſibi æſtimabile, parum refert, utrum hoc norit venditor, an ignoret, quippe cui perinde eſt, quæcunque tandem fuerint emtori rationes, cur in pretium conſentire voluerit, quemadmodum nec ipſe emtori indicare tenetur, cur rem vendere velit, vel cur communi pretio vendere nolit, & quænam ſint rationes, cur emtorem ſe habiturum ſperet, qui in pretium communi majus conſentiat. Notandum præterea, aliud eſſe accidens quod in ſe æſtimabile eſt, ut pretium ei ſtatui poſſit reſpectu emtoris cujuslibet, aliud eſſe accidens, quod nonniſi reſpectu circumſtantiarum emtoris particularium ab ipſo æſtimatur. Illius in augendo pretio rationem habere poteſt venditor; hujus vero rationem non habet niſi emtor, quando deliberat, utrum rem emere nolit, quam pretium communi majus da-

re

re velit. Naturaliter homines obligantur ad res ſibi invicem pro æquo pretio communicandas (§. 322.), nec ſi alter, qui re tua indiget, neceſſitate compulſus in pretium majus æquo conſentire cogatur, id exigere licet (§ 323.), conſequenter venditor in exigendo pretio non poteſt rationem habere accidentis ſoli emtori æſtimabilis, niſi ab æquitate naturali recedere velit, quod utique non licet (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ*). Notandum præterea eſt, accidens ſoli emtori æſtimabile ob circumſtantias particulares, quæ ex parte ipſius adſunt, non ineſſe vel adeſſe rei qua venali, ſed ad eam demum accedere, ubi res fuerit emta. Quando igitur venditor rei ſuæ pretium determinare debet, non habenda eſt ratio circumſtantiarum particularium, ob quas hic emtor in majus vero pretium conſenſurus præſumitur. In emtione venditione res comparatur cum pecunia, quæ pro re ſolvitur, non vero cum perſona emtoris & circumſtantiis particularibus, quæ eam comitantur, ita ut pro harum diverſitate pretium nunc majus, nunc minus exigi poſſit. Res habere debet ſuum pretium, antequam ematur, adeoque determinabile eſt ac determinari debet, antequam conſtet, quinam eam ſit emturus. Quodſi hæc probe perpendantur, nihil difficultatis ſupererit, cur venditorem obligatum eſſe contendamus ad accidens æſtimabile indicandum, ob quod pretium rei augetur; emtorem autem ad hoc non teneri, ſi in pretium communi majus conſentiat.

§. 1043.

Vitium rei quid ſit.

Accidentia ingrata vocari etiam poſſunt ſignificatu latiori *Vitia rei* & quidem *intrinſeca*, ſi ea rei inſunt; *extrinſeca* vero, ſi eidem adſunt. Strictiori ſignificatu *Vitium rei* appellatur accidens, quod eidem inhæret & rem uſui ſuo minus aptam reddit.

Ex. gr. Sit pars panni, quæ emitur, lacerata, vel macula notabili, quæ colorem immutavit, infecta: in utroque caſu pannum vitium habet. Similiter ſit equus calcitroſus, cum adeo ejus uſus non careat periculo, erit hoc accidens vitium. Nos brevitatis gratia ſignificatum latiorem retinemus ſi niſi vitium ſub accidentis ingrati nomine, termino nondum recepto, comprehendere malis.

§. 1044.

An vitia rei ſint indicanda.

Vitia rei, quæ in oculos non incurrunt, vel aliunde nota non ſunt, emtori indicare tenetur venditor. Sunt enim vitia accidentia ingrata (§. 1043.), quæ adeo vel utilitati vel jucunditati obſtant, aut moleſtiam afferunt, vel ad eam afferendam apta ſunt (§. 1038.). Quamobrem cum ea non ſolum pretium rei minuant (§. 1039.), verum etiam, cum ea abeſſe ſupponat emtor, perinde ſit ac ſi res alia venderetur; venditor omnino emtori vitia rei, quæ in oculos non incurrunt, nec aliunde jam nota ſunt, indicare debet, ut libere ſtatuat, utrum iis non obſtantibus rem, minori præſertim pretio, emere velit, an nolit. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi vitia rei in oculos incurrunt, per ſe patent, adeoque opus non eſt, ut demum indicentur. Quamobrem nec venditor vitia rei, quæ in oculos incurrunt, emtori indicare tenetur. Idem patet eodem modo, ſi vitia aliunde jam nota ſint. *Quod erat alterum.*

Utique differunt res vitioſa & non vitioſa. Res enim emuntur, aut emi ſaltem ſupponuntur propter eum, quem habere poſſunt uſum. Quamobrem cum vitia obſtent, quo minus eum habere uſum poſſint, quem haberent, ſiquidem ea abeſſent, aut uſus ſaltem efficiatur impeditior, vel ſit cum periculo aut moleſtia conjunctus; plurimum utique differunt rem vitioſam emere & non vitioſam emere, ita ut non præſumi poſſit conſenſiſſe in emtionem rei vitioſæ, qui conſentit in emtionem rei vitio carentis. Quodſi adeo vitium rei latet, ut rem contemplanti non appareat: quin illud indicandum ſit, dubitari nequit. Enimvero ſi in oculos incurrit vitium, ubi rem contemplatur emtor; id utique animadvertiſſe præſumitur. Quodſi adeo ſupinus fuerit, ut omnem deſiderari paſſus fuerit attentionem ſuam, ſibi imputet, quod non viderit, quæ videre poterat, & cujus cauſa res ipſi contemplanda dabatur.

§. 1045.

An ea liceat ſtudioſe occultare.

Quoniam *venditor vitia rei*, quæ in oculos non incurrunt, vel aliunde emtori jam nota non ſunt, indicare tenetur (§. 1044.); *multo minus* ea *ſtudioſe occultare debet, ne in oculos incurrere poſſint.*

Qui vitium rei non indicat, ille ſaltem omittit, quod facere debebat: qui vero occultare ſtudet, is inſuper facit, quod facere non debebat. Contra duplicem adeo agit obligationem qui vitium rei ſtudioſe occultat, ne in oculos incurrere poſſit emtoris rem contemplantis.

§. 1046.

An pretium rei augeri poſſit ob dilationem ſolutionis.

Ob dilationem ſolutionis pretium rei augeri poteſt. Cum uſus pecuniæ ſit aliquid æſtimabile, quatenus lucroſus, ut adeo plus ſolvat, qui ſtatim ſolvit, quam qui ſolutionem differt; ideo dilatio ſolutionis æſtimari poteſt pretio uſus pecuniæ, quo carere debet venditor, donec ſolvatur. Quoniam itaque carere lucro, quod habere poteras, perinde ſit ac gratis alteri quid dare, venditor autem ad gratis quidpiam dandum non tenetur (§. 937.); ob dilationem ſolutionis pretium rei augeri poteſt.

Ex demonſtratione propoſitionis præſentis facile patet, ſi interea temporis, donec ſolutio fiat, pecunia non utatur venditor, ſed otioſam ſervet, nec ideo pretium rei augeri poſſe, quia non ſtatim ſolvitur. Etenim in hoc caſu perinde eſt, ac ſi ſolutio dilata non fuiſſet. Nec quicquam hic deeſt venditori, propterea quod pecunia non ſtatim quidem ſolvitur, eo tamen ſolvitur tempore, quo eadem opus habet, quod ab emtore ut ipſi reſarciatur æquum ſit, ne damnum incurrat, quod ab ipſo avertere debet emtor (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*). Facile autem apparet, conſcientiæ venditoris relinquendum eſſe, num interea, donec ſolutio fiat, pecunia uti poſſit, an otioſa ipſi ſit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 1047.

An ob ſolutionem anticipatam pretium imminui poſſit.

Ob ſolutionem anticipatam pretium rei imminui poteſt. Etenim ſi ſolutio pretii anticipatur, adeoque ſolvitur, antequam res traditur, non modo pecuniæ uſum, quem interea habere poterat emtor, amittit, & eum acquirit venditor, verum etiam uſu rei carere interea debet emtor, ſiquidem re interea uti poterat, donec tradatur. Quamobrem porro eodem, quo ante modo patet, ob ſolutionem anticipatam pretium rei imminui poſſe.

Anticipatio pretii potiſſimum reſpicit id, quod abeſt emtori, propterea quod pretium ſolvat, antequam rem accipiat ac ea uti poſſit, ac eatenus plus dare intelligitur, quam recipit, niſi pretium rei imminuatur. Quamobrem ſi otioſa ſit pecunia, ut adeo tibi perinde ſit, utrum pretium anticipes, an ſolvas, quando res traditur; ob eam quoque pretium rei non imminuendum. Enimvero ſi anticipatio pretii venditori fuerit lucroſa; nec ab æquitate abhorret, ut pro uſu pecuniæ quid ſolvatur, quemadmodum deinceps oſtendetur. Atque in hoc caſu anticipatio reſpicit lucrum venditoris, quod ex uſu pecuniæ emergit, quam ipſi demum obligatus fueras dare, quando res traditur, niſi aliter conventum fuiſſet. Idcirco tum non attenditur, utrum interea temporis pecunia penes te otioſa fuiſſet, nec ne. Apparet vero etiam hic, quatenus jus externum ſpectatur, conſcientiæ emtoris relinquendum eſſe, num otioſa penes ipſum ſit pecunia, ac venditoris, num anticipatio ſit lucroſa.

§. 1048.

An ſit neceſſitas variandi pretium ob ſolutionis dilationem,

In arbitrio emtoris ac venditoris poſitum eſt, utrum pretium variare velint ob ſolutionis dilationem & anticipationem, nec ne. Etenim dominus de re ſua, conſequenter etiam de pretio ejus, quod pro ea ipſi debetur (§. 937.), pro arbitrio ſuo diſponere (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), & jus, quod ipſi competebat, remittere poteſt (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem etſi ob dilationem ſolutionis pretium augeri (§. 1046.), ob anticipationem minui poſſit (§. 1047.); non

non tamen neceſſe eſt ut hoc fiat. In arbitrio itaque emtoris ac venditoris poſitum eſt, quomodo ea de re convenire velint, utrum ea de cauſa pretium variare, an vulgari ſeu communi ſtare velint.

vel anticipationem.

Quæ de pretio augendo ob ſolutionem dilatam, de eodem autem minuendo ob eandem anticipatam demonſtrantur, non alio fine inculcantur, quam ut conſtet, utrumque licite fieri, nec propterea quicquam committi, quod æqualitati obſervandæ inter rem ac pretium repugnat: quin potius ſi anticipatio pretii ſit emtori damnoſa aut venditori lucroſa, & ex adverſo dilatio damnoſa venditori; ipſam æqualitatem exigere pretii vulgaris variationem: quo non obſtante eam omitti poſſe certum eſt (§. 975.).

§. 1049.

Quando pretium ob ſolutionis dilationem non augendum.

Si quis omni tempore paratus eſt ad pretium ſolvendum, quando pecunia indiget venditor; ob dilationem ſolutionis, ſeu quod non ſtatim ſolvitur pretium, hoc augere non licet. Etenim ſi emtor paratus eſt ad pretium venditori ſolvendum, quando pecunia indiget, perinde eſt ac ſi pretium ſtatim fuiſſet ſolutum, ac pecuniam apud emtorem depoſuiſſet venditor (§. 575.), eandem ab eodem repetiturus, quandocunque ipſi viſum fuerit (§. 579.). Nulla igitur ratio eſt, cur pro carentia uſus pecuniæ, qualis ne fingi quidem poteſt, aliquid exigere, conſequenter id eo pretium rei venditæ augere velit venditor. Quamobrem patet, ſi quis omni tempore paratus eſt ad pretium ſolvendum, quando pecunia indiget venditor; ob dilationem ſolutionis, ſeu quod non ſtatim ſolvitur pretium, hoc augere non licere.

Si merces plures ſucceſſive emantur, e re venditoris haud raro eſt, non una de cauſa, ut pretia particularia in unam ſummam relata ſimul ſolvantur. Sed noſtrum non eſt ea uberius exponere, quæ communis experientia ſuggerit.

§. 1050.

De variatione pretii vulgaris ob modum vendendi.

Pretium augeri poteſt, ſi res minutim, quam ſi in magna quantitate vendantur. Quodſi enim res minutim vendantur, venditor plures præſtare tenetur operas, quam ſi in magna quantitate eas vendit, cum pluribus venditionibus opus ſit loco unius. Subinde etiam expenſæ plures fieri debent in caſu priori, quam poſteriori, &, ubi quantitates particulares rerum minutim venditarum in unam ſummam colliguntur, eam quantitatem non adæquant, quæ omnium ſimul definiebatur. Quamobrem cum non modo operæ (§. 271. 273.), verum etiam expenſæ & decrementum quantitatis magnæ, quod affert rerum minutim facta venditio, aliquid æſtimabile ſint, quod vero æſtimabile eſt etiam vendi poſſit (§. 1000.), conſequenter ſi quid æſtimabile actui venditionis inſeparabiliter adhæret, id pretio rei imputari poſſit; quin pretium augeri poſſit, ſi res minutim, quamſi in magna quantitate vendantur, dubitandum non eſt.

Non uniuſcujuſque eſt res in magna quantitate emere, ſed plures ſunt qui minutim emunt, cum nemo emit res, niſi quibus indiget, aut ſe indigere putat. Rerum adeo, quæ ad quantitatem emuntur, eadem quantitas non ſatisfacit omnibus. Quamobrem res ejuſdem generis, quæ ad quantitatem emi ſolent, & minutim, & in magna quantitate vendi neceſſe eſt. Æquum igitur eſt, ut nemo ex negotio alteri utili damnum contrahat: quod ut avertatur, aliud omnino eſſe debet pretium rerum minutim & in magna quantitate venditarum. In caſu particulari accedunt rationes aliæ, quæ augmentum pretii rerum minutim venditarum defendunt, in demonſtratione autem attendi minime potuerunt, quippe quæ ex principiis generalibus procedere debet. Ita intereſſe poteſt venditoris, ut pro rebus ſuis ſimul venditis pretium in una ſumma ſtatim accipiat, cum pecunia indigeat, quam in rem ſuam vertere vult. Quodſi ergo in hoc caſu compares venditionem in magna quantitate cum venditione minutim facta, perinde eſt, ac ſi pretium fuiſſet anticipatum, quippe quod tum demum habiturus erat venditor, ſi ſucceſſive res omnes minutim venditæ fuiſſent. Quemadmodum itaque ob anticipationem ſolutionis pretium minuitur (§. 1047.), ita etiam pretium rei in magna quantitate venditæ minui, aut, quod eodem recidit, pretium rerum minutim venditarum augeri poteſt. Brevitatis gratia prætermittimus caſus alios, quos eodem fine commemorare poteramus.

§. 1051.

De pretio rei minuendo, quod interſit venditoris rem ſtatim vendi.

Si intereſt venditoris, ut rem ſtatim vendat; pretium vulgare ſeu commune ſalva æqualitate minui poteſt. Etenim ſi intereſt venditoris, ut rem ſtatim vendat, aut damnum quoddam emergere, aut lucrum quoddam ceſſare debet, niſi ſtatim vendat (§. 612. *part. 3. Jur. nat.*): quorum adeo iſtud avertitur, hoc obtinetur, ſi ſtatim vendatur. Quamobrem cum venditio ſine mora facta habeat accidens aliquod æſtimabile, quod non modo deeſt venditioni non ſine mora factæ, verum cujus etiam contrarium adeſt; ſi ob id pretium rei minuit venditor, non ideo minus accepiſſe dicendus eſt, quam dedit, quia cum pretio rei acquiſivit potentiam phyſicam damni avertendi, vel lucrum capiendi, conſequenter pretium ſalva æqualitate minui poteſt, ſi interſit venditoris, ut rem ſtatim vendat (§. 898.).

Venditor pretium in hypotheſi propoſitionis præſentis minuit, ut ſtatim habeat emtorem, conſequenter vilius pretium motivum eſſe debet ſtatim emendi (§. 887. *Pſych empir.*). Solius adeo venditoris eſt ſtatuere, quantum pretio vulgari detrahere velit, ut viliori ematur, neque is rationes reddere tenetur emtori, cur viliori vendat (§. 158. *part. 1. Jur. nat.*), cum hoc facere poſſet, etiamſi ab æqualitate recederetur pretium minuendo (§. 975.). Neque dici poteſt, ſi viliori pretio res vendat, id fieri contra jus aliorum venditorum, quatenus nemo carius emet, quod vili emere poteſt, ut adeo & ceteri venditores, quorum non intereſt rem confeſtim vendi, in pretium vilius conſentire debeant, niſi emtoribus deſtitui velint: hoc enim tum demum obtineret, ſi quis mercaturam exerceret ac emtoribus omnibus merces ſufficientes ſuppeditare poſſet. Facile autem apparet de hoc caſu particulari mercaturæ quæſtuoſæ nobis non eſſe ſermonem.

§. 1052.

De re tro pretio vero majori vendita.

Si venditori pretium vero majus ſolvit emtor, quod verum putabat; ille huic aut pretium integrum acceptum reſtituere ac rem venditam recipere, aut partem pretii, qua quod datum verum excedit, reddere tenetur. Etenim in emtione venditione is animus eſſe videtur contrahentibus, ut obſervetur æqualitas, niſi adſint rationes fortes in contrarium (§. 976.), adeoque aliter actum appareat. Quamobrem ſi emtor ſolvit pretium communi vel vero majus, quod verum putabat; cum non conſenſiſſe cenſendus ſit niſi in pretium verum, nec intra terminos pretii veri conſiſtere poteſt emtio venditio. Quoniam vero venditori rationes eſſe poſſunt, cur pro communi pretio rem vendere nolit, quas emtori aperire non tenetur (§. 158. *part. 1. Jur. nat.*); ideo liberum ipſi eſſe debet, utrum emtionem venditionem reſcindi (§. 928.), an rem pro vero pretio emtam eſſe velit. Quando itaque emtor venditori ſolvit pretium vero majus, quod verum putabat, eidem venditor aut re vendita recepta pretium integrum, quod accepit, aut partem pretii, qua quod datum verum excedit, reddere tenetur.

Naturaliter quælibet læſio ſufficit ad contractum reſcindendum, vel partem pretii, qua verum ſuperat quod datum eſt, reſtituendam: jus enim naturæ, quo ſimpliciter prohibita læſio alterius (§. 695. *p. 1. Jur. nat.*), nullam prorſus tolerat læſionem. Quid vero conveniat juri civili, ne iniquum dici poſſit, ſuo conſtabit loco. Ceterum nec ulla ſit injuria emtori, ſi optio detur venditori, utrum contractum malit reſcindi, an quod plus datum reſtituere. In contractu enim ſervanda æqualitas eſt, ne alteruter contrahentium locupletior ſiat cum damno alterius (§. 901. *h* & §. 585. *p. 2. Jur. nat.*). Id vero non contingit in caſu præſenti, quo venditor, qui pretium vero majus accepit, locupletior fieret cum damno emtoris, niſi contractus reſcindatur, vel quod plus datum reſtituatur. Quoniam vero æquitas non minus poſtulat, ut omne damnum a venditore avertatur (§. 495. *part. 2. Jur. natur.*); eidem quoque ſatisſit, ſi liberum ipſi fuerit contractum reſcindere, quando ſibi damnoſum putat, nec is ſimpliciter tenetur quod plus acceptum reſtituere.

§. 1053.

Si venditor ex ignorantia pretium vero minus accepit, vel neceſſitate quadam compulſus in idem conſentire coactus fuit; emtor vel rem emtam reſtituere & quod dedit pretium recipere, vel quod deeſt vero pretio ſupplere tenetur. Patet enim ut ante (§. 1052.), ſi venditor ex ignorantia pretium vero minus accepit, eum non conſenſiſſe niſi in pretium verum, conſequenter nec niſi intra hujus terminos emtionem venditionem conſiſtere poſſe. Quoniam vero emtori rationes eſſe poſſunt, cur pro vero pretio rem emere nolit, quas venditori exponere non tenetur (§. 158. *part. 1. Jur. nat.*); ideo emtori liberum eſſe debet, utrum emtionem venditionem reſcindi (§. 928.), an rem pro vero pretio venditam eſſe velit. Quando itaque venditor ex ignorantia pretium vero minus accepit; emtor vel rem emtam reſtituere & quod datum eſt pretium recipere, vel quod vero pretio deeſt ſupplere tenetur. *Quod erat unum.* *De re pro pretio vero minori emta.*

Si venditor neceſſitate compulſus in pretium æquo minus, ſeu iniquum conſentire cogatur, idem ſolvere non licet (§. 323.), conſequenter ſi ſolvitur, minus ſolutum, quam ſolvi debebat. Quamobrem patet ut ante emtorem, ſi venditor velit, aut rem emtam reſtituere & pretium, quod ſolvit, recipere, aut quod deeſt vero pretio ſupplere debere. *Quod erat alterum.*

Relegenda hic ſunt, quoad alterum, quæ de pretio iniquo accepto ſupra annotavimus (*not.* §. 323.), & in genere quæ annotavimus ad propoſitionem præcedentem. Nullam vero injuriam fieri venditori, ſi emtori datur optio, utrum contractum reſcindi, an quod deeſt pretio vero ſupplere velit, eodem modo patet, quo ad propoſitionem præcedentem oſtendimus optionem venditori dari ſine injuria emtoris. Quamvis autem jus civile toleret læſiones mediocres; quando tamen ob læſionem enormem actionem concedit vel venditori, vel emtori, non abſimili modo concedit, ut alternative agatur, vel ad contractum reſcindendum, vel ad læſionem reſarciendum; & in rei conventi arbitrio relinquit, quid velit eligere. Vid. *Struvius* Juriſp. Rom. Germ. for. lib. 3. tit. 12. § 40. Quamvis vero remedium hoc denegetur ei, qui ſciens viliori pretio vendiderit; non tamen naturaliter huc referri poteſt caſus alter propoſitionis præſentis, quo quis neceſſitate compulſus in pretium iniquum conſentire cogitur, atque adeo invitus conſentit: id quod cum ſit charitati maxime adverſum (*not* §. 323.); in Jure naturæ probari nequit. Secus eſt, ſi actus mixtus ex emtione atque donatione, de quo ſupra (§. 978.).

§. 1054.

Si venditor in pretio indicando erravit, & vero majus ab emtore accepit; quod plus accepit eidem reddere tenetur. Ex adverſo ſi pretium vero minus ſolutum, emtor aut mercem reſtituere ac quod ſolvit pretium recipere, aut quod vero pretio deeſt ſupplere debet. Etenim quia venditor in pretio indicando erravit, adeoque pretium vero majus, quod ab emtore accepit, pro vero habuit (§. 623. *Log.*); res pro vero pretio emta cenſetur, conſequenter plus dedit emtor per errorem, quam dare debebat. Quodſi ergo venditor quod plus datum non reſtitueret, locupletior fieret pecunia alterius (§. 583. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque cum damno alterius (§. 486. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo locupletior fieri debeat cum damno alterius (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*); ſi venditor in pretio indicando erravit & vero majus ab emtore accepit, quod plus accepit, eidem reddere tenetur. *Quod erat unum.* *De errore in pretio determinando admiſſo.*

Ex adverſo ſi pretium minus ſolutum, emtor per errorem minus dedit, quam dare debebat: quemadmodum *per ante demonſtrata* patet. Quodſi ergo is quod vero pretio deeſt non suppleret, merce retenta, ex re venditoris fieret locupletior (§. 584. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque cum ejuſdem damno (§. 486. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo locupletior fieri debeat cum damno alterius (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*), emtor tamen ſi de vero pretio ipſi conſtitiſſet,

forſan

forſan emturus non fuiſſet; ideo liberum ipſi eſſe debet, utrum mercem reſtituere & quod ſolvit pretium recipere, an quod deeſt pretio vero ſupplere velit. *Quod erat alterum.*

Naturaliter venditor obligatur ad id, quod plus accepit, ultro emtori reddendum, quamprimum cognoſcit ſe in pretio indicando erraſſe, nec demum expectandum eſt, donec errore ab emtore animadverſo idem exigatur. Ac idem tenendum de emtore.

§. 1055.

De errore circa corpus vel materiam rei commiſſo. *Si res alia pro alia venditur ac emitur, ſive ſit alia quoad corpus ſeu in individuo, ſive quoad materiam, ut vel tota, vel ex parte ex alia materia conſtet, quam putabatur; emtio venditio nulla eſt.* Etenim qui emere vult hanc rem, vel rem ex hac materia conſtantem; non dici poteſt emere voluiſſe rem numero non eandem, adeoque aliam in individuo, ſeu quoad corpus, vel rem, quæ tota, aut ſaltem ex parte conſtat ex materia alia, conſequenter nec conſenſiſſe intelligitur in emtionem rei, quæ quoad corpus, vel quoad materiam alia eſt (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum emtio venditio contractus conſenſualis ſit (§. 981.), adeoque mutuo conſenſu emtoris ac venditoris perficiatur (§. 725.), conſequenter ſine conſenſu emtoris perfici nequeat; emtio venditio utique nulla eſt, ſi res alia ſive quoad corpus, ſive quoad materiam venditur ac emitur.

Idem eodem modo procedit, ſi error ex parte venditoris ſpectetur.

Poteſt vero etiam quoad utrumque, tam venditorem, quam emtorem demonſtrari præſens propoſitio hoc modo. Si venditor vendit, emtor emit rem aliam ſive quoad corpus, ſive quoad materiam, quam quæ eſſe putatur, cum vel prorſus non contraheretur, vel non contraheretur hoc modo, ſi conſtaret rem eſſe aliam quam putatur; error dat cauſam contractui (§. 504. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero ſi error det cauſam promiſſo, promiſſio valida non eſt (§. 569. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem nec valida eſt emtio venditio, quando res alia ſive quoad corpus, ſive quoad materiam venditur ac emitur.

Non igitur hic attenditur, utrum emtor & venditor ſimul erraverint, vel ſolus erraverit emtor. Neque etiam hic attendendum, utrum materiæ pars maxima ſit ea, ex qua rem conſtare putabat emtor, an minima. Demonſtratio enim propoſitionis præſentis ſubſiſtit, abſque iſtiuſmodi limitationibus, ſeu determinationibus adjectis. Ex. gr. Tu mihi vendis fundum Sempronii, quem vendendum tibi mandavit Sempronius; ego puto te mihi fundum tuum vendere. Emtio nulla eſt. Similiter tu mihi vendis vas ex argento ſophiſtico confectum, vel ex orichalco inargentato pro argenteo, emtio venditio nulla eſt. Erit etiam nulla, ſi res inaurata venditur ac emitur pro aurea, vel menſa lignea lamina argentea, aut ſtannea obducta pro argentea, aut ſtannea, vel textile ſubſericum pro holoſerico, vel aurum pro orichalco, vel vinum Hiſpanicum pro Hungarico & ita porro.

§. 1056.

Effectus erroris agniti. Quoniam *ſi res alia pro alia venditur ac emitur ſive quoad corpus, ſive quoad materiam*, emtio venditio nulla eſt (§. 1055.); *venditor pretium reſtituere tenetur, ſi errore agnito jam fuerit ſolutum, emtor rem, ſi ea tradita fuerit.*

Si emtio venditio nulla eſt, nec dominium rei in emtorem, nec pecuniæ in venditorem tranſit. Unicuique adeo reſtituendum, quod ſuum eſt, ne pars alterutra lædatur. Nimirum ſi emtor læſus reſtituit rem, venditor pecuniam reſtituere debet, & ſi venditor læſus reſtituit pretium, emtor rem reſtituere tenetur, niſi aliter contrahere velint, ut res alio pretio ematur: de quo hic quæſtio non eſt. Immo ſi errorem agnoſcat, qui læſus non eſt; ultro reſtituere eidem debet, quod ſuum eſt, & ſuum ab altero recipere. Exempla, quæ modo dedimus (*not.* §. 1055.), quæ hic dicuntur, illuſtrant.

§. 1057.

§. 1057.

Si emtor vel expreſſe indicet, vel aliunde id appareat, quod ob qualitatem quandam rem emat, alias eam non emturus, & circa eam qualitatem erretur; emtio valida non eſt. Etenim ſi venditor rem emit ob certam qualitatem, alias eandem non emturus & circa eam qualitatem erretur; error dat cauſam contractui (§. 504. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum non valeat promiſſio, cui cauſam error dat (§. 569. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec valida eſt emtio venditio, ſi emtor vel expreſſe indicet, vel aliunde id appareat, quod ob qualitatem certam rem emat, & circa eam qualitatem erretur. *De errore circa qualitatem rei.*

Ex. gr. Si tu emis vinum vetus, & venditor tibi tradere vult recens; emtio valida non eſt: ſupponatur nimirum recens pro veteri venditum fuiſſe. Alias nimirum non erraretur circa qualitatem, ſed venditor tibi tradere vellet rem aliam, quam emiſti: qui caſus utique a præſente diverſus eſt. Idem valet, ſi aurum deterius fuerit, aut argentum, quam emtor putabat, aut ſi ſervus iners veneat pro artifice, ſi veſtimenta interpolata emantur pro novis. Equidem non ignoro, propoſitionem præſentem non convenire cum placitis JCtorum Romanorum, quæ vulgo defenduntur a Doctoribus juris civilis: ſed rectius ſtatuit *Molina* ea cum recta ratione non convenire; perperam ab aliis ideo reprehenſus. Omnes adeo diſtinctiones, quibus in explicando pacto errantis utuntur Juris Romani interpretes, in Jure Naturæ nullum habent uſum, adeoque nec in emtione ac venditione errantis, ſive errantium attendendæ veniunt. Ceterum quando hic dicitur, emtorem rem ſine illa qualitate non fuiſſe emturum, duplici modo intelligi poteſt, vel quod ſimpliciter emturus non fuiſſet, vel quod non fuiſſet conſenſurus in pretium, de quo conventum eſt. In utroque caſu conſenſus emtoris deficit, cujus defectus emtionem infirmat, ut adeo hujus differentiæ in propoſitione demonſtranda non fuerit habenda ratio. Interpretes Juris civilis qualitatem diſtinguunt in legalem, quæ a lege dependet, & naturalem, quæ naturæ, vel arti debetur. Enimvero cum qualitas legalis res non permittat eſſe in commercio, ut emi ac vendi non poſſint; ea in præſenti, ubi ad ſtatum civilem non reſpicitur, non attendenda. Et ſi vel maxime attendenda foret, ſine utilitate tamen qualitas legalis a phyſica diſtingueretur, cum emtio nunquam valeat, ſi error contractui cauſam det, quomodocunque tandem erratum ſit, conſequenter etiam ſi in eo erratum ſit, quod putaveris rem vendi poſſe, quæ vendi nequit. Accedit, quod qui rem vendit, quæ in commercio non eſt, rem vendat non ſuam, ſed alienam vendere videatur: id quod fieri non poſſe, ſupra oſtendimus (§. 940.).

§. 1058.

Si in diem res venditur ac emitur, emtio venditio ſtatim perfecta, ſed ad eam conſummandam non obligantur contrahentes, antequam dies venerit. Quoniam emtio venditio nondum perfecta eſt, ſi venditor promittit emtori, ſe eidem rem pro certo pretio dare velle, & emtor venditori promittit, ſe dare velle pretium iſtud pro ea re (§. 969.); ſed naturaliter requiritur, ut res actu detur (§. 937.), conſequenter dominium in emtorem transferatur (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), & venditor paratus ſit ad pecuniam numerandam, aut emtor eidem de pretio fidem habeat (§. 968.); emtio venditio in diem fieri nequit, quam ut traditio rei & ſolutio pretii in certum diem differatur (§. 500. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque quod in diem promittitur ſtatim debetur, ſed exigi non poteſt, niſi die iſto præterlapſo (§. 501. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec venditor tenetur ad rem tradendam, nec emtor ad pretium ſolvendum, antequam dies venerit. Quare cum emtio venditio conſummetur, ſi res a venditore traditur, ab emtore pretium ſolvitur; ſi res in diem venditur ac emitur, emtio venditio ſtatim perfecta, ſed ad eam conſummandam non obligantur contrahentes, antequam dies venerit. *De emtione ac venditione in diem facta.*

Dicitur in hoc caſu dies certus adjici contractui ut terminus a quo, quia ab eo incipit jus alterum compellendi ut præſtet, quod ex contractu debet, ſi ultro non præſtet. Ex. gr. vendo tibi domum meam ea lege, ut tibi eam demum poſt biennium tradam & tu pretium, de quo conventum eſt, ſolvas. Naturaliter domus tibi emta adeoque tua eſt; ſed tu eam tibi tra-

dendam petere non potes; quamvis pretium numerare velis, niſi poſt biennium, nec tu pretium ſolvere teneris; etiamſi domum tradere velim, niſi biennio elapſo.

§. 1059.

De emtione ac venditione ad certum uſque tempus facta.

Si res ad certum uſque tempus emitur ac venditur, ſeu ea lege, ut ſit emta per certum tempus; emtio venditio ſtatim conſummanda, finitur vero tempore iſto præterlapſo. Etenim ſi res ad certum uſque tempus emitur ac venditur, ſeu ea lege, ut ſit emta per certum tempus; cum nihil adſit, quod conſummationem contractus ſuſpendat, ne ſcilicet confeſtim res tradi ac pretium ſolvi poſſit; per ſe patet, emtionem venditionem ſtatim eſſe conſummandam. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam nonniſi per certum tempus emta eſſe debet *per hypoth.* emta non amplius erit, tempore iſto præterlapſo, conſequenter emtio venditio tempore præterlapſo finitur. *Quod erat alterum.*

Dicitur hoc in caſu dies certus adjici emtioni venditioni ut terminus ad quem. Tempus nimirum adjicitur finiendæ obligationis gratia; cum ultra iſtud obligatio ex contractu non durare debeat. Ex. grat. Vendo tibi domum meam in quinquennium. Per quinquennium adeo tua eſt. Sed quinquennio finito ſtatim mea fit. Non inutilis eſt hujuſmodi emtio, propterea quod domus in quinquennium conduci poſſit. Etenim non modo emtor ſtatim ſolvere tenetur pretium; verum etiam venditor interea temporis eandem alii vendere nequit, ut alia taceam, quæ per inferius demonſtranda manifeſta erunt: unde etiam patebit differentia, quæ inter pactum de retrovendendo & emtionem venditionem ad certum tempus intercedit. Similiter vendi poteſt jus piſcandi, vel venandi ad certum tempus. Et *Ulpianus* l. 80. §. 2. de contr. emt. affert exemplum *ſylvæ cæduæ*, quæ in quinquennium venierat.

§. 1060.

De emtione ſub conditione reſolutiva niſi intra certum tempus pretium ſolvatur.

Si ita conveniatur, ut, niſi emtor intra certum tempus pretium ſolvat, res ſit inemta; emtio venditio ſtatim quidem perfecta eſt, ſed ubi pretium intra tempus præſtitutum non ſolvitur, ipſa reſolvitur, ſeu corruit. Etenim ſi res ematur ac vendatur ea lege, ut, niſi emtor intra certum tempus pretium ſolvat, res ſit inemta, dubium non eſt, quod emtio venditio ſit ſtatim perfecta (§. 968.). *Quod erat unum.*

Quoniam tamen actus jam perfecti duratio reſtringitur ad certum tempus; emtio ſub conditione reſolutiva facta intelligitur (§. 488. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum jus ſub conditione reſolutiva quæſitum ſtatim tollatur, quam primum certum eſt conditionem reſolutivam extare (§. 530. *part.* 3. *Jur. nat.*); jus emtori ex contractu quæſitum in hypotheſi propoſitionis præſentis ſtatim tollitur, ſi intra tempus præſtitutum pretium non ſolvit, adeoque res inemta eſt, conſequenter emtio venditio reſolvitur. *Quod erat alterum.*

Nimirum in hypotheſi propoſitionis præſentis conditio reſolutiva facit locum pœnitentiæ, ſi emtor contractum adimplere nolit; reſtituit venditori jus rem alii vendendi, ſi emtor contractum non adimplet, vel quia non poteſt ſolvere pretium, vel quia non vult. Quodſi intereſt emtoris, ut res maneat emta; conditio reſolutiva motivum eſt, ut de pecunia ſibi comparanda cogitet mature, quo pretium ſolvere poſſit. Ex. gr. Vendo tibi agrum meum ea lege, ut, niſi in nundinis paſchalibus Lipſienſibus ſolvas pretium, is ſit inemtus. Quodſi tu in iſtis nundinis pretium non ſolvis, emtio venditio corruit, nec me compellere potes ad agrum tibi tradendum, etiamſi poſt nundinas offeras pretium. Immo nec ego poſt nundinas te adigere poſſum ad ſolvendum pretium, quia conſenſi in reſolutionem contractus pretio in ipſis nundinis non ſoluto. Si vero ante nundinas offeras pretium, agrum quoque ante eas tibi tradere debeo: terminus enim non alio fine præfigitur ſolutioni pretii, ne eam differre liceat ultra eundem, niſi contractus corruere debeat. Quodſi moram indulgeat venditor, quod utique facere poteſt (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); contractus, qui corruere debebat, ſuſtinetur vi pacti novi, quod adeo ut rurſus ſub conditione reſolutiva fiat opus non eſt.

§. 1061.

§. 1061.

De emtione ſub pœna pœnitentiæ.

Si ita conveniatur, ut intra certum tempus emtori a contractu recedere liceat, recedens vero certi quid præſtet venditori; venditor interea temporis intra hoc tempus rem alii vendere nequit, in emtorem collatum eſt jus pœnitendi, emtor vero pœnam pœnitentiæ præſtare tenetur. Si enim ita conveniatur, ut intra certum tempus emtori a contractu recedere liceat; contractus utique perfectus eſſe debet, conſequenter venditor dominium rei ſuæ in emtorem tranſtulit (§. 939.), adeoque eam, quamdiu contractus ſubſiſtit, tanquam alienam (§. 146. *p. 2. Jur. nat.*), alii vendere nequit (§. 940.). Quamobrem cum ex conventione tamdiu ſubſiſtere debeat, donec certum ſit, utrum emtor ab eodem recedere velit, nec ne, aut tempus pœnitentiæ præfixum præterlapſum fuerit; interea temporis, dum pœnitere licet, venditor rem alii vendere nequit. *Quod erat primum.*

Quoniam vero venditor conſentit in hoc, ut intra certum tempus emtori a contractu recedere liceat *per hypoth.* eo ipſo in emtorem contulit jus a contractu intra hoc tempus, ſi velit, recedendi, conſequenter pœnitendi, quod contraxerit, ſeu rem emerit (§. 761. *Pſych. empir.*). *Quod erat ſecundum.*

Quia tamen non aliter conſenſit venditor, quam ut emtor certi quid ſibi præſtet, ſi a contractu recedere velit, conſequenter ut pœnam det, ſi pœniteat (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*), quod vero pœnæ nomine promiſſum dari debet, niſi promiſſio pœnalis fuerit adimpleta (§. 611. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi intra tempus præſtitutum emtor pœniteat, pœnam pœnitentiæ præſtare tenetur. *Quod erat tertium.*

Enimvero cum jus pœnitendi emtori non conveniat niſi intra tempus præſtitutum *per demonſtrata n.* 2. quamprimum hoc præterlapſum, pœnitere amplius non licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter a contractu recedere nequit emtor, etiamſi pœnam præſtare velit. *Quod erat quartum.*

Iſtiuſmodi venditiones ac emtiones a moribus noſtris non abhorrent: id quod vel ex eo patet, quod hæc emtio peculiare habeat nomen in ſermone patrio. Dicitur nimirum ein Reue-Kauff. Nihil vero iniqui deprehenditur in hoc emtionis ac venditionis genere, etiamſi ad æqualitatem animum attendant contrahentes (§. 976). Etenim ipſa æqualitas requirit, ut æqua ſit emtoris ac venditoris conditio. Emtori in caſu propoſitionis præſentis a contractu recedere licet intra certum tempus: venditori non item, conſequenter emtori competit jus pœnitendi, venditori non competit. Quoniam igitur jus pœnitendi eſt æſtimabile quid, cujus quaſi pretium cenſetur, quod pœnæ nomine promittitur, ideo pœna contractum reducit ad æqualitatem, a qua recedebatur jure pœnitendi in emtorem collato, ſalva obligatione venditoris. Atque hinc ſimul patet, quanta determinari debeat pœna pœnitentiæ, ne ſit iniqua. Jus nimirum pœnitendi æſtimandum per hoc, quod intereſt venditoris, contractum non fuiſſe adimpletum, veluti ſi mercator vendit mercem, non excedere debet lucrum, quod ex re vendita habere poterat, ut ipſi perinde ſit, ac ſi contractus fuiſſet adimpletus, utpote qui eandem rem poſtea vendens alii aliam ejuſdem generis eidem vendidiſſe cenſetur. In aliis caſibus ex circumſtantiis particularibus pœna determinabitur, ne ſit iniqua, quamvis non in omnibus eadem facilitate. Sed noſtrum jam non eſt theoriam de hac pœna pœnitentiæ condere, quam ad difficiliora Juris naturalis capita referimus ab iis enodanda, qui ulterius progredi ac ædificium a nobis extructum exornare voluerint ac potuerint. Qui enim animum huc appellere voluerit, eum & Juris naturæ, & Matheſeos apprime peritum eſſe oportet. Mihi ad talia perficienda otium non eſt, quod ne ſufficere quidem videtur conſummando operi, quod aggreſſus ſum, præſertim cum nonniſi minimam temporis partem eidem impendere detur.

§. 1062.

De emtione conditionali.

Si emtio ſub certa conditione contrahitur, antequam conditio exiſtat, perfecta non eſt, nec ad eam conſummandam tenentur contrahentes, pendente tamen conditione pœnitere non licet, & ea deficiente nulla eſt. Etenim ſi emtio ſub certa conditione contrahitur, emtor venditori promittit, ſe eandem pro valida habiturum, ſi con-

ſi conditio exiſtat; pro non facta, ſi deficiat: id quod per ſe patet. Quamobrem cum conditio & promiſſori, & promiſſario incerta certitudinem obligationis illius & juris hujus differat in tempus, quo de conditione extante conſtiterit (§. 478. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec ante certum eſſe poteſt, utrum emtio ſit valida, nec ne, quam conditio extet, conſequenter antequam ea extet, nulla eſt obligatio ad contractum adimplendum. Itaque nec ante perficitur emtio, nec ad eam conſummandam obligantur contrahentes, quam conditio exiſtat. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam validitas emtionis ab emtore ac venditore collata eſt in certum eventum *per demonſtrata*; non amplius a voluntate unius pendet, utrum valida eſſe debeat, nec ne. Quamobrem unus pendente conditione a contractu recedere non poteſt, altero invito, conſequenter pœnitere non licet. *Quod erat ſecundum.*

Denique quoniam promiſſio conditionata pro non facta habetur, quamprimum certum eſt deficere conditionem (§. 534. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi deficit conditio, ſub qua emtio contracta, nec ea valida efficitur *per demonſtrata n.* 1. conſequenter perinde eſt, ac ſi contracta non fuiſſet, adeoque nulla. *Quod erat tertium.*

Integra etiam propoſitio brevius ita demonſtratur. Si emtio ſub certa conditione contrahitur, emtor & venditor inter ſe conveniunt, ut validitas contractus pendeat a certo quodam eventu, nimirum ut tum demum perfecta ſit emtio, ſi conditio exiſtat: pro non facta vero habenda ſit, ſi ea deficiat: quod per ſe patet. Quamobrem cum ſtandum ſit pactis (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); expectandum eſt, donec certum ſit, utrum conditio exiſtat, an deficiat, antequam pro perfecta, aut nulla haberi poſſit, conſequenter interea temporis neuter eam pro nulla declarare, adeoque nec pœnitere poteſt (§. 761. *Pſych. emp.*).

Ex. gr. Vendo tibi ædes meas ſub hac conditione, ſi domicilium mutavero, quod num mutaturus ſim, nondum certo ſcio, vel ſi Titium mori contingat, cujus ædes jure hæreditario ad me ſunt perventuræ. Quodſi domicilium mutem, vel Titium mori contingat, nec is alium inſtituerit hæredem, aut ædes non alii legaverit, ædes meæ tibi ſunt emtæ: ſi vero me domicilium mutare, vel Titium mori non contingat, aut is alium inſtituerit hæredem, vel ædes alii legaverit, emtio retro nulla eſt. Pendente autem conditione nec ego ædes alii vendere; nec tu emtionem pro nulla declarare potes. Ceterum cum ea, quæ de promiſſione conditionata fuſius demonſtravimus in parte tertia Juris naturæ, quemadmodum ad omnes contractus, ita etiam ad emtionem ſub conditione factam applicari poſſint ac debeant; ſuperfluum foret ad caſus particulares deſcendere.

§. 1063.

An ab emtione conditionali recedere liceat.

Ab emtione conditionali recedere non licet cum diſpendio arrhæ. Arrha enim datur, ne a contractu recedatur (§. 988.), nec in contractu quicquam immutat, niſi aliter fuerit conventum (§. 990.). Quamobrem cum ab emtione conditionali pendente conditione recedere non liceat (§. 1062.); nec ab ea recedere licet cum arrhæ diſpendio.

Si ab emtione conditionali cum arrhæ diſpendio recedere liceret, diſpendium arrhæ foret pœna pœnitentiæ. Sed quando contractus arrhæ ad emtionem venditionem accedit, cum nihil in ea immutet (§. 1062.), conditionalem in pœnalem minime convertit. Aliud omnino eſt venditorem reddere ſecurum, quod emtionem conditione exiſtente adimplere velis; aliud vero venditori præſtare pœnam, ſi pœnituerit, aut jus pœnitendi ſibi quaſi emere. Illud obtinet, ſi arrha detur in emtione conditionata; hoc vero, ſi emtor ſibi reſervat jus ab emtione pendente conditione recedendi ſub certa pœna. Immo ſi ſupponas, ita conveniri, ut cum arrhæ diſpendio tibi a contractu recedere liceat, arrha magis data cenſetur in ſecuritatem pœnæ, quam contractus, aut rectius ſpectabitur tanquam pignus in ſecuritatem pœnæ datum. Ceterum propoſitio præſens vera eſt, ſive pendente, ſive extante conditione emtor a contractu recedere velit, quamvis potiſſimum reſpiciat eum caſum, quo pendente conditione ab eo recedere vult arrhæ dator, quem & ſolum in demonſtratione ſuppoſuimus. Conditio-

ne nimirum exiſtente emtio conditionata abit in puram: quid vero tenendum ſit de contractu arrhæ ad emtionem puram accedente, in ſuperioribus abunde demonſtratum eſt (§. 991 & ſeqq.).

§. 1064.

Si res emitur ea lege, ut, ſi intra certum tempus venditor habere poſſit pinguiorem emtorem, res ſit inemta; emtio ſtatim perfecta eſt, pinguiori emtori tamen eum vendere poteſt venditor: aſt ſi ita conveniatur, ut res ſit emta, niſi intra certum tempus pinguiorem emtorem habere poſſit venditor, emtio tum demum perficitur, ſi intra iſtud tempus emtor pinguior ſe non obtulerit, interea tamen temporis pœnitere non licet. Quodſi enim res emitur ea lege, ut, ſi intra certum tempus venditor habere poſſit pinguiorem emtorem, res ſit inemta; cum pro inemta haberi non debeat, niſi quando pinguior emtor ſeſe obtulerit intra tempus præfixum, evidens omnino eſt, emtionem ſtatim perfectam eſſe. *Quod erat primum.* *De conditione, ſi emtor pinguior haberi poſſit.*

Enimvero quoniam emtor in hoc conſentit, ut res inemta ſit, ſi venditor intra tempus præſtitutum emtorem pinguiorem habere poſſit, *per hypoth.* emtionem jam perfectam vult haberi pro nulla, ſi pinguior emtor ſeſe obtulerit. Quamobrem cum hoc modo dominium, quod jam fuerat translatum in emtorem (§. 939.), redeat ad venditorem; quin eam nunc ut rem ſuam pinguiori emtori vendere poſſit, dubitandum non eſt. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi ita conveniatur, ut res ſit emta, niſi intra certum tempus pinguiorem emtorem habere poſſit venditor; emtio contrahitur ſub conditione negativa (§. 489. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum emtio perfecta non ſit, antequam conditio exiſtat, ſi ea ſub conditione contrahitur, pendente tamen conditione pœnitere non liceat (§. 1062.); ſi ita conveniatur, ut res ſit inemta, niſi intra certum tempus pinguiorem emtorem habere poſſit venditor, emtio tum demum perficitur, ſi intra tempus definitum emtor pinguior ſeſe non obtulerit, interea tamen temporis pœnitere non licet. *Quod erat tertium & quartum.*

Quando ita convenitur, ut res ſit inemta, ſi pinguior emtor ſe obtulerit intra certum tempus; emtor conditionate conſenſit in reſciſſionem contractus initi (§. 928.): aſt quando ita convenitur, ut res ſit emta, niſi intra certum tempus ſeſe obtulerit pinguior emtor, conditionate emtio contrahitur. Hæc duo a ſe invicem differre manifeſtum eſt. Ab utroque autem caſu differt promiſſio de re vendenda pro certo pretio, niſi intra certum tempus pinguior emtor ſeſe obtulerit. Hæc enim promiſſio conditionata eſt, quæ conditione exiſtente obligat venditorem ad rem tibi vendendam, ſi adhuc emere volueris. Quodſi vero tu viciſſim ſub eadem conditione promiſeris te rem pro iſto pretio emere velle; promiſſio conditionata de emtione ac venditione contrahenda facta & emtorem, & venditorem tenet.

§. 1065.

Pactum, quo ita convenitur, ut res ſit inemta, ſi intra certum tempus emtor pinguior offeratur, vel ut ſit emta, niſi offeratur, dicitur *Addictio in diem.* Et quidem *Addictio in diem* vocatur *pura* in caſu priori: *conditionata* in caſu ſecundo. *Pinguior* nimirum *emtor* vocatur, qui meliorem offert conditionem, quam emtor primus, cum quo ita pactum eſt. Unde vulgo in genere definitur *Addictio in diem*, quod ſit pactum, quo id agitur inter emtorem ac venditorem, ut venditori rem venditam alii emtori meliorem conditionem offerenti addicere, ſeu ut ſi quis meliorem conditionem fecerit, emtor eam reſtituat. Atque deinde juxta *Ulpianum* l. 2. de in d. addict. dividitur *in puram & conditionalem*, prouti vel id actum, ut, meliore allata conditione diſcedatur, vel ut perficiatur emtio, niſi melior conditio offeratur. Patet adeo *addictionem in diem puram fieri ſub conditione reſolutiva*, *conditionalem* vero *ſub conditione ſuſpenſiva* (§. 488. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Addictio in diem quid ſit.*

Monuimus jam ad propoſitionem præcedentem, magnam eſſe differentiam, utrum res vendatur ſub hac conditione, ut ſit inemta, ſi emtor pinguior ſe obtulerit, an ſub iſta, ut ſit

ſit emta, niſi pinguior ſe obtulerit, conſequenter utrum res vendita in diem addicatur pure, ſeu ſub conditione reſolutiva, an conditionaliter, ſeu ſub conditione ſuſpenſiva. Manifeſtior tamen evadet per ea, quæ ſequuntur.

§. 1066.

De traditione ac ſolutione pretii in addictione in diem.

Naturaliter ſi res emtori in diem addicitur, ea ſtatim tradi ac pretium ſolvi, vel traditio & ſolutio pretii in diem differri, immo etiam aut traditio, aut ſolutio pretii tantummodo in diem differri poteſt. Etenim ſi res emtori in diem addicitur, vel res inemta eſſe debet, ſi intra certum tempus pinguior emtor offeratur, vel emta demum eſſe debet, niſi pinguior emtor intra certum tempus offeratur (§. 1065.). In priori caſu emtio ſtatim perfecta eſt; in poſteriori non ante perfecta quam ſi intra tempus præſtitutum pinguior ſe non obtulerit (§. 1064.). Quamobrem in caſu priori nil obſtat, quo minus res tradatur ac pretium ſolvatur, cum emtore pinguiore oblato vi pacti reſolvatur emtio venditio (§. 488. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque tam res, quam pretium reſtitui poſſit; in poſteriori autem traditione cum naturaliter non tranſeat dominium, ſed ſaltem poſſeſſio (§. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*), vel quaſi poſſeſſio (§. 434.) & pretium ſolvi poſſit in ſecuritatem contractus, veluti arrha data (§. 987.), nec hic quicquam obſtat, quominus res tradatur & pretium ſolvatur. *Quod erat primum.*

Enimvero cum naturaliter ad perficiendam emtionem non requiratur traditio & ſolutio (§. 968.); in caſu priori, quo emtio ſtatim perficitur, non tamen ideo opus eſt, ut res confeſtim tradatur, ac pretium ſolvatur. Et quoniam in caſu poſteriori non ante perficitur emtio, quam ſi meliorem conditionem nemo fecerit; multo minus neceſſe eſt, ut res tradatur & pretium ſolvatur, cum id demum fieri debeat, ſi contractus jam perfectus conſummatur (§. 982.). Quamobrem patet, naturaliter re in diem addicta traditionem ac ſolutionem in iſtum diem differri poſſe, quo certum eſt, num res vel inemta, vel emta ſit. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum venditor in dilationem pretii conſentiens, rem tamen non tradere, ſed ſecuritatis gratia tanquam rem emtoris retinere poſſit (§. 961.), emtor autem ſi pretium ſolvit, eam quaſi depoſitam tanquam rem ſuam apud venditorem relinquere queat (§. 962.); in caſu priori, quo emtio ſtatim perfecta, re tradita ſolutio pretii in diem differri poteſt, vel pretio ſoluto etiam traditio. Et quoniam in caſu poſteriori, quo emtio demum perficitur, ſi emtor pinguior intra tempus definitum oblatus non fuerit, traditio ac ſolutio vel ſtatim fieri, vel in diem differri poteſt, prouti viſum fuerit contrahentibus, *per demonſtr. n.* 1. & 2. nullum eſt dubium, quin ſi ita placuerit, vel re tradita ſolutio pretii, vel hoc ſoluto rei traditio tantummodo in diem differri queat. *Quod erat tertium.*

Si res emtori in diem addicitur, plerumque & res ſtatim traditur, & pretium ſtatim ſolvitur, vel fides de pretio habetur, aut alio modo de eodem ſatisfit emtori, præſertim ſi res pure in diem addicatur. Quamobrem ad hunc quoque caſum reſpiciendum eſt, quando de addictione in diem ſermo eſt, non vero diſerte adjiciatur, traditionem & ſolutionem pretii non eſſe factam. Ceterum nos hic ideo potiſſimum in propoſitione præſenti addimus, naturaliter hæc ita fieri, quia tandem ex principiis juris naturalis demonſtramus, quæ non per omnia in hoc contractu conſentiunt cum principiis JCtorum Romanorum, quorum aliqua mere civilia ſunt.

§. 1067.

Conditio melior quænam ſit.

Conditio melior dicitur, quicquid ad utilitatem venditoris pertinet. Et *emtor pinguior* vocatur, qui meliorem conditionem offert, ſignificatu nimirum latiori, quo hic vocabulum accipitur, etſi ſubinde pinguior is præciſe dicatur, qui majus pretium offert. Hinc conſequitur, *meliorem conditionem offerri non modo ſi pre-*

ſi pretio quid addatur; verum etiam ſi ſolutio facilior, vel maturior, aut in meliore monetæ genere offeratur, vel onera priori emtioni adjecta remittantur, vel ubi fides de pretio habenda, ſi perſona idoneior accedat ad emtionem.

Conſona hæc ſunt Juris Romani principiis l. 4. §. 6. de in d. addict. Et *Pomponius* l. 5. h. t. conditioni meliori eum tribuit ſignificatum, quem eidem vindicavimus in definitione. Emtoris pinguioris nomen hodie inter nos frequentatur, ne tamen confuſionem pariat, explicandum eſt in eo ſenſu, qui notioni conditionis melioris in Jure Romano receptæ convenit.

§. 1068.

De conditione meliore in ſpecie determinanda.

Quoniam a contrahentium voluntate pendet, quam legem contractui vel pacto dare velint (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*); *ſi in diem ſit addictio*, cum non uno modo conditio melior oblata intelligatur (§. 1067.), *præciſe determinari poteſt, ſub qua meliore conditione res inemta, vel emta eſſe debeat*, veluti ſi pretio quid addatur, ſi ſolutionem quis offerat in ducatis, cum tu ſolvere velis in nummis aureis gallicis, vulgo Ludovicianis ſeu *Louis d'or* dictis, ſi alius ſtatim offerat totum pretium, quod tu ſolvere vis diverſis terminis.

Præſtaret omnino conditionem meliorem præciſe ſemper determinari, ſeu in ſpecie, ad præſcindendas lites, quæ ſubinde oriri poſſunt, tum etiam ne deterior reddatur emtoris conditio, qui cum de meliore conditione tantum dictum eſt, etiam conſentire poſthac tenetur in ea, de quibus venditor tempore contractus non cogitabat. Per ſe enim patet, ſi addictio in diem fiat ſub conditione in ſpecie expreſſa, eam in genere extendi non poſſe ad aliam meliorem.

§. 1069.

De differentia pretii ſtatim & certis terminis ſoluti.

Si majus pretium offeratur, ſed diſtinctis terminis ſolvendum, minus vero ſtatim ſolvatur; illud non intelligitur majus, niſi lucrum ceſſans ob carentiam pecuniæ diverſis terminis ſolvendæ minus ſit exceſſu pretii majoris ſupra minus. Etenim ob dilationem ſolutionis pretium rei augeri poteſt (§. 1046.), adeoque non ideo pretium dici poteſt oblatum eſſe majus, ſi quod offertur majus diſtinctis terminis ſolvendum, minus vero in præſenti pecunia ſolvere paratus eſt alius, ſed neceſſe eſt, ut exceſſus illius ſupra hoc ſuperet incrementum pretii, quod ob dilationem ſolutionis accedere poteſt. Quoniam vero ideo plus ſolvere cenſetur, qui ſtatim ſolvit, quam qui in diem, aut certis terminis ſolvit, quia in caſu poſteriori venditor carere debet lucro, quod ex uſu pecuniæ interea percipere poterat; augmentum pretii diſtinctis terminis ſolvendi ſupra pretium in præſenti pecunia ſtatim exſolvendum æſtimandum eſt ex lucro, quod interea ex uſu pecuniæ habere poterat venditor, quo ea carere debet. Quamobrem patet, ſi pretium majus offeratur, ſed diſtinctis terminis ſolvendum, minus vero ſtatim ſolvatur, illud non intelligi majus, niſi lucrum ceſſans ob carentiam pecuniæ diverſis terminis ſolvendæ minus ſit exceſſu pretii majoris ſupra minus.

Uſus pecuniæ æſtimari ſolet quantitate uſurarum lege definitarum, conſequenter tantundem valet lucrum ceſſans ob carentiam pecuniæ, quantum uſurarum interea percipi poterat ex pecuniæ præſentis uſu. Unde haud difficulter definitur, utrum qui majus pretium offert diverſis terminis ſolvendum revera quid addat pretio minori in præſenti pecunia ſolvendo, nec ne. Ex. gr. ego tibi offero bis mille thaleros confeſtim ſolvendos; alter 2130, ſed ea lege, ut ſtatim ſolvantur 500, deinde annuatim 500. Quoniam pecunia, qua carere debes, anno primo eſt 1500. uſuræ annuæ ſunt 75. Similiter cum anno ſecundo careas 1000; uſuræ pro hoc anno ſunt 50. Et eodem modo, cum tertio anno reſtent 500, uſuræ pro eodem ſunt 25. Quodſi ergo his uſuras in unam ſummam colligas, prodeunt 150. Lucrum adeo ceſſans ob carentiam pecuniæ majus eſt exceſſu pretii majoris, quod offertur, 130. ſupra minus, conſequenter majus eſſe non intelligitur: qui enim dat 2000. ſtatim, cum alter dat 2130. diverſis terminis, dare cenſetur 2150. Naturaliter cum lucrum ex uſu pecuniæ percipiendum non habeat certam menſuram, nec eadem facilitate definiri poteſt, an pretium majus diverſis terminis ſolvendum revera ſit majus minori, quod ſtatim ſolvitur.

§. 1070.

§. 1070.

An pretium majus diverſis terminis ſolvendum conditionem ſemper faciat meliorem.

Si magis intereſt venditoris præſentem habere pecuniam, quam majorem revera ſummam accipere diverſis terminis; quod pretio primi emtoris additur, non meliorem facit conditionem. Etenim ſi magis intereſt venditoris præſentem habere pecuniam quam majorem revera ſummam accipere diverſis terminis; neceſſe eſt, ut ex uſu pecuniæ præſentis emergat aliquod lucrum, vel ex carentia ejus damnum aliquod, quod majoris facit, quam quod pretio minori additur (§. 614. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter ad utilitatem ipſius non facit, majorem pecuniæ ſummam diverſis terminis, quam minorem in præſenti pecunia accipere. Quamobrem cum conditionem venditoris meliorem non faciat, qui offert aliquid, quod ad ipſius utilitatem non pertinet (§. 1067.); quod pretio emtoris primi additur, non meliorem facit conditionem venditoris, ſi magis ejus intersit præſentem habere pecuniam, quam majorem revera ſummam accipere diverſis terminis.

Ex. grat. Ego tibi offero 2000. alius 2200. ea lege, ut ſtatim ſolvantur 500, deinde annuatim 500. Alter revera majus offert pretium (*not.* §. 1069.). Quodſi vero tua magis interſit, ut ſtatim habeas 2000., quam ut diverſis iſtis terminis accipias 2200; conditionem tuam meliorem non facit licitator poſterior. Non jam inquirimus in rationes, cur præſtet ſtatim habere 2000, quam diverſis terminis, præſertim amplioribus accipere 2200: hæ enim diverſæ eſſe poſſunt, & ubi præſertim judicio venditoris ſtandum, attendendæ minime veniunt.

§. 1071.

An addictio in diem ex intervallo facta ſit valida.

Naturaliter addictio in diem adjici poteſt ex intervallo, emtioni ac venditioni jam antea perfectæ. Quoniam enim naturaliter pacta omnia ſunt ſervanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*) adeoque vim obligandi a ſe habent; nulla eſt ratio, cur ſervari non debeat, quod ex intervallo contractui alii jam perfecto demum fuerit adjectum. Quamobrem naturaliter nil obſtat, quo minus addictio in diem adjiciatur ex intervallo emtioni venditioni jam antea perfectæ, conſequenter ex intervallo eidem adjici poteſt.

§. 1072.

Idem in genere aſſertum.

Naturaliter in genere contractui cuicunque pactum quodcunque aliud valide adjicitur ex intervallo. Patet eodem modo, quo idem de pacto adjectionis in diem emtioni perfectæ ex intervallo adjecto oſtendimus.

Nimirum cum contractus ſive pacta vim ſuam accipiant a mutuo conſenſu; naturaliter pactum quodcunque mutuo conſenſu, ſeu pacto novo immutari poteſt, quandocunque viſum fuerit. Jure Romano cum pacta, quæ in numero contractuum non ſunt, ſed ad eos tantummodo accedunt, per ſe non obligent; vim obligandi trahunt a contractu, cui adjiciuntur. Quodſi contractui nondum perfecto adjiciuntur, eidem legem dant, quod vi dominii eodem Jure contrahentibus erat permittendum, præſertim cum id publicæ conveniret utilitati: quando vero contractui jam perfecto ex intervallo adjiciuntur, quædam in contractu jam perfecto immutant, conſequenter obligationes jam contractas vel imminuunt, vel augent, vel novas adjiciunt. Principiis igitur Juris Romani conveniens non erat, ut pacta ad contractum jam antea perfectum ex intervallo adjecta valida eſſent. Apparet adeo, JCtos Romanos voluiſſe, ut legibus inſit veritas, & una earundem conſonantia ac concordia.

§. 1073.

Addictio in diem quibus verbis fieri debeat.

Naturaliter addictio in diem verbis quibuſcunque fieri poteſt, quibus ſufficienter ſignificatur, quod rem ſibi venditam liceat meliorem conditionem offerenti vendere, vel quod ſibi emta eſſe debeat, niſi ab alio melior conditio offeratur. Quod enim

cum

cum alio contrahens ſufficienter indicat; id contra ipſum pro vero habetur (§. 427. *part 3. Jur. nat.*), adeoque parum refert, quibus verbis id fiat, modo per ea pateat, quænam contrahenti mens fuerit. Quamobrem cum addictio in diem fiat, ſi quis vult, ut res ſibi vendita meliorem conditionem offerenti a venditore vendi poſſit, vel ut ſibi emta eſſe debeat, niſi ab alio melior conditio offeratur (§. 1065.); naturaliter addictio in diem fieri poteſt quibuſcunque verbis, quibus ſufficienter ſignificatur, eam eſſe emtori mentem.

Pacta naturaliter mutuo conſenſu conſiſtunt, nec ultra voluntatem alterius quiſquam eum ſibi obligare, vel jus ab eodem acquirere valet (§. 382. *part. 3. Jur. natur.*). Quemadmodum perinde eſt, ſive his, ſive aliis verbis utaris, modo iiſdem ſufficienter indicetur, quod ſignificari debet. Neque enim ea in verbis eligendis, quibus mentem tuam exprimas, attendenda ſcrupuloſitas, quam in ſcientiis methodus demonſtrandi exigit, ubi vocabulis determinatus attribuitur ſignificatus, a quo ne tranſverſum quidem unguem diſcedere oportet. Communis loquendi uſus rigorem hunc non fert: neque enim homines didicerunt vocabula accuratis definitionibus explicata, quemadmodum tyro Geometriæ addiſcit terminos in ea uſitatos. Sed ea de re plura dicemus, quando de interpretatione acturi ſumus.

§. 1074.

Si res in diem addicta fuerit, melior conditio offerri nequit ab ipſo venditore. Ponamus enim, meliorem conditionem offerri poſſe ab ipſo venditore. Quoniam ſi res in diem addicitur, ea vel inemta, vel emta eſſe debet, meliore conditione oblata, vel non oblata (§. 1065.); venditori licet, ſi pœnituerit, a pacto ſeu contractu recedere & eum reſcindere (§. 928.). Enimvero aliud eſt velle, ut contractus reſcindatur, vel non perficiatur, ſi venditorem pœnituerit, aliud vero velle, ut contractus jam perfectus reſolvatur, vel non perficiatur, conditione meliore ab alio venditore oblata. Quamobrem cum addictione in diem facta in poſterius, non autem in prius conſenſerint paciſcentes (§. 1065.); re in diem addicta, melior conditio ab ipſo venditore offerri nequit. *An melior conditio ab ipſo venditore offerri poſſit.*

Quoniam pacta ſunt ſervanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), ſtandum eſt præciſe iis, de quibus conventum eſt (§. 788. *p. 3. Jur. nat.*); non vero licet uni contrahentium quædam in eo immutare, multo minus pro ſuo arbitrio abſque alterius partis conſenſu pactum initum convertere in aliud, de quo ineundo non cogitarunt paciſcentes. Abſonum ſane foret, ſi unus contrahentium contractum eludere poſſet, quando ipſi viſum fuerit.

§. 1075.

Quoniam qui alteri quid mandat, adeoque faciendum committit (§. 640.), id ipſe feciſſe putatur (§. 661.), *re* autem *in diem addicta* conditionem meliorem offerre nequit ipſe venditor (§. 1074.); *nihil* etiam *agitur, ſi venditor alii mandet, ut is ſuo quaſi nomine meliorem conditionem offerat*, conſequenter *fraude detecta jus ſuum integrum eſt emtori*. *An eam offerre poſſit per alium.*

Quodſi committatur hac in parte fraus, ea occulta manere nequit, cum rem venditam neceſſario recipiat venditor; ſi per alium conditionem meliorem obtulit.

§. 1076.

Addictio in diem fit vel in gratiam emtoris, vel in gratiam venditoris: in caſu dubio in gratiam venditoris facta intelligitur. Quoniam enim re in diem addicta, ſi venditori offeratur melior conditio, res vel inemta eſſe debet, vel emtio perficienda non eſt (§. 1065.); addictio in diem vel fit eo fine, ut venditor meliorem conditionem acceptare poſſit, ſi eidem offeratur, vel ut emtori reſilire liceat a contractu, ſi pœnituerit. Quodſi finis prior attenditur, vendi- *In cujus gratia addictio in diem fiat.*

 toris

toris gratia; ſi poſterior emtoris gratia pactum adjicitur. Atque adeo patet, addictionem in diem fieri poſſe vel in gratiam venditoris, vel in gratiam emtoris. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam ordinarie res in diem addicitur, quod venditor mallet conditionem meliorem ſibi offerri ab emtore, quam in quam conſentit, rarius vero accidit, ut emtor ſibi reſervet jus a contractu reſiliendi ſub hac conditione, ſi melior conditio ab alio offeratur venditori, quod facile conceditur, illud autem præſumitur, quod plerumque, non quod rarius fit, ubi nullæ peculiares rationes proſtant (§. 248. *part. 2. Jur. nat.*), in caſu etiam dubio, & quando id actum non videtur, ut emtori integrum eſſe debeat a contractu reſilire, conditione meliore oblata, addictio in diem in gratiam venditoris facta intelligitur. *Quod erat alterum.*

Superflua videri poterat diſtinctio, num addictio in diem in gratiam venditoris, an in gratiam emtoris fiat: patebit vero ex ſequentibus pro hac diverſitate non eundem eſſe effectum. Sane poſſunt venditori eſſe rationes, cur malit conditionem meliorem abjicere, & primam emtionem ſequi, quam illam acceptare & ab hac recedere, cum ex adverſo emtor malit emtionem primam reſolvi.

§. 1077.

De addictione in diem in gratiam venditoris facta. *Si addictio in diem in gratiam venditoris fiat, ipſi liberum eſt, utrum conditionem meliorem oblatam acceptare, an primam emtionem ſequi malit, & hanc ſequi poteſt, antequam melior conditio oblata fuerit.* Etenim ſi addictio in diem in gratiam venditoris fit, id non fit eo fine, ut emtori a pacto recedere liceat, ſi alium emtorem reperire poſſit, qui meliorem conditionem offert, ſed hac ſola de cauſa, quod in meliorem conditionem conſentire ipſe nolit, &, ne conquerendi cauſam habeat venditor, quaſi venditio ipſi eſſet damnoſa, in acceptationem conditionis melioris ab alio emtore oblatæ conſentit. Quoniam itaque ſola ſpectatur utilitas venditoris, de ea quoque ſtatuere ipſius ſolius eſt, & in eundem jus acceptandi meliorem conditionem collatum, non vero is ad eam acceptandum obligatus intelligitur. Quamobrem meliorem conditionem acceptare quidem licet, ſed eam acceptare non debet (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo addictio in diem in gratiam venditoris fiat, ipſi liberum eſt, utrum conditionem meliorem oblatam acceptare, an primam emtionem ſequi malit (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Quoniam vero perinde eſt, ſive quis meliorem conditionem oblatam acceptare nolit, ſed emtionem primam ſequi malit, ſive declaret, quod hanc ſequi velit, quando adhuc incertum eſt, utrum quis meliorem ſit allaturus, nec ne; cum eam oblatam acceptare non teneatur venditor *per demonſtrata*, primam omnino emtionem ſequi poteſt, antequam melior conditio oblata fuerit. *Quod erat alterum.*

Inſtar beneficii eſt, ſi jus acceptandi meliorem conditionem ab emtore confertur in venditorem, qui ex parte ſua ſtare vult contractui, neque per pactum ei adjectum obligationem ſuam minuere, ſed jus ſaltem venditoris augere voluit. Cum itaque beneficium nemini obtrudi poſſit (§. 200.); abſonum quoque foret cogere venditorem, ut conditionem meliorem acceptet: immo in hoc caſu intereſſe videtur emtoris, ut non acceptet, adeoque in ſtatu naturali nemo eſt, qui cogere velit ac poſſit venditorem, ut meliorem conditionem acceptet. Qui conditionem offert, eum cogere nequit, neque enim huic ullum jus quæſitum eſt ex contractu alieno. Et quamvis ex poſtfacto mallet emtor, ut conditionem meliorem acceptaret venditor; de contractu tamen ſtatuendum eſt ex ejus initio; & quænam tunc fuerit mens contrahentium ſpectandum. Ne autem quis exiſtimet, caſum non eſſe dabilem, ut conditionem meliorem acceptare nolit venditor, præſertim ſi id urgeret emtor, vel unicum in medium afferre lubet caſum. Ponamus me habere domus duas contiguas, quarum alteram tibi addico in diem pretio ter mille thalerorum. Ponamus intra terminum alium offerre pretium 3400 thalerorum, & me malle recipere ter mille thalerorum, quam domum retinere. Quoniam tamen nolo eum habere vicinum, nec tu meliorem conditionem ſine conſenſu meo acceptare poſſis, cum hoc contractui non inſit, quin potius adverſetur; ut conditionem hanc acceptem non cogi poſſum. Non

omnis

omnis conditio, quæ aliorum judicio melior eſt etiam meo melior habetur, ut eam alteri præferam: diverſa enim ſunt diverſorum de eo, quod melius eſt, judicia, & quamvis hic moleſtia a vicino percipienda ſit æſtimabile quid, quod pretio detrahit, ut, quod majus videtur, revera pro tali haberi non poſſit; dari tamen etiam poſſunt caſus, in quibus ipſius venditoris judicio oblata conditio melior eſt, aliæ tamen dantur rationes, ob quas eam acceptare vel nolit, vel non commode poſſit. Sed nec opus eſt, ut de talibus anxie diſpiciamus, ubi tantummodo quæritur, quænam ex contractu oriantur jura ac obligationes.

§. 1078.

Si addictio in diem in gratiam emtoris fiat, meliore conditione oblata emtor ab obligatione ſua ſtatim liberatur, & venditor vel conditionem acceptare, vel rem recipere tenetur. Etenim ſi addictio in diem fit in gratiam emtoris, ea non alio fine fit, quam ut emtori liceat a contractu reſilire, meliore conditione ab alio allata, conſequenter ſub ea conditione contractum videtur, ut ab obligatione ſua, quæ ex contractu altero, cui hoc pactum adjectum venit, liberetur. Quamobrem conditione iſta allata, emtor ab obligatione ſua ſtatim liberatur (§. 467. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque cum res emta non ſit emtori, nec ad eam emendam is cogi poſſit (§. 1065.), venditor aut rem recipere, aut conditionem ab alio allatam acceptare tenetur. *De addictione in diem in gratiam emtoris facta.*

Caſus hic obtinet, ſi in gratiam venditoris rem emas, vel emere conſtituiſti, quam alias non emiſſes, vel emere non voluiſſes. Hæc enim ratio ſufficiens eſt, cur pactum addictionis in diem adjiciatur vel emtioni jam perfectæ; vel perficiendæ. Non tamen ideo exiſtimandum eſt, non dari poſſe rationes adhuc alias, cur in favorem emtionis addictio in diem fiat.

§. 1079.

Si addictio in diem fiat ſub conditione reſolutiva, dominium ſtatim tranſit in emtorem, pendente conditione apud eum manet, conditione exiſtente ſtatim ipſo jure redit ad venditorem, eadem vero deficiente irrevocabiliter ſubſiſtit penes emtorem. Si enim addictio in diem fit ſub conditione reſolutiva, res inemta eſſe debet, ſi intra certum tempus alius meliorem conditionem offerat (§. 1065.), conſequenter emtio perfecta eſt (§. 1064.). Quamobrem cum venditor in emtorem dominium rei transferat (§. 939.), ſi addictio in diem fit ſub conditione reſolutiva, dominium ſtatim tranſit in emtorem. *Quod erat primum.* *Quomodo ſe habeat dominium in addictione in diem ſub conditione reſolutiva.*

Quoniam vero res tum demum inemta eſſe debet, ſi quis alius meliorem conditionem offerat *per hyp.* quamdiu alius meliorem conditionem non offert, adeoque conditione reſolutiva, ſub qua contractum, pendente dominium, quod penes emtorem eſt *per demonſtrata*, penes eundem manet. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam porro conditio reſolutiva, ſub qua contractum eſt, exiſtit, alius emtor meliorem conditionem affert, conſequenter vi pacti (§. 1065.), quo ſtandum (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), res ſtatim inemta eſt, conſequenter dominium quod in emtorem fuerat translatum *per demonſtrata*, penes emtorem manere nequit, ſed ipſo jure, ex pacto nimirum acquiſito, ſtatim iterum redit ad venditorem. *Quod erat tertium.*

Quoniam denique conditio reſolutiva, ſub qua contractum eſt, non exiſtit, ſi intra tempus definitum meliorem conditionem non offerat alius, emtio venditio, quæ ſtatim erat perfecta (§. 1064), non reſolvitur, nec poſthac reſolvi poteſt, ſed in perpetuum durat, quaſi ab initio ſine ea fuiſſet contractum (§. 488. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque dominium, quod in emtorem initio contractus fuerat translatum *per demonſtrata n.* 1. irrevocabiliter penes eum ſubſiſtit (§. 16. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat quartum.*

In addictione in diem ſub conditione reſolutiva dominium rei venditæ in emtorem transfertur ſub conditione revocabiliter: qua adeo exiſtente, venditor eodem rurſus excludit emto-

rem (§. 16. *part.* 3. *Jur. nat.*). Unde non opus eſt, ut emtio venditio demum a venditore reſcindatur, quam ipſum jus ex pacto acquiſitum pro nulla declarat, adeoque quaſi reſcindit (§. 928.). Unde & non reſcindi dicitur, ſed reſolvi: contractus tamen reſolutio ſpectari poteſt tanquam reſciſſio ipſo jure facta. Reſcinditur nimirum contractus, qui, cum jure nullus non ſit, pro nullo declaratur (§. *cit.*). Quando autem ſub conditione reſolutiva contrahitur, contractus, qui jure ſubſiſtit, quando initus fuit, ſub conditione pro nullo declaratur, conſequenter reſciſſio in eventum confertur, quæ adeo ſtatim ponitur poſita conditione. Atque adeo apparet, quomodo contractus reſolutionem ad ejus reſciſſionem reducere liceat, & quod in addictione in diem ſub conditione reſolutiva recte dicantur contrahentes conſenſiſſe, quod meliore conditione oblata emtio ac venditio quaſi per ſe reſcindi debeat: operatur nimirum hoc voluntas contrahentium, quatenus in futurum incertum prominet.

§. 1080.

Cujuſnam ſit dominium, ſi res addicatur in diem ſub conditione ſuſpenſiva.

Si addictio in diem fit ſub conditione ſuſpenſiva, dominium manet penes venditorem, etiamſi res tradita & pretium ſolutum fuerit. Etenim ſi addictio in diem fit ſub conditione ſuſpenſiva, id agitur, ut tum demum res ſit emta, niſi ab alio emtore intra certum tempus melior conditio offeratur (§. 1065.), conſequenter emtio perfecta non eſt ſtatim, dum contrahitur, ſed demum perficitur, meliore conditione ab alio oblata (§. 1064.). Quamobrem cum venditor in emtorem transferre debeat dominium (§. 939.), id non ante transfertur, quam emtio ac venditio perficitur, conſequenter ſi addictio in diem fiat ſub conditione ſuſpenſiva, dominium manet penes venditorem. *Quod erat primum.*

Et quoniam naturaliter dominium non transfertur traditione, ſed poſſeſſio (§. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*), immò ne hæc quidem, quando aliud actum apparet (§ 434.); traditione non obſtante, dominium, quod retinet venditor *per demonſtrata n.* 1. penes eum manet. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum pretium pro re dari non poſſit, antequam res detur (§. 937.), adeoque dominium ejus in emtorem transferatur (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi res in diem addicatur ſub conditione ſuſpenſiva & pretium ſtatim ſolvatur, id ſolutum intelligitur ſub ſpe contractus perficiendi & in ſecuritatem pactionis de eo perficiendo, conditione meliore ab alio non allata, conſequenter nec pretii ſolutio obſtat, quo minus dominium maneat penes venditorem. *Quod erat tertium.*

§. 1081.

Quando dominium tranſeat, ſi res ſub conditione ſuſpenſiva in diem addicetur.

Si addictio in diem fiat ſub conditione ſuſpenſiva, conditione deficiente, dominium ſtatim tranſit in emtorem irrevocabiliter. Quodſi enim addictio in diem fiat ſub conditione ſuſpenſiva id actum eſt, ut res ſit emta, niſi intra certum tempus melior conditio offeratur (§. 1065.). Quamobrem cum conditio, quæ hic negativa eſt (§. 489. *part.* 3. *Jur. nat.*), exiſtat, ſi intra tempus definitum melior conditio non offeratur (§ 490. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi intra tempus definitum melior conditio oblata a nemine fuerit, eodem præterlapſo res ſtatim emta intelligitur (§. 467. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque res emta eſſe nequit, niſi dominium a venditore in emtorem fuerit translatum (§. 939.); ſi addictio in diem fiat ſub conditione ſuſpenſiva, conditione exiſtente dominium ſtatim tranſit in emtorem. *Quod erat unum.*

Enimvero cum exiſtente conditione res emta ſit *per demonſtrata*, adeoque emtori invito jus ſuum acquiſitum venditor auferre non poſſit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); nullo quoque modo eum dominio, quod in ipſum tranſit *per demonſtrata*, rurſus excludere poteſt. Tranſit adeo dominium in emtorem irrevocabiliter (§. 16. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Nimirum eodem modo, quo in caſu præcedente (§. 1080.), emtio quæ jam erat perfecta, reſolvitur, ſeu quaſi per ſe reſcinditur; ita etiam in præſente nondum perfecta per ſe quaſi

quaſi perficitur, meliore conditione non oblata, voluntate anteriore contrahentium, quatenus in futurum incertum prominet, hoc operante.

§. 1082.

Si addictio in diem fiat ſub conditione reſolutiva, naturaliter in arbitrio venditoris poſitum eſt, utrum emtori primo, ſi eandem conditionem adimplere velit, quam offert alius, vendere rem velit, nec ne, niſi aliter fuerit conventum. Etenim ſi addictio in diem fiat ſub conditione reſolutiva, ea exiſtente ſtatim ipſo jure dominium redit in venditorem (§. 1079.), conſequenter ea venditoris propria fit (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum a domini voluntate unice pendeat, in quem dominium rei ſuæ transferre velit (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter etiam cuinam eam vendere velit (§. 939.); ſi addictio in diem facta ſub conditione ſuſpenſiva, naturaliter in arbitrio venditoris poſitum eſt, utrum emtori primo, ſi eandem conditionem adimplere velit, quam offert alius, vendere rem velit, nec ne. *Quod erat unum.* *An venditor cogatur rem relinquere primo emtori, ſi eandem conditionem adimplere velit, quam offert alius.*

Quodſi vero aliter fuerit conventum, nimirum ut, ſi melior conditio offeratur & eam ipſe quoque emtor primus adimplere velit, res emta manere debeat, cum ſtandum ſit pacto (§. 786. *part.* 3. *Jur. nat.*), venditor rem emtori primo relinquere tenetur, nec emtio venditio reſolvitur. *Quod erat alterum.*

Mere civile igitur eſt, quod conditionem meliorem ab alio allatam acceptare nequeat venditor, ſi eandem adimplere velit emtor primus. Jus enim prælationis non fluit ex contractu, ut res ſit inemta, ſi melior conditio intra certum tempus ab alio afferatur. Pro vero igitur contra venditorem haberi nequit, quod ſufficienter indicatum non eſt (§. 428. *part.* 3. *Jur. natur.*), cum aliàs emtori primo obligari poſſet contra voluntatem ſuam. Æquales cum ſint natura homines (§. 81. *part.* 1. *Juris nat.*), adeoque eadem habeant jura (§. 78. *part.* 1. *Jur natur.*); æqualitate naturali maxime convenit, ut, dum emtor ſe non obligat ad adimplendum meliorem conditionem, quam allaturus eſt alius; venditori quoque competat jus meliorem conditionem offerenti rem ſuam vendendi, etiamſi eandem adimplere velit emtor primus. Quodſi vero aliter convenitur, tum ad pactum addictionis in diem accedit aliud ſub conditione itidem reſolutiva, qua pactum addictionis in diem reſolvitur, quemadmodum reſolvitur eodem emtio venditio conditione exiſtente. Etenim ſi tu primus emtor eandem conditionem adimplere velis, quam offert ſecundus, pactum addictionis in diem pro non adjecto habetur. Naturaliter itaque pactum unum operari nequit, quod operantur nonniſi duo.

§. 1083.

Quoniam naturaliter *addictione in diem ſub conditione ſuſpenſiva facta* arbitrio venditoris relictum eſt, utrum emtori primo, ſi eandem conditionem adimplere velit, quam offert alius, vendere rem velit, nec ne, niſi aliter fuerit conventum (§. 1082.); *venditor emtori primo indicare non tenetur, quod & qualis conditio offeratur ab alio, antequam rem offerenti vendat, niſi ita fuerit conventum, ut res emta manere debeat, ſi ille eandem conditionem adimplere velit.* *An melior conditio, quæ affertur, indicanda ſit emtori primo.*

Obligatio indicandi meliorem conditionem primo emtori fluit ex jure prælationis, quod ipſi competit. Ubi igitur hoc non adeſt, nec illa locum habet.

§. 1084.

Similiter quoniam addictione in diem ſub conditione ſuſpenſiva facta naturaliter arbitrio venditoris relictum eſt, utrum emtori primo, ſi eandem conditionem adimplere velit, quam offert alius, vendere rem velit, nec ne, niſi aliter fuerit conventum (§. 1082.), emtoris autem non intereſt, ſive res alii vendatur, ſive venditor eandem ſibi retineat, quod per ſe patet; *venditor rem ſibi retinere poteſt, ſi melior conditio ab alio offeratur, niſi ita conventum fuerit, ut res emta manere debeat, ſi eandem conditionem adimplere velit emtor, vel ut neceſſario conditionem meliorem offerenti vendatur.* *An meliori conditione oblata rem ſibi retinere poſſit venditor.*

Non

Non ſuſtinet venditor perſonam emtoris, ſed rem retinet jure dominii, quod emtione conditione reſolutiva exiſtente reſoluta ad ipſum redit (§. 1079.): nulla igitur venditione opus eſt. Nec obſtat, venditorem ipſum meliorem conditionem offerre non poſſe, neque per ſe (§. 1074.), neque per alium (§. 1075.). Aliud enim eſt offerre conditionem, ut emtio reſolvatur, aliud rem retinere, ubi conditione oblata ab alio tertio ea fuit reſoluta. Illud repugnat pacto addictionis in diem, hoc minime. Omnino autem abeſſe debet fraus omnis, quippe quæ obſtat, quo minus reſolvatur emtio prima (§. *cit.*), adeoque dominium redeat ad venditorem (§. 1079.), ut deinde vi ejuſdem diſponere de re poſſit, utrum eam retinere, an conditionem meliorem offerenti vendere malit. Quemadmodum autem paciſcentes ſua voluntate libertatem rem ſibi retinendi adimere poſſunt (§. 118. *p.* 3. *Jur. nat.*); ita etiam lege civili ea adimi poteſt in univerſum ad præcavendas fraudes, prout ſuo loco conſtabit.

§. 1085.

Cujuſnam res fieri debeat, addictione ſub conditione ſuſpenſiva facta deficiente conditione.

Si addictio in diem fiat ſub conditione ſuſpenſiva, & melior conditio intra tempus definitum offeratur ab alio, venditori etiam integrum eſt, utrum rem ſibi retineri, an eam conditionem offerenti, vel emtori, ſi eandem adimplere velit, vendere velit. Quodſi enim addictio in diem fiat ſub conditione ſuſpenſiva, dominium manet penes venditorem (§. 1080.), nec tranſit in emtorem, niſi conditione exiſtente (§. 1081.), conſequenter ea deficiente non tranſit, adeoque res propria manet venditoris (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum conditio deficiat, ſeu non exiſtat, ſi melior conditio intra tempus definitum ab alio venditori offeratur (§. 1065. *h.* & §. 490. *part.* 3. *Jur. nat.*); hac allata, venditor de re tanquam ſua pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ipſius arbitrio relictum jam eſt, utrum rem ſibi retinere, an alii vendere velit, nimirum vel offerenti meliorem conditionem, vel emtori primo, ſi eandem adimplere velit.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus; ad præſentem quoque applicari poſſunt, mutatis mutandis.

§. 1086.

Lex commiſſoria quid ſit.

Pactum, quo ita convenitur, ut, niſi emtor intra certum tempus pretium ſolvat, res ſit inemta, *Lex commiſſoria*, item *Pactum commiſſorium* & in Jure Canonico *Pactum legis commiſſoriæ*; ipſa autem venditio, cui lex hæc addita eſt, *Venditio commiſſoria* appellatur. Subinde etiam hoc pactum *Commiſſoria*, ſimpliciter vocatur ubi lex ſubintelligitur, & vi ejus *Res* dicitur *committi*: quod idem eſt ac dominium ejus amittere.

Parum refert, qua de cauſa hoc pactum lex commiſſoria dicatur: nobis ſufficit, hoc ita dici, & terminum in Jure Romano uſitatum retinemus, quemadmodum & alios terminos in Jure civili uſitatos & loquendi formulas ibidem receptas, ut tanto facilius appareat Juris naturæ ac civilis conſenſus ac diſſenſus.

§. 1087.

Quodnam pactum in genere dicatur commiſſorium.

In genere etiam *Lex commiſſoria* vocatur pactum, quo ita convenitur, ut, niſi præſtetur, quod ex alio contractu debetur, debitor amittat, quod ex eo habere debebat, veluti pignus, quod dedit, niſi intra tempus definitum id reluat. Et tunc id, quod amittitur, dicitur *committi*. Ipſum etiam *pactum*, adeoque in caſu ſpeciali præcedente *emtio* dicitur *committi*.

Ita etiam patebit ſuo loco, ſub lege commiſſoria deferri poſſe imperium. Et eadem lex accedit multis etiam actibus privatis, ubi termini nulla ſit mentio, nec de eo cogitatur: id quod vi definitionis præſentis in caſibus obviis facile animadvertere licebit.

§. 1088.

§. 1088.

Quoniam vi legis commiſſoriæ, quod ex pacto, cui ea addita, habere debebat, qui non præſtat, quod ex illo pacto debetur, amittit (§. 1087.); *pactum, cui lex commiſſoria addita, ſtatim reſolvitur, conditione reſolutiva, quæ eidem ineſt, exiſtente, ſeu, ſi non præſtetur, quod ex illo præſtandum, nullum eſt.* *Effectus legis commiſſoriæ.*

Oſtendimus idem in ſpecie de emtione venditione ſub lege commiſſoria contracta (§. 1060.). Legis adeo commiſſoriæ hæc vis eſt, ut, conditione reſolutiva exiſtente, pactum, cui addita, confeſtim reſolvat.

§. 1089.

Si emtio ſub lege commiſſoria contracta, & pretium intra tempus præſtitutum non fuerit ſolutum; dominium rei venditæ confeſtim ipſo jure redit ad venditorem. Quodſi enim ſub lege commiſſoria contrahatur emtio, ita convenitur, ut res ſit inemta, niſi emtor intra certum tempus pretium ſolvat (§. 1086.). Enimvero ſi ita conventum, nec pretium ſolutum fuerit, emtio reſolvitur (§. 1060.), adeoque pro non contracta habetur. Quamobrem res, quæ fuerat vendita, emtoris amplius eſſe nequit, adeoque confeſtim ipſo jure redit dominium in venditorem. *De dominio rei, cujus emtio committitur.*

Nimirum ipſo jure dominium in venditorem redit, quando nullo facto opus eſt, quo idem in ipſum transferatur, ſeu eidem reſtituatur. Committit hic rem emtor; committitur etiam emtio. Abſit autem, ut exiſtimes, hoc fieri in pœnam, quaſi jus ex emtione quæſitum in pœnam ſit auferendum: Alia enim eſt pœnalis emtio (§. 1061.); nec in legem commiſſoriam quadrat definitio pœnæ promiſſionibus, vel pactis adjectæ (§. 606. *part. 3. Jur. nat.*). Neque eodem modo ratiocinandum de pœna emtioni non adimpletæ adjecta & de effectu legis commiſſoriæ.

§. 1090.

Si emtio venditio lege commiſſoria reſolvitur, venditor rem ſibi retinere, vel alii cuicunque vendere poteſt pretio, quantacunque voluerit, nec tenetur emtori eam relinquere, etiamſi poſthac, antequam alii vendat, pretium idem vel majus præſens offerat, nec emtor ad ſolvendum pretium poſthac compelli poteſt, ſi venditor contractu ſtare velit. Etenim ſi emtio lege commiſſoria reſolvitur, dominium rei confeſtim redit ad venditorem (§. 1089.), adeoque ipſius eſt, nec ullum ad eam jus competit emtori, cum perinde ſit, ac ſi eam non emiſſet (§. 1086.), conſequenter cum venditore prorſus non contraxiſſet (§. 937.). Quamobrem cum lex commiſſoria nihil præterea contineat (§. 1086.), venditori, cujus poteſtas per hoc pactum nullo modo reſtricta eſt, liberum relinquitur, num rem ſibi retinere, vel alii cuicunque quantocunque pretio vendere velit. *Quod erat primum.* *Effectus legis commiſſoriæ in emtione ac venditione.*

Et quoniam jus omne emtoris ſtatim extinguitur, pretio intra tempus definitum non ſoluto, *per demonſtrata*; venditor rem emtori relinquere non tenetur, etiamſi is poſthac pretium, de quo fuerat conventum, vel majus offerat, antequam alii vendat. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum emtione ſoluta perinde ſit, ac ſi venditor cum emtore nunquam contraxiſſet, *per demonſtrata n.* 1. emtor quoque liberatur ab obligatione ſua, conſequenter ex contractu venditori non amplius tenetur, adeoque nec ad ſolvendum pretium poſthac compelli poteſt, ſi vel maxime venditor contractu ſtare velit. *Quod erat tertium.*

Quod hic demonſtratur, maxime convenit æquitati naturali, quæ æquam eſſe jubet venditoris

toris ac emtoris conditionem; niſi expreſſe aliter conventum fuerit, vel ipſi conventioni tacite aliquid inſit per naturam ipſius. Vide, quæ paulo ante eam in rem dicta ſunt (*not.* §. 1082.).

§. 1091.

An res ſub lege commiſſoria vendita alii vendi poſſit.

Quoniam lege commiſſoria emtioni venditioni addita, ſi emtio reſolvitur, venditor rem alii vendere poteſt pretio quantocunque, nec eam emtori relinquere tenetur, etiamſi poſthac offerat pretium præſens majus eo, quam de quo conventum eſt (§. 1090.), emtio autem conditionalis nulla eſt, deficiente conditione, ſub qua contracta (§. 1062.); *pendente adhuc conditione reſolutiva, quæ legi commiſſoriæ ineſt* (§. 1086. *h.* & §. 488. *part.* 3. Jur. *nat.*), *venditor rem alii vendere poteſt quantocunque pretio ſub hac conditione, ſi emtor primus pretium non ſolvat intra tempus definitum.*

Venditio poſterior fit ſub conditione ſuſpenſiva (§. 488 *part.* 3. *Jur. natur.*): quæ etſi eadem ſit cum reſolutiva legi commiſſoriæ inexiſtente, cum contrarius ſit conditionis reſolutivæ & ſuſpenſivæ effectus (§. *cit.*), contractui priori nihil nocet. Conditio enim eadem non ante perficit emtionem poſteriorem, quam priorem reſolvit, vel quaſi reſcindit, ſeu nullam facit. Nihil autem refert, quod ſimul hoc operetur, ut contractus prior ſit nullus, poſterior perfectus; cum utrumque ſimul fieri non repugnet.

§. 1092.

De lege commiſſoria, ſi pars pretii ſoluta, vel arrha data.

Si lex commiſſoria emtioni venditioni addatur, & emtor pretii partem ſtatim ſolvat, emtio nulla eſt, niſi pars reliqua intra tempus definitum ſoluta fuerit, quod vero datum emtori reſtituendum. Idem valet de arrha, niſi aliter conventum. Etenim ſi lex commiſſoria emtioni venditioni addatur & emtor pretii partem ſtatim ſolvat; lex iſta aliam non recipit interpretationem, quam ut emtio ſit nulla, niſi pars reliqua intra tempus definitum fuerit ſoluta (§. 1086.). Quamobrem cum lex commiſſoria pactum, ſive contractum (§. 793. *p.* 3. *Jur. nat.*), ſtatim reſolvat, conditione reſolutiva exiſtente (§. 1088.); emtio confeſtim nulla erit, ſi pars reliqua pretii intra tempus definitum ſoluta non fuerit. *Quod erat primum.*

Quoniam vero nemo locupletior fieri debet cum alterius damno (§. 585. *part.* 2. *Jur. nat.*); cum emtione reſoluta rem ſuam recipiat venditor (§. 1089.), partem quoque pretii ſolutam emtor recipere debet (§. 582. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Quodſi emtio ſub lege commiſſoria fuerit contracta & arrha data, cum, ſi arrha ſimpliciter detur, ut indicium contractus initi & conſtantiæ voluntatis, ea emtori ſit reſtituenda, contractu adimpleto, vel ſi eam dator adimplere nolit, qui eandem accepit, tamdiu retinere poteſt, donec ipſi fuerit ſatisfactum (§. 996.), contractu per legem commiſſoriam reſoluto, arrha emtori reſtituenda, niſi aliter fuerit conventum, nec venditor eam diutius retinere poteſt, quam rem ſuam receperit, aut, ſi quid aliud adhuc præſtandum, id fuerit præſtitum.

Mere igitur civile eſt, quod pars pretii ſoluta & arrha ab emtore perdi, a venditore retineri debeat: quam æquitati naturali adverſam emtoris conditionem Doctores æquiores, quos citat *Lauterbachius* titul. de lege Commiſſ. vel ad eum caſum reſtringunt; quo hoc inter partes convenit, vel ad hunc, quo emtor fructus pretio æquales percepit. Sed de fructibus perceptis ſeparatim deinceps dicemus.

§. 1093.

De parte pretii ſalva l. c. ſoluta.

Si emtor ſalva lege commiſſoria, quæ emtioni initio adjecta, partem pretii ſolvit intra tempus definitum, partem vero reliquam intra idem non ſolvit, emtio nulla eſt &

eſt & quod ſolutum reſtituendum. Salva vero lege commiſſoria partem pretii ſolvi ſemper intelligitur, niſi expreſſe aliud dicatur, vel aliunde colligatur. Quodſi enim emtor partem pretii ſolvat intra tempus definitum, ſalva lege commiſſoria, perinde omnino eſt, ac ſi ſtatim partem pretii ſolviſſet, cum lex commiſſoria emtioni adjiceretur. Enimvero ſi emtio contrahitur ſub lege commiſſoria & pars pretii ſtatim ſolvitur, emtio nulla eſt, niſi pars reliqua intra tempus definitum ſoluta fuerit, & quod datum emtori reſtituendum (§. 1092.). Ergo ſi emtor ſalva lege commiſſoria, quæ emtioni initio adjecta, partem pretii ſolvit intra tempus definitum, partem vero reliquam intra idem non ſolvit, emtio nulla eſt, & quod ſolutum reſtituendum.

Quoniam lex commiſſoria hanc expreſſam habet conditionem, ut emtio habeatur pro nulla, niſi intra definitum tempus pretium totum ſolvatur (§. 1086.), ex eo, quod emtor partem pretii ſolvat & venditor eam accipiat, antequam tempus fuerit præterlapſum, intra quod totum ſolvi debet, non colligitur, contrahentes a lege commiſſoria receſſiſſe. Quamobrem pars pretii ſalva lege commiſſoria ſemper ſoluta intelligitur, niſi expreſſe aliud dicatur, vel aliunde colligatur.

Pactum aliquod, quod alteri adjectum, ſuſtuliſſe non cenſentur contrahentes, niſi quando ſufficienter indicarunt, quod idem pro non adjecto haberi nequeat (§. 417. *part. 3. Jur. nat.*). Indicare igitur hoc debent vel verbis expreſſis, vel facto aliquo, quod non aliam admittit interpretationem, quam quod pactum adjectum fuerit ſublatum. E. gr. Si lege commiſſoria expreſſe fuerit cautum, ut pretium ſolvi debeat integrum in una ſumma, cum ſalva lege commiſſoria in ſolutionem particularem conſentire nequeat venditor, ubi hoc facit, in ſublationem hujus legis tacite conſenſiſſe intelligitur. Niſi enim acceptando ſolutionem particularem a lege iſta recedere noluiſſet, jus ſuum quoad partem reliquam ſibi expreſſe reſervare debuiſſet, hoc eſt declarare, quod res adhuc inemta eſſe debeat, niſi pars reliqua intra tempus definitum ſolvatur.

§. 1094.

Si venditor die, qui legi commiſſoriæ adjectus fuerat, præterlapſo partem pretii ab emtore oblatam accipit; legi commiſſoriæ renunciaſſe cenſetur. Etenim ſi intra tempus definitum pretium non fuit ſolutum, dominium rei confeſtim redit ad venditorem (§. 1089.), adeoque ſi velit eam ſuam eſſe, conſequenter jus ſibi quæſitum habere, nihil quoque pretii ab emtore accipere poteſt. Quoniam itaque dum accipit ipſo facto declarat, ſe jus ſibi quæſitum habere nolle; eidem, conſequenter legi commiſſoriæ renunciaſſe cenſetur (§. 103. *p. 3. Jur. nat.*). *De tacita renunciatione parte pretii accepta.*

Qui partem pretii accipit, quod pro re ſolvendum, cum in emtione venditione detur pretium pro re (§. 937.), utique vult rem eſſe venditam, conſequenter emtionem lege commiſſoria non reſolvi debere, atque adeo perinde eſt, ac ſi rem iterum ſuam factam denuo venderet primo emtori ſine pacto commiſſario.

§. 1095.

Si legi commiſſoriæ certus dies non fuit adjectus, naturaliter vel ex poſtfacto adjiciendus, vel, ſi de eo conveniri nequit, emtor ad ſolvendum pretium compellendus. Etenim ſi legi commiſſoriæ certus dies non fuit adjectus, nec certo conſtare poteſt, quandonam res inemta eſſe debeat (§. 1086.). Ne igitur in perpetuum incertum manere debeat, neceſſe utique eſt, ut ex poſtfacto adjiciatur. *Quod erat unum.* *De die certo legi commiſſoriæ non ſtatim adjecto.*

Enimvero quoniam nemo alterum ſibi obligare poteſt ultra voluntatem ſuam (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); ſi ex poſtfacto diem certum pretio ſolvendo præfinire velit venditor, neceſſe eſt, ut emtor in hunc diem conſentiat. Quodſi ergo de eo convenire inter ſe non poſſint emtor ac venditor, pactum commiſſorium

ſine certo die adjiciendo nihil omnino actum. Quamobrem emtio conſiſtit, perinde ac ſi lex commiſſoria eidem non fuiſſet addita, conſequenter cum in venditoris voluntate poſitum ſit, utrum velit pretium ſtatim ſolvi, an ſolutionem in diem differri (§. 959.), venditor emtorem ad ſolvendum pretium compellere poteſt. *Quod erat alterum.*

Ex. grat. Si dicis, rem inemtam eſſe debere, niſi pretium ſolveris, vel niſi brevi ſolveris; nullus dies certus legi commiſſoriæ adjectus (§. 28. *part. 2. Jur. natur.*). Quodſi ergo duo elapſi ſunt menſes, nec pretium a te ſolvatur; neceſſe eſt, ut, ſi lege commiſſoria aliquid actum eſſe debet, tum certus dies determinetur, quo emtio reſolvenda, niſi interea pretium ſolvatur, veluti ut res ſit inemta, niſi intra duos menſes proximos ſolvatur. Enimvero ponamus te in hoc tempus conſentire nolle, lex commiſſoria inutiliter adjecta. Quoniam tamen ſine hac ſubſiſtit emtio, nec ea corruente ipſa quoque corruit; ideo abſque hac lege emtio facta intelligitur, adeoque ego te compellere poſſum ad pretium ſolvendum.

§. 1096.

De pacto legi commiſſoriæ adjiciendo.

Si venditor ſibi metuit, ne emtione per legem commiſſoriam ſoluta rem poſtea minoris vendere cogatur; legi commiſſoriæ adjicere licet pactum, ut, pretio intra tempus definitum non ſoluto, emtor primus etiam præſtet, quanto minoris eam vendere cogitur venditor emtori ſecundo. Etenim ſi pretio non ſoluto ab emtore primo rem, quam recepit (§. 1090.), poſtea alii minoris vendere cogitur venditor, commoda vendendi occaſione non ſemper ſeſe offerente; damnum incurrit culpa emtoris, inconſiderate (§. 760. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & præcipitanter (§. 772. *part. 1. Phil. pract. univ.*) ementis (§. 761. 774. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & in comparanda pecunia, ut pretium juſto tempore ſolvere poſſet, forſan non ſatis diligentis (§. 751. 757. 758. *part. 3. Phil. pract. univ.*), quod tamen ab ipſo avertere debebat emtor (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum non modo damnum culpa ſua datum alteri ſit reſarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*), verum etiam unuſquiſque operam dare debeat, ne ſibi quoad patrimonium ſuum damnum aliquod inferatur (§. 494. *part. 2. Jur. nat.*); quin legi commiſſoriæ, vi cujus res inemta eſſe debet, pretio intra tempus definitum non ſoluto (§. 1086.), adjici poſſit pactum, ut etiam emtor primus præſtet, quanto minoris eam poſtea vendere cogitur venditor emtori ſecundo, dubitandum non eſt.

Vidimus in ſuperioribus, ita etiam conveniri poſſe, ut intra certum tempus recedere liceat emtori a contractu, ſi venditori certi quid præſtet (*not.* §. 1061.). Quodſi vero emtor primus, quando per legem commiſſoriam emtio ſolvitur, præſtare tenetur, quanto minoris poſtea res vendi poteſt, perinde omnino eſt ac ſi ſub pœna non iniqua a contractu recederet. Hoc pactum itaque nihil habet iniqui, quod legi commiſſoriæ adjicitur. Jure externo autem, quo emtor ac venditor legem quamcunque contractui dare poſſunt (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*), multo minus dubium eſt, num legi commiſſoriæ pactum iſtud adjici poſſit in ſtatu naturali. Studio dico, in ſtatu naturali: quia in ſtatu civili pacta jure externo permittenda lege poſitiva ad æquitatem, quæ a jure interno pendet, recte reducuntur, niſi utilitas publica ſuadeat illa tolerari. Sed de eo plura dicemus ſuo loco.

§. 1097.

Quando pactum iſtud ſit efficax.

Quoniam *ſi legi commiſſoriæ adjicitur pactum, ut emtor primus præſtet, quanto minoris rem emtori ſecundo vendere cogitur venditor* (§. 1096.), quando vero *emtor primus vel ipſe ſolvere vult pretium, de quo ante conventum fuerat, vel alium offert emtorem, qui idem ſolvere paratus eſt*; cum ſic nulla adſit neceſſitas viliori pretio rem vendendi, *venditor rem minoris vendere, aut, ubi fecerit, ab emtore primo nihil repetere poteſt*, conſequenter *nec rem minoris vendere poteſt, niſi ante id indicaverit emtori primo*, ut ſcilicet declaret, num vel ipſe pretium prius conventum ſolvere velit, vel num alium norit emtorem, qui idem ſolvat.

Pacta adjecta non modo augent ac minuunt jura & obligationes, verum etiam multiplicant, pro eorundem natura. Unde non poteſt non fieri, ut multæ oriantur lites inter contrahentes

tes, quæ metuendæ non ſunt, ſi ſimpliciter contrahantur. Redduntur etiam haud raro jura perplexa, ubi definiendum, quomodo quæ ex contractu ſimplici oriuntur per pacta adjecta immutentur, & quænam iisdem ſuperaccedant.

§. 1098.

De diverſo effectu legis commiſſoriæ in gratiam venditoris vel emtoris unice additæ.

Si lex commiſſoria in gratiam venditoris unice addita, in ipſius arbitrio poſitum eſt, utrum ea uti velit, nec ne. Idem valet, ſi ea in gratiam emtoris unice addita fuerit. Etenim ſi lex commiſſoria in gratiam venditoris unice addita fuerit, per eam emtio reſolvitur in ipſius ſolius gratiam (§. 1086. 1060.), emtor autem nullum ſibi reſervavit jus a contractu ſemel perfecto (§. 1060.) recedendi, niſi intra tempus definitum pretium ſolvere poſſit, conſequenter pretio etiam non ſoluto intra iſtud tempus ad conſummandum contractum, adeoque ad pretium ſolvendum (§ 982.), ſibi adhuc obligatum habet venditor, ſi velit. Quamobrem in venditoris arbitrio poſitum eſt, utrum lege commiſſoria in ipſius tantummodo gratiam addita uti velit, nec ne. *Quod erat unum.*

Quodſi eadem lex in gratiam emtoris unice addita, venditor eadem ſe obligavit ad rem recipiendam, emtor ſibi reſervavit jus eam reſtituendi, niſi pretium intra tempus definitum ſolvere poſſit (§. 1086.). Quamobrem illius arbitrio relictum non eſt, utrum lege commiſſoria uti velit, nec ne, ſed eadem ſtare tenetur, niſi eadem non eſſe utendum etiam velit emtor. *Quod erat alterum.*

Ex verbis contrahentium aliiſque circumſtantiis facile colligitur, an lex commiſſoria in unius venditoris, an ſolius emtoris gratiam addatur, nec ne. Etenim ſi venditor conſentire nolit in diuturniorem moram, quam quæ lege commiſſoria emtori indulgetur, in ipſius ſolius gratiam lex commiſſoria addita: quodſi vero conſentit, ut res ſit inemta, niſi pretium ſolvere intra tempus definitum poſſit emtor ſub lege commiſſoria ultro rem emens, in emtoris ſolius gratiam ea addita. Caſum poſteriorem non eſſe impoſſibilem, nemo diffiteri poteſt, etſi vulgo ejus nulla fiat mentio. Neutrum horum ubi expreſſe conventum fuerit, æqua venditoris ac emtoris eſſe debet conditio (§. 1090.), ob quam ordinarie lex commiſſoria in utriuſque gratiam adjecta intelligitur. Ceterum per ſe patet, ſi lex commiſſoria in gratiam ſolius venditoris addita fuerit, pretio non ſoluto, quemadmodum conventum fuerat, venditorem emtori declarare debere, utrum lege commiſſoria uti velit, nec ne, & in caſu oppoſito emtorem, an eadem uti velit, an vero, ſi ita viſum fuerit venditori, eadem non ſit utendum.

§. 1099.

De pactis commiſſoriæ æquivalentibus.

Si conditio quæcunque reſolutiva emtioni & in genere contractui ſive pacto cuicunque adjiciatur, pactum emtioni & in genere pacto cuicunque aliud adjectum legi commiſſoriæ æquivalet. Etenim ſi lex commiſſoria emtioni adjicitur, emtio nulla eſſe debet, pretio intra certum tempus non ſoluto (§. 1086.). Et in genere ſi lex commiſſoria additur contractui ſive pacto cuicunque, hic ipſe contractus, ſive hoc ipſum pactum nullum eſſe debet, niſi præſtetur, quod ex eo præſtandum (§. 1087.). Quamobrem lex commiſſoria adjicit emtioni hanc conditionem reſolutivam in ſpecie, ſi pretium intra tempus definitum non ſolvatur; eadem adjicit in ſpecie contractui alii hanc ipſam, ſi non præſtetur, quod ex contractu debetur (§. 488. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam conditio reſolutiva quæcunque idem operatur, quando extat (§. 530. *part.* 3. *Jur. nat.*); perinde omnino eſt, ſive hæc in ſpecie, quam diximus, conditio reſolutiva emtioni & in genere pacto cuicunque, ſive quæcunque alia adjiciatur. Quamobrem pactum emtioni & in genere pacto cuicunque aliud adjectum legi commiſſoriæ æquivalet, ſi conditio quæcunque reſolutiva emtioni & in genere contractui ſive pacto cuicunque adjiciatur.

Ex. gr. Si ita conveniatur, ut ædes ſint inemtæ, ſi intra annum unum domicilium te mutare contingat: non eſt dubium, quin ſi hoc fiat, ipſo jure emtio diſſolvatur, etiamſi pretium ſtatim ſit ſolutum, perinde ac ſi lege commiſſoria diſſolveretur, pretio intra annum non ſoluto.

alius ſolvere vult; tu me vel perſonam iſtam aliam ante interrogare debes, num velimus rem iſto pretio emere, quo eam alii vendere poſſis: quodſi vero nobis inſciis rem alii vendideris, emtio quidem valida manet, nobis tamen teneris ad id, quod intereſt, rem nobis venditam non fuiſſe, & quamdiu emtio perfecta non eſt, nobis competit jus te adigendi, ut nobis vendas, nec nobis contradicentibus alii ejus conſcio valide venditur. Etenim ſi ita conveniatur, ut rem a me emtam iterum venditurus eandem mihi vendere debeas, ſiquidem idem ſolvere velim pretium, quod alius ſolvere vult, cum pacta ſint ſervanda (§. 789. *p.* 3. *Jur. nat.*), tu obligatus es ad rem mihi vendendam eo pretio, quod ſolveret alius, ſi ego idem ſolvere velim. Quamobrem antequam eandem alii vendas, me interrogare debes, utrum eo pretio, quod alius offert, emere velim. *Quod erat primum.*

vendenda, ſi emtor eam vendere voluerit.

Enimvero quoniam mihi tantummodo promiſiſti, te rem eo pretio, quod ſolveret alius, mihi vendere velle, ſi idem ſolvere velim, non vero tibi ademtum eſſe debere jus alii non vendendi me inſcio ſignificaſti (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*); cum dominium rei promiſſæ in non promiſſarium valide transferatur a promiſſore (§. 662. *part.* 3. *Jur. nat.*), ſi me inſcio rem alii vendideris, quin emtio valida eſſe debeat, dubitandum non eſt. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi rem mihi promiſſam alteri das, ad præſtandam æſtimationem teneris (§. 661. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum venditio a te mihi promiſſa fuerit, & tu rem, quam mihi vendere debebas, alii vendas, adeoque jus quoddam, quod mihi debebas, transtuleris in alium, conſequenter rem incorporalem mihi promiſſam alii dederis (§. 497. *part.* 1. *Jur. nat.*); hujus æſtimationem mihi præſtare teneris. Sed hoc jus aliunde æſtimari nequit, quam ex lucro ceſſante, vel damno emergente, propterea quod res mihi vendita non fuit (§. 579. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter ex eo, quod intereſt, rem mihi venditam non fuiſſe (§. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo me inſcio rem alii vendas, mihi teneris ad id, quod intereſt, rem mihi venditam non fuiſſe. *Quod erat tertium.*

Denique quoniam promiſſario competit jus promiſſorem adigendi, ut promiſſum adimpleat (§. 36. *part.* 3. *Jur. nat.*); quamdiu emtio perfecta non eſt, mihi competit jus te adigendi, ut mihi vendas eodem pretio, quod ſolveret alius. *Quod erat quartum.*

Denique cum mihi competat jus te adigendi, ut rem pro eodem pretio, quod ſolveret alius, vendas, *per demonſtrata n.* 2. mihi quoque competit jus non patiendi, ut alii vendas, conſequenter me contradicente, adeoque jus meum contra emtorem reſervante alii, ejus conſcio, valide vendere nequis. *Quod erat quintum.*

Per ſe patet, quæ de me demonſtrata ſunt, ea etiam valere de tertio, cui jus eodem pretio rem iterum vendendam emendi, quod ſolveret alius, ex prima venditione quæſitum eſt.

Pacto, quod adjicitur emtioni in propoſitione præſente, promittitur jus prælationis, ut nimirum venditor primus ipſe vel perſona quædam alia emtori alii præferatur in venditione iterata. Nimirum quamvis vi dominii, quod a venditore in te translatum fuit (§. 939.), rem tuam vendere poſſis, cuicunque volueris (§. 12. *part.* 3. *Jur. natur.* & §. 937. *h.*); promittis tamen te jure iſto uſurum non eſſe, adeoque te obligas ad non utendum, non quidem abſolute, ſed conditionate, nimirum ſi eodem pretio, quod ſolveret alius, venditor primus, vel tertius certus rem emere velit: quod adeo perinde eſt ac promitteres, te eo caſu juri iſti renunciaturum (§. 107. *part.* 3. *Jur. nat.*); adeoque quin promittere poſſis, dubio caret (§. 118. *part.* 3. *Jur. nat.*). Dominium adeo tuum quoad exercitium juris alienandi, quod continet (§. 665. *part.* 2. *Jur. natur.*), hoc pacto tantiſper imminuitur, attamen ſine damno tuo; cum & tibi liberum ſit, utrum rem alienare velis, nec ne, & tibi perinde ſit, ſi res vendatur, a quonam pretium accipias, modo accipias idem: neque enim rei nullius ſive incorporalis, ſive corporalis jacturam facis (§. 487. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter damnum nullum incurris (§. 486. *part.* 2. *Jur. nat.*). In hoc igitur pacto nihil ineſt, quod repugnet juri interno ſive ex parte venditoris (§. 494. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſive ex parte emtoris (§. 495. 585. *part.* 2. *Juris nat.*), vel etiam externo, quo permittendum domino, ut de jure ſuo pro arbitrio diſponat (§. 156. *p.* 1. *Jur. nat.* & §. 398. *p.* 3. *Jur. nat.*). Ceterum ne quid dubii ſuperſit, cur valide emere non poſſit, qui novit mihi competere jus prælationis; quædam adhuc addenda ſunt. Nimirum qui novit, mihi competere jus prælationis, & me eodem uti velle, immo contradicere,

re, ne mihi invito adimatur, hoc tamen non obſtante emtionem venditionem conſummat, doloſe utique agit (§. 701. *part. 1. Phil. pract. univ.*), mihique invito vi eripit jus meum animo ſibi habendi, adeoque rapinam committit (§. 505. *part. 2. Jur. natur.*). Quamobrem cum non modo dolus naturaliter ſit prohibitus (§. 300. *part. 1. Jur. nat.*), verum etiam prædo rem raptam reſtituere debeat (§. 539. *part. 2. Jur. nat.*), immo etiam ad reſtituendum vi adigi poſſit (§. 540. *part. 2. Jur. nat.*), ſi vero jus prælationis venditori primo reſtituendum, emtio valida eſſe non poſſit, quod per ſe patet; ideo abunde claret, ſi emtor norit tibi jus prælationis competere, te eodem uti velle, immo contradicere, ne tibi invito vi auferatur, emtionem validam eſſe non poſſe. Alia longe eſt ratio, ſi emtori inſcio res vendita fuit: cum enim dici nequit jus tuum prælationis tibi eſſe vi ademtum & in novum emtorem translatum, ſed venditor tantummodo egit contra hoc jus tuum, quod facere non debebat, fallendo fidem (§. 758. *part. 3. Jur. nat.*), quam promittendo adſtrinxerat (§. 760. *part. 3. Jur. nat.*). Abſonum ſane foret dicere, venditorem alteri auferre jus prælationis & in emtorem conferre, cum inter eos de jure prælationis nihil agatur, ſed de dominii tantummodo translatione, emtore ignorante, num tale jus ab alio prætendatur: nullum enim jus transferri poteſt niſi in acceptantem (§. 7. *part. 3. Jur. natur.*), nemo autem acceptare poteſt, quod ignorat (§. 2. *p. 3. Jur. nat.*).

§. 1103.

De venditione rei ſub ea conditione emtæ, ut non liceat pro lubitu vendere.

Si ita conveniatur, ut non liceat rem a me emtam alii iterum vendere, ſi ego vel certa quædam perſona alia idem pretium ſolvere velimus, quod ſolveret alius; ſine conſenſu meo, vel alterius illius perſonæ, rem alii vendere nequis: quodſi vendideris, mihi aut alteri iſti perſonæ competit jus venditionem revocandi. Quodſi enim ita conveniatur, ut non liceat rem a me emtam alii iterum vendere, ſi ego idem pretium ſolvere velim, quod ſolveret alius; cum alias domino rem ſuam vendere liceat, cui libuerit (§. 12. *part. 3. Jur. nat.*), jus vendendi alii tibi adimis ſub hac conditione, ſi idem pretium ſolvere velim, quod ſolvit alius (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum promiſſor jus dominium rei promiſſæ in alium transferendi, quod utique fit, ſi ea venditur (§. 939.), ſibi adimens in promiſſarium transferat jus non patiendi, ut ſine conſenſu ſuo res alienetur (§. 664. *part. 3. Jur. nat.*); in hypotheſi propoſitionis præſentis ſine conſenſu meo eam alii vendere nequis. *Quod erat unum.*

Enimvero tibi ademtum eſt jus in hypotheſi præſenti rem alii vendendi, ſi ego ſolvere velim pretium idem, quod ſolveret alius *per demonſtrata*. Quamobrem cum promiſſor in non promiſſarium transferre nequeat dominium, ſi ſibi ademtum voluit jus dominium rei promiſſæ in tertium transferendi (§. 663. *part. 3. Jur. nat.*); nec in hypotheſi propoſitionis præſentis dominium rei a me emtæ in alium transferre potes, ſi ego idem pretium ſolvere velim, quod ſolveret alius, conſequenter cum ſine translatione dominii res vendi non poſſit (§. 939.), nec eam alii vendere potes. Quodſi ergo vendis me inſcio, nullo jure vendis. Quamobrem cum ego pati non tenear, ut hoc facias *per demonſtrata n. 1.* mihi utique competit jus venditionem pro nulla declarandi, adeoque eam revocandi (§. 741. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Per ſe patet, eodem modo utrumque demonſtrari, ſi ita fuerit conventum, ut rem a me emtam alii iterum vendere non liceat, ſi tertius certus idem ſolvat pretium, quod alius ſolveret.

Hoc pacto, quo adimitur emtori jus rem emtam vendendi et, cui libuerit, dominium imminuitur quoad ipſum jus alienandi, quod eidem ineſt, quemadmodum clarius intelligitur per ea, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus (*not. §. 1102.*).

§. 1104.

Pactum de retrahendo & jus retractus.

Quodſi ita conveniatur, ut, ſi rem emtam iterum vendere volueris, eam mihi vel tertio cuidam certo vendere debeas, vel ut alii vendere non liceat, ſi ego vel tertius ille idem pretium ſolvere velimus, quod ſolveret alius; pactum emtioni ac venditioni adjectum dicitur *pactum de retrahendo* & jus ex hoc pacto

cto acquiſitum *Jus retractus* appellatur. In Jure civili vocatur cum addito *Jus retractus conventionale*, quia ex pacto deſcendit, cum ibidem etiam detur *legale*, quod certis perſonis lege tribuitur: quæ differentia in jure naturæ non attenditur, quippe quod legale ignorat. Idiomate patrio dicitur Näher-Kauff.

Non tamen ideo dici poteſt, jus retractus legale eſſe contra jus naturæ: hoc enim minime prohibet, ne ex naturaliter licito lege poſitiva efficiatur illicitum, ſed id potius fieri permittit ex ratione ſuo loco uberius exponenda. Patet autem ex modo demonſtratis, pactum de retrahendo eſſe Juris naturalis (§. 1102. 1103.). Ceterum jure naturali jus retractus, quod in Jure civili conventionale dicitur, latius patet, quam jure civili, cum per ea, quæ demonſtravimus (§. *cit.*), etiam convenire poſſit perſonis aliis, quam venditori primo, ad quem ſolum jure civili reſtringitur. Neque de effectu hujus juris Jus naturæ cum civili prorſus conſentit, quæ tamen uberius declarare noſtrum non eſt. Conferantur ea, quæ hic demonſtrantur, cum iis, quæ de jure retractus conventionali traduntur in Jure civili.

§. 1105.

Naturaliter jus nullius minui poteſt, niſi per pacta. Etenim naturaliter nemini jus ſuum invito auferri poteſt, ſive connatum fuerit (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſive acquiſitum (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum juri alterius aliquid decedat, ſiquidem id imminuatur (§. 426. *Ontol.*); nec invito alteri jus ſuum imminui poteſt. Quodſi ergo imminui debeat, neceſſe eſt ut aliquid juris ſui in alterum transferat. Quoniam hoc fieri nequit niſi per pacta (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*), naturaliter quoque jus nullius imminui poteſt, niſi per pacta. *Quomodo naturaliter jus alterius imminuatur.*

Quemadmodum per pacta ſive contractus jura transferuntur in alios, ut, quæ fuerunt noſtra, nunc ſint alterius; ita etiam per eadem jura imminuuntur. Licet jura ſua in alios transferre: licet etiam ea in gratiam alterius imminuere, cum jura imminuere revera idem ſit ac particulam quandam eorundem in alios transferre. Et ſane non alie ſine pacta inire ſolemus, quam ut jura per ea aut transferantur tota, aut ex parte, conſequenter imminuantur.

§. 1106.

Naturaliter jus retractus nemini competit niſi ex pacto. Etenim cui jus retractus competit, ei res, quæ venditur, vendenda, ſi idem ſolvere velit pretium, quod ſolveret alius, vel ſine ejus conſenſu alii prorſus vendi nequit, & venditio abſque conſenſu ipſius facta revocari poteſt (§. 1104.), conſequenter jus vendendi, adeoque dominium transferendi (§. 939.), cum domino liberum ſit id transferre, in quem voluerit (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*), vel minuitur, vel prorſus adimitur. Quamobrem cum naturaliter jus nullum imminuatur niſi per pacta (§. 1105.); naturaliter quoque jus retractus nemini competit niſi ex pacto. *Naturaliter unde detur jus retractus.*

Patet adeo naturaliter non dari niſi jus retractus conventionale (§. 1104.), quod tamen non iiſdem ſemper terminis circumſcribitur, cum a conſenſu paciſcentium totum dependeat, prouti vel venditoris fides ſaltem adſtringitur in eo, quod promittit, vel jus ſine ſuo conſenſu vendendi eidem adimitur. Hæc utique diverſa ſunt, adeoque non idem prorſus operantur, quemadmodum ex demonſtratis antea (§. 1102. 1103.) liquet.

§. 1107.

Jus retractus non habet locum, ſi res eidem obnoxia alio titulo, quam emtionis venditionis alienetur, v. gr. ſi alicui donetur, vel cum re alia permutetur. Etenim jus retractus oritur ex pacto de retrahendo (§. 1104.). Enimvero hoc pacto non aliud actum, quam ut vel ſine conſenſu tuo alii vendi non poſſit, vel ut tibi vendi debeat, ſi idem ſolvere velis pretium quod ſolveret alius (§. *cit.*). Quamobrem cum res non vendatur, ſi alio titulo alienetur, veluti ſi alicui donetur, vel cum re alia permutetur; jus etiam retractus non habet locum, ſi res eidem obnoxia alio titulo quam emtionis venditionis alienetur. *Quando res alienari poſſit non obſtante jure retractus.*

Jus

Jus alienandi in genere non idem eſt cum jure vendendi, cum venditio ſaltem ſit ſpecies alienationis. Pactum vero extendi nequit ad alia eodem minime comprehenſa, cum nemo alterum ſibi obligare poſſit ultra id, ad quod ſe ipſi obligare voluit, nec plus ab eo juris acquirere valeat, quam in eum transferre voluit (§. 382. *part. 3 Jur. natur.*). Propterea quod tibi jus prælationis conceſſum in emendo, ſi idem dare velis pretium, quod offert alius, dominio rei juri retractus obnoxiæ non ademtum eſt jus eandem alio titulo alienandi, veluti donandi, aut cum re alia permutandi. Sane ſi res alicui donetur, gratis datur (§. 48.), adeoque nullum pro re pretium recipit donator (§. 18.), conſequenter nec tu idem pretium ſolvere potes, quod ſolvit alter. Conditio itaque, ſub qua jus retractus tibi convenit, in donationem minime quadrat. Similiter ſi quis rem cum re alia permutat, tu eandem rem in ſpecie dare nequis, quam dat alter, conſequenter cum idem ſolvere pretium ſit præſtatio in ſpecie eadem, non poteſt hæc conditio adimpleri per præſtationem aliam æquipollentem, de qua conventum non eſt, veluti ſolvendo pretium rei, quæ cum re retractui obnoxia permutanda, vel offerendo rem aliam ejuſdem pretii. Unde denuo apparet, conditionem, ſub qua jus retractus tibi convenit, locum non habere in permutatione.

§. 1108.

Jus protimiſeos quid ſit. *Jus protimiſeos* eſt jus, quo aliquis præferri debet in eodem actu alii, vel aliis. Quamobrem cum jure retractus, is, cui id competit, præferendus alii emtori, quando res venditur (§. 1104.); *jus retractus eſt jus protimiſeos, ſed non contra*.

Hinc etiam Doctores juris civilis jus retractus vocare ſolent jus protimiſeos, vel promiſcue, ut ſcilicet nunc hoc, nunc illo vocabulo utantur; vel peculiariter, ut ſolo hoc vocabulo jus illud indigitetur, quod jus retractus diximus (§. 1104.). Jus tamen protimiſeos revera latius patet, quemadmodum ex definitione præſenti intelligitur, & ſermone patrio dicitur ein Vorzug. Differt autem a prærogativa, quod vernaculo ſermone ein Vorrecht appellatur, prouti ex collatione definitionum patet (§. *præſ.* & §. 93. *part. 1. Jur. nat.*). Ex. gr. ponamus res certas inter nos eſſe dividendas. Quodſi diviſione in duas partes facta mihi competit jus eligendi eam, quam voluero; jus hoc eligendi jus protimiſeos eſt, a jure retractus utique diverſum. Etenim in eligendo præferendus ſum tibi, non in emendo. Quodſi vero ex teſtamento paterno, in quo pretia immobilia definita ſunt, tibi competit jus eligendi ea, quæ habere volueris; jus hoc prærogativa eſt, quod tibi præ cohæredibus tuis competit (§. 93. *p. 1 Jur. nat.*).

§. 1109.

De lege commiſſoria pacto de retrahendo addita. *Si ita conveniatur, ut, ſi rem a me emtam alii vendas, & ego idem pretium ſolvere velim, pro quo ea vendita alteri, eadem mihi emta ſit, vel venditio ac emtio nulla ſit, pacto de retrahendo adjicitur lex commiſſoria.* Etenim ſi ita conveniatur, ut, ſi rem a me emtam alii vendas, & ego idem ſolvere velim pretium, pro quo ea vendita alteri, eadem mihi emta ſit, vel venditio ac emtio nulla ſit, ſeu res ſit inemta; paciſcentes omnino conveniunt, ut, niſi venditor præſtet, quod ex pacto de retrahendo debet, emtio venditio nulla ſit. Quamobrem cum lex commiſſoria ſit tale pactum (§. 1086. 1087.); ſi ita conveniatur, ut, ſi rem a me emtam alii vendas, & ego idem pretium ſolvere velim, pro quo ea vendita alteri, eadem mihi emta ſit, vel venditio ac emtio nulla ſit, pacto de retrahendo adjicitur lex commiſſoria.

Quænam ex eo conſequantur, ſi pacto de retrahendo adjiciatur lex commiſſoria, ex iis patet, quæ de lege commiſſoria in anterioribus demonſtrata fuerunt (§. 1089. & *ſeqq.*), mutatis nempe mutandis, prouti pactum de retrahendo idem exigit. Ex ipſa autem propoſitione præſente patet, legem commiſſoriam reddere jus retractus firmius.

§. 1110.

Effectus legis commiſſoriæ pacto *Si ita conveniatur, ut, ſi rem a me emtam alii vendas & ego id pretium ſolvere velim, pro quo ea venditur, eadem mihi emta ſit, vel venditio ac emtio nulla ſit; quamprimum idem pretium offero emtio ipſo jure nulla eſt, dominium rei in me tranſit*

De retrahendo addita.

tranſit & ego eam vindicare poſſum. Etenim ſi ita conveniatur, ut, ſi rem a me emtam alii vendas & ego id pretium ſolvere velim, pro quo ea venditur, eadem mihi emta ſit, vel venditio ac emtio nulla ſit; cum lex commiſſoria emtioni ac venditioni primæ addita ſit (§. 1109.), res alii non venditur niſi ſub tacita hac conditione, ſi ego idem pretium ſolvere nolim (§. 1091.). Quodſi ego idem pretium offero, cum pacta conditionalia ſtatim ſint valida, quamprimum certum eſt conditionem exiſtere (§. 467. *part.* 3. *Jur. nat.*); quamprimum idem pretium offero, res mihi emta, & emtio ac venditio, quæ nonniſi ſub conditione fieri poterat, ſtatim ipſo jure nulla, conſequenter dominium rei, quod per venditionem transfertur (§. 939.), ſtatim in me tranſit, & quia dominus rem ſuam vindicare poteſt adverſus quemlibet poſſeſſorem (§. 543. *p.* 2. *Jur. nat.*), eam vindicare poſſum.

Unum idemque eſt, ſive ita conveniatur, ut res ſit tibi emta, ſi idem offeras pretium, quod dedit alter, ſive ita ut res ſit alteri inemta, ſi idem pretium ſolvere velis. Etenim ſi res ſit tibi emta, quæ tibi rurſus vendi debuit, dominium in ea habes, atque adeo confeſtim tua eſt, quamprimum pretium idem offers, quod dedit alius, conſequenter venditio altera nulla eſt. Si vero res alteri eſt inemta, ſeu emtio ab eo contracta nulla, quando tu idem pretium offers, cum tibi ea vendi debuerit, tibi emta intelligitur, conſequenter tua itidem ſtatim eſt, quando pretium idem offers. Quodſi objicias, dum venditio & emtio ipſo jure nulla evadit, dominium in caſu poſteriore redire ad venditorem, ſeu emtorem tuum, qui adeo eandem tibi vendere debeat; tenendum eſt venditionem non eſſe voluntariam, ſed neceſſariam, quæ adeo pretio in præſenti oblato ſtatim perfecta eſt. Supponitur enim in propoſitione præſente legem commiſſoriam, qua reſolvitur emtio ac venditio, additam eſſe pacto de retrahendo (§. 1109.). Ceterum non prorſus idem eſt, utrum ita conveniatur, ut rem alii vendere non liceat, ſi ego idem pretium ſolvere velim; an vero, ut venditio ac emtio ſit nulla, vel res ſit inemta, ſi idem pretium ſolvere velim. Etenim in caſu primo tibi tantummodo competit jus venditionem ac emtionem revocandi ſeu irritam faciendi; in altero vero ſtatim ipſo jure nulla eſt. In hoc igitur emtorem ſecundum compellis ad rem tuam tibi reſtituendam; in illo autem venditorem, ut rem nullo jure venditam ab emtore ſecundo repetat, & eam tibi vendat. Neque enim per hoc res ſtatim tibi emta eſt, quod venditio illa tanquam nullo jure facta ſubſiſtere non poſſit. Præſtat itaque contrahere ſub lege commiſſoria, quam venditori adimere jus vendendi alii ſine conſenſu tuo.

§. 1111.

De ceſſione juris retractus.

Si pactum de retrahendo fuerit perſonale, jus retractus alii cedi nequit; ſi reale, cedi poteſt. Etenim ſi pactum de retrahendo fuerit perſonale, jus retractus, quod ex eodem tibi competit (§. 1104.), ad te ſolum reſtringitur (§. 538. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque in alium transferri nequit. Quamobrem cum in ceſſione jus nobis competens ſit in alium transferendum (§. 81. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi pactum de retrahendo fuerit perſonale, jus retractus alii cedi nequit. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi pactum de retrahendo fuerit reale, jus retractus, quod ex eodem tibi competit (§. 1104.), ad te ſolum non reſtringitur (§. 538. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque cum naturaliter quilibet jus ſuum alteri cedere poſſit (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*), nil obſtat, quo minus cedatur. Quamobrem ſi pactum de retrahendo reale fuerit, jus retractus alteri cedi poteſt. *Quod erat alterum.*

Naturaliter jus ſuum quilibet alteri cedere poteſt (§. 117 *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo id facere non poſſit, ademtum ipſi eſſe debet jus cedendi vel voluntate ejus, qui id in ipſum tranſtulit, vel propria voluntate veluti quando cum altero convenitur, ne cedi alii poſſit. Poſterius obtinet in jure retractus: unde jus cedendi jus retractus alteri ademtum non intelligitur, niſi vel expreſſe fuerit dictum, ne alii cedatur, vel aliunde id actum appareat, id ad perſonam retrahentis ita eſſe reſtrictum, ut ex ea in aliam tranſire non debeat.

§. 1112.

Duratio juris retractus perſonalis.

Si pactum de retrahendo fuerit perſonale, jus retractus morte ejus, cui competit, extinguitur. Quodſi enim pactum de retrahendo fuerit perſonale, jus quoque re-

tractus, quod ex eo acquiritur (§. 1104.), perſonale eſt (§. 540. 801. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum jus perſonale morte ejus, cui competit, extinguatur (§. 542. *part.* 3. *Jur. nat.*); jus retractus etiam morte ejus, cui competit, extinguitur, ſi pactum de retrahendo fuerit perſonale.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si pactum perſonale fuerit, & unus paciſcentium moritur, pactum extinguitur (§. 803. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam pactum perſonale de retrahendo extingui debet morte ejus, cui jus retractus competit, conſequenter etiam ipſum jus retractus (§. 1104.).

§. 1113.

Quando jus retractus transferri & transmitti poſſit.

Si pactum de retrahendo fuerit reale, jus retractus quovis titulo ſeu quocunque modo in alterum transferri ac tranſmitti poteſt. Quodſi enim pactum de retrahendo fuerit reale, jus, quod ex eo naſcitur, retractus (§. 1104.), ad perſonam ejus, cui ex hoc pacto competit, non reſtringitur (§. 801. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque nil obſtat, quo minus in aliam perſonam quovis titulo transferri (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), vel alio quocunque, quo fieri poteſt, modo in alium tranſmitti queat. Quamobrem quocunque titulo, & alio quocunque modo in alterum transferri ac tranſmitti poteſt.

Nimirum jura; quæ ad perſonam ejus; cui competunt, reſtricta non ſunt, in alium transferri poſſunt, & ille, cujus ſunt, decernit, quomodo eadem in alios transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem niſi peculiaris quædam ratio obſtet, jus, quod uno modo alienabile, etiam alio quocunque alienabile eſt. Unde ſi jus retractus alteri cedere potes, idem etiam vendere, vel cum re alia permutare potes.

§. 1114.

Quando res pretio reſtituto redimi poſſit.

Si ita conveniatur, ut, quandocunque libuerit venditori, vel certo tempore, vel intra certum tempus iterum liceat redimere rem venditam pretio reſtituto; dominium rei in emtorem tranſit & hic ejus dominus manet, donec ea redimatur, in caſu primo jure ſuo uti poteſt venditor primus, quocunque tempore voluerit, in caſu ſecundo nonniſi tempore, quod definitum, præterlapſo, & in caſu tertio nonniſi intra tempus præfinitum. Etenim ſi ita conveniatur, ut ſibi liceat rem venditam pretio reſtituto redimere; emtio perficitur ſtatim & emtor promittit, ſe rem emtam venditori ſuo iterum vendere velle. Quamobrem cum venditor in emtorem transferat dominium rei ſuæ (§. 939.); dominium ſtatim tranſit in emtorem. *Quod erat primum.*

Quamdiu adeo is eandem rem venditori non iterum vendit, nec is dominium recuperare poteſt, conſequenter emtor manet tamdiu dominus, donec res pretio reſtituto fuerit redemta. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi ita conventum fuerit, ut venditor rem redimere poſſit, quandocunque libuerit; cum ſtandum ſit pactis (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); in arbitrio ejus poſitum eſt, quando jus ſuum exercere voluerit, adeoque eodem poteſt uti, quocunque tempore voluerit. *Quod erat tertium.*

Enimverò ſi ita conventum fuerit, ut nonniſi tempore, quod præfinitum, præterlapſo, ſeu certo tempore rem redimere liceat, antequam id præterlapſum fuerit, emtor non obligatur ad rem retrovendendam, conſequenter jus ſuum ante exercere nequit venditor primus, niſi ab eo tempore, quod erat definitum. *Quod erat quartum.*

Denique ſi ita conveniatur, ut intra tempus certum redimere liceat; venditori ſeſe non obligavit emtor ad rem iterum vendendam, niſi quamdiu tempus iſtud non fuit præterlapſum, adeoque eodem præterlapſo jus venditoris primi exſpirat. Quamobrem is rem redimere nequit niſi intra iſtud tempus. *Quod erat quintum.*

E. gr.

Ex. gr. Vendo tibi ædes meas ea lege, ut liceat eas mihi redimere tempore quocunque, ſeu quando libuerit. Cum jus redimendi ad nullum tempus reſtrictum ſit, in perpetuum durat, & exerceri poteſt, quocunque tempore voluero, brevi, an longo tempore poſt. Enimvero ſi tibi ædes meas vendo ea lege, ut poſt decennium eas redimere liceat; antequam decem anni fuerint præterlapſi, tu eas mihi iterum vendere non teneris, neque me ad eas emendas ante adigere potes, ſi vendere volueris, quam decennium fuerit præterlapſum: ab eo enim tempore demum ſeſe exerit jus meum & obligatio tua, & ab hoc tempore cum illud, tum hæc perpetuatur. Tempus nimirum hic adjicitur tanquam terminus a quo, ut conſtet, quando mihi competere incipiat jus redimendi. Quoniam vero ejus duratio nullo tempore circumſcribitur, ubi ſemel mihi competit, in perpetuum competere debet, ſeu quamdiu voluero, cum mihi invito adimi non poſſit (§. 336. *p.* 2. *Jur. nat.*). Denique ſi ædes tibi vendam ea lege, ut intra decem annos mihi liceat eas redimere; tu te non obligaſti ad eas mihi iterum vendendas, niſi eas redimere voluero, antequam decem anni fuerint præterlapſi. Quamobrem tempus hic adjicitur tanquam terminus ad quem, ut conſtet, quamdiu mihi competere debeat jus redimendi, & quamdiu tua duret obligatio eas mihi iterum vendendi.

§. 1115.

Si ita conveniatur, ut, quando tibi viſum fuerit, vel certo tempore, vel intra certum tempus rem venditam tibi redimere liceat; pactum, quod emtioni venditioni adjicitur, dicitur *pactum de retrovendendo*, vel *retrovenditionis*. Idiomate patrio der Wiederkauf appellatur, & res vendita ac emta dicitur wiederkäuflich / & quidem ſi nullum certum tempus addatur, über kurtz oder lang; ſi certum tempus addatur, veluti decennium, ut terminus ad quem, binnen zehn Jahren; ſi vero ut terminus a quo, nach zehen Jahren. Ceterum cum ex pacto de retrovendendo venditori tantummodo competat jus rem venditam redimendi (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *emtor* quidem *obligatur ad rem retrovendendam, venditor* autem *non obligatur ad eam redimendam.* *Pactum de retrovendendo.*

§. 1116.

Si ita conveniatur, ut rem redimere liceat certo tempore futuro & limitibus ſuis circumſcripto, veluti anno vigeſimo; nonniſi intra annum vigeſimum a die venditionis jus redimendi competit. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis tempus certum, veluti annus vigeſimus, adjicitur tanquam terminus a quo & terminus ad quem ſimul, ut conſtet, quando incipere debeat jus redimendi & quando debeat finiri, veluti quod tibi concedi debeat cum anno vigeſimo & eo elapſo finiatur. Quamobrem patet, tibi nonniſi intra annum vigeſimum jus redimendi competere. *De jure redimendi intra certum tempus futurum competente.*

Emtor adeo non obligatus eſt ad rem retrovendendam, antequam annus vigeſimus incepe-rit, & quamprimum is præterlapſus fuerit, obligatio ipſius cum jure tuo extinguitur.

§. 1117.

Si ita conveniatur, ut tu rem venditam redimere debeas, quandocunque libuerit emtori, vel certo tempore, vel intra certum tempus; emtori competit jus te ad rem redimendam compellendi in caſu primo, quocunque tempore voluerit, in ſecundo nonniſi tempore, quod præfinitum, præterlapſo, in tertio nonniſi intra tempus præfinitum. Etenim ſi ita conveniatur, ut tu rem venditam redimere debeas; emtori promittis te eam redimere velle (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque in eum transfers jus te ad redimendum compellendi (§. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem patet, ex hoc pacto emtori jus te ad rem venditam redimendam compellendi competere. *Quod erat primum.* *Quando res redimi debeat.*

Cetera demonſtrantur eodem modo, quo paulo ante idem oſtendimus de jure redimendi (§. 1114.).

§. 1118.

Pactum de redimendo. Pactum, quo ita convenitur, ut res vendita, quandocunque viſum fuerit emtori, vel certo tempore, aut intra certum tempus, redimi debeat, appellare libet *Pactum de redimendo*.

Vulgo pactum de redimendo a pacto de retrovendendo non diſtinguitur, ſed illud ſub hoc comprehenſum intelligitur, ac deinde diſtinguitur, utrum hoc pactum adjiciatur in gratiam emtoris, an in gratiam venditoris. Enimvero cum aliud omnino ſit ita convenire, ut res vendita debeat redimi, aliud vero, ut eam liceat redimi & retrovendi eadem debeat; nulla ſane eſt ratio, cur pactiones diverſæ a ſe invicem non diſcernantur etiam nominibus. Quodſi tamen malis ea hoc modo a ſe invicem ſeparare, ut unum dicatur pactum de retrovendendo in gratiam emtoris adjectum, alterum vero pactum de retrovendendo in gratiam venditoris adjectum; per nos hoc facere licet: nobis autem placet brachyologia; præſertim cum ſic facilius evitetur, ne, quæ diverſa ſunt, facile confundantur. Quodſi exiſtimes in ſermone patrio deficere nomen peculiare, quo pactum de redimendo inſignitur, parum in eo difficultatis eſt, cum genio linguæ conveniat, ut pactum hoc dicatur der Wiederverkauf, & quod ſub eodem venditur dicatur vendi wiederverkäuflich, quia ſcilicet emiſti ea lege, ut rem venditori iterum vendere poſſis, ſi quidem tibi libuerit, quemadmodum ſub pacto de retrovendendo ita venditur, ut res iterum emi poſſit, ſi ita viſum fuerit ei, qui vendiderat.

§. 1119.

Quinam ex pacto de redimendo ſit obligatus. Quoniam in *pacto de redimendo* ita convenitur, ut res emta redimi debeat (§. 1118.); *Venditor obligatur ad rem redimendam, non vero emtor ad eam iterum vendendam*.

Nimirum pactum de redimendo opponitur pacto de retrovendendo. Quemadmodum itaque in hoc emtor obligatur ad vendendum, ſi venditor voluerit, ita in illo venditor obligatur ad emendum, ſi emtor voluerit. Et ex adverſo quemadmodum in hoc emtor compelli poteſt a venditore ad vendendum; ita in illo venditor ab emtore adigi poteſt ad emendum. Sicuti vero in hoc liberum eſt venditori, utrum rem redimere velit, nec ne; ita in illo liberum eſt emtori, utrum rem retrovendere velit, nec ne. Quamobrem ſicuti pactum hoc nomen trahit a venditione, quia retrovenditio eſt neceſſitatis, redemtio vero libertatis; ita illi recte imponitur nomen ab emtione, quia in eo redemtio neceſſitatis eſt, retrovenditio autem libertatis. Atque ex his nunc clarius eluceſcit, non ſine ratione hæc duo pacta a ſe invicem diſtingui, nec ſub uno nomine comprehendi. Nulla enim adeſt neceſſitas, cur e diametro ſibi oppoſita communi nomine compellare velimus.

§. 1120.

De pretio, quo retrovenditio vel redemtio fieri debet. *Si de pretio, quo res vendita retrovendi vel redimi debet, nihil fuerit conventum, idem ſolvendum eſt pretium, quod fuerat ſolutum*. Etenim quando de pretio nihil convenitur, cum emtio venditio ſine pretio non intelligatur (§. 937.), nec de alio pretio jam cogitare poſſint contrahentes, quam quod in præſenti venditione ac emtione ſolvitur, emtionem ac venditionem iterum fieri debere eodem pretio, utique volunt contrahentes. Quamobrem ſi de pretio, quo res vendita retrovendi vel redimi debet, nihil fuerit conventum, quando res retrovenditur, vel redimitur, idem ſolvendum eſt pretium, quod in prima emtione ac venditione fuerat ſolutum.

Venditor non præſumitur carius emere velle, quam vendidit, nec emtor viliori pretio retrovendere, quam emit, adeoque in pacto de retrovendendo conſenſiſſe videtur in idem pretium, quod nunc ſolvitur. Similiter non præſumitur carius emere velle, ſi rem iterum emere debet, quam vendidit, nec venditor vilius vendere velle, quam emit, adeoque in pacto etiam de redimendo in idem pretium conſenſiſſe videntur contrahentes, quod nunc ſolvitur. Quodſi alia fuerit mens contrahentibus, neceſſe eſt ut eam aperiant, cum contra neutrum pro vero haberi poſſit, niſi quod ſufficienter indicavit (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 1121.

§. 1121.

De venditione contra pactum de retrovendendo facta.

Si contra pactum de retrovendendo res vendatur, venditio quidem valida manet, venditori tamen primo tenetur ſecundus ad id, quod intereſt, rem alii contra pactum venditam fuiſſe, & quamdiu emtio perfecta non eſt, venditori primo competit jus emtorem primum adigendi, ne contra pactum vendat, nec eo contradicente alii ejus conſcio valide venditur, niſi ſalvo jure venditoris primi: quamdiu autem pactum retrovendendi ſubſiſtit, emtor primus obligatur ad rem ſine conſenſu venditoris primi non vendendum, vel ſalvo jure venditoris primi eam vendere debet. Etenim in pacto de retrovendendo ita convenitur, ut venditori primo liceat rem redimere, & emtor eam iterum vendere debeat, ſi is redimere voluerit (§. 1115.), conſequenter emtor promiſit venditori primo, ſe rem ei iterum venditurum, ſi eam redimere voluerit (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*), non vero ſibi ademit jus alteri vendendi, quamdiu pactum de retrovendendo ſubſiſtit (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem hoc non obſtante, quod fidem fallat (§. 758. *p.* 3. *Jur. nat.*), dominium in emtorem valide transfert (§. 662. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque emtio valida eſt. *Quod erat primum.*

Quoniam tamen emtor rem, quam tibi retrovendere debebat, alii vendens agit contra obligationem ſuam, adeoque eidem non ſatisfacit, ad id vero, quod intereſt, tenetur, ſi alter damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod is non ſatisfecit obligationi ſuæ (§. 629. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi contra pactum de retrovendendo res fuerit vendita, venditor ſecundus primo tenetur ad id, quod intereſt, rem contra hoc pactum venditam fuiſſe. *Quod erat ſecundum.*

Quod vero venditori primo competat jus emtorem primum adigendi, ne contra pactum vendat, nec eo contradicente alii ejus conſcio res valide vendatur, niſi ſalvo jure venditoris primi, quo caſu perinde eſt, ac ſi res vendita non fuiſſet, quoad venditorem primum, eodem modo oſtenditur, quo idem in caſu ſimili oſtendimus (§. 1102.). *Quod erat tertium & quartum.*

Porro emtor ex pacto de retrovendendo obligatur venditori ad rem retrovendendam, ſi eam redimere velit (§. 1115.), adeoque neceſſe eſt, antequam vendat, ut eum interroget, num in venditionem conſentiat jus ſuum remiſſurus (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*). Abſque conſenſu igitur ipſius rem vendere non debet. *Quod erat quintum.*

Denique cum nihil interſit venditoris primi, ſi res vendatur alii ſalvo ipſius jure, ut ſcilicet ab emtore ſecundo eam adhuc redimere poſſit, quemadmodum a primo (§. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*); nil obſtat quo minus eodem ſalvo vendere alii poſſit emtor primus. *Quod erat ſextum.*

Inter pactum de retrahendo & pactum de retrovendendo hæc intercedit differentia, quod in iſto, quando res venditur, eam ſtatim emere debeat venditor primus, ſiquidem jure ſuo uti velit (§. 1104.); aſt in hoc jus venditoris primi non reſtrictum eſt ad tempus, quo contra pactum vendere vult emtor primus (§. 1115.)

Quoniam ex pacto de retrovendendo venditori competit jus rem redimendi, emtor ſe obligaſſe cenſetur ad eam, quamdiu pactum ſubſiſtit, vel non vendendam, vel non vendendam niſi ſalvo jure venditoris primi, ne invito auferatur jus ſuum eidem (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 1122.

De pacto adjecto pacto de retrovendendo, ne liceat vendere alii, niſi ſalvo jure ſuo.

Si pacto de retrovendendo adjiciatur pactum, ne liceat emtori, quamdiu pactum de retrovendendo ſubſiſtit, alii vendere rem, niſi ſalvo jure ſuo, vel prorſus non vendere; ſine conſenſu venditoris primi eam vendere nequit. Quodſi vendiderit, venditori primo ſalvum manet jus ſuum redimendi. Quod in hypotheſi propoſitionis præſentis res ſine conſenſu venditoris primi vendi nequeat eodem modo patet, quo idem in caſu ſimili ſupra oſtendimus (§. 1103.). *Quod erat primum.*

Quoniam vero in hoc conſentiens, ne tibi liceat rem alii vendere niſi ſalvo

jure

jure meo, tibi ademiſti jus rem aliter vendendi, quam jure meo ſalvo (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eam quoque vendere non potuiſti niſi ſub hac conditione, ut mihi ſalvum maneat jus, conſequenter nec dominium niſi cum hoc onere in alium vendendo transferre potuiſti (§. 939.), adeoque jus meum redimendi ſalvum manet. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi ſimpliciter fuerit conventum, ne liceat vendere; contra obligationem tuam feciſti, quod vendideris. Quoniam tamen non alia de cauſa prohibitam eſſe volui venditionem, quam ut mihi ſalvum ſit jus redimendi; perinde quoad me eſt ac ſi ita conventum eſſet, ne vendere liceat, niſi ſalvo jure redimendi. Unde per *demonſtrata n.* 2. venditione jus meum ſublatum non eſt, ſed ſalvum manet. *Quod erat tertium.*

Ceterum ad propoſitionem præſentem & præcedentem ſuo etiam modo applicari poſſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 1102.). Sed hiſce diutius immorari nolumus, id tantummodo ut probe perpendatur addentes, ademto jure vendendi aliter, quam ſalvo jure meo redimendi, dominio tuo hoc pacto imminuto inhærere onus, quod cum eo in alium tranſit. Neque vero opus eſt, ut venditio revocetur, quemadmodum in pacto de retrovendendo (§. 1103.), cum in pacto de retrovendendo id ſaltem fuerit actum, ut ſalvum maneat jus redimendi, quod ſalvum manere poteſt, venditione licet ſubſiſtente, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præſentis abunde intelligitur. Sufficit adeo declarare, quod res nonniſi ſalvo jure ſuo redimendi vendita eſſe debeat.

§. 1123.

An jus ex pacto retrovenditionis quæſitum cedi ac alienari poſſit.

Si pactum de retrovendendo fuerit perſonale, jus redimendi venditor primus alii cedere nequit, nec in alium tranſmittere poteſt: ſi reale fuerit, cedere & quocunque titulo alio in alium transferre vel tranſmittere poteſt. Oſtenditur eodem modo, quo idem demonſtravimus de jure retractus (§. 1111. 1113.).

Pactum de retrovendendo non præſumitur perſonale, niſi expreſſe ad perſonam venditoris primi fuerit reſtrictum. Ratio clarius eluceſcet ex iis, quæ ſuo loco de interpretatione demonſtraturi ſumus.

§. 1124.

Quid liceat in pacto de redimendo.

Similiter ſi pactum de redimendo fuerit perſonale, jus retrovendendi primus emtor alii cedere, nec in alium transferre aut tranſmittere quocunque modo poteſt: poteſt tamen hoc facere, ſi reale fuerit. Oſtenditur etiam hoc eodem modo, quo idem de pacto de retrahendo demonſtravimus (§. 1111. 1113.).

Quæ modo de pacto de retrovendendo annotavimus, ea etiam de pacto de redimendo tenenda ſunt.

§. 1125.

De commodo & periculo rei emtæ principium generale.

Quamprimum ex contractu emtionis venditionis, pactis quibuſcunque adjectis, dominium in emtorem tranſit; omne commodum, quod ex re vendita percipi poteſt, & omne deteriorationis, amiſſionis & interitus periculum ad emtorem pertinet. Quamprimum enim dominium in emtorem tranſit, is efficitur dominus rei emtæ, venditor autem non dominus (§. 121 *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum res pereat ſuo domino (§. 356. *p.* 2. *Jur. nat.*); ea quoque emtori perit. Et quoniam ſi res deterioratur, perinde eſt, ac ſi pars ejus interiret; res quoque emtori deterioratur. Et quoniam domino ſoli competit jus de re pro arbitrio diſponendi (§. 118. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi res poteſtati emtoris ſubducitur, ne amplius ipſi integrum ſit, de ea pro arbitrio ſuo diſponere (§. 462. *part.* 2. *Jur. nat.*), id ad venditorem nullo modo pertinet. Patet itaque quamprimum ex contra-

contractu emtionis venditionis dominium in emtorem tranſit, omne periculum interitus, deteriorationis & amiſſionis ad ipſum ſpectare. *Quod erat unum.*

Similiter quoniam dominium continet jus utendi & fruendi (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque omnem utilitatem ex re percipiendi, ſeu commodum omne (§. 135. *part. 2. Jur. nat.*), & dominus eodem excludit omnes, in quorum dominio res non eſt (§. 138. *part. 2. Jur. nat.*); quamprimum ex contractu emtionis dominium in emtorem tranſit, ipſi competit jus omne commodum ex re emta percipiendi & eodem excludit venditorem, conſequenter commodum omne ad eum pertinet. *Quod erat alterum.*

Mere igitur civile eſt, quod periculum & commodum eſſe debeat emtoris, dominio penes venditorem remanente.

§. 1126.

Naturaliter etiam ita conveniri poteſt, ut ſub certa conditione, vel certo tempore, rei venditæ dominium maneat penes venditorem, commodum tamen ac periculum ſit penes emtorem; vel vice verſa ut dominium quidem tranſeat in emtorem, commodum tamen ac periculum ſub certa conditione vel certo tempore pertineat ad venditorem; vel ut dominium cum periculo tranſeat in emtorem, commodum tamen ſub certa conditione vel certo tempore pertineat ad venditorem. Etenim naturaliter quilibet jus ſuum remittere (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque nolle poteſt, ut alter ſibi præſtet, ad quod præſtandum obligatur (§. 95. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem etſi ſtatim in emtorem dominium tranſire debeat cum omni commodo ac periculo rei venditæ (§. 1125. 939.); emtor tamen jus ſuum remittere, adeoque ita convenire poteſt, ut dominium rei venditæ maneat apud venditorem, commodum tamen ac periculum ſit penes emtorem. *Quod erat primum.* *Quomodo per pacta hoc immutari poſſit.*

Eodem modo patet, poſſe etiam ita conveniri, ut dominium ſtatim tranſeat in emtorem, commodum tamen ac periculum, vel etiam ſolum commodum ſine periculo certo tempore, vel ſub certa conditione pertineat ad venditorem. *Quod erat ſecundum & tertium.*

Ex. gr. Vendo tibi domum meam ea lege, ut dominium in ea retineam, donec pretium fuerit ſolutum, tu tamen ſtatim eam incolere poſſis, & omne periculum, qualecunque tandem ſit, veluti ſi incendio vel tota, vel ejus pars deflagret, tuum ſit. Similiter vendo tibi domum meam ea lege, ut ſtatim ſit tua, ego autem uſque ad proximum autumnum eam adhuc incolere poſſim, periculo in me ſuſcepto. Denique vendo tibi domum meam hac lege, ut tua ſtatim ſit, & periculum omne ad te pertineat, mihi tamen per certum temporis ſpatium eam adhuc incolere liceat. Idem intelliguntur de agro tibi vendito ea lege, ut per biennium proximum fructus a me adhuc percipiantur. Vidimus ſuo loco, quod etiam eadem vis eſſe poſſit legum civilium, quæ pactorum, citra ullam iniquitatem, ut adeo leges poſitivæ, ſi recedant a naturali, ideo non ſtatim dici poſſint iniquæ.

§. 1127.

Quamprimum de pretio conventum & emtor ad pecuniam numerandam paratus eſt, vel alio modo de pretio venditori ſatisfacit, aut hic fidem illius ſequitur; omne commodum & periculum eſt penes emtorem. In hypotheſi enim propoſitionis præſentis naturaliter emtio venditio ſtatim perficitur (§. 968.), adeoque dominium rei venditæ in emtorem ſtatim transfertur (§. 939.). Enimvero quamprimum dominium in emtorem tranſit, omne commodum & periculum ad emtorem pertinet (§. 1125.). Quamobrem commodum omne ac periculum pertinet ad emtorem, quamprimum de pretio conventum & emtor ad pecuniam numerandam paratus eſt, vel alio modo de pretio venditori ſatisfacit, aut hic fidem illius ſequitur. *Quando ordinarie periculum & commodum rei venditæ ſit emtoris.*

Ponamus te in via emere rem quamcunque & venditorem tibi fidem habere de pretio, donec in diverſorium veneritis; prædonem vero rem venditam & tuam rapere pecuniam: res tibi

tibi amittitur; & tu nihilominus obligatus manes venditori ad pretium ſolvendum. Similiter ſi pretium ſolveris pro frumento, & certo demum die ad te advehi volueris, interea autem temporis incendio conſumatur; tibi periit frumentum, nec pretium repetere potes. Quodſi domum meam emiſti & in diem dilata pretii ſolutio, de quo fidem tuam ſequor, ejus autem feneſtræ omnes, quæ occidentem reſpiciunt, grandine deſtruantur, antequam domus fuerit tradita; damnum tuum eſt. Ex adverſo etiam ſi hortum emiſti, ſive pretio ſtatim ſoluto, ſive ſolutione in diem dilata, etiamſi nondum traditus ſit, fructus tamen tui ſunt.

§. 1128.

Quando commodum & periculum ſit venditoris.

Si venditor mercem tradit emtori, non tamen de pretio fidem eidem habet, nec hic pretium ſolvit, vel alio modo eidem de eo ſatisfacit; commodum & periculum eſt penes venditorem. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis dominium in re ſibi reſervat venditor (§. 979.). Quamobrem cum commodum & periculum rei emtæ ſit penes emtorem, quamprimum in eum dominium hujus tranſit (§. 1125.), adeoque antequam hoc fiat, ad eum pertinere nequeat; in hypotheſi propoſitionis præſentis commodum & periculum rei emtæ manet apud venditorem.

Ex. gr. Ponamus me tibi vendere rem in via eamque tibi tradere, pretio nondum ſoluto, nec fide de eo habita, nec te alio modo de eodem mihi ſatisfaciente; prædonem vero eam rapere, antequam domum perveneris, ea mihi rapta eſt, nec tu ad pretium ſolvendum mihi obligaris. Similiter ſi domum meam tibi trado, quam emiſti, pretio nondum ſoluto, de quo nec ego fidem tibi habeo, nec tu mihi alio modo ſatisfacis; commodum omne ac periculum meum eſt naturaliter: unde damnum, quod dedit grando, ego ferre teneor, & domus vel ejus pars incendio mihi deflagrat. Naturalis ratio manifeſta eſt. Qui ſibi reſervat dominium, dominus manet. Domini vero eſt omne commodum ac periculum, niſi aliter conveniatur (§. 1126.).

§. 1129.

De periculo & commodo rei in diem emtæ.

Si res in diem fuerit vendita; periculum & commodum eſt emtoris. Etenim ſi res in diem fuerit vendita, emtio ac venditio ſtatim perfecta eſt (§. 1058.), adeoque dominium ſtatim tranſit in emtorem (§. 939.). Enimvero quamprimum dominium tranſit in emtorem, omne commodum & periculum penes ipſum eſt (§. 1125.). Ergo ſi res in diem fuerit vendita, periculum & commodum eſt emtoris.

Ex. gr. Vendo tibi hortum meum, poſt biennium demum tradendum: fructus ſtatim tui ſunt, & ſi damnum det inundatio, damnum tuum eſt. Si etiam quocunque caſu devaſtetur hortus, tibi devaſtatur.

§. 1130.

De rei ad certum tempus venditæ periculo.

Si res ad certum tempus emitur ac venditur, ſeu ea lege, ut ſit emta per certum tempus; per totum hoc tempus omne commodum ac periculum emtoris eſt: tempore autem præterlapſo, ſtatim ſpectat ad venditorem. Si enim vendatur res ad certum tempus, emtio venditio ſtatim conſummanda (§. 1059.), conſequenter ab emtore pecunia ſolvenda, a venditore res tradenda (§. 982.), adeoque emtio venditio jam perfecta ſit neceſſe eſt (§. 937.). Quoniam itaque dominium rei in emtorem tranſlatum (§. 939.); commodum quoque & periculum ejus per totum iſtud tempus, per quod res emta eſſe debet, penes emtorem eſt (§. 1125.). *Quod erat unum.*

Enimvero ſi per certum nonniſi tempus res emta eſſe debet, tempore iſto præterlapſo emtio venditio finitur (§. 1059.), adeoque perinde eſt, ac ſi vendita non fuiſſet. Dominium adeo ipſo jure redit ad venditorem, adeoque ab eo tempore commodum & periculum ad eum pertinet. *Quod erat alterum.*

§. 1131.

§. 1131.

Si addictio in diem fuerit pura, omne commodum & periculum ſtatim eſt penes emtorem; ſi conditionata, ad venditorem pertinet, donec conditio exiſtat, ſeu melior conditio offeratur. Etenim ſi addictio in diem fuerit pura, adeoque ſub conditione reſolutiva facta (§ 1065.), dominium ſtatim tranſit in emtorem & pendente conditione apud eum manet (§. 1079.). Quamobrem cum commodum ac periculum rei venditæ ſit penes emtorem, quamprimum dominium in eum tranſit (§. 1125.), erit idem ſtatim apud emtorem, ſi addictio in diem fuerit pura. *Quod erat primum.* *De commodo & periculo rei in diem addictæ.*

Quodſi vero addictio in diem fuerit conditionata, adeoque ſub conditione ſuſpenſiva facta (§. 1065.), dominium manet apud venditorem, etiamſi res tradita ac pretium ſolutum fuerit (§. 1080.), nec tranſit in emtorem, niſi conditione exiſtente (§. 1081.). Quamobrem commodum & periculum ad venditorem pertinet, donec conditio exſtet (§. 1125.), conſequenter melior conditio offeratur (§. 1065.). *Quod erat ſecundum.*

§. 1132.

Si res ſub lege commiſſoria vendatur; periculum & commodum rei venditæ ad emtorem ſtatim pertinet. Quodſi enim res ſub lege commiſſoria vendatur, ſub hac conditione venditur, ut, niſi emtor intra certum tempus pretium ſolvat, res ſit inemta (§. 1086.), conſequenter emtio ſtatim perficitur (§. 1060.), adeoque venditor dominium rei venditæ in emtorem transfert (§. 939.). Enimvero quamprimum dominium rei venditæ in emtorem tranſit, ejus commodum & periculum ad eum pertinet (§. 1125.). Ergo etiam rei ſub lege commiſſoria venditæ commodum ac periculum ad emtorem ſtatim pertinet. *De commodo & periculo rei ſub lege commiſſoria venditæ.*

§. 1133.

Quoniam pactum ſub quacunque conditione reſolutiva emtioni adjectum legi commiſſoriæ æquivalet (§. 1099.), rei autem ſub lege commiſſoria venditæ *periculum & commodum ad emtorem* ſtatim pertinet (§. 1132.); ad eundem quoque *ſtatim pertinet, ſi emtioni venditioni pactum quodcunque reſolutivum adjiciatur.* *De commodo & periculo rei ſub conditione reſolutiva venditæ.*

Monuimus jam ſupra legem commiſſoriam eſſe caſum particularem pacti reſolutivi, ita ut idem ſignificatu generali legem commiſſoriam appellare liceat, præſertim in Jure naturæ ubi neceſſe non eſt ut ſtricte inhæreamus ſignificatui vocabulorum in Jure civili recepto eidemque haud raro vago (*not.* §. 1099.).

§. 1134.

Dominium non datur niſi rerum in ſpecie, ſeu rei in genere dominium nullum eſt. Quoniam enim dominium conſiſtit in facultate de re pro arbitrio ſuo diſponendi (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), utique ſupponit rem exiſtentem. Enimvero ens univerſale (§. 255. *Ontol.*), adeoque genus & ſpecies non exiſtit (§. 235. *Ontol.*), ſed ſingularia ſeu individua tantummodo exiſtunt (§. 227. *Ontol.*). Quamobrem dominium nemo habere poteſt niſi in rebus ſingularibus, ſeu individuis, nequaquam in genere, vel ſpecie quadam. Sed individuum appellatur res in ſpecie (§. 444.), genus autem vel ſpecies res in genere (§. 486.). Dominium itaque non datur niſi rerum in ſpecie, rei autem in genere dominium nullum eſt. *An dominium detur rerum in genere.*

Dominium habere potes in his ædibus, non autem in ædibus in genere. Similiter dominium habe-

habere potes in hoc acervo frumenti, non autem in decem modiis frumenti, niſi hi ſpectentur tanquam pars hujus acervi: tum enim dominium in hoc acervo tibi competit pro parte.

§. 1135.

Quando dominium rei in genere emtæ tranſeat in emtorem.

Si *res in genere vendatur, dominium in emtorem non ante tranſit, quam ſi in ſpecie detur*. Etenim rei in genere dominium nullum eſt, nec datur dominium niſi rerum in ſpecie (§. 1134.), conſequenter nec niſi id in alium transferri poteſt. Quoniam itaque venditor dominium in emtorem transferre debet (§. 939.), ſi res in genere vendatur, idem non ante transferre poteſt, quam ubi eam in ſpecie dederit, conſequenter nec ante dominium in emtorem tranſire poteſt, quam ſi res in ſpecie detur.

Ex. grat. Vendo tibi decem modios frumenti in genere. Quamvis tu ſolvas pretium, nondum tamen dominium in iis habes; ſed ego tantummodo obligatus ſum ad decem frumenti modios tibi dandum. Quodſi vero tibi oſtendam acervum frumenti & hujus partem, quæ decem modiis æſtimatur, tibi vendo, tum acervus iſte frumenti mihi ac tibi communis eſt, tibique pro rata in eo competit dominium (§. 127. *part.* 2. *Jur. nat.*), nimirum in ratione decem modiorum ad integram quantitatem frumenti.

§. 1136.

Quando rei in genere venditio perficiatur.

Quoniam ſi res in genere vendatur, dominium in emtorem non ante tranſit, quam res in ſpecie detur (§. 1135.), ſine translatione dominii vero nondum perfecta intelligitur *emtio* (§. 939.); *nec ea pro perfecta haberi poteſt*, ſaltem ex parte venditoris, *niſi res in ſpecie detur*.

Exemplum, quod modo dedimus, de emtione decem modiorum frumenti in genere; corollarium præſens abunde illuſtrat.

§. 1137.

De commodo & periculo rei in genere venditæ.

Quoniam rei in genere venditæ dominium non ante tranſit in emtorem, quam ſi ea in ſpecie detur (§. 1135.), commodum vero & periculum rei emtæ ad emtorem pertinet, quamprimum dominium in eum tranſit (§. 1125.); *ſi res in genere vendatur, commodum ac periculum non ante ad emtorem pertinet, quam ſi ea in ſpecie detur*.

Ex. gr. Vendo tibi decem modios frumenti in genere. Frumentum, quod habeo, caſu quodam corrumpitur, vel incendio conſumitur. Damnum ego ſolus ferre teneor. Enimvero ſi tibi vendo partem quandam acervi frumenti, cujus quantitas deſignatur decem modiis; frumenti ea pars tibi corrupta, tibi incendio conſumta eſt. Minime durum hoc videri poteſt. Licebat enim tibi ſtatim, cum emeres, frumentum traditum ad ædes tuas deferre, adeoque tua voluntate periculo ſubjectum eſt. Et quoniam periculum incertum eſt ex parte noſtri, cum caſus futuros prævidere non liceat; perinde rei periculum ſubire teneris, ſi eam tibi ſtatim tradi cures, ut ea ſit in cuſtodia tua. Ceterum hoc naturale non eſt, ſed civile, ut res, quæ per menſuram, pondus aut numerum determinari poteſt, ad menſuram vel quantitatem vendita, non ante vendita intelligatur, quam cum numerata vel admenſa ſit. cum etiam vendi poſſit tanquam pars corporis demonſtrati, quemadmodum modo vidimus.

§. 1138.

Qualis ſit emtio rei guſtu aut inſpectione probandæ.

Si res, quæ guſtu demum probetur, aut inſpiciatur, vendatur; ea nonniſi ſub hac conditione emta intelligitur, ſi tibi probetur. Ponamus enim rem pure vendi, quæ guſtu demum probetur, aut inſpiciatur. Cum ſi res pure venditur, emtio ſtatim perficiatur, conſequenter conſummanda ſit (§. 789. *p.* 3. *Jur. nat.*), nulla adeſt ratio, cur deguſtanda demum, aut inſpicienda, conſequenter deguſtatio

ſtatio & inſpectio temere fit (§. 277. *part.* 3. *Jur. nat.*): quod cum ſit abſurdum (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*), res, quæ guſtu demum probanda, aut inſpicienda, vendita non intelligitur, niſi ſub hac conditione, ſi deguſtata vel inſpecta tibi probetur.

Ex. grat. Vendo tibi ad menſuram vinum in cella mea, guſtu probandum. Non ante perficitur emtio, quam ſi id deguſtaveris ipſumque guſtui tuo ſeſe probaverit. Similiter vendo tibi omne frumentum meum, a te inſpiciendum. Non ante perficitur emtio, quam ſi id inſpexeris, tibique ſeſe probaverit. Nec obſtat, quod in utroque caſu pretium ex certa quantitate fuerit determinatum (§. 1028.), quippe quod conditionem non tollit. Si velis, emtionem eſſe validam, antequam vinum deguſtes, vel frumentum inſpicias; non opus erat, ut illud demum deguſtares, hoc inſpiceres.

§. 1139.

Si emtio ſub certa conditione contrahitur, antequam conditio exiſtat, periculum ac commodum rei venditæ venditoris eſt, nec ad emtorem pertinet, niſi exiſtente conditione. Etenim ſi emtio ſub certa conditione contrahitur, antequam conditio exiſtat, ea perfecta non eſt (§. 1062.), conſequenter nec dominium in emtorem translatum a venditore (§. 939.). Quoniam itaque periculum & commodum rei venditæ ad emtorem pertinet, quamprimum dominium in eundem tranſit (§. 1125.); utrumque ad emtorem demum pertinet, quando ſub certa conditione emtio contracta, conditione exiſtente, quamdiu vero ea nondum exiſtit, venditoris eſt. *De commodo & periculo rei ſub conditione emtæ.*

Ex. gr. Vendo tibi vinum ſub hac conditione, ſi Seja, quam uxorem ducere vis, tibi nubere voluerit. Quodſi vinum aceſcat, antequam ea in matrimonium conſenſerit; damnum meum eſt: ſi vero demum aceſcat, poſtquam ea conſenſum ſuum declaravit, damnum tuum eſt. Similiter vendo tibi ædes ſub hac conditione, ſi filius meus, qui ægrotat, moriatur. Quodſi ædes incendio deflagrent, antequam ipſum mori contingat, damnum meum eſt: ſi vero funeſtus hic caſus accidit, filio meo mortuo, tuum damnum eſt.

§. 1140.

Quoniam ſi res, quæ guſtu demum probetur, aut inſpiciatur, vendatur, ea nonniſi ſub hac conditione emta intelligitur, ſi tibi probetur (§. 1138.), emtione autem ſub conditione contracta, antequam conditio exiſtat, periculum ac commodum rei venditæ venditoris eſt, ad emtorem non pertinet, niſi conditione exiſtente (§. 1139.); *ſi res, quæ guſtu demum probetur, aut inſpiciatur, vendatur, periculum & commodum non ante ad emtorem pertinet, quam ſi deguſtata vel inſpecta eidem probetur, antequam vero hoc fiat, venditoris eſt.* *De commodo & periculo rei venditæ, demum guſtu probandæ, vel inſpiciendæ.*

Ex. grat. Ponamus tibi venditum eſſe vinum, quod deguſtandum. Si incendio in cella ſuborto vas, quo continetur, corripiatur, ut vinum effundatur, damnum datum eſt venditori: quodſi hoc ipſum accideret, vino deguſtato, damnum foret tuum. Similiter vendo tibi ædes meas a te inſpiciendas. Quodſi incendio deflagrent, antequam inſpexeris; deflagratio meo damno accidit, aſt tuo, ſi incendio damnum detur, poſtquam fuerunt conſpectæ ac tibi placuerunt.

§. 1141.

Si res guſtu probata, vel inſpecta, emtio tamen nondum perfecta; periculum & commodum adhuc venditoris eſt. Quamdiu enim emtio nondnm perfecta, vel de pretio nondum conventum eſt, vel venditori de eo nondum ſatisfactum, vel fidem de eo emtori habere non vult venditor (§. 968.). Quamobrem nec periculum & commodum ad emtorem pertinet (§. 1127.), adeoque venditoris eſt. *Quando re deguſtata & inſpecta periculum maneat venditoris.*

Quoniam commodum & periculum ſequitur dominium (§. 1125.), dominium vero in emtorem

rem non tranſit, niſi emtione perfecta (§. 937.); antequam emtio perficiatur, nullum quoque emtoris eſſe poteſt commodum, nec periculum ullum, niſi quod ex obligatione naturali teneatur de damno dolo vel culpa dato (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Rei deguſtatio & inſpectio non eſt actus; quo perficitur emtio & venditio, adeoque ad tranſlationem dominii, ſeu ejus ex venditore in emtorem tranſitum nihil per ſe confert. Præſens adeo caſus non confundendus cum eo, de quo in propoſitione præcedente dictum.

§. 1142.

De periculo rei ob moram emtoris.

Si emtor in mora ſit, ne emtio & venditio utrinque promiſſa perficiatur, a die moræ periculum emtoris eſt. Etenim ſi emtio & venditio utrinque promiſſa, utraque pars contrahentium obligatur ad eam perficiendam (§. 969.). Quodſi ergo emtor in mora ſit, ne ea perficiatur, ſi caſus quidam fortuitus, quem nulla venditoris culpa præcedit, in re vendita contingit, quicquid inde emergit damnum, culpa emtoris venditori datur (§. 648. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum damnum ſua culpa datum ſit reſarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); emtor, ſi quod datur damnum, pretium rei reſtituere tenetur venditori (§. 572. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi itaque is in mora ſit, ne emtio & venditio utrinque promiſſa perficiatur, a die moræ periculum eſſe debet emtoris.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si quis damnum patitur, propterea quod tu in mora es, ad id, quod intereſt, teneris (§. 655. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem ſi emtor in mora ſit, ne emtio promiſſa perficiatur, tenetur a die moræ ad id, quod intereſt, emtionem perfectam non fuiſſe, conſequenter dominium rei nondum translatum fuiſſe in emtorem (§. 939.). Enimvero ſi dominium translatum fuiſſet in emtorem, periculum ad ipſum pertinuiſſet (§. 1125.). Ergo etiam periculum ad ipſum a die moræ pertinere debet, ſi in mora fuerit, ne emtio venditio utrinque promiſſa perficiatur.

Ex demonſtratione utraque patet, periculum rei nondum venditæ non oriri ex dominio, ſed ex obligatione naturali præſtandi culpam, ne alter incurrat damnum ſine culpa ſua, ſed culpa aliena. Quamobrem nemo miretur, quod dominio apud venditorem manente periculum tamen ſit emtoris.

§. 1143.

Quando rei ad guſtum venditæ vel ad inſpectionem periculum ad emtorem pertinere incipiat.

Quodſi adeo *res a te vendatur, quæ guſtu probetur, vel inſpiciatur, & emtor in mora fuerit, ne intra diem deguſtationi vel inſpectioni præſtitutum deguſtata vel inſpecta fuerit; a die moræ periculum ipſius eſt* (§. 1142.).

Ex. grat. Vendo tibi cereviſiam & dies deguſtationi præſtituitur. Quodſi tu in mora fueris, ne deguſtetur, ac ob moram cereviſia aceſcat; ad damnum reſarciendum mihi teneris. Tuum adeo a die moræ periculum eſt. Similiter vendo tibi frumentum meum, quod ut inſpicias dies quidam præſtituitur. Quodſi tu in mora fueris, ne inſpectio fieri potuerit, ac a die moræ incendio conſumatur frumentum, damnum mihi datum tu reſarcire teneris. Periculum adeo a die moræ tuum eſt. Durum hoc videri nequit. Etenim ſi rem inſpexiſſes vel deguſtaſſes, emtione perfecta, periculum fuiſſet tuum (§. 1125.), immo idem forſan evitare potuiſſes, ſi rem tibi traditam loco moviſſes, quando nimirum res eodem caſu apud te peritura non fuiſſet. Si tibi vendita non fuiſſet ſub ea conditione, ut ante eam deguſtares, vel inſpiceres, vel ſi in mora deguſtandi aut inſpiciendi non fuiſſes, poterat interea res alii vendi. Tibi adeo imputandum, quod caſus ſine ulla venditoris culpa in re contigerit.

§. 1144.

De periculo rei ob moram venditoris.

Si venditor in mora ſit, ne res tradatur; a die moræ periculum ipſius eſt. Quodſi enim venditor in mora ſit, ne res tradatur, ſi caſus quidam in re vendita contingit, quicquid inde emergit damnum emtori culpa venditoris datur (§. 648. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum damnum culpa venditoris datum emtori ſit reſarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); periculum rei venditæ a die moræ ad venditorem pertinet, ſi is in mora ſit, ne res tradatur.

Oſten-

Oſtenditur etiam hoc modo. Si quis damnum patitur, propterea quod tu in mora es, ad id quod intereſt teneris (§. 655. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi venditor in mora ſit, ne res tradatur, a die moræ tenetur ad id, quod intereſt, rem traditam non fuiſſe. Quodſi ergo caſus quidam in re vendita contingat, ad damnum inde emergens reſarciendum tenetur venditor (§. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*). Periculum igitur a die moræ penes venditorem eſt.

Quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 1142.); ea etiam ad propoſitionem præſentem notanda ſunt.

§. 1145.

Si emtor pretium ſolvit, rem tamen ſibi non ſtatim tradi vult, vel venditor in dilationem pretii conſentit, rem tamen ſtatim tradere non vult emtori; periculum rei emtæ emtoris eſt. Etenim ſi emtor pretium ſolvit, rem tamen ſibi ſtatim tradi non vult, ea tanquam res emtoris manet apud venditorem quaſi depoſita (§. 962.). Enimvero depoſitarius non tenetur præſtare caſum (§. 584.), adeoque nec venditor, ſi rem venditam tibi ſtatim tradi nolit emtor. Periculum adeo rei emtæ ad emtorem pertinet, ſi is pretio ſoluto rem ſibi ſtatim tradi non vult. *Quod erat unum.* *De periculo rei emtæ, ſed nondum traditæ.*

Quodſi venditor in dilationem pretii conſentit, rem tamen emtam ſtatim tradere non vult; eam ſecuritatis gratia retinet tanquam rem emtoris (§. 961.), conſequenter emtor dominium in ea habet (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero quamprimum dominium in emtorem tranſit, periculum ad eundem pertinet (§. 1125.). Ergo etiam rei emtæ periculum emtoris eſt, ſi venditor in dilationem pretii conſentit, rem tamen ſtatim tradere non vult.

Non eſt, quod excipias, re tradita, periculum evitari potuiſſe. Quod enim tradita non fuerit, cum pretium ſtatim ſit ſolvendum (§. 937.), tu in mora es, quod res tradi non potuerit, ſed in ſecuritatem pretii retineri debuerit (§. 961. *h.* & §. 638. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque culpa tua caſus in te emta contingit, quem pretio, prout debebas, ſoluto evitare poteras (§. 648.). Tibi adeo imputes, quod in ſecuritatem pretii rem emtam apud venditorem reliqueris (§. 647. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 1146.

Quoniam fidem de pretio habere idem eſt ac accipere (§. 965.), & ſi quocunque modo de pretio fuerit ſatisfactum venditori, perinde eſt ac ſi pretium fuiſſet ſolutum (§. 960.); ſi vero pretio ſoluto rem ſibi ſtatim tradi non vult emtor, periculum rei emtæ emtoris eſt (§. 1145.); *periculum* quoque *emtoris eſt, ſi fidem de pretio habeat emtori venditor, vel eidem de eodem alio modo ſatisfiat.* *Idem porro expenditur.*

§. 1147.

Si res tibi vendita a venditore alii denuo vendatur, venditio nulla eſt. Etenim ſi res tibi vendita, contractu utique perfecto, quod ſupponitur, cum alias vendita nondum eſſet, dominium venditor in te tranſtulit (§. 939.), adeoque dominium in ea non amplius habet. Quodſi ergo eam alii vendat, rem alienam vendit (§. 146. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero ſi res aliena venditur, venditio nulla eſt (§. 941.). Ergo etiam venditio nulla eſt, ſi res tibi jam vendita a venditore denuo alii vendatur. *An res eadem bis vendi poſſit.*

Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 12. §. 15. n. 2. ſi res ſit bis vendita, ex duabus venditionibus eam valituram pronunciat, quæ in ſe continuit præſentem dominii tranſlationem: id quod a propoſitione noſtra minime abhorret, cum accurate loquendo, quemadmodum fieri debet, ubi

ubiverſitas eſt demonſtranda, ſine actuali translatione dominii res vendita dici nequeat (§.939.), niſi pacto quodam irregularitas inducatur; ut venditor ſibi certa de cauſa reſervet dominium.

§. 1148.

De venditione uni promiſſa, cum altero perfecta.

Si venditio uni fuerit promiſſa, alteri vero res vendita, venditio valida eſt; venditor tamen tenetur promiſſario ad id, quod intereſt rem ipſi venditam non fuiſſe. Quoniam enim venditio continet præſentem dominii translationem (§. 939.), quamprimum de pretii quantitate ejuſve ſolutione nulla amplius dubitatio eſt (§. 958.), adeoque emtio venditio perfecta (§. 968.), conſequenter promiſſio venditionis non continet niſi promiſſionem translationis dominii; non obſtante promiſſione uni facta, quod pro certo pretio rem tuam eidem vendere velis, dominium, quod adhuc habes, in alium transfers, conſequenter rem valide vendis, (§. 937.). *Quod erat unum.*

Enimvero promiſſione, quod cuidam rem vendere velis, ad venditionem perficiendam obligaris (§. 969.), adeoque dum eam alteri vendis, obligationi tuæ non ſatisfacis. Sed ſi quis damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti, ad id quod intereſt teneris (§. 629. *p.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam ſi venditionem alicui promittis, & deinde eandem rem alii vendis, ei, cui promiſiſti, teneris ad id, quod intereſt, rem ipſi venditam non fuiſſe. *Quod erat alterum.*

Atque hic caſus eſt, de quo loquitur *Grotius* (*not.* §. 1147.), quando definit, quænam ex duabus venditionibus valida eſſe debeat. Addit enim hanc rationem; quod per translationem dominii facultas moralis in rem abierit a venditore, quod non fiat per ſolam promiſſionem.

§. 1149.

De commodo & periculo rei bis venditæ.

Si rem tibi venditam alteri vendo, quamvis pretio ab altero emtore ſoluto, commodum tamen ac periculum rei venditæ tuum eſt. Etenim ſi rem tibi venditam alteri vendo, venditio valida non eſt (§. 1147.), conſequenter dominium, quod in te translatum eſt (§. 939.), in ea re retines, nec per hoc, quod alter pretium ſolvit, de quo vel fidem tuam ſecutus ſum, vel tu alio modo mihi ſatisfeciſti, id tibi invito auferri poteſt (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum commodum ac periculum rei venditæ ad te pertineat, quamprimum dominium in te tranſit (§. 1125.); utrumque etiam ad te adhuc pertinet, ſi rem tibi venditam alteri vendo, quamvis pretio ab altero emtore ſoluto.

§. 1150.

Si uterque fuerit in mora, cui ea damnoſa.

Si emtor, & venditor fuerit in mora, ne res tradita fuerit, qui poſtremo in mora eſt, damnum ſentit, ſeu ei mora damnoſa eſt. Etenim ſi emtor ſit in mora, ne res tradatur, periculum ad emtorem pertinet (§. 1145. 1146. *b.* & §. 638. *part.* 3. *Jur. nat.*): ſi vero venditor in mora ſit, ad venditorem pertinet a die moræ (§. 1144.). Quodſi ergo damnum ob moram datur, id omnino ſentire debet is, qui tunc in mora eſt, quando datur. Enimvero ſi & emtor, & venditor fuerit in mora, ne res tradita fuerit; per ſe patet, damnum, quod ex mora emergit, non contingere ob moram priorem, ſed ob poſteriorem. Quamobrem ſi & emtor, & venditor fuerit in mora, ne res tradita fuerit, qui poſtremo in mora eſt, damnum ſentire debet, ſeu mora poſterior damnoſa eſt.

Ex. gr. Vendo tibi frumentum, quod ſtatim traditurus fuiſſem, niſi mihi traditionem in certum diem differri viſum fuiſſet. Enimvero cum id tibi tradi velles; ego non tradidi, ſed ſine conſenſu tuo traditionem ulterius diſtuli, & interea, dum ego in mora ſum, frumentum incendio conſumitur. Dico damnum eſſe mihi datum. Quodſi vero ego primus fuiſſem moroſus, poſtea tu, & frumentum conſumtum fuiſſet incendio, dum tu in mora es, damnum tuum foret.

foret. Nimirum in caſu primo damnum contingit non ob moram tuam, ſed meam, adeoque non culpa tua, ſed mea (§. 648. *part. 3. Juris nat.*); in ſecundo autem non ob meam, ſed tuam moram, adeoque culpa tua, non mea. Etſi enim moræ poſteriori non fuiſſet locus, niſi prior præceſſiſſet, conſequenter damnum datum non fuiſſet, niſi mora prima interveniſſet; quoniam tamen mora poſterior non neceſſario fluit ex priori, nec indivulſo nexu cum ea cohæret, ideo quoque in ea imputanda prior attendi nequit, cum imputatio tota dependeat a libertate in agendo (§. 532. *part. 1. Phil. pract. univerſ.*). Propterea quod unus moras nectit prior, neceſſe non eſt ut alter moras nectat, ſed potius, cum in mora nemo eſſe debeat (§. 652. *part. 3. Jur. nat.*), id facere minime debet. Alia longe ratio eſt dependentiæ actionum liberarum diverſorum hominum a ſe invicem, quam dependentiæ cauſarum naturalium.

§. 1151.

Si duæ res alternative vendantur, ita ut optio detur emtori, quamnam earum eligere velit; antequam optio facta eſt, commodum ac periculum utriuſque ad ſolum venditorem pertinet. Etenim ſi duæ res alternative vendantur, ita ut optio detur emtori, quamnam earum eligere velit; antequam optio detur, emtorem in neutra earum dominium habere patet, quippe quod in eum tum demum tranſit in ea, quam eligit, quando optio facta. Quoniam itaque periculum ac commodum ad emtorem tum demum pertinere incipit, quando dominium in eum tranſit (§. 1125.); ſi res alternative vendantur, ita ut optio detur emtori, quamnam earum eligere velit, antequam optio facta eſt, commodum ac periculum utriuſque ad ſolum venditorem pertinet. *De commodo & periculo rerum alternative venditarum*

Non ignoro, Juris civilis interpretes aliter ſentire, nimirum quod ante electionem periculum illius, quæ prius interiit, ad venditorem; quæ vero poſterius ad emtorem pertineat, ſi vero pariter ſive ſimul, ſive ſucceſſive perierint, una periculo emtoris fuerit. Hæc tamen opinio principiis rationis parum convenit. Venditio alternative facta, ut optio relinquatur emtori, quamnam eligere velit, non aliter intelligi poteſt, quam ut ea ſit emtoris, quam elegerit. Quamdiu adeo nullam elegit, nulla quoque ipſius eſt. Venditor itaque non intelligitur niſi promiſiſſe emtori, quod dominium ejus in eum transferre velit; quam elegerit: unde dum electio fit, eo ipſo dominium in eum transfertur, ſeu abit (§. 13. *part. 3. Jur. nat.*). Dum vero in hoc conſentit, ut non ante fit una earum emtoris, quam optione facta, cum commodum & periculum adhæreat dominio, cum quo ad alteram tranſit (§. 1125.); periculum quoque, quemadmodum commodum, interea ſuum eſſe vult. Nihil adeo in hiſce iniqui eſt, multo minus injuſti, quod periculum perinde ac commodum ante optionem ad venditorem ſolum pertineat.

§. 1152.

Si duæ res alternative vendantur, & emtor in mora fuerit, ne optio fiat; a die moræ periculum ad ipſum pertinet. Oſtenditur eodem modo, quo ſupra demonſtravimus, ſi emtor in mora ſit, ne emtio ac venditio utrinque promiſſa perficiatur, a die moræ periculum eſſe emtoris (§. 1142.). Immo ſi emtor in mora fuerit, ne optio fiat, revera in mora eſt, ne emtio venditio perfici poſſit, adeoque propoſitio præſens per modum corollarii ex iſta inferri poteſt. *Quid ſi emtor in mora fuerit.*

Ceterum hæc de periculo & commodo rei emtæ dicta ſufficiant. Quodſi enim in caſu quocunque, quando de eodem quæſtio incidit, perpendas, utrum dominium in emtorem a venditore jam tranſierit, nec ne (§. 13. *part. 3. Jur. nat.*), vi principii generalis protinus inferre licet, num periculum & commodum ad emtorem, an ad venditorem pertineat (§. 1125.).

§. 1153.

Si venditio vi pacti reſolutivi reſolvitur ex nunc, emtor reſtituit rem, ſine fructibus perceptis, fructus vero induſtriales pendentes pro rata inter venditorem ac emtorem dividendi, quantum valet uſus fundi ab eo tempore, quo reſtituitur, donec fructus percipiantur, venditori, & cultura atque cura ſua emtori: venditor *De eo, quod reſtituendum, ſi emtio reſolvitur ex nunc.*

autem

autem pretium ſtatim reſtituit una cum impenſis neceſſariis ac utilibus , quatenus ſibi æque utiles , in rem factis , voluptuarias ac utiles ſibi non æque utiles tolli permittit , ſi ſine detrimento rei tolli poſſunt. Etenim ſi venditio vi pacti reſolutivi reſolvitur ex nunc , venditio ab eo tempore habetur pro nulla, quo conditio reſolutiva exiſtit, ſeu ipſa reſolvitur (§. 1100.). Quamobrem cum venditione in emtorem dominium translatum fuerit (§.939.) , quando ea iterum reſolvitur, dominium ſtatim ipſo jure redit ad venditorem, adeoque res, quæ hactenus fuerat emtoris , iterum venditoris eſt (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*). Ea igitur ſtatim venditori reſtituenda (§. 467. *p. 2. Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Quoniam vero venditio nonniſi pro nulla habetur ab eo tempore , quo ea reſolvitur (§. 1100.); a die venditionis uſque ad diem reſolutionis dominium , quod pleno jure fuit apud emtorem (§.939.) , intemeratum relinquitur , quo adeo tanquam jure ſuo uſus emtor ac uti debuit. Quamobrem cum domino competat jus fructus percipiendi, nec ipſo invito alius eoſdem percipere poſſit (§. 441. *part. 2. Jur. nat.*); emtor quoque a die emtionis uſque ad diem , quo pactum reſolvitur, fructus omnes, quos percipit, ſuos facit, adeoque eos reſtituere non tenetur. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero ſi fructus adhuc pendeant, a re, ex qua proveniunt, nondum ſeparati ſunt (§. 433. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum res tibi reſtituenda ſit, quamprimum venditio reſolvitur *per demonſtrata n.* 1. adeoque antequam fructus ab ea ſeparari, conſequenter percipi poſſint (§. *cit.*); uſus *rei, ab* eo tempore, quo pactum reſolvitur, tuus eſt (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*) , mihi autem cultura & cura debetur, ſine qua non proveniſſent (§. 432. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque fructus induſtriales communes ſunt pro rata domino rei, ex qua proveniunt, & ei, cujus culturæ ac curæ debentur (§. 442. *part. 2. Jur. nat.*); erunt iidem pendentes, quando emtio reſolvitur, communes venditori ac emtori pro rata, quantum valet uſus fundi ab eo tempore, quo is reſtituitur venditori, uſque ad tempus, quo percipiuntur, & cultura ac opera , quam impendit ante reſtitutionem emtor. Fructus adeo hi pro rata iſta inter venditorem ac emtorem dividendi. *Quod erat tertium.*

Quoniam emtor, quamprimum emtio reſolvitur, rem ſibi venditam venditori reſtituere tenetur *per demonſtrata n.* 1. pretium, quod pro re datum (§. 937.), retinere nequit venditor, cum alias venditio ſubſiſtere deberet ex parte emtoris, ac tantummodo reſolveretur ex parte venditoris , venditore , quod ante venditionem erat ſuum, recipiente, minime autem emtore : quod cum *ſit abſurdum* , cum emtione reſoluta quælibet pars contrahentium habere debeat, quod ante contractum habebat (§ 1100.), venditor omnino ſtatim emtori pretium reſtituere debet, quando venditio reſolvitur. *Quod erat quartum.*

Quoniam poſſeſſori omni impenſæ neceſſariæ (§. 623. *part. 2. Jur. nat.*) , ac utiles, quibus res fructuoſior facta, reſtituendæ ſunt (§. 625. *part 2. Jur. nat.*); multo minus dubitari poteſt, quin emtori, qui rem ſibi venditam a die venditionis uſque ad diem , quo emtio reſoluta fuit, jure ſuo poſſedit (§. 157. *part. 2. Jur. nat.*), impenſæ neceſſariæ ac utiles, quibus res fructuoſior facta, reſtituendæ ſint. *Quod erat quintum.*

Enimvero cum emtor norit, emtionem vi pacti reſolutivi eidem additi vel reſolutum iri, aut ſaltem ipſi verendum, ne iterum reſolvatur , prout conditio reſolutiva vel certo extitura eſt, vel num extitura ſit ex parte contrahentium incertum eſt (§. 1100.); ideo de rei utilitate non ſtatuere debet tantummodo reſpectu ſui, verum etiam reſpectu venditoris, rem certo tempore recuperaturi, vel qui aliquando eam recuperare poterit. Quamobrem impenſas utiles venditor reſtituere non tenetur, niſi quatenus ſibi æque utiles , ut ipſe eas facturus fuiſſet (§. 608 *part. 2. Jur. nat.*). *Quod erat ſextum.*

Denique cum impenſas voluptuarias ac utiles poſſeſſori cuicunque tollere liceat, ſi ſine rei detrimento tolli poſſunt (§. 624. *p. 2. Jur. nat.*); eodem quo *n.* 4. modo patet, quando vi pacti reſolutivi emtio reſolvitur, impenſas voluptuarias ac utiles venditori non æque utiles ab emtore tolli poſſe. *Quod erat ſeptimum.*

Non

Non durum videri debet, emtorem perdere impenſas voluptuarias ac utiles, venditori non æque utiles. Cum enim noſſet, rem venditori iterum eſſe reſtituendam, aut ſaltem ipſi verendum eſſet, ne eam aliquando reſtituere teneatur; ab iſtiuſmodi impenſis abſtinere debebat, quas num venditor facere voluiſſet, ſi ipſemet rem poſſediſſet, præſumere non poterat. Emtori utique damnoſum eſt, ſi impenſas voluptuarias ac utiles, venditori non æque utiles perdit; ſed non minus damnoſum eſt venditori, ſi impenſas, quas ipſe facere noluiſſet, vel etiam non potuiſſet, reſtituere teneretur. Damnum vero hoc accidit culpa emtoris, non venditoris, qui omni culpa vacat. Quamobrem cum damnum ferre debeat is, cujus culpa eſt, ſi damnum ejus, cujus culpa accidit, collidit ur cum damno alterius, qui omni culpa vacat (§. 629. *part. 2. Jur. nat.*); emtor omnino impenſas perdere, nequaquam vero venditor eas reſtituere tenetur.

§. 1154.

Si venditio vi pacti reſolutivi reſolvatur ex tunc, emtor ſtatim reſtituere tenetur rem & fructus perceptos, pendentes ac percipiendos; venditor autem reſtituere debet pretium & impenſas neceſſarias in fructuum perceptionem factas & quas facere debuiſſet, ſi quos percipere non neglexiſſet, una cum pretio operarum & curæ, ſine quibus induſtriales percipi non potuiſſent, ac quantum valet uſus pecuniæ a die venditionis uſque ad eum diem, quo emtio reſoluta. Quodſi enim venditio vi pacti reſolutivi ex tunc, ea retro reſolvitur, quaſi ſcilicet ſtatim ab initio fuiſſet nulla (§. 1100.), conſequenter & venditor, & emtor habere debet, quod habuiſſet, ſi venditio facta non fuiſſet. Venditor, ſi res vendita non fuiſſet, habuiſſet rem & fructus a die venditionis uſque ad diem reſolutionis perceptos & quos percipere non neglexiſſet una cum pendentibus eo die, quo pactum reſolvitur, ſed impenſas quoque neceſſarias in fructuum perceptionem facere, ac operas & curam impendere debuiſſet, ſine quibus induſtriales percipi non poterant. Emtor vero habuiſſet pretium, quod pro re ſolvit, ac a die venditionis, quo ſolutum ſupponitur, vel die ſolutionis, uſque ad diem, quo pactum reſolvitur, pecunia ſua uti potuiſſet, nec ullas in fructuum perceptionem impenſas feciſſet, nec in induſtriales operam & curam impendiſſet, quæ tamen dominiis introductis rebus æquiparantur (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), & perinde ac hæ pretio æſtimantur (§. 291.). Quamobrem patet venditione vi pacti reſolutivi ex tunc reſoluta, emtorem ſtatim reſtituere debere venditori rem & fructus perceptos, pendentes item ac percipiendos; venditorem autem reſtituere debere emtori pretium & quantum valet uſus pecuniæ a die ſolutionis uſque ad diem, quo pactum reſolvitur, una cum impenſis neceſſariis in fructus perceptos factis, vel percipiendos faciendis, & pretio operarum & curæ, ſine quibus induſtriales percipi non potuiſſent.

De eo, quod reſtituendum, ſi venditio ex tunc reſolvatur.

Nihil hic difficultatis eſt, cum & emtor, & venditor tantundem poſt contractum reſolutum habere debeat, quantum habiturus fuiſſet, ſi contractum non fuiſſet, cum nemo locupletior fieri debeat ex re alterius (§. 678.), nec cum alterius damno (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*). Reſtitutio itaque ita fieri debet, ne contractus reſolutio ulli contrahentium ſit damnoſa.

§. 1155.

Si impenſas in rem fecit emtor, & emtio reſolvitur vi pacti reſolutivi ex tunc, venditor neceſſarias & ſibi æque utiles reſtituit, voluptuarias & ſibi non æque utiles tolli permittit, ſi ſine rei detrimento tolli poſſunt. Oſtenditur eodem modo, quo idem oſtendimus contractu emtionis ex nunc reſolutæ (§. 1153.).

De impenſarum in rem factarum reſtitutione, emtione ex tunc reſoluta.

Quæ ibidem annotavimus (*not.* §. 1153.), ea etiam hic tenenda ſunt. Neque hic obſtat, quod modo dixerimus (*not.* §. 1154.), reſtitutionem ita fieri debere, ne contractus reſolutio ulli contrahentium ſit damnoſa: ſi enim emtor perdit impenſas venditori minus utiles & voluptuarias, ſua culpa damnum incurrit.

§. 1156.

Pactum de reſtitutione fructuum & impenſarum emtioni ſub conditione reſolutiva initæ adjectum.

Si emtioni venditioni pactum reſolutivum adjicitur; in voluntate contrahentium poſitum eſt, quomodo de reſtitutione fructuum & impenſarum inter ſe convenire voluerint. Quamvis enim jure naturali definitum ſit, quid tam emtor venditori, quam venditor emtori reſtituere debeat, prout emtio vi pacti reſolutivi reſolvitur vel ex nunc, vel ex tunc (§. 1153. *& ſeqq.*; naturaliter tamen unicuique permiſſum eſt jus ſuum remittere (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque alterum ab obligatione ſibi quid præſtandi liberare (§. 97. *part.* 3. *Jur. nat.*), ac a domini præterea voluntate unice pendet, quomodo dominium vel jus quoddam ſuum in alterum transferre velit (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem dubium non eſt, quin in voluntate contrahentium poſitum ſit, ſi emtioni venditioni pactum reſolutivum adjicitur, quomodo de reſtitutione fructuum & impenſarum inter ſe convenire voluerint.

Nemo non videt; qui animum ad ea attendit, quæ de reſtitutione tam venditoris, quam emtoris dicta ſunt (§. 1153. *& ſeqq.*), multas oriri poſſe lites de eo, quod reſtituendum eſt, ſubinde difficulter terminandas. Quamobrem conſultius eſt, ut de eo, quod reſtituendum, ſi emtio reſolvitur, expreſſe conveniatur: ita enim extra omnem controverſiam eſt, quidnam unusquiſque reſtituere debeat, nimirum id, quod ſibi reſtitui ſtipulatus eſt & ad quod reſtituendum alter ſeſe obligavit. Ita conveniri poteſt, ne impenſæ utiles ac voluptuariæ ſint reſtituendæ, nec reſtituendæ ſint neceſſariæ, niſi conſenſu venditoris factæ, non tamen diſſentiendum ſit, ſi neceſſariæ faciunt ad rei conſervationem; vel ſine iis uſus haberi nequit; quem initio venditionis res habebat. Immo convenire etiam poteſt ita, quemadmodum *lex naturæ* reſtitutionem præſcribit (§. *cit.*): quo *ipſo* convenitur, quod eadem præciſe ſtare velint contrahentes, nec aliqua ex parte unus, vel alter jus quoddam ſuum remittere velit, ut adeo non ſuperflua, nec prorſus inutilis exiſtimari debeat iſtiuſmodi conventio. Ceterum cum ex principiis generalibus, quæ de reſtitutione ex emtione ſub conditione reſolutiva contracta demonſtravimus, nullo negotio inferantur, quæ ex pactis reſolutivis ſpecialibus reſtituenda ſint; ideo ſupervacaneum exiſtimo ad particularia deſcendere.

§. 1157.

De præſtatione emtoris ob moram in pretio ſolvendo.

Si emtor pretium non ſolvit eo tempore, quo ſolvere debet; venditori præſtare debet, quantum valet uſus pecuniæ a die moræ. Etenim ſi emtor pretium non ſolvit eo tempore, quo ſolvere debet, in mora eſt (§. 638. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum venditor carere cogatur uſu pecuniæ, adeoque lucrum ejus ceſſet, quod ex eodem habere poterat (§. 614. *part.* 3. *Jur. nat.*); lucrum ejus ceſſat, propterea quod emtor in mora eſt. Enimvero ſi lucrum tuum ceſſat, propterea quod alter in mora eſt, ad id quod intereſt tenetur (§. 655. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam emtor tenetur venditori ad id, quod intereſt, pecuniam eo tempore non fuiſſe ſolutam, quo ſolvi debebat, conſequenter ſi is pretium non ſolvit eo tempore, quo ſolvere debet, venditori præſtare tenetur, quantum valet uſus pecuniæ a die moræ.

Quantum valeat uſus pecuniæ, de eo deinceps dicemus. Lege civili permittitur, ut uſuræ a die moræ exigantur; quas ea pro uſu pecuniæ definit.

§. 1158.

Quando emtio non perficiatur, etſi de pretio fuerit conventum.

Si de pretio fuerit conventum & venditor ſe eam tibi pro eo dare declarat, tu tamen pretium ſtatim dare non vis, & venditor in dilationem conſentire non vult, emtio nulla eſt. Quamvis enim venditor, dum declarat ſe tibi rem pro pretio convento dare velle, in te transferat dominium rei emtæ (§. 13. *p.* 3. *Jur. nat.*); id tamen non transfert niſi ſub hac conditione, ſi pretium ſolveris (§. 958.). Quodſi adeo tu pretium ſtatim ſolvere nolis, venditor autem in dilationem

ejus

ejus conſentire noluerit, conditio deficit, adeoque in te dominium translatum non eſt (§. 534. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ſine translatione dominii non perficiatur emtio (§. 939.); in hypotheſi propoſitionis præſentis emtio nulla eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quando venditor vult pretium ſtatim ſolvi, dominium non tranſit in emtorem, niſi pretium ſolvatur (§. 960.). Quamobrem cum ſine translatione dominii non perficiatur emtio (§. 939.); in hypotheſi propoſitionis præſentis emtio nulla eſt.

Nihil adeo actum eſt; ſi venditor rem dare noluerit, niſi præſentem numeres pecuniam, tu vero numerare vel non poſſis, vel nolis. Pretii enim dilatio non ineſt ipſi contractui (§ 937), ſed per pactum, quod adjicitur, demum ad eum accedit, cum in arbitrio venditoris unice poſitum ſit, utrum in dilationem ſolutionis conſentire velit, nec ne (§. 959.).

§. 1159.

Quoniam emtio ſtatim nulla eſt, *ſi venditor pro pretio convento rem dare non vult, quia non præſentem offers pecuniam* (§. 1158.); *ſi poſtea rediens præſentem pecuniam numerare velis, venditor non obligatur ad rem pro pretio convento tradendam, interea etiam, donec redieris, eam alii vendere poteſt, niſi aliter conveniatur.* *Quid inde ſequatur.*

Nimirum quia emtio ſtatim nulla eſt, perinde omnino eſt, ac ſi a vobis non fuiſſet contractum. Unde ex contractu tibi quoque ad nihil obligatus eſt venditor. Res ipſius propria manſit, de qua adeo diſponere poteſt pro arbitrio ſuo. Cum te adeo redeunte de novo contrahere debet, atque adeo ipſius eſt arbitrii, num pro eo pretio rem nunc dare velit, in quod ante conſenſerat. Nihil enim obſtat, quominus pœnitere poſſit. Immo ab ipſius unice voluntate pendet, utrum nunc rem vendere, an retinere malit, utrum tibi, an alii vendere velit (§. 12. *part.* 3. *Jur. natur.*). Hæc ideo addimus, etſi vulgaria, ut præſcindamus injuſtas querelas. Oſtendendum quoque quid juri naturali conſentaneum ſit in iis, quæ vulgo fiunt ac jure fieri putantur. Id enim maxime uſui eſt in moralibus, ne a rectitudine actionum deflectas.

§. 1160.

Rem ſemel emtam venditori reddere nequit emtor, nec pretium repetenti reſtituere tenetur venditor: aut, ſi pretium nondum ſolvit, ab eo ſolvendo non liberatur emtor, quod rem reddere velit. Quodſi enim res ſemel emta, venditor dominium in emtorem tranſtulit (§. 939.), adeoque res emtoris propria eſt & ſi pretium ſtatim ſolutum, dominium quoque pecuniæ in venditorem translatum (§. 955.), adeoque ea ipſius propria eſt (§. 124. *part.* 3 *Jur. nat.*). Quodſi vero venditor in dilationem pretii conſentit, dominium in emtorem tranſit & pecunia tanquam mutuo data debetur (§. 960.). Quoniam itaque nemo jus ſuum quæſitum alteri invito auferre poteſt (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec quiſquam ſeipſum ab obligatione ſua liberare valet (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*); res ſemel emta venditori ab emtore reddi nequit, nec pretium repetenti reſtituere tenetur venditor, aut, ſi pretium nondum ſolvit, a ſolutione non liberatur emtor, quod rem reddere velit. *An res emta reddi ac pretium repeti poſſit.*

§. 1161.

Si emtione jam perfecta pretium ſolvere nolit emtor, vel rem tradere nolit venditor; in caſu priori venditori, in poſteriori emtori a pacto recedere licet. Etenim ex contractu emtionis venditionis perfecto emtor obligatur ad pecuniam ſolvendam, venditor ad rem tradendam (§. 982.), conſequenter emtio venditio mutuas præſtationes continet (§. 80. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo pretium ſolvere *Quando liceat ab emtione, vel venditione perfecta recedere.*

nolit emtor, vel rem tradere nolit venditor, in caſu priori emtor, in poſteriori venditor præſtare non vult, quod ex contractu debet. Enimvero ſi pactum mutuas præſtationes continet & unus paciſcentium præſtare nolit, quod debet, nec alter ad id præſtandum tenetur, quod ipſe debet, ſed ei a pacto recedere licet (§. 827. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi emtione jam perfecta pretium ſolvere nolit emtor, vel tradere rem nolit venditor, in caſu priori venditori, in poſteriori emtori a pacto recedere licet.

Per ſe patet, quando ab emtione venditione recedit vel emtor, vel venditor, eam reſcindi, ſeu pro non facta declarari (§. 928.). Quoniam vero neceſſe non eſt, ut in caſu priori venditor, in poſteriori emtor a contractu recedat, cum ſalvum ſit jus alterum ad contractum conſummandum vi adigendi (*not.* § 827. *part.* 3 *Jur. nat.*), pro vero autem haberi contra alterum non poſſit, niſi quod ſufficienter fuerit indicatum (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi in caſu priori venditor in poſteriori emtor a contractu recedere velit, id ipſum indicandum eſt, ac hoc demum pacto emtio venditio pro non facta habetur, adeoque reſcinditur (§. 928.). Hinc non licet venditori rem ſtatim alii vendere, ſi venditor pretium, cujus ſolutio conſenſu ipſius, vel in diem certum vel incertum fuerit dilata, non ſolvat, niſi ſub lege commiſſoria fuerit contractum (§. 1089.); ſed emtio ante reſcindenda, quam nova cum alio contrahi poſſit. Obiter quaſi & exempli gratia hoc monemus, ne in iis demonſtrandis ſimus juſto prolixiores, quæ ex antea demonſtratis facile deducuntur.

§. 1162.

Quando cum diſpendio partis pretii jam ſolutæ, vel arrhæ datæ a contractu recedatur.

Si parte pretii jam ſoluta, vel arrha data, re tamen nondum tradita, emtor a contractu recedere velit; venditor ab eodem recedens partem pretii jam ſolutam, vel arrham datam reſtituere non tenetur. Patet, ut ante (§. 1161.), emtionem venditionem eſſe contractum, ſeu pactum (§. 794. *part.* 3. *Jur. nat.*), quod mutuas præſtationes continet. Enimvero ſi qui a pacto diſcedit aliquid jam præſtitit, ego autem ipſi nihil adhuc præſtiti; ego ab eodem recedens nihil ipſi reſtituere teneor (§. 829. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi parte pretii jam ſoluta, vel arrha data, re tamen nondum tradita, emtor a contractu recedere velit; venditor ab eodem recedens partem pretii jam ſolutam, vel arrham datam reſtituere non tenetur.

Hoc minime contrariatur ei, quod ſupra demonſtravimus (§. 996.), ſi dator arrhæ contractum adimplere nolit, qui eam accepit, eum tamdiu retinere illam poſſe, donec ipſi fuerit ſatisfactum: etenim ibidem ſupponitur, venditorem, qui arrham accepit, a contractu ſemel perfecto recedere nolle, ad quod faciendum ipſum minime obligatum eſſe conſtat (*not.* §. 1161.). In præſenti autem propoſitione ſupponitur, quod a contractu etiam recedat venditor, quia ab eodem recedit emtor. Ceterum hinc patet, juri naturæ minime refragari, ut cum diſpendio arrhæ ab emtione ſemel perfecta recedatur, etiamſi non fuerit conventum, ut cum eodem recedere liceat, vel nonniſi cum eodem recedi poſſit. Quodſi enim ita fuerit conventum, conſentire debet venditor, ſi cum diſpendio arrhæ a contractu recedere velit emtor; ſi ita non fuerit conventum, venditori integrum eſt, utrum conſentire velit, nec ne. Neque vero exiſtimandum eſt, quod dubitandum non ſit, quin venditor ſemper a contractu recedere velit, ſi partem pretii datam, vel arrham datam lucrari poſſit: poſſunt enim venditori eſſe rationes, cur contractum adimpleri, quam lucrum iſtud habere malit, quas tamen hic ſigillatim perſtringere inſtituti noſtri non eſt.

§. 1163.

Quomodo emtio venditio diſſolvatur.

Emtio venditio ſemel perfecta, immo etiam conſummata, mutuo diſſenſu diſſolvitur. Emtio enim venditio contractus eſt (§. 937.), ſeu pactum (§. 794. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero pacta a contrahentibus diſſolvuntur mutuo diſſenſu (§. 840. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam emtio venditio ſemel perfecta, immo etiam conſummata, mutuo diſſenſu diſſolvitur.

Hinc rem emtam recipit venditor, pretium vero emtori reſtituit, aut a ſolutione, ſi adhuc debet, emtorem liberat, vel venditor reſtituit pretium, aut partem pretii, vel arrham datam,

&

& rem, ſi nondum tradidit, retinet. Aliud nimirum eſt pactum diſſolvere (§. 836. *part. 3. Juris nat.*); aliud vero ab eodem recedere, quia alter ab eodem recedit (§. 827. *p. 3. Jur. nat.*). Pacta diſſolvi poſſunt, etiamſi jam fuerint conſummata; ab iis autem non receditur, ſi jam conſummata fuerint, nec qui ex ſua parte id conſummavit, ab eo amplius recedere poteſt.

§. 1164.

Si emtio fuerit diſſoluta, & emtorem pœniteat, venditor ad rem pro pretio præſente tradendam non obligatur; vel ſi venditorem pœniteat, emtor ad pretium pro re ſibi tradenda ſolvendum non obligatur. Quando enim paciſcentes pactum diſſolvunt, inter ſe conveniunt, quod neuter ab altero exigere velit, quod ex pacto ſibi debetur (§. 844. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi emtio diſſolvitur, emtor ac venditor inter ſe conveniunt, quod emtor a venditore exigere nolit rei traditionem, venditor vero exigere nolit pretii ſolutionem. Quodſi ergo emtio fuerit diſſoluta, & emtorem pœniteat, venditor ad rem pro pretio præſente tradendam non obligatur, vel ſi venditorem pœniteat, emtor ad pretium pro re ſibi tradenda ſolvendum non obligatur. *Effectus diſſolutionis.*

Nimirum quamprimum emtio diſſolvitur, perinde eſt ac ſi ea non fuiſſet contracta, & utraque pars ſtatim liberatur ab obligatione ſua, quam contraxerat; utraque etiam ex contractu jus nullum retinet.

§. 1165.

Res evinci dicitur, ſi quis eam ob jus, quod in ea habet, nec exercere poteſt, niſi eam in poteſtate ſua habet, a poſſeſſore aufert. Unde *Evictio* eſt ablatio rei a poſſeſſore ob jus auferenti in ea competens, quod exercere nequit, niſi eam habeat in poteſtate ſua. *Evictio quid ſit.*

In Jure civili additur, ablationem fieri debere per ſententiam judicis. Enimvero cum in ſtatu naturali originario nemo alterius poteſtati ſubjectus ſit (§. 143. *part.* 1. *Jur natur.*), ſed quilibet ſui juris ſit (§. 144. *part.* 1. *Jur. nat.*); evictio nobis ita definienda fuit, ut ſtatui huic conveniat. An vero neceſſe ſit, ut res in ſtatu civili ſententia judicis evincatur, ſuo videbimus loco. Sed demus exemplum, ut definitio, quam dedimus, rectius intelligatur. Tu a non domino emiſti rem alienam, eamque tibi a venditore traditam poſſides. Dominus ob dominium ſibi in ea competens eam vindicat (§. 544. 545. *p.* 2. *Jur. nat.*). Ablatio hæc dicitur evictio, etſi vi facta (§. 543. *part.* 2. *Jur. nat.*), juſto nimirum bello erepta ei, qui eam, dominio probato, reſtituere non vult, ſolo titulo juſto poſſeſſionis ſe defendens.

§. 1166.

Evictionem præſtare dicitur, qui ſatisfacit alteri pro damno, ob rem evictam eidem obveniente. Unde *Præſtatio evictionis* eſt reparatio damni ob rem evictam poſſeſſori obvenientis. *Præſtatio evictionis quid ſit.*

Ita ſi res emta evincitur, cum pretium amittas, quod pro ea dediſti, evictio præſtatur, ſi idem tibi reſtituitur a venditore, ac quod præterea aliud damnum incurris; propterea quod res evicta fuit, tibi reſarcitur.

§. 1167.

Emtor pretium ſolvit ſub hac conditione, ut res ſit ſua. Dat enim pretium rei, ſeu pecuniam, qua æſtimatur, pro re (§. 937.), conſequenter pretium dare non vult, niſi venditor etiam det rem, adeoque dominium ejus in ſe transferat (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), ut ea ſit ſua (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem patet emtorem non ſolvere pretium, niſi ſub hac conditione, ut res a venditore ſibi tradita ſit ſua. *Quomodo pretium pro re ſolvatur.*

Ab-

Abſurdum ſane foret ſtatuere; emtorem velle pretium ſolvere, etiamſi res tradita ſua eſſe non debeat, ſed alterius, qui eam ab emtore iterum auferre poſſit.

§. 1168.

De re aliena a ſciente emta. *Qui ſciens rem alienam emit, poſſeſſionem ſaltem emere intelligitur*. Qui enim ſcit rem eſſe alienam, is quoque ſcit, venditorem rem vendere non poſſe, nec ſe ab eo acquirere niſi poſſeſſionem (§. 941.). Quamobrem cum nihilominus venditori pretium ſolvat; pro poſſeſſione id ſolviſſe cenſetur. Quodſi ergo quis ſciens rem alienam emit, poſſeſſionem ſaltem emere intelligitur.

Rem a non domino emere non potes; quia eam tibi vendere nequit. Si ergo tibi rem tradit, nonniſi poſſeſſionem in te transfert. Nec eſt quod excipias, te ignoraſſe, quod rem alienam vendere nequeat. Si quis enim rem tuam vendere velit, hoc minime pateris: &, ubi te inſcio vendiderit, emtionem validam eſſe debere non vis, ſed rem tuam tibi reſtitui petis. Ignorantia igitur, quam prætendis, nulla eſt.

§. 1169.

An quilibet venditor præſumatur dominus. *Venditor præſumitur dominus rei, niſi proſtent rationes in contrarium*. Quoniam enim rem vendere, adeoque eam tibi dare vult (§. 937.), pro domino ſe gerit (§. 676. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque eam detinet tanquam ſuam (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter eam poſſidet (§. 150. *p. 2. Jur. nat.*). Sed poſſeſſor quilibet præſumitur dominus rei, niſi proſtent rationes probabiles in contrarium (§. 1033. *part. 3. Jur. nat.*). Ergo etiam venditor præſumitur dominus rei, niſi proſtent rationes in contrarium.

Dominii probatio difficilis. Quamobrem emtio venditio difficillime contraheretur; ſi non ante contrahenda eſſet, quam dominium ſuum probaſſet venditor. Cum igitur hoc contractu quotidie opus habeant homines ad eas res ſibi comparandas, quibus indigent; dominii præſumtio ad emtionem contrahendam ſufficit.

§. 1170.

Quomodo cum venditore contrahatur. Quoniam quilibet venditor præſumitur dominus rei, niſi proſtent rationes in contrarium (§. 1169.); *emtor quilibet cum venditore tanquam cum domino contrabit, niſi noverit rem eſſe alienam*.

Nemini imputari poteſt, quod rem a non domino emerit, quem dominum eſſe putabat, cum iſta præſumtio admittenda ſit in emtione, quamdiu nullæ proſtant rationes in contrarium.

§. 1171.

An præſtatio evictionis inſit emtioni. *Emtioni ineſt tacita hæc conditio, ut evictio præſtetur*. Emtor enim pretium ſolvit ſub hac conditione, ut res ſit ſua (§. 1167.), adeoque tanquam dominus de ea pro arbitrio ſuo diſponere poſſit (§. 118. 121. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter vult pretium ſibi reſtitui, niſi res ſit ſua, & ut reſarciat damnum inde obveniens, quod ea tanquam ſua uſus. Quoniam itaque ſua non manet, ſaltem non pleno jure (§. 137. *part. 2. Jur. nat.*), ſi quis rem ab eodem aufert ob jus ſibi in ea competens, quod exercere nequit, niſi eam habeat in poteſtate ſua, conſequenter ſi eam evincit (§. 1165.); emtor utique vult pretium ſibi reſtitui &, ſi quod aliud ipſi obveniat, damnum, quod re tanquam ſua uſus, id ſibi reſarciri (§. 494. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum evictio præſtetur, ſi venditor emtori ſatisfacit pro damno ob rem evictam eidem obveniente (§. 1166.); emtor pro re non ſolvit pretium niſi ſub hac conditione, ut venditor evictionem præſtet. Emtioni itaque ineſt tacita hæc conditio, ut evictio præſtetur.

Nemo

Nemo vult emtionem ſibi eſſe damnoſam. Niſi enim fortes adſint rationes in contrarium, in emtione venditione is animus eſſe videtur contrahentibus, ut obſervetur æqualitas (§. 976.), conſequenter ut, quantum quis dat, tantum ab altero recipiat (§. 898). Hic autem animus eſſe nequit emtori, ſi nolit evictionem ſibi præſtari.

§. 1172.

Quoniam emtioni ineſt tacita hæc conditio, ut evictio præſtetur (§. 1171.); *venditor emtori ad evictionem præſtandam ex ipſo contractu obligatur, etiamſi eam expreſſe non promiſerit*, conſequenter ad eam præſtandam ſe obligaverit (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*). *Evictionis præſtationem ex ipſa emtione ac venditione deberi.*

Non tamen hoc obſtat, quominus emtor evictionis præſtationem ſibi promitti jubeat: quoniam enim hac promiſſione contrahitur obligatio eam præſtandi; venditorem ſic firmior tenet obligatio.

§. 1173.

Circumſpecti eſſe debemus, ne in caſu dubio rem majoris præſertim pretii ab eo emamus, qui evictionem præſtare nequit. Si quis enim evictionem præſtare nequit, is reparare nequit damnum ob rem evictam nobis obveniens (§. 1166.), adeoque damnum incurrimus, quod rem ab eo emerimus, qui evictionem præſtare nequit. Quamobrem cum omnem operam dare debeamus, ut caveamus, ne nobis quoad patrimonium noſtrum damnum aliquod inferatur (§. 494. *part. 2. Jur. nat.*); circumſpecti utique eſse debemus, ne in caſu dubio rem majoris præſertim pretii ab eo emamus, qui evictionem præſtare nequit. *Qua circumſpectione opus ſit in emendo.*

Si ſatis conſtet, nos a domino emere, per ſe patet, hac circumſpectione non eſſe opus. Immo præſtat emere a domino, qui evictionem præſtare nequit, quam non dominum ſibi obligatum habere ad evictionem præſtandam, etiamſi eam præſtare poſſit.

§. 1174.

Si quis ſciens a non domino emit; ad evictionem ipſi præſtandam non tenetur. Qui enim ſciens a non domino emit, poſſeſſionem tantummodo emere intelligitur (§. 1168.), conſequenter novit, rem ſuam non eſse, & eam a domino evinci poſse. Emtio adeo poſseſſionis in ſe non continet obligationem præſtandi evictionem, neque adeo ad eam præſtandam non dominus ei obligatur, qui rem emere non poterat, nec debebat. *An ei, qui ſciens rem alienam emit, obligetur venditor ad præſtandam evictionem.*

Si quis ſciens emit rem alienam; quam ſibi traditam domino reſtituere obligatus eſt (§. 467. *part. 2. Jur. natur.*), dolum committit (§. 701. 705. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hic adeo nullam parere poteſt obligationem ad præſtationem evictionis, cum ſit actus lege naturali prohibitus (§. 300. *part. 1. Jur. nat.*). Sibi adeo imputet emtor, ſi in damnum incurrit.

§. 1175.

Evinci etiam poſſunt res incorporales. Etenim res incorporales non minus in dominio ſunt, quam corporales (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque eas dominus a poſseſsore vi juris ſui non minus auferre poteſt, quam corporales, conſequenter evinci etiam poſsunt (§. 1165.). *An res incorporales evinci poſſint.*

§. 1176.

§. 1176.

Jura in re aliena num evinci poſſint. Quoniam jura in re aliena nobis competentia res incorporales ſunt (§. 497. *part.* 1. *Jur. nat.*), res vero incorporales evinci poſsunt (§. 1175.), *jura etiam in re aliena nobis competentia evinci poſſunt.*

Ex. gr. Si mihi competit uſusfructus in agro tuo, & tu eum vendis alteri; dubium non eſt, quin uſumfructum evincere poſſim, ſeu ego te vi adigere queam in ſtatu naturali ad uſumfructum mihi concedendum. Idem intelligitur, ſi tibi vendo jus venandi, quod non mihi, ſed alii competit.

§. 1177.

An in venditione rerum incorporalium præſtanda evictio. *Si res incorporalis venditur, venditor obligatur ad evictionem præſtandam.* Etenim etiam res incorporales perinde ac corporales vendi (§. 1101.), ac evinci poſsunt (§. 1176.). Quamobrem cum emtioni inſit tacita hæc conditio, ut evictio præſtetur (§. 1171.), conſequenter emtori ex ipſo contractu obligatus ſit venditor ad evictionem præſtandam; quin etiam ad eam præſtandam obligetur venditor, ſi res incorporalis vendatur, dubitandum non eſt.

Ex. grat. Vendo tibi jus venandi, quod non mihi competit, ſed alii, ſive bona, ſive mala fide, modo tu putes id mihi competere. Quodſi hoc ab eo, cui competit, evincatur; ego tibi obligatus ſum ad evictionem præſtandam. Similiter tu a me emis uſumfructum in re mea ad certum diem, qui tamen alii competit. Quodſi hic eundem evincat, ego tibi evictionem præſtare teneor.

§. 1178.

Jura rei alienæ inhærentia num ſint vitia. *Jura, quæ quis in re alterius habet, referuntur inter vitia rei.* Etenim cum domino competat jus non patiendi, ut quis alius quicquam faciat ſe invito, quod ſibi vi dominii facere licet (§. 121. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſi quis jus in re alterius quoddam habet, hoc ipſo dominium deminuitur, adeoque res ipſa uſui ſuo minus apta redditur. Quamobrem cum vitia rei ſint, quæ eidem inhærent ac eam uſui ſuo minus aptam reddunt (§. 1043.); jura, quæ quis in re alterius habet, referuntur inter vitia rei.

Ex. gr. Si quis in agro tuo habet jus exigendi decimas; hoc jus vitium agri eſt. Similiter ſi cui hypotheca in agro tuo conſtituta, ea agri vitium eſt.

§. 1179.

An ea emtori indicanda. Quoniam jura, quæ quis in re alterius habet, inter vitia rei referuntur (§. 1178.), vitia vero rei, quæ aliunde nota non ſunt, emtori indicare tenetur venditor (§. 1044.); *ſi in re, quam vendere vis, alteri cuidam jus quoddam competit, id emtori indicare debes, niſi jam aliunde ſit notum.*

§. 1180.

De præſtanda evictione juris in re emta tertio competentis. *Si tertius quidam jus quoddam ſibi competens in re emta evincit; venditor evictionem præſtare tenetur.* Quodſi enim venditor non indicet emtori, jus quoddam in ea re, quam ipſi vendit, tertio cuidam competere, cum illud indicare debeat (§. 1179.), dum dominium in eum transfert (§. 939.), jus quoque excludendi alium quemcunque quocunque jure in ea re transfert (§. 121. *part.* 2. *Jur. nat.*),

nat.), conſequenter hoc ipſum jus, tanquam rem incorporalem (§. 498. *part.* 1. *Jur. nat.*), eidem vendit. Enimvero ſi res incorporalis venditur, venditor obligatur ad evictionem præſtandam (§. 1177.). Ergo etiam obligatur ad præſtandam evictionem, ſi tertius quidam jus quoddam ſibi competens in re emta evincit.

Quoniam jus in re emta tertio competens eſt vitium rei (§. 1178.), adeoque accidens ingratum (§. 1043.), quod pretium rei minuit (§. 1039.), immo ſubinde omnem utilitatem ex re percipiendam adimit, veluti uſusfructus, quem quis in ea re habet; cum in omni venditione is animus eſſe videatur contrahentibus, ut obſervetur æqualitas, niſi adſint rationes fortes in contrarium (§. 976.), conſequenter emtor tantundem recipere velit, quantum dat (§. 988.), æquitati maxime convenit præſtatio evictionis juris tertio cuidam in re vendita competentis.

§. 1181.

Si quis inſcius rem alienam emit ac poſtea ex alia cauſa dominium rei acquirit, eam a ſeipſo evincere poteſt & venditor ad præſtandum evictionem eidem tenetur. Etenim ſi quis inſcius rem alienam emit, venditor ex ipſo contractu obligatur ad evictionem præſtandam (§. 1172.). Enimvero ſi poſtea ex alia cauſa dominium ejus acquirit, eandem non minus, quam anterior dominus, evincere poteſt a quocunque poſſeſſore (§. 1165.), conſequenter etiam a ſeipſo, in quem nonniſi poſſeſſio translata a venditore (§. 941.). Quamobrem venditor quoque obligatur ad præſtandam evictionem, ſi quis inſcius rem alienam emit ac poſtea ex alia cauſa dominio acquiſito eandem a ſeipſo evincit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*).

De præſtanda evictione rei a ſeipſo evictæ.

Nimirum in hoc caſu emtor duplicem repræſentat perſonam, primo emtoris, deinde domini. Qua emtor poſſeſſionem habet ex contractu, qua dominus dominium ex alia cauſa. Quamobrem cum dominus rem a poſſeſſore evincere poſſit; nil obſtat, quo minus aliquis tanquam dominus rem a ſe evincat tanquam a poſſeſſore. Nulla vero ratio eſt, cur obligatio venditoris extingui debeat per hoc, quod dominium rei in te translatum fuerit; quæ extincta minime fuiſſet, ſi vel anterior dominus idem retinuiſſet, vel in alium transtuliſſet. Ex. gr. Tu emis a Sempronio librum, qui meus eſt. Ego poſtea librum hunc tibi dono. Nulla ſane eſt ratio, cur ideo carere debeas pretio, quod tibi reſtituendum erat a Sempronio, ſi ego a te librum eviciſſem: neque enim id Sempronio donare volui, ſed tibi.

§. 1182.

Si venditor rei alienæ poſtea ex alia cauſa dominium ejus acquirit & eam ab emtore evincit; ad præſtandam evictionem eidem tenetur. Quodſi enim res aliena fuerit vendita, emtor non acquiſivit niſi poſſeſſionem (§. 941.). Quamobrem ſi poſtea venditor ex alia cauſa dominium ejus acquirit, eandem non minus, quam anterior dominus, a quocunque poſſeſſore evincere poteſt (§. 1165., conſequenter etiam ab emtore ſuo. Enimvero huic obligatur ad præſtandam evictionem ex ipſo contractu (§. 1172.). Quoniam itaque jus quæſitum emtori auferre nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); ad præſtandam evictionem hanc emtori tenetur.

De præſtanda evictione, ſi res ab ipſo venditore evincatur.

Non eſt, quod exiſtimes; emtionem validam fieri debere, quæ antea nulla erat (§. 941.), poſtquam dominium in venditorem translatum. Etenim quamprimum is fit dominus, in ejus arbitrio poſitum eſt, utrum dominium, quod nactus eſt, in te transferre malit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), an evictionem præſtare velit, ad quam præſtandum tibi obligatus (§. 1172.): Quemadmodum itaque tu uti potes jure tuo, ut præſtationem evictionis exigas; ita etiam venditor uti poteſt jure ſuo, ut rem a te evincat. Hoc modo neuter de injuria ſibi facta conqueri poteſt.

§. 1183.

Quamdiu res pro evicta haberi nequeat.

Si res poſſeſſori aufertur, jure, quod auferens in ea prætendit, nondum ſufficienter probato, ea evicta non eſt. Etenim antequam auferens jus, quod in re ab altero poſſeſſa prætendit, ſufficienter probavit, conſtare nequit, num revera jus iſtud eidem competat. Quodſi ergo eandem poſſeſſori aufert, dici minime poteſt, eam eſſe ablatam ob jus auferenti in eandem competens. Quamobrem cum res evicta non ſit, niſi fuerit ablata ob jus auferenti in eadem competens (§. 1165.); ea quoque evicta non eſt, ſi res poſſeſſori auferatur jure, quod auferens in ea prætendit, nondum ſufficienter probato.

Ex. grat. Emiſti a me fundum, in quo dominium prætendit Titius. Si eundem tibi aufert, antequam dominium ſufficienter probaverit, fundus evictus non eſt. Aliud nimirum eſt prætendere dominium in fundo; aliud idem in eodem habere.

§. 1184.

Probatio quænam ad evictionem requiratur.

Quoniam res evicta non eſt, quæ poſſeſſori aufertur, antequam auferens jus ſuum in eadem, quod prætendit, ſufficienter probavit (§. 1183.); *ad evictionem requiritur ſufficiens juris auferenti in re competentis probatio.*

Sane ſi dominium in re habere prætendis, natura vi adigere nequis eum, qui eandem in poteſtate ſua habet, ut reſtituat, antequam dominium probaveris (§. 546. *part. 2. Jur. nat.*). Ac idem intelligitur de quocunque alio, qui potius jus quoddam aliud in ea prætendit. Quando nimirum rem evincis, eam jure auferre debes. De jure autem ſuo conſtare nequit ſine probatione.

§. 1185.

Auctor quinam dicatur.

Auctor, ſcilicet juris, quod quis in re habet, dicitur is, a quo is rem accepit, ſeu a quo jus in eum tranſiit. Quamobrem cum emtor jus ſuum habeat a venditore (§. 939.); *venditor autor eſt*; juris ſcilicet emtori in re emta competentis.

Hinc & venditores dicuntur auctores, veluti ſi tu a me emis agrum, a me auctore eum emiſti, ſi nempe vendidi tanquam meum, adeoque meo, non alieno nomine. Proprie autem loquendo nec venditor eſt, niſi qui ſuo nomine vendit: qui enim alieno nomine vendit, mandatarius venditoris eſt.

§. 1186.

Malus auctor quinam ſit.

Malus auctor vocatur is, qui tale jus, quod in alium transferre debet, non habet.

Ex. grat. Si a non domino rem emis, erit is malus auctor, quia dominium, quod in te transferre debet (§. 939.), non habet. Hinc *Cicero* Verrin. 7. *Tum illi*, inquit, intellexerunt, *ſe id, quod a malo auctore emiſſent, diutius obtinere non poſſe*: ubi per auctorem intelligitur venditor, & hic malus auctor appellatur, quia jus vendendi, ſeu dominium, quod transferre debebat, non habebat.

§. 1187.

Auctori quando conſtare debeat.

Si auctor evictionem præſtare debet, de probatione juris, ob quod rem poſſeſſori auferre vult alius, ei conſtare debet. Etenim evictio præſtatur ob rem evictam (§. 1166.). Sed res non ante evicta eſt, quam jus, quod eam auferens in ea præ-

prætendit, ſufficienter fuerit probatum (§. 1183.). Quamobrem ut norit auctor, qui evictionem præſtare debet, eam eſſe evictam, quomodo is, qui eam auferre vult, jus, quod in ea prætendit, probet perſpectum eſſe debet, ſeu eidem de probatione juris, ob quod rem poſſeſſori auferre vult alius, conſtare debet. *de probatione juris prætenſi.*

Ex. gr. Tu emiſti a me agrum. Si Titius eum vindicare voluerit, cum ego ad præſtandam evictionem tibi ſim obligatus (§. 1172.), mihi auctori (§. 1185.) perſpectum eſſe debet, quomodo is dominium ſuum probet.

§. 1188.

Naturaliter perinde eſt, ſive probatio ante evictionem, ſive poſt eandem autori innoteſcat: quando tamen jus prætendentis dubium eſt, auctori indicandum eſt, quod is rem evincere velit. Etenim res non ante dici poteſt evicta, quam jure prætendentis ſufficienter probato (§. 1183.). Quodſi adeo id ſufficienter probatum fuerit, rem evictam eſſe agnoſcere tenetur auctor. Quamobrem perinde eſt, ſive probatio ante evictionem, ſive poſt eandem eidem innoteſcat. *Quod erat unum.* *Quandonam probatio auctori innoteſcere debeat.*

Enimvero ſi jus prætendentis dubium eſt, non ſatis apparet, utrum ſufficienter ſi probatum, an vero contra probationem quædam adhuc excipi poſſint (§. 417. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem cum auctor evictionem præſtare teneatur *per hypoth.* ipſius potiſſimum res agitur, adeoque conſtare debet, num habeat, quæ probationi opponere poſſit. Neceſſe igitur eſt, ut ipſemet de probatione ſtatuat, præſertim cum jus, quod in alterum transferre voluit, quomodo acquiſiverit eidem debeat eſſe perſpectum, conſequenter ipſi indicandum eſt, quod rem evincere velit adverſarius.

Immo præſtat fere ſemper auctori indicare, quod adſit qui rem evincere velit, ne demum cum eo litigandum ſit, utrum res fuerit evicta, nec ne, antequam eum ad præſtandam evictionem compellere poſſis. Quando rem ab auctore accipis, non exigis ab eo probationem ejus juris, quod ab eo in te tranſire debet, ſed id ipſi competere ſupponis. Unde facile fieri poterat, niſi jus adverſarii ſit notorium, ut per ignorantiam vel errorem probationem tanquam ſufficientem admitteres, quæ non eſt.

§. 1189.

Permutantes ſibi invicem obligantur ad præſtandam evictionem. In permutatione enim datur res pro re (§. 879.), conſequenter cum pecunia fungatur vice cujuslibet rei (§. 292.), perinde eſt ac ſi uterque permutantium pro ea re, quam accipit, alteri pecuniam daret, adeoque eandem ab ipſo emeret (§. 937.). Enimvero venditor emtori ad præſtandam evictionem ex ipſo contractu obligatur, etiamſi eam expreſſe non promiſerit (§. 1172.). Quamobrem etiam permutantes ſibi invicem obligantur ad præſtandam evictionem. *An in permutatione præſtanda evictio.*

Eadem præſtandæ evictionis ratio eſt in permutatione, quæ in emtione venditione. Quemadmodum emtor non vult pecuniam dare gratis venditori; ita nec unus permutantium gratis dare vult rem ſuam alteri. Gratis autem dediſſet is, a quo res evincitur, niſi evictio præſtaretur (§. 1165. 1166.). Immo cum poſſeſſor, quando res evincitur, alia quoque reſtituere haud raro teneatur (§. 434. *part. 2. Jur. nat.*), & ipſaquoque evictio eſſe poſſit ſumtuoſa; præterea is damnum incurreret, niſi evictio præſtaretur. Nemo autem ementium ac permutantium vult contractum ſuum ſibi eſſe damnoſum (§ 920. 976.).

§. 1190.

An in donatione præſtanda evictio.

Donator donatario non obligatur ad præſtandam evictionem. Donator enim rem dat gratis (§. 48.), adeoque nihil pro ea recipit a donatario (§. 18.), adeoque in

in donatarium non transferre voluiſſe cenſetur niſi jus, quale ipſi competit. Quodſi ergo tertio cuidam competat jus potius, ob quod rem donatam evincit; nulla ſane ratio eſt, cur pretium ejus præſtare debeat donatario, adeoque ejuſdem evictionem præſtare teneatur (§. 1166.). Quoniam itaque ex ipſo actu donator donatario ad præſtandam evictionem non obligatur (§. 170. *Ontol.*), nec ad eam præſtandam promittendo expreſſe ſeſe eidem obligat, qui donat (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*); donator donatario non obligatur ad præſtandam evictionem.

Equidem in Jure civili præſtatio evictionis exigitur in donatione remuneratoria; id tamen naturale non eſt, cum ad donum remuneratorium nullum competat donatario jus perfectum, quo id tanquam ſibi debitum exigere poterat.

§. 1191.

Quando-nam donator damnum reſarcire teneatur donatario.

Si donator ſciens donatario tradit rem alienam, quaſi donatam & ob evictionem damnum quoddam incurrit donatarius; donator id reſarcire tenetur. Donator enim cum ſciret rem eſſe alienam, adeoque eam a ſe alteri donari non poſſe (§. 97.); donatione ſua in cauſa eſt, ut donatarius ob evictionem damnum incurrat, adeoque dolo damnum dediſſe eidem cenſetur (§. 705. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 488. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum damnum dolo datum ſit reſarciendum (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); quin donator donatario teneatur ad reſarciendum damnum, quod ob evictionem incurrit, ſi ſciens rem alienam tradit quaſi donatam, dubitandum non eſt.

Nimirum rem alienam ſuo domino reſtituere debebat donator (§. 467. *part.* 2. *Jur. natur.*), non tibi donare (§ 97.), & quod ob evictionem metuendum erat damnum a te avertere tenebatur (§. 495. *p.* 2. *Jur. nat.*). Actus adeo donationis contrariatur & juri domini, & officio erga donatarium, conſequenter omnino culpoſus eſt.

§. 1192.

De evictione præſtanda in actu mixto ex donatione & permutatione, vel emtione.

Si actus mixtus eſt ex donatione ac permutatione, vel ex donatione ac venditione; evictio præſtanda, in quantum is valet ut permutatio, vel venditio. Etenim in donatione non præſtanda evictio (§. 1190.), præſtanda vero eſt in venditione (§. 1171.). Quodſi ergo actus mixtus ſit ex donatione ac permutatione, vel venditione; evictio præſtanda non eſt, niſi in quantum is valet ut permutatio, vel venditio.

Nimirum in actu iſtiuſmodi mixto inæqualitas eſt rerum permutatarum, vel rei emtæ ac pretii, adeoque ex iſta inæqualitate facile intelligitur, quantum ſit donatum, quantum vero permutatum, aut venditum.

§. 1193.

An valeat renunciatio de evictione non præſtanda.

Naturaliter præſtationi evictionis renunciari poteſt. Etenim naturaliter quilibet juri ſuo renunciare poteſt (§. 118.). Quamobrem cum tibi competat jus exigendi præſtationem evictionis ab eo, qui ad eam præſtandam tibi obligatus eſt (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quin eidem, conſequenter præſtationi evictionis naturaliter renunciari poſſit, dubitandum non eſt.

Sane ſi res ſive emta, ſive permutata a te evincitur; nemo te compellere poteſt, ut præſtationem evictionis exigas ab emtore, vel permutante, ſiquidem exigere nolueris, cum jus tuum remittere (§. 117. *part.* 3 *Jur. nat.*), adeoque eum, qui evictionis præſtationem tibi debet, ab obligatione ſua liberare poſſis (§. 97. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quidni ergo præſtationi evictionis renunciare poſſis, antequam conſtet, num quis ſit, qui rem evincere velit ac poſſit. Hoc tamen minime obſtat, quo minus lege poſitiva renunciatio efficiatur invalida, cum rationes civiles eſſe poſſint, ob quas ex naturaliter licito efficiatur civiliter illicitum, quemadmodum ſuo loco clarius eluceſcet.

§. 1194.

§. 1194.

Locatio conductio eſt contractus oneroſus, quo certus rei uſus conceditur, aut certa opera præſtatur pro certa mercede. Unde locatio conductio dividitur in locationem conductionem rerum & locationem conductionem operarum. Et *Penſio* dicitur, quod ſolvitur pro uſu rei, præſertim immobilis. *Locatio conductio quid ſit.*

Ex. gr. Si pro uſu agri quotannis alteri ſolvis 100. thaleros; contractus locatio conductio eſt. Si aurifabro des certam mercedem, ut ex auro tuo tibi faciat annulum; locatio conductio eſt.

§. 1195.

Qui pro uſu rei alteri mercedem ſolvit, itemque is, cui operæ pro mercede præſtantur, dicitur *Conductor*, ille quidem *rei*, hic *operarum*: qui vero pro mercede concedit uſum rei, vel etiam pro operis ſuis eandem accipit, vocatur *Locator*, ille quidem rei, hic vero operarum. In ſpecie conductor ædium *Inquilinus*; agri *Colonus*; operis faciendi *Redemtor* apellatur, qui poſtremus idem eſt cum locatore operarum. *Conductor & Locator operarum.*

Ex. grat. Ego tibi concedo uſum ædium mearum pro certa mercede: ego locator ſum, tu conductor ædium es. Similiter aurifaber tibi facit annulum ex auro tuo: tu conductor es, ille locator operarum. Nimirum cum rebus æquipolleant operæ (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*); operas præſtare idem eſt ac uſum rei ſuæ concedere. Cum itaque rem locare dicatur, qui uſum rei concedit; locator etiam dicendus, qui operas præſtat. Et quoniam eodem modo intelligitur, mercedem pro operis ſolvere idem eſſe ac mercedem ſolvere pro uſu rei, qui vero pro uſu rei mercedem ſolvit, rei conductor vocatur; conductor etiam operarum dicendus, qui pro iis mercedem ſolvit.

§. 1196.

Quamprimum locator & conductor conveniunt de mercede pro uſu rei vel operis præſtandis ſolvenda; locatio conductio perficitur. Etenim conductor vult, ut locator ſibi concedat uſum rei ſuæ, aut certas operas præſtet; locator vero, ut conductor pro uſu rei, aut operis præſtitis ſibi ſolvat certam mercedem (§. 1195.). Quamobrem ſi locator & conductor conveniunt de mercede pro uſu rei vel operis præſtandis; locator declarat, ſe uſum rei ſuæ conductori pro mercede conventa concedere, vel operas quas ſibi præſtari vult, præſtiturum, & conductor viciſſim declarat ſe pro uſu rei vel operis præſtitis mercedem iſtam ſoluturum. Quoniam itaque contrahentes non præſumuntur nihil agere velle (§. 278. *p.* 3. *Jur. nat.*); locatio conductio ſtatim perfecta intelligitur, quamprimum locator & conductor de mercede pro uſu rei vel operis præſtandis ſolvenda conveniunt. *Quando locatio conductio perficiatur.*

Nimirum ad perfectionem contractus locationis conductionis nihil amplius requiritur, quam ut locator promittat conceſſionem uſus vel operas præſtandas pro mercede ſibi ſolvenda, & conductor ſolutionem mercedis pro uſu conceſſo, vel operis præſtitis, adeoque ad eam perficiendum nil amplius reſtat, quamprimum de mercede pro uſu rei concedendo, vel operis præſtandis convenerunt.

§. 1197.

Quoniam locatio conductio perficitur, quamprimum locator & conductor de mercede pro uſu rei vel operis præſtandis ſolvenda conveniunt (§. 1196., adeoque de eo inter ſe conſentiunt (§. 699. *part.* 3. *Jur. nat.*), *locatio conductio mutuo locatoris & conductoris conſenſu perficitur*, conſequenter cum contractus conſen- *Qualis ſit contractus.*

ſualis

ſualis ſit, qui ſolo conſenſu mutuo perficitur (§. 725.), *locatio conductio contractus conſenſualis eſt*.

§. 1198.

Obligatio locatoris & conductoris. *Locator obligatur conductori ad uſum rei conventum, vel operas promiſſas præſtandum, & conductor ad pretium pro uſu ſibi conceſſo vel operis præſtitis ſolvendum, quamprimum de mercede pro uſu rei, vel operis ſolvenda conventum eſt*. Etenim locatio conductio perfecta eſt, quamprimum de mercede pro uſu rei, vel operis ſolvenda conventum (§. 1196.). Quamobrem cum ex contractu perfecto oriantur obligationes ad id præſtandum; de quo conventum eſt (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*), in contractu autem locationis conductionis convenitur, ut locator uſum rei, vel operas præſtet, conductor mercedem ſolvat [(§. 1194.); quamprimum de mercede pro uſu rei, vel operis ſolvenda conventum eſt, locator obligatur conductori ad uſum rei conventum, vel operas promiſſas præſtandum, & conductor ad pretium pro uſu ſibi conceſſo, vel operis ſolvendum.

Obligatio nimirum naſcitur ex reciproca promiſſione (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*), quæ continetur mutua declaratione conſenſus de mercede pro uſu rei, vel operis ſolvenda; quo contractus perficitur (§. 1196.).

§. 1199.

An conductor mercedem ſolvere teneatur, ſi re vel operis locatis non utatur. Quoniam conductor ſtatim obligatur ad mercedem pro uſu rei, vel operis ſolvendam, quamprimum de mercede pro uſu rei, vel operis ſolvenda conventum eſt (§. 1198.), nemo autem altero invito ab obligatione ſua ſe liberare poſſit (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*); *conductor mercedem ſolvere tenetur, etiamſi re vel operis locatoris uti noluerit, modo interea locator rem, vel operas alii non locaverit*. Quodſi enim hoc fecerit, a contractu & ipſe receſſiſſe, conſequenter ipſe contractus mutuo diſſenſu diſſolutus cenſetur (§. 840. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Ex. gr. Conduxiſti equum: ſed eodem uti non vis, vel non potes. Hoc non obſtante merces ſolvenda, niſi in eundem diem qui conducat adſit alius. Similiter conduxiſti ædes meas: ſed eas demum inhabitare potes ſex elapſis menſibus. Tu nihilominus penſionem pro eo tempore ſolvere teneris. Conduxiſti hortum amœnum voluptatis ſaltem gratia. Morbo vel alia quacunque cauſa impeditus in eum te conferre nequis per integram æſtatem. Hoc non obſtante mercedem conventam ſolvere teneris.

§. 1200.

Quænam res locari conducive poſſint. *Locari ac conduci poſſunt res omnes, quæ uſu non conſumuntur, tam corporales, mobiles ac immobiles, quam incorporales*. Etenim res omnes, qualeſcunque tandem fuerint, ſuum habent uſum (§. 495. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum locator concedat uſum rei conductori pro certa mercede (§. 1194.); res quoque omnes locari ac conduci poſſunt, ſive fuerint corporales, eædemque vel mobiles, vel immobiles, ſive incorporales. *Quod erat unum*.

Quoniam tamen in locatione conductione non conceditur niſi uſus (§. *cit.*), non vero datur res, quippe quod eſt vendere (§. 937.); locari ac conduci non poſſunt niſi res, quæ uſu non conſumuntur. *Quod erat alterum*.

Ita locari conducive poteſt hortus, res immobilis: equus, vel currus, res mobilis, jus piſcandi vel venandi, item jus percipiendi fructus arborum in horto, res incorporales. Hæ enim res uſu non conſumuntur, ſed finito uſu earum ſubſtantia adhuc ſalva eſt.

§. 1201.

§. 1201.

Locari ac conduci poſſunt operæ omnes non illicitæ. Operis alterius utimur, ut noſtræ utilitatis gratia aliquid faciat. Quamobrem cum nemo teneatur alteri gratis facere, qui viciſſim aliquid dare poſſit (§. 268.), & pro opera quacunque pecunia dari queat (§. 292.), adeoque merces ſolvi (§. 327.), in locatione autem ac conductione pro operis ſolvatur merces (§. 1194.); operæ etiam omnes locari ac conduci poſſunt. *Quod erat unum.* *Quænam operæ collocari poſſint.*

Enimvero quoniam quod illicitum eſt, ad id omittendum lege naturali obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec operas illicitas alteri pro mercede præſtare licet. Quamobrem operæ illicitæ locari conducique non poſſunt (§. 1194.). *Quod erat alterum.*

Ita conducuntur & locantur operæ ad triturandum, ad colendum agrum, ad percipiendum fructus, ad findendum ligna, ad extruendum ædificium, ad deſcribendum MSC. ad faciendum vas argenteum, vel annulum. Sed conducere ac locare non licet operas ad furandum, ad homicidium patrandum, ad injuriam inferendam.

§. 1202.

Locator rei in conductorem transfert jus re utendi, prouti conventum fuerit. Etenim cum domino competat jus re utendi (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*), & is eodem excludat ceteros omnes (§. 138. *part. 2. Jur. nat.*); nemini quoque re alterius uti licet (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum locator conductori concedat eum uſum rei, de quo convenitur (§. 1194.); jus omnino in eum transfert re utendi, prouti conventum fuerit. *Quale jus in conductorem rei transferat locator.*

Ex. gr. Si tu conducis ædes meas; ego eaſdem tibi locans in te transfero jus eas inhabitandi. Similiter tu conducis equum meum ad iter in certum locum faciendum: ego eundem tibi locans in te transfero jus equo meo ad iter in iſtum locum faciendum utendi. Quodſi tu conducas jus per æſtatem piſcandi; ego tibi hoc locans in te transfero jus piſcationem per æſtatem hanc exercendi.

§. 1203.

Quoniam locator rei in conductorem transfert jus re utendi, prouti conventum fuerit (§. 1102.), plus autem juris conductori non competit, quam locator in eum contulit (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); *conductor re aliter uti non poteſt, quam conventum fuit.* *Quomodo re locata ſit utendum.*

Ex. grat. Tu conducis equum meum ad iter trium milliarium: non licet tibi eodem uti ad iter quinque milliarium. Tu conducis jus piſcandi ea lege, ut nonniſi bis per hebdomadem piſcari liceat; non integrum tibi eſt piſcari quotidie. Similiter tu conducis jus capiendi certas avium ſpecies; non licet tibi capere quaſcunque alias. Quodſi tu conducas ædes meas ea lege, ne alii habitationem in iiſdem concedas; non licet tibi aliis habitationem in iiſdem concedere.

§. 1204.

Si conductor re aliter utitur, quam conventum fuit, furtum uſus committit. Etenim locator rei in conductorem transfert jus re utendi, prouti conventum fuerit (§. 1202.), nec aliter eadem uti poteſt (§. 1203.). Quodſi ergo is re aliter utatur, quam conventum fuit, cum ſoli domino competat jus re utendi pro arbitrio ſuo (§. 136. 138. *part. 2. Jur. nat.*); de uſu rei alienæ inſtar domini *Quando conductor furtum uſus committat.*

co

eo inſcio ac invito diſponit. Enimvero qui de uſu rei alienæ inſtar domini eodem inſcio ac invito diſponit, furtum uſus committit (§. 503. *p.* 2. *Jur. nat.*). Ergo conductor committit furtum uſus, ſi re aliter utatur, quam conventum fuit.

Exempla, quæ modo dedimus (*not.* §. 1203.), ad propoſitionem præſentem illuſtrandam facile applicantur.

§. 1205.

Furtum uſus naturaliter illicitum. *Omne furtum uſus naturaliter illicitum.* Qui enim furtum uſus committit, de uſu rei alienæ inſtar domini diſponit, domino inſcio ac invito (§. 503. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter ſibi arrogat actum vi dominii ſoli domino licitum (§. 136. 138. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero nemo ſibi actum ullum vi dominii domino licitum arrogare debet (§. 652. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo etiam nemo furtum uſus committere debet, conſequenter furtum uſus naturaliter illicitum (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 1206.

Quale jus locator operæ in conductorem conferat. *Locator operæ in conductorem transfert particulam quandam libertatis ſuæ, ſeu jus in certas quaſdam actiones ſuas.* Etenim qui operas ſuas alteri locat, ad aliquid faciendum eidem ſe obligat (§. 1198.), & perfecta eſt hæc obligatio (§. 403. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero qui alteri ad faciendum ſeſe perfecte obligat, particulam quandam libertatis ſuæ alienat (§. 360. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque dominium in actionibus quibuſdam ſuis, ſeu jus in eas in eum transfert (§. 662. 436. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem locator operæ in conductorem transfert particulam quandam libertatis ſuæ, ſeu jus in certas quaſdam actiones ſuas.

Ex. gr. Si tu mihi locas operas tuas in deſcribendo MSC. tibi non amplius liberum eſt, utrum illud deſcribere velis, nec ne, ſed meum eſt de actionibus ad deſcribendum requiſitis diſponere, adeoque particulam libertatis tuæ in me tranſtuliſti, ſeu jus ad haſce actiones, quæ, quamprimum mihi locatæ ſunt, ſunt in dominio meo, ſeu mihi propriæ factæ. Idem intelligitur de operis diurnis ad triturandum, ligna findendum, vel aliud quidvis faciendum locatis. Nimirum actionibus iſtis uti jam poſſum tanquam re mea.

§. 1207.

Quinam rem alteri locare poſſit. *Nemini competit jus rem alteri locandi niſi domino, aut conductori; niſi expreſſe aliter fuerit conventum.* Etenim domino competit jus re utendi (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*) & eodem ceteros omnes excludit (§. 138. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem de uſu rei nemo diſponere poteſt pro arbitrio ſuo, niſi dominus, conſequenter nec ulli competit jus uſum rei pro certa mercede alteri concedendi, adeoque eam locandi (§. 1194.), niſi domino.

Oſtenditur etiam hoc modo. Domino competit jus in alium quemcunque transferendi jus ad actus quoſdam vi dominii ſibi licitos, prouti ſibi viſum fuerit (§. 679. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter etiam jus re ſua utendi pro certa mercede. Quoniam itaque locator in conductorem transfert jus re utendi pro certa mercede (§. 1202. 1194.), & dominus eodem jure ceteros omnes excludit (§. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*); nemo quoque rem alteri locandi jus habet niſi dominus. *Quod erat primum.*

Enimvero in conductorem translatum eſt jus re utendi, prouti conventum fuerit (§. 1202.). Et quoniam conductor mercedem ſolvere tenetur, etiamſi re ipſe uti noluerit (§. 1199.); nihil fit contra jus locatoris, ſi jus utendi pro certa mercede in alium transfert, adeoque idem alteri cedit (§. 81. *part.* 3. *Jur. nat.*).

nat.). Quamobrem cum naturaliter jus ſuum alteri cedere liceat, quamdiu nil fit contra jus tertii (§.117. *part.* 3. *Jur. nat.*); conductor quoque jus ſuum alteri cedere, adeoque rem ſibi locatam alteri locare poteſt. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi expreſſe fuerit conventum, ne rem ſibi locatam alteri locare liceat, cum ſtandum ſit pacto (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), locator quoque rem ſibi locatam alteri locare nequit. *Quod erat tertium.*

Ex. g. Conduxi ædes tuas in triennium, quas tamen inhabitare non poſſum niſi anno elapſo. Nullum eſt dubium, quin ego eas interea alteri locare poſſim: tibi tamen ſolvere teneor mercedem, de qua conventum eſt, ſive eandem, ſive majorem, vel minorem a conductore meo accipiam. Immo ſi per totum triennium impedior, quo minus eas inhabitem, per omne quoque hoc tempus alii eaſdem iterum locare poſſum. Enimvero elapſo triennio, cum expiraverit jus meum, mihi integrum non eſt ædes tuas ſine tuo conſenſu locare alii, cui placuerit; ſed tum tibi domino ſoli competit jus locandi ædes tuas, cui & pro qua mercede eas locare volueris.

§. 1208.

Locatio, quæ fit a conductore dicitur *Sublocatio naturaliter licita*. Quoniam tamen nil quicquam fieri debet, quod eſt contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); *Sublocator cavere debet, ne in ſublocatione quicquam committatur, quod eſt contra jus locatoris, a quo ipſe rem conduxerat.* *Sublocatio quid ſit.*

Equidem ſi ſublocatio in ſe ſpectetur, non attenditur niſi jus exigendi mercedem ex parte locatoris, adeoque nihil fit contra jus ipſius, ſi mercedem conventam accipit: ex accidente tamen fieri poteſt, ut ſublocatio adverſetur juri primi locatoris, veluti ſi huic juſtæ ſint rationes, cur rem ſuam ſecundo conductori locare nollet locator primus, veluti ſi ſtudioſus diligens ac modeſtus habitationem ſibi locatam in ædibus tuis ſublocare voluerit alii rixoſo & pravo. Id enim utique adverſatur juri domini (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*). Hinc & in Jure civili dicitur, rem conductam locari poſſe alteri æque indoneo.

§. 1209.

Sublocatio rei conductæ fieri debet ad eundem uſum, ad quem fuerat conducta. *Quomodo ſublocatio fieri debeat.* Etenim conductor primus re aliter uti non poteſt, quam fuerat conventum (§. 1203.). Quamobrem cum jus utendi, quod habet, in ſublocatione transferre debeat in conductorem ſecundum (§. 1202. 1208.); rem conductam alteri locare nequit niſi ad eundem uſum, ad quem eam conduxerat.

Nimirum nemo in alterum transferre poteſt jus, niſi quod habet, adeoque jus in ſublocatione transferendum determinandum eſt ex primo contractu locationis conductionis.

§. 1210.

Operas conductas ad idem alteri ſublocare licet. Quod operæ conductæ alii ſublocari poſſint, eodem modo oſtenditur, quo demonſtravimus conductorem rem conductam alii ſublocare poſſe (§. 1207.). *Quod erat primum.* *De ſublocatione operarum conductarum.*

Quod vero locari nequeant niſi ad idem, eodem modo patet, quo evicimus, ſublocationem rei conductæ fieri debere ad eundem uſum, ad quem fuerat conducta (§. 1209.). *Quod erat alterum.*

Operæ nimirum æquipollent rebus, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 437. *p.* 2. *Jur. nat.*) & eodem modo pecunia æſtimantur, quo res (§. 292.), ut adeo perinde ſit, ſive rem loces, ſive operas. Nulla igitur ratio eſt, cur quod de re conducta valet; idem valere non debeat de operis. Quodſi vero ex accidente emergat diverſitas in operis primo conductori & ſecundo præſtandis, ea etiam tenenda ſunt, quæ in eodem caſu de re ſublocata diximus (§. 1208.).

§. 1211.

In quo merces conſiſtit. *Naturaliter locatio conductio eſt, ſive pro uſu rei aut operis detur pecunia numerata, ſive res certa quæcunque alia.* Etenim pecunia æſtimatur rerum pretium (§. 290.), adeoque perinde eſt, ſive detur pecunia, ſive res, cujus pretium ea pecunia æſtimatur. Quamobrem cum in locatione conductione æſtimetur uſus rei, vel opera præſtanda, & ejus pretium ſolvatur a conductore (§. 1194.); per hoc in ipſo contractu nihil mutatur, ſive locator pro uſu rei, vel opera ſua accipiat pecuniam, ſive rem, cujus pretium eadem pecunia definitur. Naturaliter igitur locatio conductio eſt, ſive pro uſu rei aut operis detur pecunia, ſive res certa quæcunque alia.

Ex. gr. Si conducis operarios ad triturandum, perinde erit ſive operarum pretium definiatur pecunia, ſive certa quantitate frumenti excuſſi. Contractus adeo locatio conductio erit, ſive merces præſtetur in pecunia numerata, ſive in certa quantitate frumenti excuſſi. Similiter ſi conducis operas aurifabri ad facienda vaſa ex argento tuo, perinde erit, ſive operarum pretium definiatur pecunia, ſive certa quantitate argenti infecti. Antequam pecunia eſſet inventa, pro uſu rei ac operis dari non poterant niſi res: aſt ea inventa, commodius viſum eſt dare pro uſu rei ac operis pecuniam. Quodſi ergo ita conveniatur, ut, pecunia licet inventa, pro uſu rei, vel operis detur res quædam certa, nulla eſt ratio, cur contractus pro diverſo haberi debeat. Quodſi tamen quis magis in verbis, quam in re differentiam quærere malit, ut pro diverſis contractibus habeat contractum, do uſum rei vel operas, ut des pecuniam, & contractum do uſum rei vel operas, ut des rem, cum ad logomachiam tandem deveniretur, per nos hoc faciat; nos tamen entia præter neceſſitatem multiplicare nolumus. Nos ideo mercedem definivimus per pretium operarum, cum uſum ſeu potius jus utendi referamus ad res (§. 327.), nimirum incorporales, ac ideo mercedem perinde ac pretium (§. 294.) diſtinximus in vulgare & eminens, quorum iſtud re quadam, hoc autem pecunia æſtimatur (§. 328.).

§. 1212.

Idem porro expenditur. Quoniam naturaliter locatio conductio eſt, ſive *pro uſu rei aut operis* detur pecunia, ſive res quæcunque alia (§. 1211.); *erit* etiam *locatio conductio, ſi partim pecunia, partim res detur.*

Ex. grat. Loco tibi molendinum meum & tu loco penſionis mihi promittis ſolvere quadringentos thaleros & certam farinæ quantitatem: ratio nulla eſt, cur hic contractus haberi non debeat pro locatione conductione. Ita famuli conductitii locant operas pro certa pecuniæ quantitate & alimentis ac veſtitu; ſubinde vero pro veſtitu & alimentis datur etiam pecunia. In utroque tamen caſu contractus locatio conductio eſt.

§. 1213.

Reductio locationis ad venditionem. *Si jus utendi re vel opera alterius conſideretur ut dominium rei & penſio ſive merces ut pretium ejus, locatio conductio ſpectari poteſt tanquam emtio venditio.* Etenim ſi jus utendi re vel opera alterius conſideretur tanquam dominium rei, uſus ſcilicet vel operæ, & merces tanquam ejus pretium; in locatione conductione, cum locator transferat in conductorem jus utendi (§. 1202.) & conductor ſolvat mercedem (§. 1195.), datur pretium pro re (§. 675. *p. 2. Jur. nat.*). Enimvero quando datur pretium pro re, contractus emtio venditio eſt (§. 937.). Quamobrem locatio conductio ſpectari poteſt tanquam emtio venditio, ſi jus utendi re vel opera alterius conſideretur ut dominium rei & penſio ſive merces ut pretium ejus.

Hanc reductionem locationis conductionis ad emtionem venditionem inſinuat *Gajus* l. 2. ff. loc. cond. ac inde infert, quod illa cum hac iiſdem juris regulis conſiſtat. Vi hujus nempe reductionis ad locationem conductionem applicari poſſunt, quæ de emtione venditione demonſtrata fuerunt. In hac autem reductione locator venditorem, conductor emtorem repræſentat;

de

de rei autem uſu ac operis ratiocinandum tanquam de merce & de iure utendi tanquam de dominio in emtione venditione a venditore in emtorem transferendo.

§. 1214.

Quoniam locatio conductio ſpectari poteſt tanquam emtio venditio, ſi jus utendi re vel opera alterius conſideretur ut dominium rei & merces, ſive penſio ut pretium ejus (§. 1213.); *in locatione conductione locator vendit, conductor emit certum rei uſum vel operas alterius.* *Quid inde ſequatur.*

Nimirum uſus, qui ante erat locatoris, fit conductoris, & operæ, quæ erant locatoris, fiunt itidem conductoris, ut contractu perfecto jam de uſu ac operis pro arbitrio diſponere poſſit conductor, quemadmodum dominus de re ſua, ſeu emtor de re emta. Unde multo clarius elucefcit, conductorem rem ſibi locatam, vel operas conductas, alii pro arbitrio ſublocare poſſe, quando ante demonſtravimus (§. 1207. 1210.), quemadmodum omni dubio caret, quod rem emtam alii pro lubitu rurſus vendere poſſit emtor.

§. 1215.

Si locator interea, dum re locata non uteris, rem conductam alii locat; merces, quæ datur, tibi debetur. Etenim uſus rei cum tibi ſit venditus (§. 1214.), tuus factus eſt (§. 939. *b.* & §. 124. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem pro eo ab alio nihil accipere poteſt locator, a quo rem conduxiſti. Quodſi ergo interea, dum re conducta non uteris, eandem alteri locet locator, a quo eam conduxiſti; perinde eſt ac ſi pro re tua pretium accepiſſet. Quoniam itaque factum infectum fieri nequit, neque uſus, qui alteri conceſſus fuerat, res ſit, quæ tibi reſtitui poſſit; ideo neceſſe eſt ut æſtimatio præſtetur, conſequenter ut merces, quam accepit, tibi reſtituatur (§. 586.) *part. 2. Jur. nat.*). *Cui debeatur merces, ſi res conducta alii locetur, dum ea non utitur conductor.*

Nimirum perinde eſt ac ſi rem tuam fungibilem vendidiſſet, quæ uſu conſumta fuit. Nullum eſt dubium, quin in hoc caſu pretium rei, quod accepit, tibi reſtituere teneretur, etiamſi minus accepiſſet. Quodſi vero pluris vendidiſſet, majus quoque pretium foret tuum. Ex æquipollentia itaque locationis conductionis & emtionis venditionis (§. 1213.) recte colligitur, idem valere debere in caſu rei a te conductæ, ſed alteri a locatore interea locatæ, cum ipſe eadem non uteris.

§. 1216.

Si re locata non uteris, interea ſine conſenſu tuo rem alteri locare nequit locator. Etenim uſus rei tibi venditus (§. 1214.), adeoque tuus eſt (§. 939. *b.* & §. 124. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem de eo pro arbitrio ſuo diſponere non poteſt locator, a quo rem conduxiſti, conſequenter nec ſine conſenſu tuo eam alii locare poteſt. *An id facere liceat locatori.*

Nimirum ſi uſum rei tibi conceſſum alteri concederet ſine conſenſu tuo, hoc perinde foret, ac ſi rem tuam ſine conſenſu tuo alienaret: quod fieri non poſſe conſtat (§. 668. *p. 2. Jur. natur.*). Quando igitur locator rem a te conductam interea temporis, quo eadem non uteris, alii locat; hoc nullo jure valet, adeoque ne hoc faciat, a te impediri poteſt, ſi res adhuc ſit integra.

§. 1217.

Si de mercede nihil fuerit expreſſe conventum, pro tali autem uſu rei, vel iſtiuſmodi operis communiter certa quædam merces ſolvatur, aut eandem rem ad eundem uſum vel eaſdem operas jam ante conduxerat alius; tacite conſenſiſſe cenſentur contrahentes in illam mercedem, quæ communiter datur, aut in eam, quam dederat, qui ante conduxerat, præſertim cum ex quibuſdam verbis, vel aliis circumſtantiis *Quando merces per relationem ſit certa.*

 id

id colligi poſſit. Etenim locatio conductio non perficitur, niſi de certa mercede pro uſu rei vel operis danda conveniatur (§. 1196. 1194.). Quodſi ergo de pretio nihil expreſſe dicatur, ſit vero merces pro tali uſu rei, vel iſtiuſmodi operis moribus, aut ab eo, qui antea conduxerat, determinata, atque adeo merces certa eſſe poſſit per relationem; cenſetur ea de cauſa de mercede non demum conveniſſe, quia jam certa erat per relationem, conſequenter conſenſiſſe in eam, quæ vulgo ſolvitur, aut in eam, quam dederat, qui ante conduxerat. Quodſi ex quibuſdam verbis, vel aliis circumſtantiis hoc colligi poſſit; tanto magis admittendum, quod in eam mercedem, quæ ipſorum animo obverſata tunc fuit, cum contraherent, tacite conſenſerint.

Ex. grat. Conduco operas viles diurnas, pro quibus ſolvi ſolent quatuor groſſi. Etſi de mercede nil conveniatur, in quatuor tamen groſſos conſenſiſſe cenſentur contrahentes. Studioſus conducit hypocauſtum in ædibus tuis, in quo ante habitaverat alius, quem ſæpe inviſerat. De mercede non convenitur. Omnino intelligenda erit merces conſtituta, quam dederat ſtudioſus, qui ante in eo habitaverat. Conduco operas fabri, ut ex argento meo faciat duodecim cochlearia, nulla mercedis mentione facta. Dubium non eſt, quin ea danda ſit merces, quam dare communiter ſolent alii pro cochlearibus faciendis. Superfluum omnino foret, de mercede demum conveniri, quam ipſe uſus determinavit, vel quæ ex præcedente locatione manifeſta eſt.

§. 1218.

De re locata pro mercede æqua, vel de qua poſtea convenietur.

Si res vel operæ conducantur pro ea mercede, de qua poſtea convenietur, vel pro æqua mercede; naturaliter locatio conductio eſt, & debetur merces, quæ tali rei uſui, vel operis iſtiuſmodi conſtituitur a peritis, niſi per ſe convenire poſſint contrahentes. Etenim ſi res vel opera conducantur pro ea mercede, de qua poſtea convenietur, vel pro æqua mercede, cum conductor ſe obligaverit ad dandam pro uſu rei vel operis mercedem, perinde vero ſit, ſive mercedem ſolvat, de qua ſtatim conventum, ſive eam, de qua uſu rei, vel operis præſtitis demum convenitur, aut quæ quocunque alio modo determinatur, locatio autem conductio ſit, quando pro uſu rei, vel operis præſtitis datur merces (§. 1194.); naturaliter omnino locatio conductio eſt, ſi uſus rei conceditur, vel operæ præſtantur pro mercede, de qua poſtea conveniatur, vel pro mercede æqua. *Quod erat unum*.

Enimvero quodſi uſu rei finito, vel operis præſtitis, de mercede, vel ejus æquitate convenire nequeant contrahentes, cum uſus rei ac operæ ſint aliquid æſtimabile, ſtandum omnino erit judicio peritorum, conſequenter ſi res vel operæ conducantur pro mercede, de qua poſtea convenietur, vel pro æqua mercede, de ea autem vel ejus æquitate poſtea inter ſe convenire nequeant contrahentes, ea debetur merces, quæ tali rei uſui vel iſtiuſmodi operis conſtituitur a peritis. *Quod erat alterum*.

Equidem Imperator §. 1. Inſt. de loc. & conduct. negat eſſe in hypotheſi propoſitionis locationem conductionem proprie ſic dictam, ac tacite contractum ad innominatum do ut des, vel do ut facias refert; non tamen hoc attendendum eſt in Jure naturali, quod differentiam inter contractus nominatos & innominatos, mere quippe civilem, ob differentiam actionum civilium introductam, ignorat. Præſtat tamen ſtatim convenire de mercede; præſertim ſi ea per relationem non fuerit certa, ut evitentur lites difficulter terminandæ præſertim in ſtatu naturali. Ceterum plures non expendimus caſus, qui quoad mercedis determinationem occurrere poſſunt, cum ex iis, quæ de emtione venditione demonſtrata ſunt (§. 1033. & ſeqq.), facile intelligantur (§. 1213.).

§. 1219.

An in locatione con-

In locatione conductione is animus eſſe videtur contrahentibus, ut ſervetur æqualitas, niſi rationes fortes in contrarium proſtent. Etenim locatio conductio ſpecies

cies quædam emtionis venditionis eſt (§. 1213.). Enimvero in emtione venditione is animus eſſe videtur contrahentibus, ut obſervetur æqualitas, niſi adſint rationes fortes in contrarium (§. 976.). Ergo etiam in locatione conductione is animus eſſe videtur contrahentibus, ut ſervetur æqualitas, niſi rationes fortes in contrarium proſtent. *Inductione æqualitas obſervanda.*

Unde intelligitur, ſi de mercede non convenitur, vel eam determinari per relationem, ut ſcilicet detur, quod dare ſolent alii, vel præcedens conductor dedit, vel dari debere tantum, quantum valet talis rei uſus, vel quantum valent operæ præſtitæ. Nimirum vi propoſitionis præſentis locator non aliam mercedem exigere debet, & conductor præſumere cenſetur, quod aliam non ſit exacturus.

§. 1220.

Res propria nemini locari poteſt. Etenim uſus rei domino ſoli competit vi dominii (§. 136. 138. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque non demum pro certa mercede ab alio eidem concedi poteſt. Quamobrem cum in re tua dominium habeas (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*), & in locatione concedatur uſus rei pro certa mercede (§. 1194.); res propria nemini locari poteſt. *An res tua tibi locari poſſit.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Locator rei in conductorem transfert jus utendi re ſua (§. 1202.). Enimvero dominus jam habet jus utendi re ſua (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*), & eodem excludit ceteros omnes (§. 138. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque id ab alio in eum transferri nequit. Quamobrem res ſua domino locari nequit, ſeu nemini res propria locari poteſt.

Duplex nimirum ratio eſt, cur res propria conduci non poſſit. Etenim 1. jus, quod quis jam habet, ab alio accipere non poteſt, & 2. alius dare nequit, quod non habet.

§. 1221.

Quoniam tibi res tua locari nequit (§. 1220.); *ſi ignorans conducis rem tuam, poſtea vero liquidum efficiatur dominium tuum; promiſſam mercedem locatori ſolvere non teneris*, nulla nimirum ex contractu in ſe nullo naſcente obligatione mercedem ſolvendi, quæ naſcitur alias (§. 1198.). *De mercede non ſolvenda pro re propria conducta.*

Nimirum antequam liquidum fuerit jus tuum, non conſtat rem, quam conduxiſti, eſſe tuam, neque adeo eam tanquam tuam vindicare potes (§. 545. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 1222.

Si rem a te venditam ab emtore conducis, antequam eam ipſi tradideris, locatio conductio valida eſt. Etenim ſi rem tuam alteri vendis, dominium in eum transfers (§. 939.), antequam eam tradas, cum traditione tantummodo transferatur poſſeſſio (§. 23. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter ante traditionem jus utendi jam competit emtori excluſive (§. 136. 138. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum emtor tanquam dominus idem transferre poſſit in quemcunque voluerit & ſub quacunque lege (§. 11. 12. *part. 3. Jur. nat.*); idem quoque in te pro certa mercede transferre, conſequenter rem emtam tibi ſtatim locare poteſt, antequam eam tradideris (§. 1194. 1202.). Quodſi itaque rem a te venditam ab emtore conducis, antequam eam tradideris; locatio conductio valida eſt. *De re vendita ab emtore conducta.*

Jure naturali nihil difficultatis eſt circa rem emtam ante traditionem eidem locatam: aſt cum in Jure civili dominium non transferatur ſine traditione, dubium videri poterat, num emtor jus utendi in venditorem transferre poſſit, quod ab eo nondum acquiſivit. Hinc brevi manu res tradita intelligitur (§. 44. *p. 3. Jur. nat.*); qua tamen fictione in Jure naturæ opus non eſt, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præſentis eluceſcit.

§. 1223.

§. 1223.

Quomodo fieri poſſit locatio conductio. *Locatio conductio fieri poteſt ſub quacunque conditione, modo non ſit impoſſibilis, aut turpis, & in tempus quantumcunque & quomodocunque determinatum, nec non ſub certo modo, & ſub pœna.* Etenim locator in conductorem transfert jus re utendi (§. 1202.), vel jus in certas actiones ſuas (§. 1206.), & nemo alteri locare poteſt niſi rem ſuam (§. 1207.), niſi eandem ſublocet (§. 1208.). Enimvero a domini voluntate unice pendet, quomodo jus ſuum in alterum transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter utrum pure, an ſub conditione, modo ea ſit poſſibilis (§. 493. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec turpis (§. 494. *part.* 3. *Jur. nat.*), utrum in tempus longum, vel breve, utrum certo modo determinatum, an ad nullum caſum reſtrictum, utrum cum modo, an ſine modo, utrum ſub certa quadam pœna adjecta, an nulla pœna adjecta, nec alter plus juris ab eo acquirere poteſt, quam in eum transferre vult transferens (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). Locatio igitur conductio fieri poteſt ſub quacunque conditione, modo non ſit impoſſibilis, nec turpis, & in tempus quantumcunque & quomodocunque determinatum, nec non ſub certo modo & ſub pœna.

Ex gr. Poſſum tibi locare ædes meas ſub hac conditione, niſi Titius eas emerit, vel niſi filius meus uxorem duxerit. Poſſum tibi eas locare in biennium, ſexennium, decennium, vel per id tempus, quo emtor nullus ſeſe obtulerit, vel quamdiu propriis uſibus neceſſariæ non fuerint. Poſſum tibi eas locare ſub hoc modo, ne certis perſonis partes ædium ſubloces, vel ut in iiſdem amico cuidam ſubinde adventanti hoſpitium concedas. Poſſum eas tibi locare ſub hac pœna, ut, niſi in fine ſingulorum annorum penſionem ſolvas, mihi ſit jus te ex iiſdem expellendi, vel ut aliquid certi præſtes, ſi aliter iiſdem utaris, quam conventum fuerat. Idem eodem modo intelligitur in re alia quacunque conducta, immo etiam applicari poteſt ad operarum locationem. Sed non opus exiſtimamus exemplis pluribus propoſitionem præſentem illuſtrare.

§. 1224.

De pactis locationi conductioni adjectis. Quoniam locatio conductio contrahi poteſt ſub quacunque conditione poſſibili, nec turpi, in tempus quodcunque & quomodocunque determinatum, ſub certo etiam modo vel pœna (§. 1223.), naturaliter autem pacta ſunt ſervanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); *ſi pactum quodcunque locationi conductioni fuerit adjectum, eodem præciſe ſtandum, nec uni contrahentium licet*, cum jus ſemel quæſitum alteri auferri nequeat (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec quiſquam ſeipſum ab obligatione ſua ſemel contracta liberare poſſit (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*), *in eo quicquam altero invito immutare; ſi nullum adjectum, ſtandum ſimpliciter locatione ac conductione* (§. 1198.).

Inconſideratus eſt locator, qui rem ſimpliciter locat, ſi ex locatione ita facta incommodum aliquod ſentire poſſit (§. 760. *part.* 1. *Phil. pract. univerſ.*), immo ſubinde etiam improvidus (§. 764. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), aut imprudens (§. 776 *part.* 1. *Phil. pract univ.*). Quamobrem cum inconſiderantia, improvidentia & imprudentia culpa ſit (§. 761. 768. 777. *part.* 1. *Philoſ. pract univ.*), nulla vero ratio eſt, cur conductori imputetur, quod ſimpliciter conduxerit, cum a locatoris unice voluntate penderet, quomodo rem ſuam alteri locare vellet, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis liquet. Nec eſt quod excipias, caſus futuros prævideri minime poſſe, ut eorum in contrahendo habeatur ratio, adeoque tacite exceptos intelligi debere. Neque enim neceſſe eſt, ut conſtet, caſum aliquem eventurum, aut ut adſint rationes probabiles, quod exiturus ſit; ſed ſufficit conſtare, quod caſus iſtiuſmodi ſit poſſibilis, nec certum ſit, eum non eſſe exiturum, ut in contrahendo eiuſdem habeatur ratio. Quamvis autem rigor juris naturæ non ferat, ut exceptiones tacitæ in contractu admittantur, cum contra contrahentes pro vero habendum ſit, quod ſufficienter indicatum (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*); hoc tamen minime obſtat, quin lege poſitiva infirmitati humanæ conſulatur, ne leviſſima quævis culpa poſſit eſſe damnoſa, prouti ſuo loco oſtendemus.

§. 1225.

An locatio ceſſet, ſi res conducta vendatur, vel propriis uſibus ſit neceſſaria.

Si res non fuerit locata ſub ea conditione, ut ſtatim ceſſet locatio, ubi ea vendita fuerit, vel propriis uſibus neceſſaria fuerit; naturaliter locatio non finitur, ſi rem locatam vendiderit, vel propriis uſibus neceſſariam habuerit locator. Etenim ſi res non fuerit locata ſub ea conditione, ut ſtatim ceſſet locatio, ubi ea vendita fuerit, vel propriis uſibus neceſſaria fuerit; locator pure obligatur ad præſtandum conductori uſum rei conventum (§. 1198.), conſequenter nullum habet jus ex contractu uſum eidem auferendi, ſi rem uſu nondum finito vendit, aut propriis uſibus eam neceſſariam habuerit. Quoniam itaque jus utendi, quod in eum tranſtulit (§. 1202.), auferre nequit invito (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec ab obligatione ſua ſe pro lubitu liberare poteſt locator (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi res non fuerit locata ſub ea conditione, ut ſtatim ceſſet locatio, ubi ea vendita fuerit, vel propriis uſibus neceſſaria fuerit, naturaliter locatio non finitur, quando res conducta venditur, vel ea propriis locatoris uſibus neceſſaria.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si ſimpliciter, ſeu ſine ullo pacto adjecto contrahitur, ſimpliciter quoque ſtandum eſt locatione conductione, prouti ſcilicet conventum fuit (§. 1224.). Quamobrem ſi contractui non adjecta fuit conditio, ut ſtatim ceſſet locatio, ſi res conducta vendita, aut propriis locatoris uſibus neceſſaria fuerit; nec alterutrum ſi obtineat, locatio ideo finitur.

A commodato ad locationem argumentari nequit (§. 497.), quippe cum in commodato uſus præſtetur gratis (§. 418.), in conductione autem & locatione vendatur (§. 1214.).

§. 1226.

Quando hoc facere liceat.

Si conductori rem ſimilem & æque commodam præſtat locator abſque ullo ipſius ſumtu; rem vendere, vel propriis uſibus neceſſariam illi adimere poteſt. Etenim locator obligatur conductori ad præſtandum rei uſum conventum (§. 1198.); quod cum fiat, ſi ipſi loco rei conductæ præſtet aliam ſimilem & æque commodam, ubi hoc facit, quin rem conductam vendere, vel propriis uſibus neceſſariam conductori auferre poſſit, dubitandum non eſt.

Ex. gr. Tu a me conduxiſti decem jugera agri in quinquennium. Biennio elapſo, ego agrum vendere volo. Quodſi tibi in tres annos reſiduos pro eadem mercede, quam ſolvis præſtem totidem jugera alterius agri æque fertilis & æque commode ſiti; nulla eſt ratio, cur eum vendere non debeam, cum per hanc venditionem conditio tua non deterioretur. Similiter locavi tibi ædes meas in triennium. Uno anno elapſo earum mihi ipſi uſus neceſſarius eſt. Quodſi tibi præſtem alias ædes æque commodas in biennium reſiduum, & refundam ſumtus, quos rebus tuis ex ædibus meis in alias transferendis impendere debes; quin tu mihi ædes meas reſtituere debeas non dubitandum.

§. 1227.

An locator operarum alium ſubſtituere poſſit.

Si operas, quas conduxit alter, ipſe præſtare non potes; ſubſtituere licet alium æque idoneum, qui eaſdem præſtare valet. Etenim in conductorem tranſtuliſti jus in certas quaſdam actiones (§. 1206.), quibus ſcilicet perficitur id, ad quod faciendum operas conduxit. Quamobrem cum conductori perinde ſit, ſive tu hoc facias, ſive alius æque idoneus, modo fiat, quod fieri voluit; cur non alium æque idoneum in locum tui ſubſtituere liceat ratio prorſus nulla eſt. Quodſi ergo operas, quas conduxit alter, ipſe præſtare non potes; ſubſtituere utique licet alium æque idoneum, qui eaſdem præſtet (§. 170. *Ontol.*).

Quinam ſit æque idoneus ad præſtandas operas conductas, ex eo, quod faciendum, æſtimari debet. Ex. grat. Si in eo, quod faciendum, ſpectatur diligentia; qui ſubſtituitur æque diligens

gens eſſe debet. Si ad opus aliquod perficiendum requiratur ſingularis quædam peritia, æque peritus eſſe debet artifex, qui ſubſtituitur. Alias nimirum non præſtantur operæ eædem, quæ fuerant conductæ, conſequenter locator non ſatisfacit obligationi ſuæ (§. 1198.).

§. 1228.

Quando contractus reſcindatur, ſi locator ipſe per ſe obligationi ſuæ ſatisfacere non poſſit.

Si locator rem ſimilem & æque commodam præſtare velit, vel alium ſubſtituat æque idoneum, qui operas conductas præſtet, conductor vero hoc acceptare nolit; locator ab obligatione ſua liberatur, ſeu contractus reſcinditur. Etenim locatori licet rem ſimilem & æque commodam præſtare conductori ſine ipſius ſumtu (§. 1226.), & ſubſtituere alium æque idoneum, qui eaſdem operas præſtare valeat (§. 1227.), & ubi hoc facit obligationi ſuæ ſatisfacit (§. 1198.). Quodſi ergo hoc acceptare nolit conductor, ipſo facto declarat malle ſeſe, ut contractus ſit nullus. Quamobrem cum locator non alio fine rem ſimilem & æque commodam conductori præſtare, aut alium æque idoneum ad præſtandum operas conductas ſubſtituere velit, quam ut ab obligatione ſua liberetur, idem vero obtineatur, ſi contractus pro nullo declaretur; nulla ſane eſt ratio, cur ad acceptandum rem ſimilem & æquæ commodam, vel operas ab æque idoneo præſtandas cogatur conductor. Locator itaque ab obligatione ſua liberatur & contractus reſcinditur (§. 928.), ſi locator rem ſimilem ac æque commodam præſtare velit, aut alium ſubſtituat æque idoneum, qui operas conductas præſtet, conductor vero hoc acceptare nolit.

Nulla ratio eſt, cur conductor cogi debeat ad acceptandum rem ſimilem vel operas alius æque idonei a locatore oblatas, ſi ipſe contractum adimplere non poſſit per ſe. Conductoris enim res agitur, non locatoris, qui cum contractum per ſe adimplere nequeat, id tantummodo agit, ut indemnem præſtet conductorem. Quodſi ergo hic exiſtimet, rectius ſibi conſultum eſſe, ſi contractus reſcindatur, quam ſi re alia a locatore oblata loco rei conductæ, vel alterius operis, quam conductoris utatur, omnino ipſi permittendum eſt, ut contractum reſcindat. Locatori perinde eſt, utrum hoc, an altero modo ab obligatione ſua liberetur, qui offerendo rem aliam, vel operas alterius non intendit aliud, quam ut ab obligatione ſua liberetur, a qua ſeipſum invito conductore liberare nequit (§. 674. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 1229.

Quando reſcindatur, ſi locator in ſublocationem conſentire nolit.

Si locator nolit rem vel operas a ſe conductas alii ſublocari, etſi in ſublocatione nihil committatur, quod eſt contra jus ipſius; conductor ab obligatione ſua liberatur & contractus reſcinditur. Quoniam ſublocatio tam rei (§. 1207.), quam operarum (§. 1210.) licita, modo in ea nihil committatur, quod eſt contra jus locatoris (§. 1208.); eodem, quo ante (§. 1228.), modo patet, conductorem ab obligatione ſua liberari, & contractum reſcindi, ſi locator nolit rem vel operas a ſe conductas alii ſublocari, etſi in ſublocatione nil committatur, quod eſt contra jus ipſius.

Nimirum nulla ratio eſt, cur locator cogi debeat ad ſublocationem ratihabendam, ſi conductor ipſe re vel opera conducta uti non poſſit. Locatoris enim res agitur, non conductoris, qui cum ipſe contractum adimplere per ſe non poſſit, id tantummodo agit, ut indemnem præſtet locatorem. Quamobrem quæ modo annotavimus de conductore in caſu præcedente (*not.* §. 1228.), eaque tenenda quoque ſunt de locatore in caſu præſente.

§. 1230.

Qualis res conducta præſtanda.

Locator conductori præſtare debet rem iſti uſui aptam, ad quem eam conduxit. Locator enim obligatur conductori ad præſtandum uſum conventum (§. 1198.). Quoniam itaque hoc fieri nequit, niſi res ſit iſti uſui apta, ad quem conducta fuit; locator utique conductori præſtare debet rem iſti uſui aptam, ad quem is eandem conduxit.

Ex. gr.

Ex. gr. Loco tibi ædes meas, ut eas inhabites. Evidens eſt ædes ad inhabitandum aptas eſſe debere. Quodſi ergo quædam ſint, quæ ædes ad inhabitandum parum aptas efficiunt, ea reficere tenetur locator. Datur pro uſu merces, qui ſi ex aſſe obtineri non poſſit, mercedis aliqua pars daretur gratis: id quod æqualitati in contractu obſervandæ repugnat (§. 1219.).

§. 1231.

Locator rem conductam tradere debet, & quidem eo die, a quo uſus conventus conductori competit, & operæ præſtandæ ſunt tempore convento. Etenim locator conductori præſtare debet uſum rei conventum (§. 1198.). Quoniam itaque conductor re uti non poteſt, niſi ea ſit in poteſtate ipſius (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*); traditione autem eadem in poteſtate conductoris conſtituatur (§. 434.); locator rem conductam conductori tradere debet. *Quod erat unum.* *De re conducta tradenda.*

Enimvero locator præſtare debet uſum rei, vel operas, quemadmodum conventum fuit (§. 1198.). Quodſi ergo dies certius definitur, a quo incipere debet uſus rei conceſſus, res utenda tradenda *per demonſtrata n. 1.* eo die tradenda eſt, a quo uſus conventus competit conductori, & operæ præſtandæ tempore convento. *Quod erat alterum.*

Merces ſolvitur pro integro rei uſu: integer autem non eſt, niſi qui incipit ab eo die, a quo conductori competere incipit. Immo intereſt etiam conductoris, ut ab eo die re conducta uti incipiat, nec unum idemque eſt, ſive terminum ad quem prorogare, ſive terminum a quo non immutare velis. Ex. gr. conduxi ædes tuas, ea lege, ut eas finito feſto Paſchatis ſtatim incolere poſſim. Mihi non perinde eſt, ſi demum elapſo menſe eas mihi tradere volueris, & terminus ad quem in menſem unum prorogetur. Conduxi operas tuas in præſentem hebdomadem: tu eas quoque hac hebdomade præſtare debes. Mea enim intereſſe poteſt, ut hac hebdomade fiat, ad quod faciendum operæ conducuntur, dilatio autem vel ſit incommoda, vel damnoſa, aut operæ ſequente hebdomade mihi prorſus inutiles ſint. Immo ſi vel maxime nullo meo incommodo dilatio fieri poſſet, ego tui gratia in eam conſentire non cogor, quippe cui tu obligatus es ad præſtandas operas eo tempore, quo eas promiſiſti. Jus in actiones tuas in me tranſtuliſti per tempus, de quo conventum. De iis igitur meum eſt ſtatuere, non tuum. Sane ſi ego iiſdem uti nolim iſto tempore, mercedem nihilominus tibi ſolvere teneor (§. 1199.). Ergo etiam tu teneris ad eas tempore convento præſtandas.

§. 1232.

Si locator eadem opera pluribus utilis ſit, tibi locatas etiam alii locare & ab utroque conductore mercedem integram accipere licet. Etenim locator operarum tibi obligatus eſt ad operas, quas conduxiſti, præſtandas (§. 1198.). Quodſi hoc fecerit, obligationi ſuæ ſatisfacit, adeoque tu ad ſolvendam mercedem ipſi obligaris (§. 1199.). Enimvero ſi eadem opera alii etiam utilis eſſe poſſit, tua non refert, ſiquidem eandem alii pro eadem mercede adhuc locet, cum nihil hoc ipſo fiat, quod ſit contra jus tuum (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et quoniam idem intelligitur de altero conductore, is ex contractu ſuo ad mercedem conventam pro opera ſibi præſtita obligatur. Atque adeo patet, ſi eadem opera pluribus utilis eſſe poſſit, tibi locatas etiam alii locare poſſe locatorem & ab utroque conductore mercedem integram accipere. *De eadem opera pluribus locata ſigillatim.*

Ex. gr. Conduxiſti tabellionem ad literas deferendum in certum locum. Antequam iter ingreditur, adeſt alius, qui ejuſdem operas conducere vult ad literas in eundem locum perferendum. Poterit tabellio etiam huic operam ſuam locare & integram mercedem cum a te, tum ab altero accipere. Cum enim utrique præſtet id, ad quod præſtandum erat obligatus, neuter habet, de quo jure conqueri poſſit, quando præſtat quod ſuum eſt. Similiter conduco operas tuas, ut ad nundinas proficiſcaris merces mihi empturus, quas tibi emendas committo. Conducit eaſdem alius eodem fine ignorans, quid inter nos fuerit actum. Tu qui & mihi, & alteri operas tuas locaſti, ubi utrique merces, quæ tibi emendæ commiſſæ ſunt, coemeris, mercedem integram & a me, & ab altero exigis. Sane ſi ſemper eadem opera pluribus præſtari una poſſet, quin pro mercede integra ſemper unicuique locari poſſet, dubium non eſt. Quilibet enim conductor æſtimat operas ſibi præſtitas & pro iis ſolvit mercedem, cumque a locatore exigere nequeat, niſi ut eædem præſtentur; plus quoque juris in eas non acquiſi-

quiſivit ex contractu, conſequenter ipſi minime competit jus prohibendi, ne, cum alii eadem opera utilis eſſe poſſit, eandem quoque alii locet locator, nec, ubi hoc fecerit, ullum tibi competit jus minuendi mercedem, quam pro opera tibi præſtita promiſiſti. Lucrum alterum, quod caſu quodam felici locatori obvenit, tibi damnoſum non eſt, quippe qui non ſolvis, niſi quod ex contractu debes.

§. 1233.

De eadem opera pluribus conjunctim locata.

Si eadem opera pluribus conjunctim locetur, conductores ſinguli mercedem pro rata ſolvunt, prouti conventum fuit. Etenim ſi eadem opera pluribus conjunctim locetur, plures conductores repræſentant conductorem unum, adeoque pro opera conducta nonniſi mercedem conjunctim ſolvere tenentur, de qua cum locatore conventum. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi inter ſe & cum locatore convenerunt, ut ſinguli ſolvant certam mercedis partem, cum ultra voluntatem ſuam nemo alteri obligetur (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſinguli conductori mercedem pro rata ſolvere tenentur, prouti conventum fuit. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Ego & tu conducimus ſimul tabellionem, ut literas noſtras ad amicum communem deferat. Ita vero cum ipſo convenimus, ut mercedis debitæ partem tertiam tu ſolvas, ego autem duas tertias reliquas ſolvam. Merces tabellioni non ſolvitur niſi ſimplex, & uterque eidem ſolvit ratam ſuam.

§. 1234.

De locatione rei communis.

Res communis ab uno locari nequit, niſi pro rata. Si enim res pluribus fuerit communis, unus ſociorum nonniſi pro parte dominus eſt (§. 127. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter etiam jus eadem utendi nonniſi pro parte habet (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero in locatione rei uſus ejuſdem venditur (§. 1214.). Quamobrem cum res communis ab uno vendi nequeat, niſi pro parte, pro qua quis dominus eſt (§. 1019.), adeoque pro rata, nec res communis ab uno locari poteſt, niſi pro rata.

§. 1235.

Idem porro expenditur.

Quoniam res communis ab uno locari nequit, niſi pro rata (§. 1234.); *ſi unus ſociorum rem communem totam locaverit abſque conſenſu ceterorum, locatio non ſubſiſtit niſi pro rata, ſeu pro ea parte, pro qua quis dominus eſt.*

Ex. gr. Si pro parte tertia dominus es, nonniſi pro parte tertia rem locare potes, ita ut locatori uſus rei indiviſæ cum ceteris ſociis ſit communis pro ea parte. Nec aliter ſubſiſtit locatio, etiamſi res tota abſque ceterorum ſociorum conſenſu fuerit locata.

§. 1236.

An in locatione ratæ rei communis præferendus ſocius.

Si res communis ab uno ſociorum locetur pro rata, naturaliter ſocio alteri non competit jus prælationis, ſi eandem mercedem ſolvere voluerit. Quoniam enim naturaliter dominus jus ſuum in eum transferre poteſt, in quem voluerit (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*), in locatione autem in conductorem transfertur jus utendi (§. 1202.), a domini etiam voluntate pendet, cuinam rem ſuam locare velit. Quamobrem cum ſocius rem communem pro rata ſua locare poſſit (§. 1234.); ab ipſius quoque voluntate pendet, cuinam locare velit, conſequenter ſocius alter eum cogere nequit, ut ſibi locet. Naturaliter itaque jus prælationis non competit ſocio, ſi res communis ab uno ſociorum pro rata locetur, etiamſi eandem mercedem ſolvere voluerit.

Si

Si cui jus quoddam competere debet, neceſſe eſt ut docere poſſit, quomodo idem acquiſiverit, niſi natura ipſi ſit tributum. Enimvero cum dominium ſit jus acquiſitum, quo dominus ceteros omnes excludit (§. 120. *p.* 2. *Jur. nat.*); nemo quoque jus aliquod ad aliquem actum, qui ad dominii exercitium pertinet, habere poteſt, niſi ab ipſo. Nulla igitur apparet ratio, cur in locatione rei communis pro rata ſocius præferri debeat extraneo. Non neceſſe eſt ut inquiramus, an non officiis congruat, ut ſocius extraneo præferatur. Neque enim quod officia exigunt, perfecte debetur (§. 436. *part*, 3. *Juris nat.*). Alia vero quæſtio eſt, num lege poſitiva ſocio jus prælationis tribui poſſit: id quod ex iis, quæ alibi demonſtrabuntur, dijudicandum.

§. 1237.

Si res vel operæ ad certum tempus locentur, finito tempore conductoris jus ceſſat, nec locator ultra id uſum rei vel operas præſtare tenetur, etiamſi rem vel operas denuo locare velit, & locatore inſcio ac inconſulto eam alii locare poteſt. Etenim cum in locatione locator rei transferat in conductorem jus utendi, prouti conventum fuerit (§. 1202.); & locator operæ jus in certas quaſdam actiones ſuas (§. 1206.); ſi res vel operæ ad certum tempus locentur, conductoris jus non durat niſi per tempus conventum. Finito igitur tempore, conductoris jus ceſſat. *Quod erat primum.* *Quando locatio finiatur.*

Et quoniam locator conductori ſeſe non obligavit ad uſum rei ſuæ concedendum, vel operas præſtandas niſi ad hoc tempus, de quo conventum, nemo autem ſibi alterum ultra voluntatem ſuam obligare poteſt (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); finito tempore, ad quod res vel opera fuerat locata, locator non amplius tenetur ad concedendum conductori rei uſum, vel ad præſtandum operas. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero quamprimum conductori nullum jus eſt utendi re vel exigendi operas, nec locator eidem amplius obligatur ad uſum rei concedendum, vel operas præſtandas; in ipſius arbitrio poſitum eſt, in quemnam jus utendi re ſua vel in actiones quaſdam ſuas transferre (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque rem, vel operas locare velit (§. 1202. 1206.). Quamobrem cum conductoris jus ceſſet, finito tempore, ſi res vel operæ ad certum tempus locatæ fuerint, nec locator ultra id tempus uſum rei vel operas conductori præſtare teneatur *per demonſt. n.* 1. & 2.; finito tempore iſto, rem vel operas denuo locare conductori non tenetur, etiamſi locare velit, atque inſcio ac inconſulto conductore alii locare poteſt. *Quod erat tertium & quartum.*

Non fingi poteſt jus quoddam prælationis, quod competat primo conductori, ſi eandem mercedem ſolvere velit, quam ſolvit ſecundus. Neque enim hoc jus ſequitur ex conductione prima, vi cujus conductor non acquiſivit niſi jus ad uſum rei vel operas per tempus iſtud, quod mutuo conſenſu fuit definitum: nequaquam vero locator ultra id, de quo conventum fuit, liberum dominii ſui ac libertatis exercitium reſtringere voluit.

§. 1238.

Res vel opera relocari dicitur, ſi conductori finito tempore iterum locetur. Quoniam locator non obligatur finito tempore ad rem vel operam conductori locandam (§. 1237.); *ſi res vel opera relocetur, relocatio novus contractus eſt ab anteriore prorſus independens, conſequenter pacta quæcunque eidem adjici poſſunt, ſeu legem quamcunque eidem dare licet a priori diverſam.* *De relocatione.*

Ita in relocatione augeri ac minui poteſt merces, aliter determinari poteſt tempus, ad quod locatio fit. Poſſunt adjici quæcunque conditiones; cum locatio anterior eſſet pura; ac ita porro.

§. 1239.

Locationis & conductionis renunciatio quid ſit. *Locatio & conductio renunciari* dicitur, ſi vel locator conductori, vel conductor locatori ſignificet, ſe ultra certum terminum ex contractu amplius teneri nolle.

Ex. gr. Conduxi ædes tuas. Quodſi tibi ſignificem, me ultra feſtum paſchatis proxime inſtans eas amplius inhabitare nolle, conductionem tibi renuncio. Quodſi vero tu mihi ſignifices, te ultra iſtud tempus uſum ædium tuarum mihi concedere nolle; locationem mihi renuncias.

§. 1240.

Quando ea non ſit opus. *Si res vel opera locata fuerit ad tempus definitum, nulla renunciatione opus eſt.* Etenim ſi res vel opera fuerit locata ad tempus certum, quod in contractu expreſſe definitur, finito tempore conductoris jus ceſſat & locatoris obligatio tollitur (§. 1237.), adeoque locatio & conductio finitur. Quamobrem non opus eſt, ut vel locator conductori, vel conductor locatori ſignificet, ſe ultra tempus iſtud contractum continuare nolle. Quoniam itaque locatio & conductio renunciatur, ſi vel locator conductori, vel conductor locatori ſignificet, ſe ultra certum terminum ex contractu amplius teneri nolle (§. 1239.); ſi res vel opera ad tempus definitum locata fuerit, renunciatione nulla opus eſt.

§. 1241.

Quando tacite relocatio fiat. *Si locatio facta fuerit ad tempus definitum, ea tamen lege, ut certo die locatio vel conductio renunciari debeat; ſi a neutro contrahentium renunciatio ſtatuto tempore fiat, relocatio tacite facta intelligitur in modum anteriorem.* Quoniam enim finito tempore, ad quod locatio facta, ipſa etiam locatio finitur (§. 1237.), nec ulla opus eſt renunciatione (§. 1240.); locationi ad tempus definitum factæ non alio fine adiici poteſt pactum, ut certo die locatio vel conductio renuncietur, quam ut renunciatione a neutra contrahentium parte facta locatio conductio renovata intelligatur. Quodſi ergo neutra contrahentium pars ſtatuto tempore renunciet; in renovationem contractus tacite conſenſiſſe cenſentur, conſequenter relocatio tacite facta intelligitur. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam locator & conductor non expreſſe inter ſe conveniunt, quomodo relocatio facta eſſe debeat; in eum omnino modum ea facta intelligitur, quo locatio anterior facta fuerat (§. 823. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat ſecundum.*

Ex. gr. Conduco ædes tuas in annum ea lege, ut, ſi ita viſum fuerit, utrique contrahentium renunciare liceat in principio quadrantis ultimi. Quodſi nec ego, nec tu renuncies ſtatuto tempore; relocatio in annum ſequentem tacite facta intelligitur pro eadem mercede & eadem lege, ſub qua facta erat anterior.

§. 1242.

Alius caſus tacitæ relocationis. *Si locatio facta fuit ad tempus definitum, & conductor, locatore non contradicente, ultra iſtud tempus re utatur; relocatio in modum anteriorem facta tacite intelligitur.* Quodſi enim locatio facta ad tempus definitum, hoc finito conductoris jus omne ceſſat, nec locator eidem obligatur ad uſum rei amplius concedendum, vel operas præſtandas (§. 1237.), conſequenter nec conductor re conducta amplius uti, nec locator pati debet, ut eadem utatur, nec hic ullas amplius operas conductori præſtare poteſt. Quodſi ergo hoc non obſtante re conducta ultra terminum præſtitutum adhuc utatur conductor, non contradicente lo-

te locatore, & conductas adhuc operas ſibi præſtari permittit; ipſo facto ſuo declarant locator & conductor, quod contractum ultra terminum jam elapſum continuari velint, adeoque relocatio tacite facta intelligitur (§. 820. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Patet vero eodem, quo ante (§. 1241.), modo relocationem non intelligi factam niſi in modum locationis anterioris. *Quod erat ſecundum.*

Ex. gr. Conduxi ædes tuas in annum. Finito anno adhuc per integrum menſem, te non contradicente, eas inhabito. Ædes in annum ſequentem relocatæ intelliguntur. Cum enim anno finito nullum mihi amplius competat jus in iis habitandi, niſi contractum renovari voluiſſem, eas tempeſtive in unum menſem conducere debuiſſem, ſiquidem in locationem menſtruam conſentire voluiſſes. Neque enim a ſola conductoris voluntate pendet, quamnam relocationi legem dare velit; ſed ea mutuo locatoris ac conductoris conſenſu definienda. Nec locator menſe elapſo expellere poteſt conductorem, quippe qui ſtatim contradicere debebat, niſi in relocationem conſentire voluiſſet.

§. 1243.

Si locatio conductio contrahatur indefinite, mercede tamen in certum tempus conſtituta & termino renunciationi utrique contrahentium libere præfixo; locatio durat uſque ad tempus, in quod merces conſtituta, & niſi termino præfixo renunciatio fiat, relocatio tacite facta intelligitur. Etenim ſi merces conſtituatur in certum tempus, non vero conveniatur, quamdiu durare debeat contractus; in hoc tamen conſenſiſſe cenſentur contrahentes, quod ante illud tempus, in quod pretium conſtitutum, finiri non debeat. Durat igitur contractus uſque ad hoc tempus. *Quod erat primum.*

De relocatione tacita ad renunciationem tempeſtive non factam reſtricta.

Quoniam autem porro convenitur, ut termino præfixo uterque contrahentium renunciare poſſit; finito tempore, in quod merces conſtituta, unicuique liberum eſt a contractu recedere, ſiquidem tempeſtive renunciet, conſequenter contrahentes inter ſe convenerunt, ut, niſi ab alterutro renunciatio fiat, res denuo locata & conducta eſſe debeat in tantum tempus, in quantum merces conſtituta. Quamobrem cum relocatio ſit, ſi conductori finito tempore iterum locetur res vel opera (§. 1238.); ſi neuter contrahentium tempeſtive renunciet, relocatio tacite facta intelligitur. *Quod erat alterum.*

Nimirum in hypotheſi propoſitionis præſentis revera ita contrahitur, ut locationis terminus ad quem ſit tempus, in quod conſtituitur merces, ſed ut relocatio tacite facta intelligatur, niſi alteruter contrahentium tempore ſtatuto renunciet. Ex. grat. Loco tibi ædes meas nullo tempore expreſſo, ad quod locatio extendi debeat, ſed mercede annua conſtituta, & ea lege, ut tam ego, quam tu in principio ultimi quadrantis renunciare poſſimus. Neuter a contractu recedere poteſt, niſi anno finito, &, niſi ab alterutro renunciatio in principio ultimi quadrantis facta fuerit, ſtandum erit contractu per annum ſequentem ac ita porro, donec ab alterutro renuncietur juſto tempore.

§. 1244.

Si conductor re aliter utatur, quam fuerat conventum, ſeu eadem abutatur; locator contractum reſcindere poteſt. Etenim conductor re aliter uti non debet, quam fuerat conventum (§. 1203.), conſequenter ſi hoc facit, a contractu recedit. Enimvero ſi unus paciſcentium a pacto recedit, alteri quoque recedere licet (§. 827. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi conductor re aliter utatur, quam fuerat conventum, ſeu eadem abutatur, locator a contractu recedere, adeoque eum pro nullo declarare, conſequenter reſcindere poteſt (§. 928.).

De contractu ob abuſum rei reſcindendo.

Ex. gr. Tu conduxiſti ædes meas, & eas ſive dolo, ſive culpa deteriores reddis, quam uſus permittit, aut meretrices, lenones, fures recipis, conſequenter ædibus meis aliter uteris, quam fuerat conventum; ego te ex ædibus expellere poſſum contractu reſciſſo, a quo tu recedis.

§. 1245.

De locatione reſcindenda rem vel operas a locatore non præſtitas prouti debentur.

Si locator rem conductam præſtare nolit ei uſui aptam, quem conductori conceſſit; conductori contractum reſcindere licet. Idem valet, ſi locator operarum non præſtat operas, prouti debentur. Etenim locator conductori præſtare debet rem iſti uſui aptam, ad quem eam conduxit (§. 1230.), & locator operarum præſtare tenetur operas promiſſas (§. 1198.). Quodſi ergo locator rem conductam præſtare nolit ei uſui aptam, quem conductori conceſſit, vel locator operarum non præſtet operas, prouti debentur, a contractu recedit. Unde porro eodem, quo ante (§. 1244.), modo patet, quod conductori contractum reſcindere liceat.

Ex. gr. Conduxi ædes tuas. Tu januas & feneſtras nimium corruptas reficere non vis. Ego a contractu recedere poſſum, nec ædes tuas relinquens ultra tempus, quo in iis habitavi, mercedem ſolvere teneor. Similiter conduxi operas diurnas tuas. Tu non accedis ad eas præſtandas juſto tempore. Ego te ab iis præſtandis arcere poſſum, nec mercedem diurnam ſolvere cogor. Quodſi operas nimis negligenter ac ſegniter præſtes, quas præſtare debes; mihi itidem te ab iis præſtandis arcere licet. Aliud exemplum eſto hoc. Conduxi operas tuas ad deſcribendum MSC. tu aliquot plagulas mihi affers, ſed admodum vitioſe ac male ſcripſiſti, ut vix legi poſſint, quæ a te ſcripta ſunt. Ego a contractu recedere poſſum, nec opera tua in deſcribendis reliquis uti teneor.

§. 1246.

De refectione neceſſaria ædium conductarum.

Si ædes neceſſario reficiendæ, durante autem refectione eas inhabitare non poſſit inquilinus; locatio per ſe diſſolvitur. Etenim ſi ædes neceſſario reficiendæ, durante autem refectione eas inhabitare non poſſit inquilinus, nec locator exigere poteſt, ut inquilinus in iis habitet, nec inquilinus, ut ædes ad inhabitandum commodas ſibi præſtet locator, ne eas relinquere cogatur ante tempus definitum. Quamobrem cum nemo obligetur ad impoſſibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), locator & inquilinus a mutua obligatione liberantur per ſe. Quoniam itaque pactum diſſolvitur, ſi contrahentes ab obligatione, qua ſibi invicem ex pacto tenentur, liberantur (§. 836. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi ædes neceſſario reficiendæ, durante autem refectione eas inhabitare non poſſit inquilinus, locatio per ſe diſſolvitur.

Non opus eſt ut demum demonſtretur, ad id uſque tempus, quo ædes inhabitavit inquilinus, mercedem eſſe ſolvendam. Contractu autem ſemel diſſoluto, nec ad ædes refectas iterum inhabitandas obligatur inquilinus, ſi tempus contractus nondum elapſum, nec eum, ſi velit, recipere tenetur locator, niſi aliter fuerit conventum, cum eas relinquere teneretur inquilinus. Tum enim obligatio naſcitur ex novo pacto, non vero reviviſcit ex contractu anteriore. Neque ulla ratio eſt, cur in arbitrio inquilini poſitum eſſe debeat, utrum ædes refectas repetere velit, nec ne. In contractu enim hoc oneroſo par eſſe debet utriuſque partis contrahentium conditio (§. 1219.).

§. 1247.

De impoſſibilitate rem conductam uſui aptam præſtandi.

Immo in genere ſi locator non poſſit præſtare rem uſui, ad quem conducta fuit, aptam; locatio per ſe diſſolvitur. Patet eodem modo, quo idem in caſu particulari modo oſtendimus (§. 1246.).

Ex gr. Ponamus agrum conductum inundari, nec fieri poſſe, ut a locatore exſiccetur, vel aquis recedentibus ſua ſponte arena eum eſſe obductum, ut coli debite non poſſit; locatio per ſe diſſolvitur, nec locator conductori, nec conductor locatori ad quid præſtandum tenetur. Exemplum aliud eſto; ſi ædium maxima pars combuſta fuerit, nec locator ſumtus facere poſſit ad eas reficiendas neceſſarios, aut ſi hoc contingat, antequam inquilinus eas inhabitare cœperit, nec tempeſtive eas reficere detur.

§. 1248.

§. 1248.

Si duratio contractus in arbitrium utriuſque contrahentium collata fuerit; morte unius contrahentium finitur. Etenim ſi duratio contractus in arbitrium utriuſque contrahentium conferatur; contrahentes inter ſe conveniunt, quod contractus tamdiu durare debeat, quamdiu voluerit unus contrahentium, conſequenter quod unius diſſenſu diſſolvi debeat (§. 836. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum mortuus velle nequeat, ut diutius duret contractus; ſi duratio contractus in arbitrium utriuſque contrahentium collata fuerit, morte unius contrahentium diſſolvitur, adeoque finitur. *De contractu morte alterutrius contrahentium finito.*

§. 1249.

Quoniam locatio conductio contractus eſt, qui per aliquod tempus durat (§. 1194), ſi vero duratio contractus in arbitrium utriuſque contrahentium collata fuerit, morte unius contrahentium finitur (§. 1248.); *ſi duratio locationis conductionis in arbitrium tam locatoris, quam conductoris conferatur, morte locatoris, vel conductoris locatio finitur.* *De locatione finita ob mortem conductoris, vel locatoris.*

Nimirum par eſt locatoris & conductoris conditio, ſi in utriuſque arbitrium ſigillatim conferatur duratio contractus, qui tam a ſolo conductore, quam a ſolo locatore diſſolvi poteſt; ſi ita viſum fuerit.

§. 1250.

Si duratio contractus in unum contrahentium arbitrium conferatur, morte ipſius finitur. Patet eodem modo, quo idem oſtendimus in eo caſu, quo in utriuſque arbitrium duratio contractus collata fuerit (§. 1248.). *De contractu finito ob unius contrahentium mortem.*

Tum enim revera ita conventum: contractus durare debet, quamdiu voluero, aut quamdiu tu volueris. Cum hoc vero coincidit: Contractus finiri debet, quamprimum eum durare berè noluero, aut quamprimum tu nolueris. Velle autem non poſſe in præſenti idem eſt ac nolle.

§. 1251.

Quoniam contractus finitur morte ejus, in cujus arbitrium duratio contractus collata (§. 1250.); *ſi duratio locationis conductionis collata fuerit in arbitrium locatoris, morte locatoris finitur locatio; ſi collata fuerit in arbitrium conductoris, morte conductoris finitur.* *De locatione finita ob mortem locatoris, aut ob mortem conductoris.*

Nimirum in caſu priori locatoris, in poſteriori conductoris eſt eligere, utrum contractum continuari, an finiri malit, & in priori conductor, in poſteriori locator ſtare tenetur voluntate eligentis, ſive placuerit, ſive diſplicuerit. Durum igitur non eſt conductori in caſu priori, quando morte locatoris finitur locatio; nec in poſteriori locatori, quando ea finitur morte conductoris.

§. 1252.

Si morte locatoris extinguitur jus, quod in re habuit, quam alteri locavit; morte ejuſdem locatio finitur. Etenim ſi locatoris jus, quod in re habuit, morte ejus extinguitur, nec id in conductorem transferre potuit, niſi ſub tacita hac conditione, quamdiu vixero, aut, ubi locatio ad certum tempus facta, ſi tam- *De locatione finita ob jus locatoris in re extinctum.*

diu

diu vixero. Quoniam itaque locatio fit ſub conditione reſolutiva (§. 488. *part.* 3. *Jur. nat.*), conditione autem reſolutiva exiſtente jus ſub ea quæſitum ſtatim tollitur (§. 530. *part.* 3. *Jur. nat.*); jus quoque conductoris a locatore in ipſum translatum ſtatim tollitur, quando locator moritur. Quamobrem ſi morte locatoris extinguitur jus, quod in re habuit, quam alteri locavit; morte ejuſdem locatio finitur.

Patet eodem modo, *extincto jure locatoris in re alia quacunque de cauſa locationem finiri*, ut adeo non opus ſit, id ſigillatim demonſtrari. Sed demus exemplum. Loco tibi fundum, in quo mihi competit uſusfructus ad dies vitæ. Dubio caret, morte mea locationem finiri, etſi in ſexennium fuerit contractum, & quatuor demum vel pauciores elapſi ſint anni.

§. 1253.

De lege commiſſoria locationi addita. *Si locationi adjicitur lex commiſſoria, ea ſtatim reſolvitur, conditione reſolutiva exiſtente.* Pactum enim quodlibet, cui lex commiſſoria addita, ſtatim reſolvitur, conditione reſolutiva exiſtente (§. 1088.). Ergo etiam locatio ſtatim reſolvitur, conditione reſolutiva exiſtente, ſi lex commiſſoria eidem addita fuerit.

Ex. gr. Lex commiſſoria additur locationi, ſi ita contrahatur, ut locatio ſtatim ſit nulla, ſi conductor ſtatuto tempore non ſolvat mercedem promiſſam, veluti ſi locatæ ſint ædes in ſexennium, nec ſingulis quadrantibus huic tempori conveniens merces ſolvatur. Quodſi ergo conductor eam non ſolvat, quemadmodum conventum fuit; locator eum expellere poteſt. Naturaliter nullam indulgere tenetur locator conductori moram, niſi voluerit.

§. 1254.

Quæ inde ſequantur. Quoniam locatio conductio ſpecies quædam emtionis venditionis eſt (§. 1213.), & ſub lege commiſſoria contracta reſolvitur, quando conditio reſolutiva exiſtit (§. 1253.); *Quæ de emtione venditione ſub lege commiſſoria contracta & conditione reſolutiva exiſtente reſoluta demonſtrata ſunt* (§. 1089. & *ſeqq.*), *mutatis mutandis etiam ad locationem conductionem applicari poſſunt.*

Non igitur opus eſt, ut in iis demonſtrandis prolixi ſimus, quæ levi attentione agnoſcuntur.

§. 1255.

Deterioratio rei in quantum permiſſa. *Si res uſu, quæ conductori locatur, redditur deterior; locator in hanc deteriorationem conſentit.* Oſtenditur eodem prorſus modo, quo idem de commodante oſtendimus (§. 440.).

Concedere uſum rei nequit niſi qui etiam concedit deteriorationem rei, ſine qua uſus obtineri nequit. Et qui mercedem ſolvit pro uſu rei, eam etiam pro deterioratione rei ſolvit; quæ eidem neceſſario cohæret.

§. 1256.

Rei conductæ deterioratio & deſtructio prohibita. *Conductor cavere debet, ne res conducta culpa ſua reddatur deterior, vel prorſus deſtruatur, multo minus autem dolo eandem deteriorare, vel deſtruere debet.* Quoniam enim in locatione locator non transfert niſi jus re utendi, prouti conventum fuerit, in conductorem (§. 1202.), adeoque non ipſum dominium (§. 136. *p.* 2. *Jur. nat.*); res manet locatoris (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero nemo rem alterius deſtruere aut deteriorare debet (§. 647. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſive hoc fiat culpa, ſive dolo (§. 496. *p.* 2. *Jur. nat.*). Ergo conductori non licet culpa ſua, multo-

multoque minus dolo rem commodatam deteriorare vel deſtruere. Cavendum itaque ipſi eſt, ne tale quid fiat.

Facile autem patet, quandonam culpa, vel dolo conductoris res deterioretur, vel deſtruatur, nimirum ſi abſque iſta deterioratione vel deſtructione uſus talis obtineri poterat, cujusgratia res conducta fuit (§. 1255.). Ita ſi conductor re aliter utatur, quam conventum fuerat; quæ ob abuſum contigit rei deterioratio, vel deſtructio, culpa vel dolo conductoris contigit.

§. 1257.

Quoniam conductor cavere debet, ne res conducta culpa ſua reddatur deterior, vel prorſus deſtruatur, multo minus autem dolo eandem deteriorare, vel deſtruere debet (§. 1256.), nec locator in majorem rei deteriorationem conſentit, quam eam, ſine qua uſus conceſſus obtineri nequit (§. 1255.); *ſi quis in rerum ſuarum uſu & cuſtodia non eam adhibere ſolet diligentiam & curam, quam adhibere debet* (§. 648. *part.* 2. *Jur. nat.*); *in re conducta utenda & cuſtodienda majorem diligentiam & curam adhibere debet, quam in propriis adhibere ſolet.* *De diligentia in re conducta utenda & cuſtodienda adhibenda.*

Nimirum nemo plus juris ſibi arrogare poteſt in re alterius, quam ipſi fuit conceſſum. Quamvis adeo domino permittendum ſit, ut re ſua abutatur, quamdiu nil facit contra jus tertii (§. 169. *part.* 2. *Jur. nat.*); conductori tamen non eſt permiſſum, ut re aliena aliter utatur, quam fuerat conventum (§. 1203.), adeoque hic eam in re utenda & cuſtodienda diligentiam adhibere debet, quam exigit uſus pro mercede ipſi venditus (§. 1214).

§. 1258.

Finita locatione conductor rem conductam ſine mora reſtituere tenetur in ſpecie, nec deteriorem, quam fieri debuit uſu conceſſo. Quoniam enim conductor locatione finita nullum amplius habet jus re utendi (§. 1202.); res conducta ſine cauſa in poteſtate ipſius eſt. Eodem igitur modo oſtenditur, quod ſine mora rem reſtituere teneatur in ſpecie, quo idem de commodatario demonſtravimus (§. 445.). *Quod erat primum.* *De reſtitutione rei locatione finita.*

Enimvero quia conductor cavere debet, ne res conducta culpa ſua, ſive dolo reddatur deterior (§. 1256.), nec locator in majorem rei locatæ deteriorationem conſentit, quam eam, ſine qua uſus conceſſus obtineri nequit (§. 1255.); rem autem conductam in ſpecie reſtituere tenetur conductor locatione finita *per demonſtrata n.* 1. finita locatione conductor rem conductam non deteriorem reſtituere debet, quam fieri debuit uſu conceſſo. *Quod erat alterum.*

Qui re diutius utitur, quam fuerat conventum, non minus furtum uſus committit, quam qui aliter utitur, quam fuerat conventum (§. 503. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſiquidem hoc fiat ſine conſenſu locatoris ſive expreſſo, ſive præſumto, nec de mora ſe purgare poſſit conductor (§. 650. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 1259.

Si res conducta dolo vel culpa conductoris deterioratur, vel prorſus deſtruitur, damnum datum locatori ab eo reſarciendum eſt. Patet ut ante (§. 1256.), rem conductam eſſe locatoris, non conductoris. Unde porro eodem modo demonſtratur, ſi ea culpa vel dolo conductoris deterioretur, damnum datum locatori eſſe reſarciendum, quo idem de commodatario oſtendimus (§. 446.). *Quod erat unum.* *Damnum datum quodnam a conductore reſarciendum.*

Et quoniam res in ſpecie locatori reſtitui nequit, ſi prorſus deſtructa fuerit (§. 444.), quemadmodum reſtitui debeat a conductore locatione finita (§. 1258.); eodem denuo modo oſtenditur, re culpa vel dolo conductoris deſtructa, damnum datum ab eo locatori eſſe reſarciendum, quo idem itidem de commodatario demonſtravimus in caſu ſimili (§. 446.). *Quod erat alterum.*

Jure nimirum naturali præſtatur culpa omnis & dolus, quemadmodum in commodato (*not.* §. 446.), ita etiam in locatione.

§. 1260.

An conductor præſtare teneatur caſum.

Si res conducta caſu deterioratur, vel deſtruitur, damnum ſentit locator, etiamſi eodem caſu res penes ipſum deteriorata vel deſtructa non fuiſſet, niſi caſum præceſſerit culpa, aut conductor finita locatione fuerit in mora reſtituendi. Etenim locator vendit rei uſum conductori (§. 1214.), ac eo fine tradere tenetur rem conductam (§. 1231.), conſequenter eadem in poteſtatem conductoris redigenda (§. 434.). Quoniam itaque mercedem accipit pro uſu rei (§. 1194.), atque adeo perinde ſit ac ſi re ipſe uteretur conſequenter res penes ſe eſſet, caſum vero nemo evitare poteſt (§. 460. *part. 2. Theol. nat.*); ſi caſu res conducta deterioretur vel deſtruatur, perinde eſt ac ſi eodem caſu penes ipſum deterioraretur, vel deſtrueretur. Quamobrem cum per locationem non transferatur dominium (§. 1202.), res vero pereat ſuo domino (§. 356. *part. 2. Jur. nat.*); nulla ſane ratio eſt, cur non locator potius, quam conductor damnum ſentire debeat. Sentit adeo locator damnum, etiamſi eodem caſu res penes ipſum deteriorata non fuiſſet (§. 70. *Ontol.*). *Quod erat primum.*

Quodſi vero caſum præcedit culpa, damnum non tam caſu, quam culpa datum intelligitur. Quoniam itaque damnum culpa datum a conductore reſarciendum (§. 1259.); reſarciendum quoque erit, ſi caſum, quo deterioratur, vel deſtruitur, præcedit culpa. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum mora culpa ſit, ſi quis in mora eſt (§. 648. *part. 3. Jur. nat.*), damnum culpa datum cenſetur, ſi res caſu perit, vel deterioratur, quo apud locatorem non periiſſet, vel deteriorata fuiſſet, quando conductor in mora reſtituendi eſt. Quamobrem quia damnum caſu datum, quem culpa conductoris præceſſit, a conductore reſarciendum *per demonſtrata n. 2.*; ſi damnum caſu detur, quo eodem res apud locatorem non periiſſet, vel deteriorata fuiſſet, ob moram in reſtituendo commiſſam, conductor idem reſarcire tenetur. *Quod erat tertium.*

Qui vult mercedem accipere pro uſu rei ſuæ ab altero, is quoque eandem periculo exponere tenetur, quod a caſu imminet, cum alias alteri eam locare non poſſet. Conductor ſolvit mercedem pro uſu rei, quem ipſi præſtare debet locator. Quoniam itaque eum præſtare nequit, ſi periculum, quod a caſu imminere poterat, evitare velit; neceſſe omnino eſt ut idem ſubeat. Neque ideo facit locator, quod reprehendi poſſit, cum non minus apud ſe, quam apud conductorem res caſu perire, aut deſtrui poſſit, incertum vero ſit, utrum horum contingere queat. Quamobrem caſus in locatione conductione nulla habenda ratio eſt, niſi quatenus eam præcedit culpa conductoris, quam is vitare poterat ac debebat (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*). Aliter ſeſe res habet in commodato (§. 447.), ubi ſolius commodatarii cauſa res commodantis penes commodatarium eſt (§. 418.).

§. 1261.

An conductor teneatur locatori de damno, quod incurrit præſtando operas.

Si locator operæ culpa ſua vel caſu damnum incurrit, dum operas debitas præſtat; conductor id ei reſarcire non tenetur. Etenim ſi locator operæ ſua culpa damnum incurrit, dum operas debitas præſtat cum eam vitare debeat (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*), ipſe in cauſa eſt, cur damnum incurrat. Quamobrem cum ratio nulla ſit, cur hoc imputari poſſit conductori (§. 527. *p. 1. Phil. pract. univ.*); nec ulla ratio eſt, cur ad damnum, quod incurrit locator operarum, reſarciendum teneatur conductor, adeoque idem reſarcire non tenetur (§. 70. *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Enimvero cum caſus nemo prævidere poſſit, adeoque nec in noſtra poteſtate ſit eos evitare (§. 460. *part. 2. Theol. nat.*); qui operas ſuas pro mercede alteri locare vult, ſubire etiam tenetur periculum, quod a caſu quodam imminere poterat, nec dici poteſt, quod conductor cauſa libera ſit damni, quod lo-

cator incurrit, conſequenter nec id ipſum eidem imputari poteſt (§. 527. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Nulla igitur ratio eſt, cur damnum, quod incurrit locator ob caſum, quem nemo prævidere poterat, reſarcire teneatur conductor, adeoque nec idem reſarcire tenetur (§. 70. *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

Damnum quod quis caſu incurrat, merum infortunium eſt, ferendum ei, qui fortunam ſibi adverſam experitur. Qui ad damnum alteri reſarciendum tenetur, is obligatus eſſe debet vel ex pacto, vel ex facto quodam ſuo. Ubi nulla obligatio ex pacto, vel facto adeſt; ibi nec exigi poteſt reparatio damni.

§. 1262.

De caſu, quo operarum præſtatio impeditur.

Si locator operarum caſu quodam impediatur, quominus operas promiſſas præſtare poſſit; locatio per ſe nulla evadit, mercedem tantummodo remittere, aut acceptam reſtituere tenetur locator, ſi quæ tamen pars operarum jam præſtita fuerit, pro rata debetur merces. Si quis enim caſu impediatur, quo minus operas promiſſas præſtare poſſit, cum caſum prævidere ac evitare nemo poſſit (§. 460. *part.* 2. *Theol. nat.*); præſtatio operarum ſine culpa locatoris (§. 641. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) impoſſibilis evadit. Quoniam itaque nemo ad impoſſibile obligari poteſt (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nec locator ſeſe obligare potuit conductori niſi ſub tacita hac conditione reſolutiva, niſi caſu quodam impediatur, quo minus operas promiſſas præſtare poſſit. Caſu igitur emergente, promiſſio locatoris, conſequenter ejus obligatio (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), ſtatim ceſſat, & jus conductoris tollitur (§. 530. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter locatio per ſe nulla evadit. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam merces datur pro operis (§. 1194.); ſi operæ non præſtentur, nec merces debetur locatori. Quamobrem mercedem exigere nequit, adeoque eam remittere (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*), vel acceptam reſtituere debet. *Quod erat ſecundum.*

Et quia locatio in hypotheſi propoſitionis præſentis nulla evadit *per demonſtrata num.* 1. conſequenter ex contractu conductori ad nihil tenetur locator; ideo tantummodo mercedem remittere, aut acceptam reſtituere tenetur. *Quod erat tertium.*

Denique cum locatio conductio demum nulla evadat caſu exiſtente *per demonſtrata n.* 1. adeoque antequam exiſteret eſſet valida, conſequenter locator ad præſtandas operas, conductor ad ſolvendam pro iis mercedem obligaretur (§. 1198.); quin pro operis, antequam caſus exiſteret, præſtitis ſolvenda ſit merces, dubitandum non eſt. *Quod erat quartum.*

Ex. g. Conduxi operas tuas in integrum menſem. Tu impediris, quominus eas præſtare poſſis morbo, in quem cadis, antequam eas præſtare poſſis, vel ubi demum per quartam menſis partem eas præſtitiſti. In utroque caſu reſolvitur locatio, quamprimum morbus advenit, & in priori nihil mercedis tibi debetur, in poſteriori pars quarta. Nec ex contractu ad quicquam præſtandum præterea teneris mihi, ſi vel maxime mihi ſit incommodum, vel etiam damnoſum, te operas promiſſas præſtare non potuiſſe. Notandum vero impoſſibilitatem præſtandi operas promiſſas non ſemper eſſe phyſicam, quemadmodum in exemplo morali; ſed eam etiam moralem eſſe poſſe, quatenus ea non conſiſtit cum officio, ad quod præſtandum natura obligaris. Naturali enim obligationi, quæ neceſſaria ac immutabilis eſt (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), cedit contracta, quæ ex pacto venit, cum nemo ſeſe alteri obligare poſſit contra id, quod naturaliter debet. Ita ſi operas promiſſas præſtare non poſſis, quia uxor tua gravi morbo decumbit, cui opem ferre teneris; locatio non minus reſolvitur, quam ſi ipſe morbo correptus fuiſſes.

§. 1263.

De operis culpa locatoris non præſtitis.

Si locator operarum culpa ſua operas promiſſas non præſtitit; ad id tenetur, quod conductoris intereſt. Etenim ſi damnum quoddam conductoris emergit, vel lu-

crum quoddam ejus ceſſat, propterea quod locator operarum culpa ſua operas promiſſas non præſtitit, intereſt omnino conductoris operas promiſſas præſtari (§ 622. *part.* 3. *Jur. nat.*), & conductor ob non factum culpoſum damnum quoddam incurrit, aut lucrum quoddam ejus ceſſat. Enimvero ſi alter ob non factum tuum culpoſum damnum quoddam incurrit, aut lucrum quoddam ejus ceſſat, ad id quod ejus intereſt teneris (§. 623. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam ſi locator operarum culpa ſua operas promiſſas non præſtitit, ad id tenetur, quod conductoris intereſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si locator operarum culpa ſua operas promiſſas non præſtitit, & conductoris intereſt, ut præſtarentur; hic damnum quoddam incurrit, vel lucrum quoddam ejus ceſſat, propterea quod ſis obligationi ſuæ non ſatisfecit (§. 1198. *h.* & §. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*), cum juſtam excuſandi cauſam non habeat (§. 299. *part.* 1. *Jur. nat.*). Sed ſi quis damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti, ad id quod intereſt teneris (§. 629. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam locator operarum tenetur ad id, quod intereſt conductoris, ſi culpa ſua operas promiſſas non præſtitit.

§. 1264.

De locatore ante operas præſtitas mortuo.

Si locator operarum moriatur, antequam operas ullas præſtitit, vel ubi aliquas tantummodo præſtitit; in caſu priori nulla ipſi debetur merces, adeoque quod acceptum reſtituendum, in poſteriori autem debetur pro rata, & quod plus acceptum reſtituendum. Quodſi enim locator operarum moriatur, perinde eſt ac ſi caſu quodam impediatur, quo minus operas præſtare poſſit: quod per ſe patet. Enimvero ſi locator operarum caſu impeditur, quo minus operas promiſſas præſtet, merces nulla ipſi debetur, & acceptam reſtituere tenetur, ſi qua tamen pars operarum jam præſtita fuerit, pro rata debetur merces (§. 1262.). Quamobrem ſi locator operarum moriatur, antequam operas ullas præſtitit, vel ubi aliquas tantummodo præſtitit; in caſu priori nulla ipſi debetur merces, in poſteriori autem pro rata; & in priori quod acceptum totum, in poſteriori quod plus acceptum reſtituendum.

Mortem referendam eſſe inter caſus fortuitos, quos prævidere ac evitare homini non licet, nemo eſt qui in dubium vocare poſſit. Quamobrem quæ de caſu valent, ea etiam recte ad mortem locatoris applicantur.

§. 1265.

De morte conductoris operarum ſibi tantummodo utilium.

Si conductor operarum ſibi tantummodo utilium moriatur, antequam præſtitæ fuerint; conductio & locatio ſtatim finitur, nec locatori debetur merces, niſi pro operis jam præſtitis. Etenim ſi quis conducit operas ſibi tantummodo utiles, pactum reſtringitur ad perſonam conducentis, adeoque perſonale eſt (§. 801. *p.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero ſi pactum fuerit perſonale & unus paciſcentium moritur, pactum extinguitur (§. 803. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam locatio conductio extinguitur, ſeu ſtatim finitur, ſi conductor operarum ſibi tantummodo utilium moriatur, antequam præſtitæ fuerint. *Quod erat primum.*

Enimvero quia conductor mercedem pro operis præſtitis ſolvere tenetur locatori (§. 1198.); ſi aliquæ jam operæ præſtitæ fuerint a locatore, antequam conductor moriatur, quin pro iis debeatur merces locatori, dubitandum non eſt. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam vero morte conductoris ſtatim finitur conductio *per demonſtr. n.* 1. ſicuti nullæ amplius a locatore debentur operæ, ita quoque nulla debetur merces pro operis nondum præſtitis. Quamobrem ſi conductor operarum ſibi utilium

lium tantummodo moriatur, antequam præſtitæ fuerint; locatori non debetur merces, niſi pro operis præſtitis. *Quod erat tertium.*

Ex.grat. Conduxiſti operas famuli in trien-nium, ſed menſe ſexto moreris; contractus morte ſua extinguitur, nec famulo debetur merces niſi pro rata ſex menſium. Similiter conduxiſti operas hortulani in æſtatem præſentem. Primo ſtatim menſe moreris: cum voluptatis tantummodo tuæ cauſa has operas conduxeris, contractus morte tua finitur, nec merces hortulano debetur niſi pro uno menſe. Aliter conveniri poſſe, dubium non eſt. Quodſi vero aliter fuerit conventum, ſtandum erit pacto (§. 789. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 1266.

Si caſus materiæ accidat; ex qua opus conficiendum.

Si operas alterius conduxiſti ad faciendum opus ex materia tua; damnum in materia caſu datum tuum eſt & pro jam præſtita opera mercedem ſolvere teneris. Etenim cum materia, ex qua opus conficiendum, tua ſit *per hypoth.* res vero ſuo pereat domino (§. 356. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi damnum in materia detur caſu, adeoque abſque culpa locatoris operæ, ut nihil ſit, ad quod reſarciendum is teneatur (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi operas alterius conduxiſti ad faciendum opus ex materia tua, damnum in materia caſu datum omnino tuum eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero locatori operarum obligaris ad præſtandam mercedem pro operis præſtitis (§. 1198.), &, ſi is caſu impeditur, quo minus integras præſtare poſſit, pro rata tamen præſtitarum mercedem ſolvere teneris (§. 1262.). Quamobrem ſi operas alterius conduxiſti ad faciendum opus ex materia tua, & damnum caſu datur in materia, ut adeo perficere idem minime poſſit, pro opera jam præſtita mercedem ſolvere teneris. *Quod erat alterum.*

Ex.gr. Conduxiſti operas aurifabri ad includendum gemmam annulo aureo. Quodſi vitio materiæ frangatur in actu incluſionis, adeoque abſque omni culpa fabri; damnum tuum eſt, & tu nihilominus pro opera jam præſtita mercedem ſolvere teneris. Similiter conduxiſti operas ſartoris ad faciendum veſtem ex panno tuo. Quodſi incendio ſine culpa ipſius ſuborto pannum fuerit combuſtum, nec ſervari ab ſartore potuerit; damnum tuum eſt: ſi quam vero operam jam præſtitit, pro ea mercedem debes.

§. 1267.

De inſtrumento fracto vel perdito in operarum præſtatione.

Si locator operarum fregerit vel perdiderit inſtrumentum, operas promiſſas præſtando; damnum ipſius eſt. Etenim ſi conductor conducat operas, quæ ſine inſtrumento præſtari nequeunt; mercedem ſe ſoluturum promiſit pro operis cum inſtrumentis præſtitis (§. 1194.). Quamobrem cum pro vero contra ipſum haberi nequeat, niſi quod ſufficienter indicavit (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec ultra mercedem ſolvendam pro præſtitis operis locatori quid promiſiſſe intelligitur, qui cum eas ſine inſtrumentis præſtare non poſſet, inſtrumenta neceſſario adhibere debet. Quoniam itaque locatori conductor non obligatur ultra id, in quod ſeſe eidem obligare voluit; nec eum indemnem præſtare tenetur, ſi operas præſtando inſtrumentum fregit vel perdidit.

V. g. Si operarius, qui ligna findere & cædere debet, frangit vel perdit ſecurim: damnum ipſius eſt, nec tu, qui operas ejus conduxiſti, id reſarcire teneris. Idem intelligitur, ſi faber malleum, aut incudem frangit operas tibi locatas præſtando.

§. 1268.

De damno in materia locatoris operæ data.

Si operas alterius conduxiſti ad faciendum opus ex materia ſua; damnum in materia caſu datum ipſius eſt. Oſtenditur eodem fere modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

Nimi-

Nimirum quemadmodum in caſu propoſitionis præcedentis operæ præſtari nequeunt ſine inſtrumentis; ita in caſu præſenti præſtari non poſſunt ſine materia locatoris. De hoc igitur eodem modo ratiocinandum, quo de inſtrumentis ratiocinamur. Ex. gr. Si aurifaber tibi facere debeat annulum ex auro ſuo & eidem includere gemmam ſuam, hæc vero in ipſo actu incluſionis vitio materiæ frangatur; damnum utique fabri eſt, nec tu pro operis fruſtraneis mercedem ullam ipſi ſolvere teneris. Similiter ſi pictoris operas conduxiſti ad pingendum, & colores, quibus utitur, caſu corrumpantur; damnum ipſius eſt, nec tu idem reſarcire teneris. Quodſi pictor tabulam pingere promiſit, & pictura, antequam abſoluta, caſu quodam fuit corrupta; aliam pingere tenetur, nec pro opera ante præſtita ullam exigere poteſt mercedem. Obligationes nimirum extendi nequeunt ultra id, de quo convenerunt inter ſe contrahentes.

§. 1269.

De materia data; ut in genere reſtituatur.

Si opera alterius conducatur ad faciendum opus & materia detur ſaltem, ut in genere reſtituatur, damnum in materia caſu datum locatoris operæ eſt. Etenim ſi materia detur conductori operis, ſeu ei, cujus opera ad faciendum opus conducitur, ut eam in genere reſtituat, non datur eo animo, ut ex eadem præciſe materia opus faciat (§. 486.), conſequenter dominium ejus in locatorem operæ, ſeu conductorem operis transfertur, adeoque materia ipſius eſt, non tua (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque hoc in caſu perinde eſt, ac ſi opus facere deberet ex materia ſua, ſi vero locator operarum ex materia ſua facit opus, damnum in materia caſu datum ipſius eſt (§. 1268.); ejuſdem etiam eſſe debet damnum, quod caſu in materia datur, ſi materia ſaltem detur, ut in genere reſtituatur, in mercedem imputanda.

Ex. gr. Conduco operas aurifabri ad faciendum vaſa argentea. Do ipſi argentum æſtimato, non ut ex eodem præciſe faciat vaſa, ſed ne pretium pro argento ſolvere teneat. Perinde omnino eſt, ac ſi operas ejus conducerem ad faciendum vaſa ex argento ſuo. Quodcunque adeo damnum caſu in argento datur, aurifaber ſentit, penes quem argentum a me ipſi datum ejus periculo exiſtit. Nimirum quoniam ipſi liberum facio, utrum ex eo, quod do, argento vaſa conficere velit, an eodem uti ad alia opera conficienda, cum in eum transferatur poteſtas pro arbitrio ſuo de eodem diſponendi, dominium utique ejus in eum transfertur (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*). Cum dominio vero tranſit ad eum omne periculum (§. 356. *part. 2. Jur. natur.*). Idiomate patrio dicitur ſein Silber angeben, ut ſcilicet computetur in partem ejus, quod ſolvendum.

§. 1270.

De opere vitioſo a conductore ejus confecto.

Si operam alterius conduxiſti ad faciendum opus ex materia tua, & is opus fecerit vitioſum; vitium corrigere tenetur ſine mercede, ſi corrigi poſſit, ſin minus, pretium materiæ reſtituere & opus vitioſum retinere debet. Etenim qui operas ſuas ad faciendum opus alteri locat, cum quilibet naturaliter obligetur ad ita defungendum labore ſuo, ut finem per eum intentum ex aſſe conſequatur (§. 523. *part. 1. Jur. nat.*), & qui eas conducit, velit opus eſſe iis uſibus aptum, quod habere poteſt ac debet, conſequenter ut omni careat vitio (§. 1043.), locator operæ in opere conficiendo omnem promiſiſſe intelligitur diligentiam, adeoque conficere opus, quod vitio omni careat. Quoniam itaque locator operæ obligatur ad operas promiſſas præſtandas (§. 1198.); opus perficere debet ſine omni vitio. Quamobrem ubi opus ex materia tua vitioſum fecit, cum tu mercedem non debeas niſi pro operis promiſſis præſtitis (§. *cit.*), vitium ſine ulla mercede corrigere tenetur, ſiquidem corrigi poſſit. *Quod erat primum.*

Quoniam vero tu opus vitioſum accipere non teneris, nec mercedem ſolvere pro operis minus recte, ſeu aliter præſtitis, quam conventum fuerat *per demonſtrata;* ſi vitium corrigi non poſſit, opus vitioſum retinere debet operæ locator, ſeu operis conductor (§. 195.). *Quod erat ſecundum.*

Denique cum jacturam facias materiæ, quando redemtor retinet opus vitioſum, adeoque damnum incurris (§. 486. *part. 2. Jur. nat.*), propter negligentiam redemtoris (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*), aut imprudentiam, quod ea promiſe-

miſerit, quæ a ſe præſtari non poſſe noverat, vel noſſe poterat ac debebat (§. 776. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter culpa ipſius (§. 758. 777. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), omne vero damnum culpa datum ſit reſarciendum (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); pretium materiæ tibi reſtituere debet redemtor, ſi ex materia tua opus fecit vitioſum. *Quod erat tertium*:

Ex. gr. Conduxiſti operas ſartoris ad faciendam veſtem ex panno tuo & reliqua materia ad eam neceſſaria. Veſtem vero fecit vitioſam. Quodſi vitium corrigere poſſit, id corrigere tenetur, nec tu pro opera in eodem corrigendo collocata, præter mercedem promiſſam quicquam ſolvere teneris. Immo ſi nova quadam materia ad vitium corrigendum habuerit opus, tu pretium pro ea ſolvere non teneris. Quodſi vero vitium tale ſit, quod corrigi non poſſit; ſartor veſtem retinere & pretium panni ac reliquæ materiæ tibi reſtituere tenetur. Similiter ſi operas aurifabri conduxiſti ad faciendum vas ex argento tuo. Hic autem non fecit ejus quantitatis, vel ejus formæ, de qua fuerat conventum: Faber vas retinere & pretium pro argento tibi reſtituere tenetur. Quoniam vero perinde eſt, ac ſi vitium corrigatur, ſi ex argento alio ejuſdem bonitatis, vel etiam ex eodem, deſtructa forma priori, conficiat vas aliud ejus quantitatis ac formæ, de qua fuerat conventum; niſi periculum ſit in mora, id utique acceptare debes. Notandum hic eſt, quando de vitio operis confecti a redemtore judicium fieri debet, attendenda eſſe ea, de quibus fuit conventum. Neque enim ita, non aliter contraxiſſe videris, quam quod opus aliter factum non conveniat uſui, quem intendis, adeoque aliter factum pro vitioſo habendum (§. 1043.). Quodſi enim nihil expreſſe fuerit dictum, pro vitioſo non habetur opus, ſi ſit uſui communi aptum, etſi non ex aſſe conveniat ei uſui, quem intenderas, redemtori minime indicato (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*). Tua nimirum culpa eſt, quod reticueris, quæ reticenda non erant, nec redemtori ullo modo imputari poteſt, quod arcana animi tui ſenſa ignoraverit (§. 550. *part.* 1. *Phil. pract. univerſ.*).

§. 1271.

Artifex dicitur, qui artem aliquam callet vel exercet. *Artifex quinam dicatur.*

Quemadmodum ars latiſſimum habet ſignificatum (§. 260. *part.* 1. *Jur. natur.*), ita etiam ſignificatus vocabuli artificis latiſſimus eſt. Tot enim ſunt artifices, quot artes. Hinc *Quintilianus* lib. 2. c. 10. artificem ſuadendi appellat, qui arte ſuadendi pollet, & lib. 5. c. 12. ſtatuarium peritum artificem ſtatuarum. Similiter *Propertius* Medicum vocat artificem morbi; quia callet artem curandi morbum, & *Cicero* Græcos artifices dicendi, quod artem oratoriam excoluerint. Quoniam autem artifices varii pro artium, quas callent ac exercent, varietate; ideo quilibet eorum vocatur artifex in arte ſua.

§. 1272.

Quoniam artifex artem exercet (§. 1271.), artis autem exercitium labor eſt (§. 260. 512. *part.* 1. *Jur. nat.*), & quilibet ad laborem ſuum recte perficiendum obligatur (§. 522. *part.* 1. *Jur. nat.*); *Quilibet* etiam *artifex ad artem ſuam recte exercendam obligatur*, conſequenter *ſe artificem profiteri non debet, qui artem ſuam non ſatis callet.* *Artificis obligatio.*

Peccant adeo, qui ſe artifices profitentur in arte, quam non ſatis callent (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ita peccat, qui ſe Medicum profitetur, cum Medicinæ nondum ſit ſatis peritus, nec eam recte exerceat. Peccant, qui aliis erudiendis operam ſuam locant in iis, quæ ipſi nondum recte didicerunt. Peccant, qui opus conducunt, quod ſine vitio perficere nequeunt.

§. 1273.

Imperitia artificis, ſeu ejus, qui ſe artificem profitetur, culpa eſt. Etenim nemo ſe artificem profiteri, conſequenter artem exercere debet (§. 1271.), qui artem ſuam non ſatis callet (§. 1272.), conſequenter recte eam exercere nondum valet. Quamobrem cum negligentiæ ipſius ſit tribuendum, quod non didicerit, quæ diſcere debebat, antequam artem exercere vellet (§. 750. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ac incuriæ, quod de actionum ſuarum rectitudine prorſus non ſit ſol- *An imperitia artificis culpa ſit.*

licitus

licitus (§. 778. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), negligentia autem ac incuria culpa ſit (§. 758. 780. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); imperitia quoque artificis, ſeu ejus, qui ſe artificem profitetur, culpa eſt.

Imperitus artifex eſt, qui ea ignorat, quæ alii artifices in eodem genere norunt, adeoque pro eo perfectionis gradu, ad quem ars ſuo tempore perducta eſt, noſſe poterat ac debebat. Aliâs enim invincibilis erit ignorantia, nec negligentiæ, nec incuriæ tribuere licet, quod ignores, nec feceris, quæ ignorant ac facere nequeunt omnes, qui eandem artem profitentur. Placuit hoc loco demonſtrare principium, quod non infrequentem habet in praxi uſum, ubi eodem opus habemus ad alia demonſtranda.

§. 1274.

De artificis imperiti opera conducta.

Si operam artificis conduxiſti ad faciendum opus ex materia tua, vel ad opus vitioſum corrigendum, & is imperitia vel damnum dedit in materia, vel opus male fecit, aut quod corrigere debebat, vel deterius reddidit, vel prorſus deſtruxit; damnum datum tibi reſarcire tenetur & tu mercedem nullam eidem debes. In omni enim caſu propoſitionis præſentis cum damnum tibi detur imperitia artificis *per hypoth.* imperitia autem artificis culpa ſit (§. 1273.); damnum culpa artificis, cujus operam conduxiſti, tibi datur. Enimvero qui alteri dat damnum culpa ſua, id reſarcire tenetur (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo etiam artifex, cujus operam conduxiſti ad faciendum opus ex materia tua, vel ad opus vitioſum corrigendum, damnum tibi datum reſarcire tenetur, ſi imperitia vel damnum dedit in materia, vel opus male fecit, aut quod corrigere debebat, vel deterius reddidit, vel prorſus deſtruxit. *Quod erat unum.*

Jam vero merces debetur pro opera præſtita (§. 1194.). Quamobrem cum in hypotheſi propoſitionis præſentis operam, quam conduxeras, non præſtitit artifex; nec mercedem ullam eidem ſolvere teneris. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Horologiopœus horologium tuum corrigere debet; ſed imperitia ſua idem prorſus inutile reddit: nullam pro præſtita opera mercedem debes, ipſe autem damnum tuum reſarcire debet. Similiter ſi aurifaber gemmam, quam annulo includere debet, imperitia ſua frangit; æſtimationem tibi præſtare tenetur, tu vero pro inutili, quam præſtitit, opera nullam mercedem ſolvere debes. Si chirurgus imperitus male curat crus fractum, pro curatione nihil ſolvere teneris; ſed ipſe potius ſumtus refundere tenetur peritiori, qui vitium corrigere valet.

§. 1275.

De opere vitioſo, quod alteri locatum fuerat.

Si operam alterius conducis ad faciendum opus ex materia ſua, & is vitioſum fecit; opus ſuum retinere tenetur. Etenim ſi conductor operis opus facit vitioſum, non eam præſtat operam, quam conduxiſti, adeoque a pacto receſſiſſe intelligitur. Quamobrem cum tibi a contractu recedere liceat, ſi alter recedit (§. 827. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec pro opere vitioſo mercedem promiſſam ſolvere teneris, conſequenter conductor operis, qui opus vitioſum fecit, id ſibi retinere tenetur.

Ex. grat. Conduxiſti operam pictoris ad pingendum imaginem tuam: ſi male pinxit, picturam ſibi retinere tenetur, nec pretium promiſſum a te exigere poteſt.

§. 1276.

De caſu operi locato accidente.

Si operi, quod alteri locaſti, vel cœpto, vel jam confecto caſus quidam ſine omni culpa conductoris operis accidat; damnum tuum eſt: ſi vero vitio operis contingit damnum conductor operis reſarcire tenetur. Quodſi enim opus alteri locas, ejus operas ad faciendum opus conducis, adeoque is ſatisfacit obligationi ſuæ, ſi operas promiſſas præſtet (§. 1198.), conſequenter præterea ad nihil tibi tenetur. Quamobrem ſi operi vel cœpto, vel jam confecto caſus quidam ſine omni cul-

culpa conductoris operis accidat, nulla eſt ratio cur ad damnum hoc reſarciendum ipſe tibi teneatur, cum nec ex pacto obligatus ſit *per demonſtrata*, nec ex facto ſuo, quia damnum accidit ſine culpa ipſius *per hypoth.* Damnum igitur tuum eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi vitio operis damnum contingit, cum id vel imperitiæ conductoris operis, vel ejus negligentiæ tribuendum ſit, adeoque quia tam imperitia (§. 1273.), quam negligentia culpa eſt (§. 758. *part. 1. Phil. pract. univ.*), damnum culpa ipſius datur. Quoniam itaque damnum culpa datum reſarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); ſi operi locato vel cœpto, vel jam confecto caſus quidam accidat vitio operis, damnum hoc reſarcire tenetur operis conductor. *Quod erat alterum.*

Civile adeo eſt, quando cum *Florentino* l. 36. & *Javoleno* l. 51. §. 1. loc. cond. diſtinguitur, an opus locatum ſit per averſionem, ut ſcilicet vel totum uno pretio locatum ſit, vel univerſitas tamen conſummationis ad conductorem pertineat, etſi merces præſtetur in ſingulos dies, vel operas, an vero merces præſtetur in pedes menſurasve, ut arbitrio domini opus efficiatur, atque in caſu primo periculum vitio operis contingens ad conductorem operis, in altero ante approbationem ad eundem poſt approbationem ad locatorem refertur. Valebit tamen etiam naturaliter, ſi ita expreſſe fuerit contractum in caſu altero, immo in caſu etiam primo caſum, quem culpa ſua non antecedit in ſe recipere poteſt conductor (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*). Hæc ideo monemus, ne quis ſtatim ex eo, quod demonſtravimus, inferat, minus recte *Florentinum* ac *Javolenum* diſtinxiſſe inter locationem operis per averſionem & in ſingulos dies vel operas mercede conſtituta factam. Exemplum ad propoſitionem præſentem illuſtrandam hoc eſto. Conduxit faber murarius domum extruendam. Corruit murus, antequam is fuerit totus confectus, vel domo tota extructa. Faber murarius, qui damnum dedit culpa ſua, quod murum male ſtruxerit, ad damnum reſarciendum tenetur. Aſt ſi faber tignarius conducat domum exſtruendam, & opere perfecto procella dejiciat tectum, nullo contignationis vitio, damnum tuum eſt: ſi autem hoc contingat ob vitium contignationis, faber tignarius damnum reſarcire tenetur, ſive per averſionem, ſive aliter domus extructio fuerit locata. Qui opus conducit, adeoque operas ſuas tibi locat, in te transfert jus in actiones ſuas (§. 1206.), adeoque quod opera conductoris efficitur ſtatim tuum eſt, cum perinde ſit, ac ſi ipſemet hoc confeciſſes. Quamobrem ſi perit, tibi perit (§. 356. *part. 2. Jur. nat.*), & periculum omne operis ſive cœpti, ſive confecti ad te pertinet: conductoris non eſt niſi naturalis obligatio culpa dati damni reſarciendi (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Opus, quod conducitur, potentia tuum eſt, conſequenter quamprimum vel totum, vel aliqua ejus pars exiſtit, totum actu tuum eſt, vel pars, quæ exiſtit, actu tua eſt. Quod vero culpa committitur conductoris, in re tua committitur ipſius culpa. Hæc ſi probe perpendas, nihil difficultatis ſupererit in æſtimando periculo locatoris & definienda obligatione conductoris operis.

§. 1277.

Locator operarum damnum omne, quod culpa ipſius accidit, conductori earundem reſarcire tenetur, non vero tenetur de caſu, quem nulla ipſius culpa antecedit. Naturaliter enim quilibet damnum culpa ſua datum alteri reſarcire tenetur (§. 580. *part. 2. Jur. natur.*). Ergo etiam locator operarum tenetur ad reſarciendum damnum omne conductori earundem culpa ſua datum. *Quod erat unum.*

De damno a locatore operarum reſarciendo.

Quoniam vero impoſſibile eſt, ut caſus evitetur, quem nulla culpa noſtra præcedit (§. 460. *part. 2. Theol. nat.*). Nulla quoque ratio eſt, cur conductori operarum ad reſarciendum damnum caſu datum teneatur, quem nulla ſua culpa præceſſit. *Quod erat alterum.*

Ex grat. Si tibi transportandæ locentur res, quæ facile franguntur, ſeu opera tua ad eas transportandas conducitur; tu damnum reſarcire teneris, ſi culpa tua franguntur, non vero ad idem reſarciendum obligaris, ſi nulla tua culpa franguntur. Iſtiusmodi res ſunt vitra & ollæ, item ſpecula. Similiter ſi bibliopego locas librum concinnandum, & is plagulas conſutas male præſcindit, ut typis impreſſis noceatur; damnum datum reſarcire, adeoque pretium libri reſtituere tenetur.

§. 1278.

De emtione operis noſtra voluntate ab alio conficiendi.

Si ita convenitur cum artifice, ut faciat opus ex materia ſua, pretio in opus perfectum & approbatum conſtituto; contractus locatio conductio non eſt, ſed emtio venditio rei exſtituræ ſub hac conditione inita, ſi vitio careat. Artifex obligatur ad opus ſine vitio ſtatuto tempore ſuo periculo conficiendum, & quamprimum confectum a te approbatur, dominium in te tranſit, & tu ad pretium ſtatim ſolvendum obligaris. Si enim ita convenis cum artifice, ut faciat opus ex materia ſua & pretium in opus perfectum & approbatum conſtituatur; tibi animus eſt opus iſtiuſmodi pro pretio ejus comparandi, conſequenter emendi (§. 937.), non vero merces ſolvitur pro operis & pretium pro materia, ex qua fit. Quamobrem cum locatio conductio non ſit, quando pro operis non ſolvitur merces (§. 1194.); contractus quoque in hypotheſi propoſitionis præſentis initus locatio conductio non eſt. *Quod erat primum.*

Quoniam vero animum emendi declaras *per demonſtrata* opus vero, quod tibi comparare vis, ab artifice demum conficiendum, & quia is ſe obligat promittendo ad idem conficiendum (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), id exſtiturum eſt, emi vero ac vendi etiam poſſunt res exſtituræ (§. 1004.); contractus in hypotheſi propoſitionis præſentis emtio venditio rei exſtituræ eſt. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero quoniam pretium conſtituitur in opus perfectum & approbatum *per hypoth.* adeoque te pretium ſoluturum promittis, de quo conventum, ſi res vitio careat (§. 1043.); emtio rei exſtituræ contrahitur ſub hac conditione, ſi opus confectum vitio careat. *Quod erat tertium.*

Cum adeo artifex ſub hac conditione, ut opus confectum ſi vitio careat, pretium conventum ſibi ſolvatur, promittat, ſe opus ſine vitio confecturum *per demonſtrata*; ad opus ſine vitio ſtatuto tempore conficiendum obligatur (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat quartum.*

Contracta cum ſit emtio rei exſtituræ *per demonſtr. n.* 2. quæ ut exiſtat, efficere debet artifex, *per demonſtr. n.* 4. emtio autem rei exſtituræ non contrahatur niſi ſub tacita hac conditione ſi exiſtat (§. 1005.), eaque nulla eſt, ſi non exiſtat (§. 1006.), nec tu ultra voluntatem tuam, quam ſufficienter indicaſti (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*), artifici obligari poſſis ad quid dandum (§. 382. *p.* 3. *Jur. nat.*); artifex utique opus conficere debet ſuo periculo. *Quod erat quintum.*

Denique cum emtio contracta ſit ſub hac conditione, ſi opus confectum careat vitio *per demonſtr. n.* 3. adeoque approbetur; ita omnino conventum fuit, ut non ante ſit tuum, quam ſi approbatum fuerit. Dominium adeo in te tranſit, quamprimum a te approbatur (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.* & §. 467. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat ſextum.*

Denique cum pretium ſtatim ſit ſolvendum pro re, quæ emitur (§. 937.), niſi ſolutionem in diem differri voluerit venditor (§. 959.), opus vero ab artifice confectum ſtatim tuum eſt, quamprimum approbatur *per demonſtr. num.* 6. ſub hac tamen conditione, ut pretium ſolvatur (§. 958.); quando opus confectum a te approbatum, pretium quoque ſtatim ſolvere teneris. *Quod erat ſeptimum.*

In hypotheſi propoſitionis præſentis tibi animus eſt certum emere opus, quod, ſi ab artifice jam confectum proſtaret, præſens emeres: aſt quia iſtiuſmodi opus confectum non proſtat, artifex tamen idem conficere valet, exſtiturum emis eumque tibi obligas ad idem ſtatuto tempore conficiendum. Hæc ſi perpendere lubet, nihil in contractu præſenti difficultatis erit. Tu das pecuniam, ut detur res: ſed ut res dari poſſit, neceſſe eſt artificis opera ad actum perducatur: De hoc igitur contractu ratiocinandum ex notione emtionis ac venditionis & pacti adjecti de opere conficiendo, ut emtio ac venditio conſummari poſſit, quæ ſub conditione ſtatim contrahitur, ſi opus confectum approbari poſſit. Quamobrem non opus eſt, ut ad caſus particulares deſcendamus, quippe quorum ſolutio ab iis pendet, quæ de emtione ac venditione demonſtrata fuerunt. Idiomate Germanico peculiari dictione hunc contractum indigitamus dicendo eine Sache beſtellen / cum locatio

ope-

operis dicatur eine Sache verdingen. Ceterum vocabulum artificis hic ſumitur in ſignificatu latiſſimo, quem eidem tribuimus (§.1271.), ita ut etiam opifices, qui vulgo dicuntur, ſub hoc nomine comprehendantur. Ex.gr. Si cum ſutore convenis, ut tibi faciat calceos pedibus tuis convenientes; calceos exituros emis, non vero operam ejus ad calceos conficiendos conducis. Unde ſi caſus quidam contingat in calceis cœptis, vel jam confectis, is ad ſutorem pertinet. Et niſi calcei confecti pedibus tuis conveniant, ſutoris manent, nec tu mercedem pro opera præſtita ſolvere teneris, qui non obligaris niſi ad ſolvendum pretium, ſi pedibus tuis reſpondeant, nec alio vitio laborent. Idem intelligitur, ſi figulus fornacem, de cujus forma conveniſti, conficere debet pro pretio convento, vel Poeta carmen.

§. 1279.

Quoniam in emtione venditione res dari poteſt pro re tanquam ſupplementum pretii, ſeu ut in pretium imputetur (§.1027.), emtio vero venditio contrahitur, ſi cum artifice convenitur, ut faciat opus ex materia ſua, pretio in opus confectum & approbatum conſtituto (§. 1278.); erit adhuc *emtio venditio, ſi cum artifice convenitur, ut faciat opus, pretio in confectum & approbatum conſtituto, & data materia in pretium imputanda, vel etiam re alia.* *Caſus particularis*

Idiomate patrio dicimus: eine Sache mit angeben. Ex.gr. contrahis cum aurifabro, ut tibi faciat opus argenteum. Sunt tibi res argenteæ nullius uſus. Tu tanquam argentum infectum eas das aurifabro, ut in pretium operis imputentur. Contractus emtio venditio eſt. Nimirum quando rem exituram emis, de ejus pretio convenis: quando autem conducis operas, de earum mercede &, niſi materia detur, pretio materiæ ſolvendo, niſi per ſe jam fit certum, convenis. Quoniam contrahentes non ſemper ſatis clare mentem ſuam exprimunt; ſubinde difficulter internoſcitur emtio venditio a locatione conductione. Equidem *Pomponius* l. 20. ff. de contr. emt. negat locationem ullam eſſe poſſe, ubi corpus ipſum, id eſt materia non datur ab eo, cui id fieret, ut adeo toties conductio eſſe dicatur, quoties materia, ex qua aliquid fieri debet, eſt ejus, cui opus fit, aſt emtio, ſi nihil aliud quam pecunia datur; *Caſſius* tamen l. 22. §. 2. loc. cond. operas locari ac conduci putavit, ſi vel maxime pretium pro materia ſolvatur, adeoque hæc ematur, veluti ſi cum artifice conveniatur, ut ex argento ſuo faciat vas argenteum certæ formæ ac certi ponderis. Enimvero cum utrumque fieri poſſit, reſpicienda omnino eſt mens contrahentium eo modo eruenda, quo diximus.

§. 1280.

Si conductor operarum damnum incurrit, propterea quod operas promiſſas non juſto tempore, vel non rite præſtitit locator, locator conductori tenetur ad id, quod intereſt. Etenim locator obligatur ad operas promiſſas præſtandas (§. 1198.); eo quidem tempore, quo eas præſtare promiſit (§. 428. *part.* 3. *Jur. natur.*), & eo modo, quo iſtiuſmodi operæ præſtari debent (§. 522. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo conductor operarum damnum incurrit, propterea quod operas promiſſas non juſto tempore, vel non recte præſtitit locator; conductor damnum incurrit, vel lucrum quoddam ejus ceſſat, propterea quod locator non ſatisfecit obligationi ſuæ. Enimvero ſi quis damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti, ad id quod intereſt teneris (§. 629. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam locator operarum tenetur conductori ad id, quod intereſt ſi conductor damnum incurrit ob operas promiſſas non juſto tempore, vel non recte præſtitas. *De operis non juſto tempore, vel male præſtitis.*

Ex.gr. Si faber murarius murum, qui ruinam minitatur, intra triduum fulcire ac ſtatim deinde eum reficere pro mercede conventa promiſit, ſed hoc non facit, vel imperite facit & domus corruit; faber murarius ad ædificii ac rerum in domo perditarum æſtimationem præſtandam tenetur. Differt hic caſus a ſuperiori, quo locator operarum operas promiſſas prorſus non præſtat, non vero in mora eſt, ne juſto tempore præſtentur (§. 1263.).

§. 1281.

De cuſtodia rei alienæ, circa quam opera præſtanda. *Si opera circa rem alienam præſtanda locetur; locator conductori ad rem omni diligentia cuſtodiendam obligatur.* Quoniam enim quilibet operam dare debet, ut non modo a ſe (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*), verum etiam ab alio, quantum in ſe eſt, damnum omne avertat (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*), ſi quis operam alterius circa rem ſuam præſtandam conducit, & alter eandem locat, id tacite actum inter eos cenſetur, ut res omni diligentia cuſtodiatur. Quoniam itaque locator operarum tacite promiſiſſe intelligitur, quod velit rem, circa quam operam ſuam præſtare debet, omni diligentia cuſtodire (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*); ad eam quoque omni diligentia cuſtodiendam obligatur. Huc etiam pertinet, ſi ipſa cuſtodia rei alteri locetur, ſeu opera ad rem cuſtodiendam conducitur.

§. 1282.

De damno ob negligentem cuſtodiam reſarciendo. Quoniam locator operarum rem, circa quam operam præſtare debet, omni diligentia cuſtodire tenetur (§. 1281.); *ſi negligenter cuſtodiat ac damnum in rem detur*, cum damnum culpa ipſius datum ſit (§. 758. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *ad idem reſarciendum conductori tenetur* (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*).

Ex. gr. Sartor tenetur pannum, ex quo veſtem conficere debet, diligenter cuſtodire. Quodſi enim male cuſtodita quocunque caſu deteriorata, vel furto etiam ablata fuerit; ad pretium reſtituendum ſartor tenetur. Poterat propoſitio præſens etiam inferri ex eo, quod locator operarum conductori teneatur de omni damno culpoſo (§. 1277.).

§. 1283.

De opera duobus locata. *Si quis duobus operas locat, priori conductori ante ſatisfacere debet.* Operarum enim locator transfert in conductorem particulam quandam libertatis ſuæ, ſeu jus in certas quaſdam actiones ſuas (§. 1206.), adeoque de iis non amplius ſtatuere poteſt pro arbitrio ſuo, conſequenter ſimile jus in alium ante transferre nequit, quam obligationi ſuæ ſatisfecit. Quodſi ergo operas quoque locet alteri, priori conductori ante ſatisfacere debet, quam ipſi integrum eſt eas præſtare conductori ſecundo.

Ex. gr. Conduxi operas pro plantandis arboribus. Tu operas in eundem finem locas etiam alteri. Arbores in horto meo ante plantare debes, quam eas plantare poſſis in horto alterius. Ego enim prior acquiſivi jus in operas tuas, quam alter, quod mihi auferri nequit abſque conſenſu meo, & tu in præjudicium meum operas alteri locare non potuiſti.

§. 1284.

De evictione operarum locatarum. *Si duobus locaſti operas eodem tempore præſtandas, & conductori poſteriori eaſdem actu præſtare incipis; conductor prior eas evincere poteſt.* Etenim locator operarum in conductorem transfert jus in actiones ſuas, quibus operæ præſtantur per illud tempus, quo præſtari debent (§. 1206.), adeoque dominium rei incorporalis in conductorem transfert (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*), ut ea ſit conductoris propria (§. 124. *p. 2. Jur. nat.*). Quodſi ergo locator eaſdem operas locet alii & eas eidem actu præſtare incipit; perinde omnino eſt ac ſi res incorporalis conductoris prioris ſit penes conductorem poſteriorem. Quamobrem cum dominus rem ſuam vindicare poſſit adverſus quemlibet poſſeſſorem (§. 544. *part. 2. Jur. nat.*) & res vindicata evincatur (§. 543. *part. 2. Jur. nat.* & §. 1165.), res autem incorporales evinci poſſint (§. 1175.); quin conductor prior operas locatoris evincere poſſit, ſi duobus locavit operas eodem tempore præſtandas & conductori poſteriori eaſdem actu præſtare incipit, dubitandum non eſt.

Ni-

Nimirum cum res evincatur, ſi quis eam ob jus, quod in ea habet, nec exercere poteſt, niſi eam in poteſtate ſua habeat, a poſſeſſore aufert (§. 1165.); operæ evincuntur; ſi eas alteri præſtare volentem adigis, ut easdem tibi præſtet.

§. 1285.

In locatione conductione locator conductori evictionem præſtare tenetur. Etenim in locatione conductione locator vendit, conductor emit certum rei uſum, vel operas alterius (§. 1214.). Quamobrem cum emtori ad evictionem præſtandum ex ipſo contractu obligetur venditor, etiamſi eam expreſſe non promiſerit (§. 1172.), & venditor etiam obligetur ad eam præſtandam, ſi res incorporalis venditur (§. 1177.); in locatione conductione locator conductori evictionem præſtare tenetur. *De præſtanda evictione in locatione conductione.*

Præſtanda igitur eſt evictio, ſive res evincatur, quæ tibi locata fuit (§. 1165.), ſive operæ evincantur, quas conduxiſti (§. 1284.). Immo cum perinde ſit, ac ſi operæ evincerentur a conductore priore, ubi operas poſteriori locatas eſſe locatorem pœnitet, ut eas priori, quam poſteriori præſtare malit; dubium non eſt, quin ad præſtandam evictionem etiam in hoc caſu conductori teneatur locator imprudens, aut doloſus.

§. 1286.

Quoniam evictio in locatione conductione a locatore præſtanda conductori (§. 1285.), evictio autem præſtatur, ſi locator ſatisfacit conductori pro damno ob evictionem eidem obveniente (§. 1166.); *locator obligatur ad reſarciendum damnum, quod conductor ob evictionem incurrit.* *Quomodo præſtetur.*

Ne vero præſtatio evictionis ultra æquitatem extendatur, quædam adhuc addenda ſunt.

§. 1287.

Si quis bona fide rem alienam alteri locavit, & ea a domino evincatur, uſu nondum finito; conductor pro uſu præſtito mercedem ſolvere, reliquam remittere tenetur locator, non vero præterea tenetur conductori ad id, quod ipſius intereſſe poteſt, rem non fuiſſe evictam. Etenim ſi res evincitur, uſu nondum finito, cum pro uſu rei ſolvatur merces (§. 1194.), merces ſolvi nequit, niſi pro uſu præſtito, &, quando uſus per certum tempus præſtatur, uſui pro parte temporis reſpondet rata mercedis, a conductore præſtanda (§. 1198.). Quamobrem ſi res aliena locata a domino evincatur, uſu nondum finito; pro uſu præſtito mercedem ſolvere tenetur conductor pro rata, non vero integram, conſequenter pro nondum præſtito reliquam mercedis partem remittere debet locator. *Quod erat primum & ſecundum.* *De re aliena bona fide locata & evicta.*

Enimvero quia bona fide rem alienam alteri locavit *per hypoth.* cum eam putaret eſſe ſuam (§. 153 *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter eam a ſe alteri locari poſſe non dubitaret (§. 1207.); cum ignorantia invincibilis nemini imputari poſſit (§. 550. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec declarari poteſt locator cauſa libera damni ob evictionem conductori emergentis aut lucri cujuſdam, quod integro uſu præſtito, habere poterat, ceſſantis (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nulla ratio eſt, cur locator eidem teneatur ad ſatisfaciendum pro iſto damno emergente, vel lucro ceſſante, adeoque non tenetur (§. 70. *Ontol.*). Quoniam itaque damnum emergens ac lucrum ceſſans ob evictionem eſt id, quod intereſt conductoris, rem non fuiſſe evictam (§. 622. *part. 3. Jur. nat.*); ſi quis bona fide rem alienam alteri locavit, & ea a domino evincatur, uſu nondum finito, locator non tenetur conductori ad id, quod intereſt, rem evictam non fuiſſe. *Quod erat tertium.*

Nimirum quoniam hic damnum locatoris colliditur cum damno conductoris (§. 510. *Ontol.*),

uter-

uterque autem culpa vacat, ob ignorantiam invincibilem, damnum pro caſuali habendum (§. 630. *part. 2 Jur. nat.*), adeoque conductoris eſt (§. 631. *part. 2. Jur. nat.*). Durum equidem videtur conductori, quod, cum bona fide contraxerit, contractus ipſi damnoſus eſſe debeat, ſed non minus durum foret locatori, qui bona itidem fide contraxit, ſi ipſi abſque ulla ſua culpa contractus damnoſus eſſe deberet. Perinde hic omnino eſt, ac ſi res utenda caſu quodam inevitabili deſtrueretur; uſu integro nondum abſoluto. Ponamus itaque te ædes conduxiſſe in triennium, & vix anno uno elapſo fulmine noctu tactas una cum rebus tuis flamma ferali conſumi: num propterea locator tibi tenetur ad id, quod intereſt, ædes combuſtas cum rebus tuis non fuiſſe, quia damnum hoc non paſſurus fuiſſes, ſi ædes iſtas non conduxiſſes?

§. 1288.

De re aliena mala fide locata & evicta.

Si quis alteri mala fide rem alienam locat, & dominus eam vindicat, uſu nondum finito; conductor pro eo tempore, quo re fruitus eſt, mercedem præſtare debet, locator autem eidem tenetur ad id omne, quod ejus intereſt, rem evictam non fuiſſe. Conductorem præſtare debere mercedem pro eo tempore, quo re fruitus eſt ſeu uſus, patet eodem modo, quo id in propoſitione præcedente oſtendimus. *Quod erat primum.*

Enimvero qui mala fide rem alienam locat, is novit rem alienam eſſe (§. 153. *p. 2. Jur. nat.*), conſequenter eam a ſe alteri locari non poſſe (§. 1207.). Quodſi ergo res evincatur a domino, uſu nondum finito, & conductoris interſit, rem evictam non fuiſſe; dolo locatoris damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat (§. 705. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 622. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum ad id, quod intereſt tenearis, ſi quis ob factum tuum doloſum damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat (§. 623. *part. 3. Jur. nat.*); locator, qui mala fide rem alienam locavit, tenetur conductori ad præſtandum omne id, quod ejus intereſt, rem evictam non fuiſſe. *Quod erat ſecundum.*

Non eſt quod excipias, te putaſſe, quod interea temporis, quo rem locaſti, eam non ſit evicturus dominus. Quando enim noſti rem eſſe alterius, non ignoras, dominum rem ſuam vindicare poſſe (§. 544. *part. 2. Jur. natur.*), immo eam non vindicanti reſtituere debes (§. 467. *part. 2. Jur. nat.*). Numquam adeo certus eſſe potes, eam a domino non evicturum iri (§. 1165. & injuriam facis domino, etiamſi interea rem non evinceret (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Juſtam igitur excuſandi cauſam non habes.

§. 1289.

De re aliena a ſciente conducta.

Qui ſciens rem alienam conducit, mercedem pro eo tempore, quo uſus eſt, præſtare tenetur; ſi vero uſu nondum finito dominus eam vindicat, locator ipſi non tenetur ad id; quod ejus intereſt, rem vindicatam non fuiſſe. Etenim in locatione conductione emitur ac venditur uſus rei vel opera alterius (§. 1214.). Enimvero ſi quis ſciens a non domino emit, hic ipſi ad evictionem præſtandam non tenetur (§. 1174.). Ergo nec locator tenetur conductori ad præſtandam evictionem, conſequenter nec ad præſtandum id, quod ejus intereſt, rem vindicatam vel evictam non fuiſſe (§. 1166.). *Quod erat unum.*

Quod tamen conductor debeat præſtare mercedem pro eo tempore, quo re locata uſus fuit, patet eodem, quo ante (§. 1287.) modo. *Quod erat alterum.*

In hoc caſu perinde eſt, ſive res aliena bona fide, ſive mala fuerit locata. Qui enim rem alienam ſciens conducit, ſciens ac volens ſe ſubjicit periculo ab evictione ſibi imminenti, adeoque habet, quod ſibi imputet, ſi idem non evitaverit. Ceterum non opus eſt, ut demonſtretur, ad quænam teneatur locator rei alienæ domino, cujus rem alteri locavit. Ea enim aliunde pendent & ſuo loco demonſtrata ſunt, ubi de re a poſſeſſore tam bonæ, quam malæ fidei reſtituenda egimus paſſim in capite tertio partis ſecundæ Juris naturæ.

§. 1290.

Si conductor fecit impenſas neceſſarias, ſine quibus res non poterat habere uſum, quem conduxerat; locator eas reſtituere tenetur. Etenim locator conductori præſtare debet rem iſti uſui aptam, ad quem eam conduxit (§. 1230.). Quodſi ergo impenſæ quædam requirantur, ut res habilis efficiatur, & eas faciat conductor; quin eidem a locatore ſint reſtituendæ dubitandum non eſt. *De impenſis neceſſariis conductori reſtituendis.*

Nimirum has impenſas facere tenebatur ipſe locator. Quodſi ergo placuit conductori eas facere, nulla ratio eſt, cur eidem reſtitui minime debeant. Conſultius tamen eſt, ne quid in rem conductam impendatur ſine conſenſu locatoris, ut evitentur lites de impenſarum neceſſitate vel neceſſariarum etiam quantitate.

§. 1291.

Naturaliter permiſſum non eſt facere in rem conductam impenſas utiles ſine conſenſu locatoris. Etenim in locatione conductione locator in conductorem transfert jus re utendi, prouti conventum fuerit (§. 1202.), & rem præſtare debet huic uſui aptam (§. 1230.). Quamobrem ſi res conducta eum habere poſſit uſum, qui conductus eſt; eodem conductor contentus eſſe debet, nec quicquam amplius a locatore exigere poteſt, neque præter hunc uſum jus ullum in re conducta ſibi arrogare poteſt (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque impenſæ utiles non alio fine fiunt, quam ut res plures habere poſſit uſus, aut fructuoſior evadat (§. 605. *part.* 2. *Jur. nat.*); a domini voluntate unice pendet, num eo fine impenſas facere velit, conſequenter naturaliter permiſſum non eſt facere in rem conductam impenſas utiles ſine conſenſu locatoris. *An conductori permiſſum rem conductam meliorare.*

Facile adeo apparet, conductorem impenſas utiles in rem conductam facere ſuo periculo, niſi eas tollere poſſit. Et cum permiſſum non ſit ſine conſenſu conductoris rem meliorare, ſiquidem impenſas tibi reſtitui velis; facile intelligitur, quod multo minus permittantur impenſæ voluptuariæ, quippe quæ nec neceſſariæ, nec utiles ſunt, ſed ſolius voluptatis percipiendæ gratia fiunt (§. 606. *part.* 2. *Jur. nat.*), ut adeo non opus ſit hoc demum ſigillatim demonſtrari.

§. 1292.

Conductori in re conducta nil immutare licet, ne ſuo quidem ſumtu, ſine conſenſu locatoris. Quando enim rem conducis, non alius locatur ejus uſus, quam quem ea habere poteſt, adeoque nec locator tenetur eam tibi præſtare niſi ad hunc uſum habilem. Quodſi ergo uſus tui gratia quædam in re conducta immutare velis, cum, ut ante (§. 1291.), conſtet tibi jus ad hoc minime competere; ſine conſenſu quoque locatoris, ne tuo quidem ſumtu, in re conducta quicquam immutare licet. *An in re conducta quicquam immutare liceat.*

In ædibus, quas conduxiſti, non licet immutare quicquam in interiore earundem diſpoſitione, ut tibi ſit commodior, vel fructuoſior earum uſus. Similiter non licet immutare fundum, faciendo v. gr. pomario viretum, aut ex horreo equile, cum alius uſus tibi magis arrideat altero, quem habet.

§. 1293.

Si quis in contractu ſe obligavit ad certas impenſas faciendas, eas finito contractu repetere nequit a locatore. Etenim ſi conductor ſe obligat ad certas impenſas faciendas, uſum conduxit cum onere præſtandi has impenſas, cujus in determinanda mercedis quantitate habenda fuit ratio (§. 1219.). Quoniam itaque loca- *Quando impenſæ in rem conductam factæ*

repeti nequeant. locator non obligatur conductori niſi ad præſtandum uſum conventum (§. 1198.); ſi conductor in contractu ſe obligavit ad certas impenſas faciendas, uſum quoque nonniſi cum onere eaſdem faciendi præſtare eidem tenetur, conſequenter ad eas reſtituendas minime obligatur. Contractu igitur finito eas a locatore repetere nequit.

Aliter ſeſe res habet, ſi ita conveniatur, ut ad certas impenſas faciendas obligatus ſit conductor, ſed ex mercede præſtanda deducendas.

§. 1294.

De mercede integra vel pro rata pro certo tempore remittenda. *Si caſus contingat in re locata, ut per aliquod tempus eum habere nequeat uſum, qui conductori conceſſus, aut prorſus nullum; locator pro eo tempore, quo re frui non potuit conductor, mercedem integram, aut quo ex parte ſaltem uti potuit, pro rata uſus deficientis remittere tenetur.* Etenim locator obligatur ad præſtandum uſum rei conventum, nec conductor obligatur ad præſtandam mercedem niſi pro uſu rei præſtito, de quo conventum fuit (§. 1198.). Quodſi ergo caſus contingat in re locata, ut per aliquod tempus uſum habere nequeat, de quo conventum, aut uſum prorſus nullum; locator conductori præſtare nequit uſum rei conventum vel ex parte, vel ex toto. Quamobrem nec conductor obligatur ad præſtandam mercedem ullam in caſu poſteriori, aſt in priori non obligatur niſi ad præſtandam mercedem pro ratione uſus, quem obtinuit. Locator itaque in caſu poſteriori mercedem totam pro eo tempore, quo re fruitus non eſt conductor, in priori pro rata uſus deficientis remittere tenetur.

Ex. gr. Si ager inundetur, & tota ſeges corrumpatur, vel aquæ tardius recedant, quam ut ſeminari poſſit; merces tota pro iſto anno remittenda. Similiter ſi pomarium conduxiſti in triennium, ſed arbores toto hoc tempore nullos edant fructus, aut anno ſaltem uno mediocres; in caſu priori merces tota, in poſteriori pro biennio remittenda. Quodſi inundatio adimat tertiæ ſaltem agri conducti partis uſum; tertia mercedis pars remittenda. Si pars ædium fulmine tacta comburatur; merces pro eo tempore, quo ea uti non poteſt conductor, pro rata hujus partis remittenda, v. gr. ſi horreum combuſtum fuerit, ut hoc anno eodem uti non poſſis, ſed tibi conducendum ſit aliud, pro rata merces remittenda, quantum ſcilicet valet uſus horrei, niſi locator aliud horreum interea præſtet, donec ſuum iterum exſtruatur. Durum videri nequit, quod locator jacturam facere debeat mercedis ſine ulla culpa ſua. Etenim ſi rem alteri non locaſſet, ea ipſi inutilis fuiſſet per idem tempus, quo ea frui non potuit conductor, aut non omnem utilitatem ex ea percepiſſet, quo ex parte uſus rei ademtus conductori. Durum igitur non eſt, ſi pro eo, quod alteri præſtare nequit, quod ipſe non habet, mercedem nullam a conductore accipiat.

§. 1295.

De mercede ob ſterilitatem remittenda. *Si tanta ſit ſterilitas, ut deductis ſeminibus & impenſis pretium fructuum reſiduorum deficiat a quantitate mercedis; hæc pro rata remittenda.* Etenim ſi tanta ſit ſterilitas, ut deductis ſeminibus & impenſis pretium fructuum reſiduorum deficiat a quantitate mercedis, cum inter uſum & mercedem ſpectanda ſit æqualitas (§. 1219.), perinde omnino eſt ac ſi caſus contingat in re conducta, ut per aliquod tempus res habere non poſſit eum uſum, qui colono præſtandus a locatore. Enimvero ſi caſus quidam in re conducta contingit, ut eum, qui præſtari debet, uſum habere non poſſit, merces pro rata remittenda (§. 1294.). Ergo etiam pro rata remittenda, ſi tanta ſit ſterilitas, ut deductis ſeminibus & impenſis pretium fructuum reſiduorum deficiat a quantitate mercedis.

Pretium fructuum reſiduorum æſtimandum eſt ex eo tempore, quo percipiuntur. Et quando quæritur de mercede remittenda, non attenditur fructuum quantitas, ſed pretium.

§. 1296.

§. 1296.

Si res plures diverſæ ſimul pro una mercede conjunctim locentur; damnum conductori datum æſtimandum eſt non ex re una, ſed omnibus conjunctim. Etenim ſi res plures diverſæ ſimul pro una mercede conjunctim locentur, omnes ſimul habentur pro re conducta una, conſequenter fructus omnes ſimul ex quacunque cauſa & re percepti habentur pro fructibus ex re conducta perceptis. Quamobrem ſi æſtimari debet damnum conductori datum in re conducta, pretium fructuum omnium ex quacunque cauſa & re perceptorum conferendum eſt cum quantitate mercedis. *Quomodo damnum in re conducta datum æſtimandum.*

Ex. gr. Si colono in fructibus ſunt frumenta, oleum, vinum, ligna, fœnum, linum, pecora, poma, vectigalia ac ita porro; etſi tanta ſit ſterilitas, ut ex frumentis toto anno nihil percipiatur, quod tamen ex oleis, vineis, lignis, fœno, lino, pecoribus, pomis, vectigalibus ac rebus aliis perceptum fuit defectum iſtum compenſat, ut horum fructuum pretium adhuc ſuperet mercedem impenſis licet ac ſeminibus deductis, propter caſum in re conducta datum is dici nequit caruiſſe uſu, quem res conducta habere debebat, utpote ex pretio fructuum perceptorum æſtimando.

§. 1297.

Si res fructuoſa in plures annos conducatur, damnum ob ſterilitatem datum æſtimandum eſt ex fructibus per totum tempus perceptis. Etenim cum non ſingulis annis eadem ſit fertilitas, unius ſterilitas ubertate compenſatur. Quamobrem ſi res fructuoſa in plures annos conducatur, dici nequit, conductori damnum datum ob ſterilitatem, niſi pretium omnium fructuum perceptorum per totum contractus tempus deficiat a tota mercede per iſtud tempus ſolvenda. Patet itaque ſi res fructuoſa in plures annos conducatur, damnum ob ſterilitatem datum æſtimandum eſſe ex fructibus per totum tempus perceptis. *Idem ulterius expenditur.*

Definimus hic, quænam naturaliter obtineant, non vero inquirimus, quænam principiis Juris Romani conſentanea, ex quibus diſſenſus Interpretum hujus dirimendus. Ceterum locatio conductio etiam ita contrahi poteſt, ut aliquid aleæ contineat, quemadmodum ſpes quoque emitur. Sed num quid conveniat æquitati, ex iis definiendum, quæ de contractibus aleam continentibus demonſtrabuntur. Id adhuc notandum eſt, in æſtimandis impenſis rationem quoque habendam eſſe operarum, quippe quas gratis nemo præſtat, & pro quibus merces ſolvenda, ſi quis alienis utatur.

§. 1298.

Si caſus contingit in fructibus perceptis, damnum coloni eſt. Etenim cum colonus præſtet mercedem pro fructibus percipiendis, fructus percepti ipſius ſunt, non locatoris, &, ubi fructus percipere potuit, quorum percipiendorum gratia fundum conduxit, uſus ipſi præſtitus a locatore, qui præſtari debebat (§. 1198.). Quamobrem cum res pereat ſuo domino (§. 356. *part. 2. Jur. nat.*); ſi caſus contingit in fructibus perceptis, damnum coloni eſt. *De caſu in fructibus perceptis contingente.*

Ex. gr. Si frumentum in horreo, ſuborto incendio, flamma ferali conſumatur, damnum coloni eſt, nec propterea quicquam de mercede remittere tenetur conductor. Idem tenendum, ſi frumentum a vermibus erodatur, vel colonus vili admodum pretio idem vendere cogatur, cum potuiſſet pluris vendere, ſiquidem maturius vendidiſſet, utut pretium ita ſit imminutum, ut ne quidem dimidiam mercedis partem adæquet. Damnum in re ſua ſentit dominus, etiamſi abſque omni ipſius culpa contingit. Percepti ſunt fructus, quamprimum ab agro ſeparati, ut adeo damnum ſit coloni, etiamſi nondum in horreum ſint deducti. Ita dubium videri poterat, num damnum in fructibus caſu datum, cum ſint maturi, ſed nondum ſeparati, coloni eſſe debeat, ut nullam mercedis remiſſionem idem petere poſſit. Quamobrem ſequentem adhuc addere lubet propoſitionem.

§. 1299.

De caſu contingente in fructibus maturis, ſed nondum ſeparatis.

Si caſus contingat in fructibus jam maturis, ſed qui nondum ſeparari potuerunt; ad colonum damnum pertinet. Etenim cum in colonum tranſlatum ſit jus in fructus, quod alias domino competit (§. 1202.), fructus pendentes vero jam ſint domini (§. 440. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter ejus ſint, antequam a re, ex qua provenerunt, fuerant ſeparati (§. 433. *part. 2. Jur. nat.*); fructus quoque maturi coloni ſunt, antequam a re, ex qua provenerunt, ſunt ſeparati. Et quoniam fructus maturi ſunt *per hypoth.* ideo uſus non fuit impeditus, quem præſtare debuit colono locator (§ 1198.), conſequenter is uſum rei non impeditum præſtitit, ſuæque adeo obligationi ſatisfecit. Quamobrem cum damnum in fructibus maturis, ſed nondum ſeparatis datum detur in re coloni, poſtquam obligationi ſuæ ſatisfecit locator, adeoque contractus reſpectu horum fructuum ex parte ipſius fuit adimpletus, ac res ſuo pereat domino (§. 356. *part. 3. Jur. nat.*); nulla ratio eſt, cur locator potius, quam colonus damnum ferre debeat, ſed caſus potius ad colonum pertinet.

Quando caſus contingit circa uſum rei, quem locator præſtare debet, ad locatorem is pertinet; quando vero circa fructus, qui coloni ſunt, antequam a re ſeparantur, ſtatim a maturitate eorundem idem ad colonum ſpectat. Quod interpretes Juris civilis in varias abierint ſententias, inde eſt, quod dominium fructum demum percipiendo acquiri dicatur, neque in eo conſentiant, quandonam pro perceptis habendi, ita ut non deſint, qui frumenta percepta eſſe non admittunt, niſi poſtquam grana ex ſpicis fuerunt excuſſa. Enimvero demonſtravimus jam alibi (§. 444. *part. 2. Jur. nat.*), perceptionem fructuum non eſſe modum acquirendi naturalem.

§. 1300.

De remiſſione mercedis ob uſum vitio rei deficientem.

Si res locata eum habere nequeat uſum, quæ mercedem adæquat; naturaliter pro rata uſus deficientis merces remittenda. Etenim naturaliter ſpectanda æqualitas inter uſum rei ac mercedem (§. 1219.); adeoque locator obligatur ad præſtandum uſum mercedi æqualem (§. 1198.). Quodſi ergo res locata eum habere uſum nequit, quæ mercedem adæquat; nec conductor mercedem præſtare tenetur majorem, quam quantum uſus rei locatæ valet. Quamobrem ſi res locata eum habere uſum nequeat, quæ mercedem adæquat, naturaliter pro rata uſus deficientis merces remittenda.

Ex.gr. Si vitio fundi non percipiantur fructus, quorum pretium deductis impenſis atque operis & ſeminibus non adæquat integram mercedem; quin partem deficientem remittere teneatur locator, dubitari nequit. Etenim ſi locator re ſua ipſe fruitusfuiſſet, non majus ejuſdem commodum extitiſſet. Nullum igitur damnum ex remiſſione mercedis ſentit. Immo melior adhuc ejuſdem, quam coloni conditio eſt, qui lucrum percipit nullum, ſed mercede operarum contentus eſſe debet, quaſi eaſdem locatori fundi locaſſet. Equidem non ignoro, id abire a Jure civili, quod penſionem remittendam eſſe minime præcipit, ſi vitium ex ipſa re oriatur, veluti ſi vineæ propter vetuſtatem ſint minus fructuoſæ, vel fundus ſit ſaxoſus, frigidus, ſalebroſus; non tamen hoc æquitati naturali convenit, quod nullam fert læſionem. Unde nec inter Juris Romani interpretes deſunt, qui ſtatuunt, mercedem hoc etiam caſu remittendam eſſe, ſi omnis fructus ſublatus fuerit, quos inter eſt *Pinellus* in l. 2. C. de reſc. vend. part. 1. c. 3. n. 23. Ceterum hic quoque attendenda veniunt, quæ de locatione in plures annos facta in caſu ſimili demonſtravimus (§. 1297.).

§. 1301.

De vitiis rei locatæ conductori indicandis.

Locator conductori vitia rei ſibi nota, quibus damnum dari poteſt in uſu rei, indicare tenetur. Etenim in locatione conductione venditur a locatore conductori uſus rei (§. 1214.), conſequenter vitia rei, quibus damnum dari poteſt in uſu, & quæ adeo in uſum rei influunt, ſpectanda ſunt tanquam vitia rei venditæ

Aſt.

Aſt venditor vitia rei ſibi nota emtori indicare tenetur (§. 1044.). Ergo etiam locator conductori vitia rei ſibi nota, quibus damnum dari poteſt in uſu rei, indicare tenetur.

Ex. grat. Si equus ſit calcitroſus, conductori hoc indicandum eſt. Si certo anni tempore ab inundatione periculum imminеat in certis ædium conductarum partibus, hoc conductori indicandum eſt; ut ſibi tempeſtive cavere poſſit; ne damnum incurrat. Quamobrem nec ordinariam ſterilitatem, quæ vitio fundi contingit, conductorem celare debet locator.

§. 1302.

Si quis ſciens rem vitioſam locat, conductori præſtare tenetur, quod intereſt; ſi ignorans invincibiliter, penſionem remittere tenetur. Etenim ſi quis ſciens rem vitioſam locat, vitia rei conductori indicare tenetur (§. 1301.), conſequenter ſi conductor ob vitium rei damnum quoddam incurrat, vel lucrum ejus ceſſet, ideo hoc contingit, quia locator non ſatisfecit obligationi ſuæ. Enimvero ſi quis damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti, ad id quod intereſt teneris (§. 629. *part. 3. Jur. nat.*). Ergo etiam tenetur præſtare conductori, quod intereſt, locator, ſi ſciens rem vitioſam locat. *Quod erat unum.* *De re vitioſa locata.*

Enimvero ſi ignorans invincibiliter rem vitioſam locet, cum ignorantia invincibilis nemini imputari poſſit (§. 550. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ipſi imputari nequit, quod rem vitioſam locet conductori, nec ipſi vitium indicet, conſequenter ex facto ſuo teneri ad nihil poteſt conductori. Quoniam tamen uſum præſtare debet, ſi velit mercedem accipere (§. 1198.), res autem vitioſa uſum, qui conductus fuerat, habere nequit, ſi invincibili ignorantia locat rem vitioſam, penſionem remittere tenetur. *Quod erat alterum.*

Exemplum dedit *Ulpianus* l. 19. §. 1. ff. loc. cond. naturalem ex in re ſecutus æquitatem cum *Servio*, *Labeone*, & *Sabino*. Si ſaltum, inquit, paſcuum locaſti, in quo herba mala naſcatur, & pecora vel demortua ſunt, vel etiam deteriora facta, quod intereſt præſtabitur, ſi ſciviſti: ſi ignoraſti, penſionem non petes. Enim vero ibidem *Caſſii* probat ſententiam, quod, ſi quis dolia vitioſa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, teneatur in id quod intereſt, nec ignorantia ejus ſit excuſata. Mirum in modum ſe hic torquent interpretes Juris Romani, ut reddant rationem, cur aliud obtinere debeat in doliis vitioſis, quam in re vitioſa alia. Enimvero ex propoſitione præſente facile redditur ratio. Hic tur nimirum ignorantia locatoris, qui rem vitioſam locare minime debebat, ſed habilem ad eum uſum, ad quem conducitur (§. 1230.), pro vincibili, quippe qui noſſe poterat ac debebat, dolium eſſe vitioſum, ut vinum continere non poſſit, modo in id inquirere voluiſſet, cum dolia vacua vitium faciliime contrahere obvia experientia conſtet. In aliis autem caſibus ignorantia pro invincibili habetur, quod talis plerumque ſit: neque enim leges civiles conſtituuntur in his, quod ut plurimum fit l. 3. ff. de LL. quod vero perraro evenit, ad id jus non aptatur l. 5. hoc t.

§. 1303.

Si alicui pecudum uſus pro viliori mercede annua, aut certa fructuum parte alicui conceditur ea lege, ut, ſi quæ illarum pereant, accipiens vel alias in earum locum ſubſtituat, vel æſtimationem præſtet, contractus dicitur *Socida*, vel etiam *Socidæ contractus*. *Socida quid ſit.*

Contractus hic apud Germanos non infrequens eſt; ſed nomen ab Italis accepimus. Ex. grat. Convenit inter dominum & paſtorem, ut gregem ovium paſcat & fructus percipiat, & Domino vel certam mercedem, vel certam partem fructuum pro uſu conceſſo præſtet, ſed cum onere in locum demortuarum alias ſubſtituendi, ne domino unquam moriantur oves, contractus ſocidæ eſt hæc conventio.

§. 1304.

Qualis contractus ſocida ſit.

Quoniam in contractu ſocidæ uſus pecudum conceditur pro certa mercede, vel certa fructuum parte, aſt locatio conductio eſt, ſive pro uſu rei detur pecunia numerata, ſive res certa quæcunque alia (§. 1211.): *contractus ſocidæ locatio conductio eſt*. Quoniam tamen convenitur, ut accipiens in locum demortuarum ſubſtituat alias, vel æſtimationem præſtet (§. 1303.); *in contractu ſocidæ locationi conductioni adjicitur pactum, quo periculum omne rei locatæ in ſe ſuſcipit conductor*.

Non ignoro, Juris civilis interpretes inter ſe non convenire, ad quem contractum ſocida referri debeat. *Cujacius* & *Donellus* ad ſocietatem, *Antonius Faber* & *Carpzovius* ad locationem conductionem referunt: alii pro contractu innominato habent. Sed veriorem ſententiam, quam modo demonſtravimus, nimirum quod ſocida locatio conductio ſit, tuetur JCtus eximius, *Homburg* in diſſertatione de Contr. Socid. §. 7. Notandum vero varias eſſe circa rem pecuariam conventiones, quæ ſubinde ſocidæ nomine venire ſolent, & quas omnes uberius exponit *Bartholomaus Chaſſanaus* in Conſuetud. Burgund. rubr. 4. § 23. veluti ſi pecorum cuſtodia certo promiſſo alteri committitur, ſi ſocietas animalium contracta, ſi pecora alteri paſcenda traduntur, dominio ea lege in alterum translato, ut poſt aliquot annos vendantur & pretium ex iis redactum inter contrahentes certa ratione dividatur & quæ ſunt his gemina. Enimvero cum in Jure naturæ non admittatur vagus vocabulorum ſignificatus, qui homonymiam parit; nos communem ac proprium vocabuli retinuimus ſignificatum. De aliis enim conventionibus, quæ a ſocida proprie ſic dicta abeunt, ex eo ſtatuendum, de quo convenerant paciſcentes. Neque opus eſt, præſertim in Jure naturæ, ut ſingulis conventionibus ſua imponantur nomina. Notandum quoque eſt, non obſtare pactum, quo omne periculum rei accipiens in ſe recipit, quo minus ſocida locatio conductio eſſe poſſit. Etenim hoc pactum etiam adjici poteſt aliis locationibus ac conductionibus. Pacta vero adjecta non mutant ſpeciem contractus, ſi circa ſubſtantialia, quemadmodum loqui amant JCti, hoc eſt, determinationes eſſentiales nihil immutent, ut conventioni adhuc applicari poſſit definitio, quemadmodum videmus ſocidæ convenire definitionem locationis conductionis. Standum nimirum eſt generali ratiocinandi lege: cui competit definitio, eidem quoque competere definitum (§. 349. *Log.*). Ex hoc nimirum principio deducenda eſt omnis dijudicatio, quando definiendum, ad quamnam contractuum ſpeciem referenda ſit aliqua conventio. Quodſi Dd. vel philoſophiæ ſtudium non negligerent, vel ad ejus principia, quæ didicerunt, animum attenderent; nullo haud raro negotio definirent, in quibus definiendis multum deſudant ac ceſpitant.

§. 1305.

An in ſocida transferatur dominium.

Quoniam in ſocida tantum conceditur uſus rei (§. 1303.), jus vero utendi tantummodo jus quoddam eſt domino proprium, non vero ipſum dominium (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*); *locator in ſocida dominium pecudum ſibi retinet, nec præter uſum jus quoddam aliud conductori competit* (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Hoc adeo evidens eſt; ut propterea non demum demonſtraverimus, in locatione conductione non transferri dominium.

§. 1306.

An in ſocida & locatione in genere transferatur poſſeſſio.

Et quia in ſocida, itemque in locatione quavis dominium non transfertur (§. 1305. & *not. ej.*), nec conductor in ſocida, immo nec in alia quavis conductione rem detinet tanquam ſuam (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum poſſeſſio non ſit niſi detentio rei tanquam ſuæ (§. 150. *part.* 2. *Jur. nat.*); *nec in ſocida, nec in alia quavis locatione poſſeſſio rei locatæ in conductorem transfertur*.

Hoc adeo evidens eſt, ut mirum videri poſſet, interpretes Juris civilis de eo diſputare, niſi conſtaret, eos cæcutire in luce meridiana, qui ad principia philoſophica recurrere nolunt in iis, quæ ab iis dependent. Relegenda hic ſunt, quæ modo annotavimus (*not.* §. 1304.).

§. 1307.

§. 1307.

Quod pecudes non moriantur danti in ſocida & cur æſtimatæ tradendæ.

Quoniam in ſocida conductor in locum pecudum demortuarum alias ſubſtituere, vel earum æſtimationem præſtare debet (§. 1303.); *in ſocida pecudes locatori nunquam moriuntur*, &, ut conſtare poſſit, num ſubſtitutæ æquivaleant iis, qui perierunt, nec de æſtimatione præſtanda lis ſit, *pecudes æſtimatæ tradendæ*.

Pecudes æſtimatas eſſe tradendas ſequitur ex natura contractus. Quodſi hoc non fiat, in contrahendo negligentes ſunt contrahentes. Culpa igitur ſua in lites incidunt non facile terminandas, ſi caſus contingit, niſi mature de pretio pecudis mortuæ, antequam corrumpatur, ſtatuatur. Dantur tamen caſus, in quibus de pretio ſtatuere non amplius integrum eſt, veluti ſi oves rapiantur a lupo, vel furto quædam auferantur.

§. 1308.

Pecudes ferreæ quænam dicantur.

Pecudes, quæ danti nunquam moriuntur, vel pereunt, quia accipiens eas vel in ſpecie reſtituere, vel æſtimationem præſtare tenetur, dicuntur *ferreæ*, idiomate patrio eiſern Viehe. Unde *ſocida eſt locatio conductio pecudum ferrearum*.

Hinc hodie communiter contractus ſocidæ per pecora ferrea exprimitur, & idiomate patrio dicimus, das Viehe eiſern verpachten.

§. 1309.

Quando in ſocida non omne periculum rei locatæ ſit conductoris.

Si ita conveniatur, ut conductor in ſocida tantummodo pecudes alias ſubſtituat in locum demortuarum, vel earum æſtimationem præſtet; & caſu quodam alio pereant pecudes; hic ad dominum pertinet. Etenim cum in ſocida dominium pecudum non transferatur in conductorem, ſed maneat penes locatorem (§. 1305.), naturaliter autem res pereat ſuo domino (§. 356. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec quiſquam alteri ad præſtandum obligatus eſt, niſi ad quod præſtandum ſe obligare voluit (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); in ſocida quoque periculum pecudum locatarum non magis pertinet ad conductorem, quam is in ſe ſuſcipere voluit, etſi, niſi aliter conveniatur, periculum omne ipſius ſit (§. 1304.). Quamobrem ſi expreſſe ita conveniatur, ut conductor tantummodo pecudes alias ſubſtituat in locum demortuarum, vel earum æſtimationem præſtet; caſus quicunque alius, quo pereunt, ad locatorem etiam in ſocida pertinet.

Nimirum per pacta adjecta determinationes eſſentiales, vel, ut cum JCtis loquamur, ſubſtantialia contractus alterari poſſunt, prouti vel reſtringuntur, vel ampliantur, modo non prorſus tollantur. Cum enim a domini voluntate pendeat, quomodo jus quoddam ſuum in alterum transferre velit (§. 11. *part.* 3 *Jur. nat.*), nec id transferre poſſit niſi in acceptantem (§. 7. *part.* 3. *Jur. natur.*); ideo jus omne ex contractu quæſitum metiendum eſt ex contrahentium voluntate, nec deneganda eſt poteſtas pro arbitrio ſuo quædam in contractibus immutandi, ut propterea non ſtatim dici poſſit eos contractum diverſum celebraſſe.

§. 1310.

De culpa in ſocida præſtanda.

Si in ſocida ita fuerit conventum, ut caſus quidam pertineant ad dominum; conductor tamen culpam præſtare tenetur, quæ caſum præcedit. Etenim in locatione conductione conductor præſtare tenetur culpam, quæ caſum præceſſit (§ 1260.). Quamobrem cum ſocida ſit locatio conductio (§. 1304.), conductor vero non omne periculum in ſe ſuſceperit *per hypoth.* caſum is tamen præſtare tenetur, quem in ſe non ſuſcepit, ſi eum culpa præceſſit.

Ex. gr.

Ex. gr. Si oves male cuſtoditæ a lupo raptæ, vel furto ablatæ, earum æſtimationem præſtare tenetur conductor, quamvis in ſe tantummodo ſuſceperis periculum mortis. Cum adeo conſultius ſit, ut periculum omne ſit penes conductorem, ne litibus locus ſit circa præſtationem caſuum, quos culpa conductoris præceſſit; ideo apparet, cur regulariter in ſocida periculum omne transferatur in conductorem. Patet etiam hinc ratio, cur ſocida fuerit introducta.

§. 1311.

Merces in ſocida quomodo determinanda. *Merces in ſocida determinari debet ex pretio fructuum, quos ex pecudibus percipit conductor, & periculo, quod in ſe ſuſcipit.* Etenim cum ſocida ſit locatio conductio (§. 1304.), in locatione autem conductione obſervanda ſit æqualitas (§. 1219.), adeoque quantum datur, tantum recipi debeat (§. 898.); in ſocida quoque conductor non plus dare debet, quam accipit. Quoniam itaque conductor fructus ex pecudibus accipit, ac periculum pecudum in ſe ſuſcipiens tantundem dat locatori, quantum hoc periculum valet; merces pro uſu pecudum ferrearum præſtanda utique determinari debet ex pretio fructuum, qui percipiuntur, & periculo, quod ſuſcipitur, utpote cujus valor iſtud diminuit.

Quoniam in determinanda quantitate mercedis ratio habenda eſt periculi; quantum vero valet periculum, quod in ſe ſuſcipit locator, tantum detrahendum eſt penſioni ordinariæ, ideo in ſocida viliori mercede pecora locantur. Et quia periculum a dubio eventu pendet; contractus hac in parte aliquid aleæ continet, adeoque in determinando valore periculi reſpiciendum ad ea, quæ de emtione ſpei & ceteris contractibus aleam continentibus demonſtrabantur.

§. 1312.

De peſte ſeu lue in ſocida determ. *Si peſtis ſeu lues inter pecora graſſetur, jure interno a damno extraordinario detrahendum eſt ordinarium, cujus in mercede determinanda ratio fuit habita, & reliquum ad locatorem pertinet.* Etenim in ſocida ob periculum, quod in ſe ſuſcipit conductor, viliori pretio pecora locantur (§. 1305.), tantum ſcilicet detrahendo penſioni ordinariæ, quantum valet periculum (§. 1311.), conſequenter ſupponitur, damnum, quod patitur conductor, non ſuperare fructum, quem ex pecoribus percipit, ne ſcilicet locator locupletetur cum damno conductoris (§. 585. *p. 2. Jur. nat.*). Quodſi vero peſtis, ſeu lues inter pecora graſſetur, damnum, quod hoc caſu datur, extraordinarium ſuperat damnum ordinarium, cujus in mercede determinanda ratio habita fuit. Quoniam itaque conductor, qui quantum in ſe eſt damnum omne a ſe avertere debet (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*), & ipſe etiam conductor ad damnum a locatore avertendum obligatur (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*); jure interno non conſenſiſſe videntur in periculum niſi ordinarium, conſequenter extraordinarium illud, quo ſtrages datur peſte vel lue quadam in pecoribus, in ſe non ſuſcepiſſe intelligitur conductor. Juri adeo interno utique convenit, ut damnum ordinarium, quod in ſe ſuſcepit conductor, ab extraordinario ſubducatur, cujus in determinanda mercede ratio fuit habita, & reliquum ad locatorem pertineat.

Ex gr. Ponamus mercedem ordinariam, ſeu quæ datur, ſi periculum omne eſt penes locatorem, eſſe 50. mercedem viliorem, quando ſocida contrahitur, eſſe 40. Periculum adeo ordinarium æſtimatur ut 10. Quodſi lue vel peſte detur damnum ut 30. æquum omnino eſt, ut damnum extraordinarii exceſſus 20. ſit locatoris. Eandem æquitatis rationem obtinere, ſi alio caſu fatali abſque omni culpa conductoris ſtrages detur pecorum conductorum, ex ipſa demonſtratione liquet. Probe autem notandum eſt, quod conductor non præſumatur conſenſiſſe in damnum extraordinarium, dum id in ſe ſuſcepit periculum, cujus valor a penſione ordinaria ſubductus, ne juri interno renunciaſſe, vel idem remiſiſſe dici poſſit, quod utique facere poterat (§. 118. 117. *p. 3. Jur. nat.*). Cum enim in contractibus pro vero contra aliquem haberi nequeat, niſi quod ſufficienter indicatum (§. 428. 788. *part. 3 Jur. nat.*); iſtiuſmodi renunciatio vel remiſſio tacite facta minime præſumitur.

§. 1313.

§. 1313.

Quoniam jure interno exceſſus damni extraordinarii ſupra ordinarium, cujus in mercede determinanda ratio habita fuit, ad locatorem in ſocida pertinet (§. 1312.), quod vero ex obligatione contracta, adeoque externa debetur, id perfecte debetur (§. 403. *part.* 3. *Jur. nat.*), etiamſi antea nonniſi imperfecte deberetur (§. 404. *part.* 3. *Jur. nat.*); ideo *conſultum eſt, ut in contractu ſocidæ, caſus extraordinarius, veluti peſtis aut lues, quo conductori damnum intolerabile datur, expreſſe excipiatur.*

Cautio in contractu ſocidæ quoad periculum.

Ceterum quæ ſupra de magna ſterilitate demonſtravimus, ea etiam ad caſum extraordinarium in ſocida applicari poſſunt ac debent (§. 1297.).

§. 1314.

Locator obligatur pecudes ſanas in ſocidam tradere. Etenim in ſocida fructuum percipiendorum gratia traduntur pecudes & pro his ſolvitur merces (§. 1311.). Quamobrem cum ex pecudibus morboſis fructus minime percipiantur, in locatione autem conductione, qualis eſt ſocida (§. 1304.), locator obligatur ad tradendam rem uſui aptam, pro quo merces ſolvitur (§. 1230.); locator obligatur pecudes ſanas in ſocidam tradere.

Quales pecudes in ſocidam tradendæ.

§. 1315.

Si morbo ante ſocidam contracto moriantur pecudes, periculum eſt locatoris. Etenim locator obligatur pecudes ſanas in ſocidam tradere (§. 1314.), conſequenter ſi morbo ante ſocidam contracto eædem moriantur, damnum incurreret conductor, propterea quod locator non ſatisfecit obligationi ſuæ, ſiquidem ipſius eſſe deberet periculum. Enimvero ſi quis damnum incurrit, propterea quod tu non ſatisfeciſti obligationi tuæ, ad id quod intereſt teneris (§. 629.). Quamobrem ſi morbo ante ſocidam contracto moriantur pecudes, locator conductori tenetur ad id, quod intereſt, pecudes morboſas in ſocidam traditas non fuiſſe. Cum itaque hoc periculum non fuiſſet conductoris, ſi pecudes morboſæ in ſocidam traditæ non fuiſſent; nec ejus eſſe debet periculum, ſi ex morbo ante ſocidam contracto moriantur, adeoque idem eſſe debet locatoris.

Cujusnam ſit damnum ſi pecudes morboſæ tradantur in ſocidam.

Non licet excipere, quod locator ignoraverit pecudes eſſe morboſas: cum enim ſanas tradere debeat, conductor eas accipit nonniſi ſub tacita hac conditione, ſi ſint ſanæ, niſi noverit eas eſſe morboſas, adeoque periculum expreſſe in ſe ſuſceperit. Præſumi nimirum nequit, quod aliquis in ſe ſuſcipere velit periculum, quod jamjam imminere videt & cujus evitandi ſpes vix ulla ſupereſt. Quodſi dicas, quomodo conſtare poſſit, an pecudes morbo ante ſocidam contracto fuerint extinctæ: tenendum eſt ſubito poſt ſocidam contractam demortuas in præſentia medici pecuarii periti exenterandas eſſe, ut de morbo ſtatui poſſit, niſi jam tempore contractus ſigna quædam morbi comparuerint.

§. 1316.

Socida finita, pecudes locatæ reſtituendæ &, ſi quæ demortuæ fuerint, vel alio caſu quædam perierunt, in earum locum vel aliæ ſubſtituendæ, vel earundem æſtimatio præſtanda. Etenim ſocida locatio conductio eſt (§. 1304.). Sed finita locatione res conducta reſtituenda (§. 1258.). Ergo etiam finita ſocida reſtituendæ ſunt pecudes locatæ. *Quod erat unum.*

De iis, quæ finita ſocida reſtituenda.

Enimvero in ſocida expreſſe convenitur, ut, ſi quæ pecudes demortuæ fuerint, vel alio caſu quædam perierint, in earum locum ſubſtituantur aliæ, vel earundem æſtimatio præſtetur (§. 1303.). Quamobrem cum pacta ſint ſervanda

(§. 789.

(§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); finita ſocida, ſiquidem pecudes quædam demortuæ fuerint, vel alio caſu perierint, vel aliæ in earum locum ſubſtituendæ, vel earundem æſtimatio præſtanda. *Quod erat alterum.*

Non eſt, quod urgeas, in locum demortuarum ſtatim ſubſtituendas eſſe alias, durante adhuc ſocida. Quoniam enim fructus ex pecudibus durante ſocida percipit conductor, locatoris non intereſt, eas ſtatim ſubſtitui, dum pereunt. Integram enim conductor ſolvere tenetur mercedem, quam promiſit, adeoque locatori perinde eſt, ſive ſtatim ſubſtituantur, ſive tum demum, quando quod locatum fuerat ei dem reddendum.

§. 1317.

An ſocida ſit contractus conſenſualis.

Socida contractus conſenſualis eſt. Eſt enim locationis conductionis ſpecies quædam (§. 1304.). Quoniam itaque locatio conductio omnis contractus conſenſualis eſt (§. 1197.); etiam ſocida contractus conſenſualis eſt.

Perfectus adeo eſt contractus ſocidæ, quamprimum de mercede pro uſu pecudum ferrearum ſolvenda convenerunt locator, ac conductor (§. 725.), etiamſi pecudes ipſæ nondum fuerint traditæ. Et locator ſtatim obligatur ad pecudes tradendas; conductor vero ab eo tempore ſolvit mercedem, quo ipſi traditæ fuerunt. Solvit enim mercedem pro uſu (§. 1303.); ſed antequam tradantur iiſdem uti nequit (§. 434.). Per ſe igitur patet, ſi uſus non deminuitur, ob pecudes non ſtatim traditas, mercedem deberi a tempore contractus perfecti.

§. 1318.

Societas quid ſit.

Si duo vel plures inter ſe conveniant, quod res & operas conferre velint eo fine, ut lucrum ac damnum commune ſit, contractus eſt *ſocietas*.

Ex. gr. Si tu & ego conferamus pecuniam ad emendum prædium, vel agrum, ita ut lucrum inde obveniens, vel damnum emergens ſit commune; ſocietas eſt contractus. Similiter ſi tu & ego eadem lege prædium, vel agrum conducimus; contractus ſocietas eſt. Si ego & tu conveniamus, ut, quicquid per certum tempus labore noſtro acquiſituri ſumus, nobis commune ſit; contractus ſocietas eſt. Nimirum in communione primario ſpectatur communio lucri, cui accedit communio etiam damni, quod ex eodem negotio emergit.

§. 1319.

Socii quinam ſint.

Qui ſocietatem ineunt, dicuntur *Socii*. Quoniam vero in ſocietate res & operæ conferuntur (§. 1318.); *ſocietas contrahitur, ſive uterque ſociorum res & operas, ſive unus res, alter operas, ſive unus res & operas, alter vero vel operas, vel res ſolummodo conferat.*

Sub rebus etiam comprehenditur pecunia, quemadmodum exemplum primum, quod modo dedimus (*not.* §. 1318.), loquitur. Cum vero non uno modo contrahi poſſit ſocietas, a voluntate ſociorum unice pendet, quomodo eam contrahere velint. Sufficit autem ut operæ ac pecunia vel res collatæ inter ſocios communicentur, perinde ac lucrum obveniens, atque damnum caſu quodam emergens.

§. 1320.

Quomodo ſocietas perficiatur.

Societas ſolo ſociorum conſenſu perficitur. Etenim cum ſocii inter ſe conveniant, quod res & operas communis lucri faciendi gratia conferre velint (§. 1318.), contractus perfectus eſt, quamprimum obligatio ad hoc faciendum oritur. Quoniam itaque homines ſeſe ſibi invicem obligare non poſſunt niſi promittendo (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*), & obligatio oritur, quamprimum promiſſio acceptatur (§. 381. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter quamprimum promiſſarius declarat ſe idem velle, quod ſe velle dicit promiſſor (§. 2. *part.* 3. *Jur. nat.*),

adeoque

adeoque in promiſſionem promiſſor & promiſſarius conſentiunt (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); in contractu ſocietatis oritur obligatio, quamprimum mutuus conſenſus de rebus ac operis lucri communis faciendi gratia declaratur, conſequenter contractus perficitur ſolo ſociorum conſenſu.

§. 1321.

Quoniam ſocietas ſolo ſociorum conſenſu perficitur (§. 1320.), contractus vero conſenſualis eſt, qui ſolo conſenſu mutuo perficitur (§. 725.); *Societas contractus conſenſualis eſt.* *Qualis contractus ſit ſocietas.*

Atque adeo ſocietas jam contracta, antequam a ſociis quicquam præſtetur, conſequenter antequam res ad lucrum commune faciendum requiſitæ fuerint traditæ; vel unus ſociorum operæ quidpiam præſtiterit.

§. 1322.

Quia ſocietas ſolo ſociorum conſenſu perficitur (§. 1320.), conſenſus vero tacitus adeoque facto vel non facto declaratus (§. 660. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), verus conſenſus eſt (§. 662. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *ſocietas* etiam *contrahitur iſtiuſmodi factis vel non factis, ex quibus conſenſus colligitur.* *An conſenſu tacito ſocietas contrahatur.*

Ex. grat. Habemus domum communem & ego ſolus eandem loco inquilino, te conſcio, nec contradicente; ſocietas quoad fructus civiles contracta. Idem intelligitur; ſi ager communis colono ab uno locetur, & penſionis partem ſibi oblatam accipiat alter. Obtinet idem etiam in aliis contractibus conſenſualibus. Ita ſi librum mihi commodaſti, ego autem tibi mitto pretium & tu idem accipis; liber erit mihi emtus.

§. 1323.

Quoniam ſocietas perficitur mutuo conſenſu declarato (§. 1320.), conſenſus vero inter abſentes etiam declarari poteſt per nuncium, vel per literas, quod per ſe patet; *ſocietas* etiam *inter abſentes per nuncium, vel per literas contrahi poteſt.* *An inter abſentes contrahi poſſit.*

§. 1324.

Quoniam ſocietas ſine conſenſu non perficitur (§. 1320.); *ſi unus ſociorum altero inſcio ac invito aliquem in ſocietatem receperit, erit is tantummodo ipſius ſocius, non vero alterius*, conſequenter *ſocii mei ſocius ſocius meus non eſt, nec ego cogi poſſum, ut invitus fiam ſocius alterius.* *De ſocio ab uno ſociorum in ſocietatem admiſſo.*

Ex. gr. Ego & tu conduximus prædium lucri communis faciendi gratia. Societas inter nos contracta eſt. Quodſi tu tertium me inſcio ac invito in ſocietatem admittis, tu ſolus ſocietatem quoad partem lucri tibi debitam cum eo contrahis, cumque mihi ſocius non ſit, nullum quoque mihi cum ipſo negotium eſt, ſed ſaltem cum te, contractu veſtro nihil ad me pertinente, qui reſpectu mei perinde ſeſe habet, ac ſi abeſſet.

§. 1325.

Similiter quia ſine conſenſu ſocietas non perficitur (§. 1320.), furioſi autem durante furore, amentes ac infantes cum careant uſu rationis, conſenſum ſuum declarare nequeunt (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *ſocietas cum furioſo durante furore, amente ac infante contrahi nequit.* *Cum quibus ſocietas contrahi nequeat.*

Ex. gr. Ponamus tibi ac fratri tuo adhuc infanti obtingere hæreditatem paternam, ſi tu eam velis indiviſam adminiſtrare, ita ut lucrum & damnum ſit commune; ſocietatem contrahere vis (§. 1318.). Sed ea per ſe nulla eſt.

§. 1326.

Alius caſus. *Si quis liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem non habet; is ſocietatem contrahere nequit, in qua res conferendæ.* Qui enim liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem non habet, is quoque de bonis ſuis pro arbitrio ſuo diſponere nequit, cum ipſi ademtum ſit exercitium dominii, utpote in adminiſtratione bonorum conſiſtens (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter lucri communis faciendi gratia nihil conferre poteſt. Quoniam itaque ſocietas non contrahitur, in qua res conferendæ, ſi nihil conferatur; nec ſocietatem, in qua rerum collatione opus eſt, contrahere valet, qui liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem non habet.

Caſus hic vix obtinet in ſtatu naturali, in quo nemini adimitur rerum ſuarum adminiſtratio, qui mentis compos eſt, ſeu uſu rationis pollet. Obtinet tamen in ſtatu civili, ubi v. gr. prodigo eadem adimitur. Vulgo in genere dicitur, ſocietatem contrahi non poſſe ab eo, qui liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem non habet. Enimvero cum exercitium dominii non contineat exercitium libertatis naturalis, conſequenter præſtationem operarum, nec poſterius cum priori ademtum intelligitur. Quamobrem cum ſocietas contrahi poſſit, ſi quis operas ſolas præſtet (§. 1319.); minime repugnat, ut, qui liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem non habet, contrahat ſocietatem, in qua operas ſolas præſtare tenetur. Non jam diſputabimus, num hic caſus ſit facile dabilis: ſufficit enim eum non eſſe impoſſibilem. Jus enim naturæ ad caſus omnes poſſibiles porrigitur.

§. 1327.

An ſine collatione ulla contrahatur ſocietas. *Cum eo, qui nec operas, nec res confert lucri communis faciendi gratia, ſocietas non contrahitur; ſed ſi is ad partem lucri admittitur, donatio eſt, & quando etiam damni particeps eſſe debet, contractus quidam peculiaris eſt dationem conditionalem utrinque continens.* Etenim ſocietas contrahitur, ſi res & operæ communis lucri faciendi gratia conferuntur (§. 1318.), ſive res ac operæ ſimul, ſive res, vel operæ ſolæ conferantur (§. 1319.). Quodſi ergo cuidam promittitur pars lucri, qui nec res, nec operas præſtat, cum promiſſor nihil viciſſim recipiat; ea eidem gratis promittitur (§. 18.), adeoque non ſocietas contrahitur, ſed illi pars lucri donatur (§. 48.), conſequenter actus totus nonniſi donatio eſt. *Quod erat primum & ſecundum.*

Enimvero ſi cuidam, cum quo ſocietas non contrahitur, ſeu qui ſocius non eſt (§. 1319.), pars quædam lucri promittitur ea lege, ut, ſi damnum contingat, hujus particeps eſſe debeat; unus contrahentium ſe obligat ad dandum lucri partem, quod ſperatur, alter vero ſe viciſſim eidem obligat ad reſarciendum partem damni, ſi quod forſan emergat, contractus adeo oneroſus eſt (§. 878.), ſed utrinque cum ſub conditione promittatur, quod dandum, contractus ex utraque parte dationem conditionalem continet. *Quod erat tertium.*

Ex. gr. Ego & Mævius conducimus prædium & tibi, qui nec ad penſionem & impenſas, nec ad operas præſtandas quidpiam confers, partem lucri certam promittimus. Nemo non ultro largitur, hanc lucri partem tibi donari, dum finita locatione conductione lucri diviſi partem a nobis accipis. Cum ipſo autem negotio, quod inter nos geritur, nihil tibi commune eſt. Quodſi nos tibi promittamus eam lucri partem ſub hac conditione, ut, ſi finita ſocietate locatio conductio nobis damnoſa deprehendatur, partem damni reſarcias; actum hunc ad donationem referri non poſſe patet. Ita enim convenitur, ut nos demus, ſiquidem negotium noſtrum fuerit lucroſum, quemadmodum ſperatur; tu vero des, ſi idem fuerit damnoſum, quod contingere poſſe pro impoſſibili non habetur. In hoc itaque contractu utraque pars obligatur ad aliquid dandum ſub conditione, cumque harum conditionum alterutra neceſſario exiſtere debeat, incertum vero ſit, quænam earum extitura, dationes contractui ab utraque parte inſunt nonniſi conditionales.

§. 1328.

§. 1328.

Societas ita contrahi poteſt, ut unus ſociorum ſit particeps lucri, ſed non particeps fiat damni; aſt non viciſſim, ut tantummodo particeps ſit damni, non vero particeps fiat lucri. Cum enim quilibet naturaliter jus ſuum remittere (§. 117. *p.* 3. *Jur. nat.*) nec quiſquam ſibi alterum ultra ſuam voluntatem obligare poſſit (§. 382. *p.* 3. *Jur. nat.*), ſi quis ſocietatem inire nolit niſi ea lege, ut non fiat particeps damni, ſi forſan negotium damnoſum eſſe contingat; nil obſtat, quo minus ita conveniri poſſit. Quamobrem ſocietas ita contrahi poteſt, ut unus ſociorum ſit quidem particeps lucri, ſed tamen non particeps fiat damni. *Quod erat unum.* *Quomodo ſocietas reſpectu damni contrahi poſſit.*

Enimvero cum quilibet, quantum datur, & a ſe (§. 494. *part.* 3. *Jur. nat.*), & ab alio damnum avertere debeat (§. 495. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec ſocietas contrahatur niſi communis lucri faciendi gratia (§. 1318.), immo nec temere quid ſit faciendum (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*); tam ſocietati contrahendæ, quam obligationi naturali minime convenit, ita contrahere, ut unus ſociorum tantummodo particeps ſit damni, non vero particeps fiat lucri. *Quod erat alterum.*

Operæ ſubinde alterius adeo neceſſariæ, vel ſaltem utiles ſunt, ut malis omne periculum in te ſuſcipere, quam iiſdem carere. In hoc igitur caſu abſurdum non eſt, remittere periculum ſocio, quod in ſe ſuſcipere debebat, & ſocietas contrahitur una cum pacto de periculo remittendo, quod cum tanquam pactum ſeparatum per ſe ſubſiſtat, contractum ſocietatis non ideo vertit in alium. Poſſunt etiam eſſe rationes aliæ, cur ita contrahas, veluti quando ſocio opus habens, neminem vero reperire poſſis, qui periculum in ſe ſuſcipere velit. Quoniam dicas poſſe etiam alium periculum totum in ſe ſuſcipere, qui lucri particeps non ſit. Enimvero ſi adſint rationes, ob quas aliquis tibi licite donat, quantum valet damnum, quod ex negotio aliquo tibi obvenit; quamvis per modum donationis ſubſiſtat hic actus, quo quis periculum ab altero ſubeundum in ſe recipit, non tamen dici poteſt ſocietas contracta, & reparationem damni ex contractu ſocietatis deberi. Sed huic contractui aliqua lux affunditur per ea, quæ in fidejuſſione dicta ſunt, ubi ſimiliter quis periculum ſubit ſine ulla utilitate (§. 728.).

§. 1329.

Societas, in qua alter lucrum tantum, alter damnum ſentiat, *leonina* dicitur. Quamobrem cum ſocietas ita contrahi non poſſit, ut unus tantummodo lucrum ſentiat, alter damnum (§. 1328.); *ſocietas leonina iniqua eſt & per ſe nulla* (§. 1318.). *Societas leonina.*

Tollitur nimirum eſſentialis determinatio, lucrum ſcilicet commune, tanquam finis, cujus gratia contrahitur ſocietas, ſpectandum (§. 1318.), adeoque ſine hac ſocietas non amplius ſubſiſtit (§. 349. *Log.*). Atque hinc elucet ejus nullitas. Iniquitas vero apparet ex demonſtratione præcedente (§. 1328.), & ex eo, quod repugnet charitati, qua alterum diligimus tanquam noſmetipſos (§. 620. *p.* 1. *Jur. nat.*), lege naturali præceptæ (§. 621. *part.* 1 *Jur. nat.*), cui ſubinde convenire poteſt perinde ac fidejuſſio, ut quis non ſocius periculum quoddam alterius in ſe ſuſcipiat abſque ullo lucro. Quamobrem ob rationes particulares, quæ periculum alienum in ſe ſuſcipientem a dilapidatione bonorum ſuorum lege naturali prohibita (§. 460. *part.* 2. *Jur. nat.*) excuſant, licite quis non ſocius alterius cujuſdam ſocii periculum in ſe ſuſcipere ſine ullo emolumento poteſt. Ceterum ſi ſocietatem quis ita contrahere velit, jam olim apud Romanos ea leonina dicta l. 29. §. 2. ff. pro Soc.

§. 1330.

Si bona univerſa tam præſentia, quam futura in communionem deducuntur, *ſocietas* dicitur *omnium bonorum* vel *fortunarum*: ſi vero ea omnia, quæ opera & negotiatione acquiruntur, *ſocietas bonorum* ſimpliciter vocatur. Utraque communi nomine *ſocietas univerſalis*, ſubinde etiam *generalis* appellari ſolet. *Societas univerſalis quænam & quotuplex.*

Ex. g. Ego tecum contraho ſocietatem, ea lege, ut tam bona omnia, quæ in præſenti poſſidemus, quam ea quæ quocunque titulo vel modo acquiſituri ſumus, ſive fuerint opera noſtra parta,

§. 1336.

Si quis operas ſolas confert, alter vero pecuniam, & operæ conferantur cum uſu pecuniæ; collator operarum non fit particeps ſortis: quodſi vero eædem operæ conferantur cum ipſo dominio pecuniæ, qui operam impendit, fit particeps ſortis, pro eo, quod valet pretium operæ ſorti adjiciendum. Etenim ſi operæ conferantur cum uſu pecuniæ, perinde eſt, ac ſi tu conferres operarum, alter pecuniæ uſum, cumque operæ perinde ac pecunia ſpectari poſſint inſtar rei conferentis (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), quilibet ſocius non ipſam rem, ſed uſum ſaltem rei in commune confert. Quamobrem cum nemo ab altero plus juris acquirere valeat, quam is in eum conferre voluit (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); uſus ſaltem rerum collatarum, non vero res ipſæ communicantur, conſequenter qui operas impendit non fit particeps pecuniæ ab altero collatæ, adeoque ſortis particeps non ſit (§. 1335.). *Quod erat unum.*

De diverſo modo operas cum pecunia collata conferendi.

Enimvero ſi operæ conferantur cum ipſo dominio pecuniæ, quemadmodum tum pecunia ipſa in commune confertur, non tantummodo uſus ejus, ita etiam operarum non ſolus uſus, ſed ipſæ operæ tanquam res conferentis (§. 437. *p. 2. Jur. nat.*), in commune collatæ cenſentur. Quamobrem cum operæ pecunia æſtimentur (§. 290.), perinde omnino eſt, ac ſi is, qui operam impendit, tantundem pecuniæ contuliſſet, quantum valent operæ ipſius, quorum adeo pretium ſorti adjectum videtur. Quoniam itaque non minus pecunia ab uno collata, quam pretium operarum in commune confertur, quemadmodum pro eo, quod confertur a collatore pecuniæ, is conſequitur quaſi certam pretii operarum partem, ita viciſſim qui operas impendit, particeps fit ſortis, ſeu in ea habet partem pro eo, quod valet pretium operæ ſorti adjiciendum. *Quod erat alterum.*

Operarum uſus in aliqua negotiatione diſtingui poteſt ab ipſis operis, perinde ac uſus rei ſeu pecuniæ ab ipſa pecunia. Quemadmodum pecunia eſt in dominio conferentis, ita etiam operæ in dominio conferentis ſunt (§. 437. *p. 2. Jur. nat.*). Uſus rei a dominio differt (§. 136. *part. 2. Jur. natur.*). Quamobrem qui confert uſum, non transfert dominium, conſequenter ſi tantummodo uſus in commune confertur, præter hunc quoque non res ipſa communis eſt, cujus uſus collatus. Atque ideo quemadmodum pecunia collata manet conferentis, ita quoque operarum pretium manet ejus, qui eas impendit. Enimvero ſi pecunia & operæ ipſæ conferantur in commune, collator pecuniæ fit particeps operarum pretii & collator operarum fit particeps pecuniæ collatæ in ratione collatorum. Nimirum tam pretium operarum, quam pecunia collata dividi debet in ratione ſummæ collatorum ad pretium operarum ac pecunias actu collatas, ut conſtet, quantum unuſquiſque habeat in eo, quod alter contulit. Ex. grat. Ponamus me ad negotiationem aliquam conferre 12000. thalerorum, te vero conferre operas, quarum pretium per omne negotiationis tempus valet 1000. thalerorum: erit ratio collati tui, ad ſummam collatorum, ut 1. ad 13. ſed collati mei ad eandem ut 12. ad 13; adeoque tui ſunt ex ſorte 923 $\frac{1}{13}$ thaleri, mihi ex pretio operarum competere cenſetur eadem ſumma: enimvero cum pretium operarum finita ſocietate non ſuperſit, inter damna refertur, conſequenter mihi hoc reſpectu decedunt 923 $\frac{1}{13}$ thaleri, tu vero pretii hujus partem tuam, quæ erat 76 $\frac{12}{13}$ thalerorum, itidem amiſiſſe cenſeris. Tu igitur in ſorte habes 923 $\frac{1}{13}$ thaleros, quorum dominium in te tranſit, quamprimum ſocietas perficitur. Non abſonum hoc videri poteſt. Ponamus enim te ad negotiationem conferre rem, quæ in uſum impenditur ita, ut finita negotiatione nihil ejus amplius ſuperſit; pretium ejus reputabitur pro damno eadem ratione inter ſocios dividendo, qua dividuntur lucrum & alia ſocietati communia. Summa collatorum communis eſt, quæ nempe eo animo conferuntur, ut ſint communia. In ea quilibet habet partem, quæ definitur per rationem collati ſui ad integram ſummam (§. 131. *Arithm.*). Quodſi ergo ſummæ aliquid decedit, pars ex reſiduo unicuique competens utique definienda per eandem rationem collati ſui ad integram collatorum ſummam. Recte igitur jam *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 12. §. 24. hos duos caſus a ſe invicem diſtinxit, quorum uno opera confertur cum ſolo pecuniæ uſu, altero autem cum ipſo ejus dominio. Videri equidem poterat operarum collatori eam tribuere partem, quam habet pretium operæ ad collatam pecuniam, ita ut in exemplo dato operam conferenti competerent 1000 thaleri: quoniam tamen pretium operarum æquiparandum pecuniæ actu collatæ, adeoque pecuniæ ab altero collatæ adjiciendum, ſumma pecuniæ collatæ, adeoque ſors conſtare

debet

debet ex pretio operarum & pecunia collata actu ab altero, ita ut in exemplo dato ea ſit 13000. thalerorum. Et ſic ſortis pars decima tertia competit operarum collatori. Quoniam vero pretium operarum quaſi perit, ita ut in exemplo noſtro finita ſocietate ſors ſuperſit, ſiquidem ſalva fuerit omnis pecunia actu collata, quemadmodum hic ſupponitur, ſors tertia decima ſui parte diminuatur, conſequenter cum reſiduum ſortis ſit pecunia ab uno actu collata, nec pars ejus niſi decima tertia alteri, qui operam impendit, competere poteſt. Videbimus deinceps, commune dividundum non dividendum eſſe in ratione collatorum, ſed in ratione collatorum partialium ad omnium ſummam, quemadmodum etiam habet regula ſocietatis in Arithmetica practica: nulla itaque ratio eſt, cur ſortis communis diviſio alia ratione fieri debeat. Si alter contuliſſet 12000. alter nonniſi 1000. ut ſors eſſet 13000. ejus autem, ſi negotiatio fuiſſet damnoſa, nonniſi 12000. ſupereſſent, horum nonniſi decimam tertiam partem acciperet; qui dederat 1000. Idem adeo obtinere debet, ſi pretium operarum, quod valet 1000. ſpectetur tanquam pecuniæ ab altero collatæ, quæ eſt 12000. adjectum.

§. 1337.

Cuinam ſors pereat, operis cum uſu pecuniæ collatis.

Si operæ conferantur cum uſu pecuniæ, ſors perit & ſalva eſt ei, qui pecuniam contulit. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis, qui operam impendit, non fit particeps ſortis (§. 1336.), adeoque ejus dominus ſolus manet, qui pecuniæ uſum contulit. Quoniam itaque res ſuo perit domino (§. 356. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter ſi ſalva eſt, nihil ejus eidem perit; quando operæ cum uſu pecuniæ conferuntur, ſors perit ac ſalva eſt ei, qui pecuniam contulit.

Quæ de ſorte integra demonſtrata fuerunt, ea etiam tenenda ſunt de parte: eadem enim ratio, cur pars pereat pecuniam conferenti, quæ obtinet, quando perit tota. Perdit vero tum ſocius alter operam ſuam.

§. 1338.

De æqualitate in ſocietate obſervanda.

In ſocietate is animus videtur eſſe contrahentibus, ut inter eos ſervetur æqualitas, niſi expreſſe contrarium dicatur. Nemo enim tenetur alteri gratis dare, vel facere, ſi is viciſſim dare vel facere poſſit (§. 268.), conſequenter nemo præſumitur alteri quid gratis dare vel facere velle, quando alter viciſſim dare, vel facere poteſt, niſi is ſufficienter hoc indicaverit (§. 382. *p.* 3. *Jur. nat.*), aut rationes adſint, unde hoc colligi poſſit. Quamobrem quoniam in ſocietate operæ ac pecunia ſive res conferuntur communis lucri faciendi gratia (§. 1318.); nullus quoque ſociorum præſumitur ex eo, quod ſocietatem cum altero contrahat, alteri quicquam gratis dare vel facere velle. Enimvero qui alteri nil gratis dare vel facere vult, ab eodem tantundem recipiat neceſſe eſt, quantum dat, vel facit (§. 270.), conſequenter æqualitatem obſervari vult (§. 898.). Quamobrem in ſocietate is animus videtur contrahentibus, ut inter eos ſervetur æqualitas. *Quod erat unum.*

Quodſi expreſſe contrarium dicatur, per ſe patet, contrahentes ab æqualitate recedere velle. *Quod erat alterum.*

§. 1339.

De æqualitate in ferendo obſervanda.

Quoniam in ſocietate contrahenda is animus eſt contrahentibus, ut inter eos ſervetur æqualitas, niſi expreſſe contrarium dicatur (§. 1338.), adeoque unus ab altero tantundem accipere vult, quantum ipſe dat vel facit (§. 898.), in ſocietatem autem operæ ac pecunia vel res in commune conferuntur (§ 1318.); *inter collata ſociorum æqualitas ſpectanda*, conſequenter *ſi quis duplum triplum, quadruplum, ac ita porro, confert, is duplicis, triplicis, quadruplicis, ac ita porro ſocii perſonam repræſentat.*

§. 1340.

§. 1340.

De æqualitate in lucro & damno dividendo obſervanda.

Similiter cum lucrum & damnum inter ſe communicent ſocii (§. 1318.), in ſocietate autem is animus videtur eſſe contrahentibus, ut inter eos ſervetur æqualitas, niſi expreſſe contrarium dicatur (§. 1338.); *in communi lucro etiam & damno inter ſe dividendo æqualitas obſervari debet.*

Nimirum qui ſocietatem contrahunt ſpem lucrandi habent, lucri quippe communis faciendi gratia ſocietatem contrahentes (§. 1318.), conjunctam tamen cum periculo, ſeu metu damni, quod contingere poteſt. Lucrum accedit tanquam fructus ad id; quod eius faciendi gratia confertur, adeoque æqualiter ad collata æqualia pertinet. Damnum detrahit collatis, adeoque æqualibus æqualiter detrahere debet.

§. 1341.

Lucrum & damnum quomodo in ſocietate dividendum.

In ſocietate lucrum & damnum inter ſocios in ratione collatorum dividendum. Etenim in ſocietate res ac operæ in commune conferuntur (§. 1318.), cumque inter collata ſpectanda ſit æqualitas, ita ut qui duplum confert duplicem, qui triplum triplicem perſonam repræſentet, ac ita porro (§. 1339.); ſinguli in eo, quod in commune confertur, dominium habent in ratione collatorum, adeoque in communione poſitiva ſunt (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*). Enimvero qui in communione poſitiva ſunt, lucrum & damnum pro rata participant (§. 135. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque utrumque inter ipſos pro rata dividendum. Quamobrem in ſocietate lucrum & damnum inter ſocios in ratione collatorum dividendum.

Facile patet, niſi attentionem tuam deſiderari patiaris, in definienda rata unius cujuslibet ſocii, ſeu ratione, in qua communia dividenda, præciſe ſpectandum eſſe, quod unuſquiſque eorum contulit, ſive id, quod contulit, ſint res aut pecunia, ſive uſus rei aut pecuniæ, ſive operæ: minime autem ſufficere, ut tantummodo habeatur ratio pecuniæ collatæ aut rerum æſtimato collatarum, uſus nimirum pecuniæ ac operæ non minus æſtimabile quid eſt, quam uſus rei, & pretium æquiparatur pecuniæ (§. 311.).

§. 1342.

Quando ſocii æqualiter participent lucrum & damnum.

Quoniam in ſocietate lucrum ac damnum inter ſocios dividendum in ratione collatorum (§. 1341.); *ſi collata ſingulorum ſociorum fuerint æqualia, æquales etiam ſunt ipſorum in damno & lucro partes*, conſequenter *ſi ſinguli ſocii pecunias & operas æquales conferunt*, aut *operæ tantummodo æquales conferuntur, vel pecuniæ æquales*, cum vel nullæ requiruntur operæ, vel adeo exiguæ, ut attendi non mereantur, vel etiam contrahentes earum rationem haberi nolint, *partes in lucro & damno æquales ſunt.*

Ex. gr. Si duo mercatores ſocietatem contrahunt & æquales pecunias ac operas conferunt; damnum ac lucrum æqualiter inter ipſos dividendum. Quoniam Imperator §. 1. Inſt. de Societ. dicit, ſi nihil de partibus lucri & damni nominatim convenerit, æquales partes & in lucro, & in damno ſpectari; quidam hinc inferunt, hoc indiſtincte obſervandum eſſe, nulla habita ratione eorum, quæ collata ſunt, ſive inæquales partes contribuerint, ſive æquales, hanc potiſſimam rationem reddentes, quod *Ulpianus* l. 63. ff. pro Soc. in princ. affirmet, ſocietatem jus quodammodo fraternitatis in ſe habere. Enimvero rectius jam monuit *Grotius* de J. B. & P. l. 2. c. 12. §. 24. id tum demum pro vero habendum, ſi quæ conferuntur ſint æqualia. Nulla enim ratio eſt, quæ a jure fraternitatis petitur. Nimirum ſi ſumitur fratrum æquale eſſe jus, quando poſt mortem parentum eorum bona inter ipſos dividenda; in ſocietate jus ſociorum non ante comparari poteſt cum jure fraternitatis, quam ubi conſtiterit, eorum æquales eſſe debere partes. Immo ſi animo recolas, quæ paulo ante demonſtravimus, quod pro ratione collatorum aliquis ſuſtinere poſſit duplicem, triplicem & ita porro perſonam in ſocietate; tum demum cenſentur æquali jure uti ſocii, quemadmodum fratres, quando commune pro rata inter ipſos dividitur, quemadmodum ipſa æqualitatis in diviſione obſervandæ (§ 1340.) notio inſinuat (§. 898.) atque etiam agnoverunt quidam Juris Romani interpretes.

§. 1343.

§. 1343.

Quando inæqualitas in ſocietate admittenda.

Si in contractu ſocietatis partes lucri ac damni fuerint expreſſæ; eæ ſervandæ ſunt. Etenim ſi in contractu ſocietatis partes lucri ac damni fuerint expreſſæ; evidens eſt, contrahentes ab æqualitate recedere voluiſſe, quacunque demum de cauſa id factum fuerit. Quamobrem etſi lucrum & damnum dividendum ſit in ratione collatorum (§. 1341.); quoniam tamen quilibet etiam naturaliter jus ſuum remittere poteſt (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque ab æqualitate recedere licet, ſi ita viſum fuerit contrahentibus, pacta vero ſervanda ſunt (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); dubium nullum ſupereſt, quin eæ ſervandæ ſint partes lucri ac damni, quæ in contractu fuerunt expreſſæ.

Ex. gr. Si quis duplum conferat pecuniæ, velit tamen, ut lucrum ac damnum æqualiter dividatur; in diviſione non ſpectatur, quid unusquiſque contulerit, quamvis ad hoc reſpiciendum ſit, utrum tantummodo uſus pecuniæ, an vero dominium ipſum in commune fuerit collatum, ut ſcilicet conſtet, utrum etiam pecunia finita ſocietate ſit in partes æquales dividenda, an vero unicuique ea, quam contulit, reſtituenda, &, ſi damnum in ſorte contingat, cujuſnam eſſe debeat periculum. Similiter ſi ita conveniatur, ut ad unum pertineant duæ partes lucri & damni, ad alterum tertia, quamvis æqualia ſint utrinque collata; valida tamen conventio eſt. Neque vero exiſtimandum eſt, iſtiuſmodi conventiones, quæ ab æqualitate recedunt, ſemper in ſe iniquas eſſe. Variæ enim eſſe poſſunt rationes, ob quas quis malit, ſublata æqualitate, ſocietatem contrahere, quam ab ea contrahenda abſtinere, veluti ſi quis non obſtante iſta inæqualitate plus lucri ſperare poteſt, aut minus periculi ſubit, quam ſi ſolus rem ſuam adminiſtrare deberet, aut alio modo ſibi melius conſulit ſocietatem contrahendo, quam ab ea abſtinendo. Haſce rationes perpendere debet qui ſocietatem contrahit, ne deſit ſive in promittendo, ſive in acceptando officio cuidam erga ſe, vel alios (§. 394. 391. *p.* 3. *Jur. nat.*), minime autem is, cumquo contrahitur (§. 422. 423. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque in ipſo contractu non attenduntur, ex quo unusquiſque tantundem juris acquirit ab altero, quantum is in eum transferre voluit, & alterum ſibi obligat, in quantum eidem ſe obligare voluit (§. 382. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 1344.

De ratione determinanda, in qua lucrum dividendum, ſi operæ cum uſu pecuniæ conferantur.

Si operæ cum uſu pecuniæ conferuntur, ratio, in qua commune lucrum dividendum, definienda ex eo, quod valet uſus pecuniæ & periculum amittendæ ſortis, & ex eo, quod valent operæ & periculum eas perdendi. Etenim ſi operæ cum uſu pecuniæ conferuntur, cum ſors pereat conferenti (§. 1337.), qui uſum pecuniæ confert, in ſe quoque periculum amittendi ſortem ſuſcipit. Quamobrem cum pecunia res omnes etiam incorporales æſtimentur (§. 290.), periculum quoque amittendæ ſortis perinde ac uſus pecuniæ (§. 311.), aliquid æſtimabile eſt. Qui itaque uſum pecuniæ confert, tantum contuliſſe cenſendus eſt, quantum valet pecuniæ uſus & periculum amittendæ ſortis. Porro qui operas confert, in ſe ſuſcipit periculum eas perdendi, ſi negotiationem, cujus cauſa ſocietas contracta, damnoſam eſſe contingat. Quamobrem cum etiam hoc periculum ſit aliquid æſtimabile *per demonſtrata*, & operæ quoque pecunia æſtimentur (§. 290.); qui operas confert, tantundem contuliſſe intelligitur, quantum valent operæ ac periculum eas perdendi. Quoniam itaque lucrum dividendum in ratione collatorum (§. 1341.); ſi operæ cum uſu pecuniæ conferuntur, ratio, in qua illud dividendum, utique definienda ex eo, quod valet uſus pecuniæ & periculum amittendæ ſortis, & ex eo, quod valent operæ ac periculum eas perdendi.

Nemo miretur, nos ad collata referre etiam periculi tam amittendi ſortem, quam perdendi operarum valorem. Videbimus enim ſuo loco, poſſe etiam fieri contractum avertendi periculi, ut in partem lucri admittatur, qui periculum illud in ſe ſuſcipit. Quidni igitur quoque ſocius partem aliquam in lucro habere debet ideo, quod periculum illud ipſe in ſe ſuſcipit? Non diffiteor, haud facile valorem periculi determinari, cum hoc pendeat a calculo probabilium non-

nondum ſatis exculto; ſed de eo jam quæſtio non eſt, quomodo valor iſte ſit determinandus. Determinatio enim hæc ad Matheſin ad Jus applicatam pertinet. Quemadmodum itaque hic ſaltem oſtendimus, lucrum & damnum commune in ratione collatorum eſſe dividendum, & ex Matheſi ſupponitur, quomodo totum aliquod in ratione data dividatur, quo pertinet regula Arithmeticorum, vulgo regula Societatis dicta; ita ſimiliter hic tantummodo demonſtratur, quod in definienda ratione collatorum in hypotheſi propoſitionis præſentis æſtimandum etiam ſit periculum, quod ſocii in ſe ſuſcipiunt, ſed quomodo determinandus ſit valor periculi, ad Matheſin refertur.

§. 1345.

Idem porro expenditur.

Quoniam *ſi operæ cum uſu pecuniæ conferuntur*, ratio, in qua commune lucrum dividendum, definienda ex eo, quod valet uſus pecuniæ & periculum amittendæ ſortis, & ex eo, quod valent operæ & periculum eas perdendi; *Si periculum non attenditur, ratio, in qua lucrum commune dividendum, definienda ex eo, quod valet uſus pecuniæ & ex eo, quod valent operæ.*

Non omnis negotiatio periculoſa eſt, ut adeo haud raro periculum amittendæ ſortis & periculum perdendi operas pro nullo reputandum ſit. In iſtiuſmodi adeo caſu nimiæ ſubtilitatis foret periculi habere rationem in contrahendo, ut exacta obſerveiur inter contrahentes æqualitas, qualem requirit Geometriæ rigor. Sed demus exemplum, ut hactenus demonſtrata facilius intelligantur. Ponamus me conferre 12000. thalerorum, tu vero operas ad negotiationem aliquam requiſitas. Ponamus porro pro uſu annuo 12000. thalerorum dari 600. pro operis annuis, quales tu præſtas, 200. erit ratio, quam habet uſus pecuniæ ad operas ut 3. ad 1. adeoque in lucro communi ego habeo partes tres; tu unam, ita ut eorum lucrum dividendum ſit in partes quatuor. Perinde nimirum eſt ac ſi ego contuliſſem 9000. tu vero 3000. thalerorum, operis nullis præſtitis, quoad uſum, & quilibet in ſe ſuſcepiſſet periculum ſortis ſuæ. Etenim tum uſus pecuniæ meæ annuus valeret 450. uſus tuæ 150. adeoque ratio collati mei ad tuum foret ut 3 ad 1. quemadmodum ante.

§. 1346.

De diviſione communium, ſi operæ ac pecuniæ inæquales conferantur.

Si operæ ac pecuniæ inæquales conferantur, ratio, in qua lucrum & damnum commune dividendum, definienda eſt ex quantitate pecuniarum collatarum & valore operarum. Etenim ſi quis præter pecunias confert etiam operas, cum operæ etiam pecunia æſtimentur (§. 290.), præter pecuniam, quam reipſa contulit, tantundem adhuc contuliſſe cenſetur, quantum valent operæ ipſius. Quamobrem ſi operæ ac pecuniæ inæquales conferuntur, quantum quiſque contulerit, æſtimatur ex pecuniæ, quam contulit, quantitate ac operarum valore. Quoniam itaque lucrum ac damnum commune dividendum in ratione collatorum (§. 1341.); ſi operæ ac pecuniæ inæquales conferuntur, ratio, in qua lucrum ac damnum commune dividendum, definienda eſt ex quantitate pecuniarum collatarum & valore operarum.

Ex. gr. Ponamus me conferre 12000. thalerorum, te vero 8000. operas meas in totam negotiationem impenſas valere 600. tuas 800. Quod a me collatum, æſtimatur 12600. quod vero a te collatum 8800. adeoque ratio, in qua commune dividundum eſt ut 63. ad 44. Ne quis forſan exiſtimet, partes lucri eſſe debere in ratione compoſita pecuniarum collatarum & operarum præſtitarum, conſequenter pecuniam a quolibet collatam multiplicandam eſſe per valorem operarum ab ipſo præſtitarum (§. 159. *Arithmet.*); oſtendendum omnino eſt, valorem operarum pecuniæ collatæ eſſe addendum. Ponamus enim duos alios conferre operas & nos pecunias, illi accipient operis, nos pecuniis partem proportionalem. Eaſdem igitur partes lucri nos præterea accipere debemus, quas illi accipiunt, ſi ipſi operas conferimus. Ita in exemplo dato, ſi alii conferrent operas, quæ valent 600. & 800. acciperent lucri l partes $\frac{6l}{214}$ & $\frac{8l}{214}$, ego autem acciperem $\frac{120l}{214}$, tu $\frac{80l}{214}$, conſequenter ſi ipſimet operas illas conferimus, ego accipere debeo $\frac{126l}{214}$, tu vero $\frac{88l}{214}$. Enimvero ſi collatum meum ſit 12600. tuum 8800. pecuniis nempe operarum valore adjecto; mihi itidem pro rata veniunt $\frac{126l}{214}$, tibi vero $\frac{88l}{214}$.

§. 1347.

Quodſi operæ ſint æquales, pecuniæ inæquales & contra.

Si operæ quidem ſint æquales, ſed pecuniæ collatæ inæquales, aut æquales quidem conferantur pecuniæ, operæ tamen inæquales; eodem, quo ante modo definienda eſt ratio, in qua commune dividendum. Demonſtratio eadem, quæ propoſitionis præcedentis.

Non eſt, quod exiſtimes, ſi operæ ſint æquales, lucrum eſſe dividendum in ratione collatarum pecuniarum, & contra ſi æquales pecuniæ conferantur, in ratione operarum præſtitarum. Id enim valeret, ſi partes in lucro communi eſſent in ratione compoſita operarum & pecuniarum collatarum, minime autem, ſi valor operæ addendus pecuniæ collatæ, ut prodeat totum, quod quis contuliſſe intelligitur, quemadmodum hic obtinet (*not.* §. 1346.). Ex. gr. Ponamus me contuliſſe 12000 te 8000. operas utriuſque valere 600. Collatum adeo a me quod eſt æſtimatur 12600. quod vero a te collatum eſt 8600. Ex lucro communi *l* ego accipio $\frac{126l}{212}$, tu accipis $\frac{86l}{212}$. Quodſi non computarentur operæ ob æqualitatem, ego acciperem $\frac{12l}{20}$, tu acciperes $\frac{8l}{20}$. Reducantur hæ fractiones ad communem denominationem, confeſtim apparebit; nec me, nec te in caſu poſteriori idem accipere, quod in priori, te autem in poſteriori minus, quam in priori. Etenim pars lucri mihi erit in caſu priori $\frac{315}{505}$ in poſteriori $\frac{303}{505}$ tibi erit in caſu priori $\frac{215}{505}$ in poſteriori $\frac{202}{505}$. Qui principiis mathematicis ſunt imbuti, rationem facile capiunt diverſitatis. Variatur enim ratio, ſi antecedenti & conſequenti addatur idem, vel æquale, aut etiam ſi inæqualia, quæ adduntur, non habeant eandem rationem, quam quantitates, quibus adduntur.

§. 1348.

De opportunitate nanciſcendi ſocium in æſtimandis operis ac uſu pecuniæ attendenda.

In æſtimando valore operarum ac uſus pecuniæ reſpiciendum quoque eſt ad opportunitatem nanciſcendi ſocium, qui haſce operas, vel huncce pecuniæ uſum confert. Societas enim initur communis lucri faciendi gratia (§. 1318.). Quodſi ergo lucrum facere non liceat ſine pecuniæ uſu aut operis, accidere utique poteſt, ut pecuniam conferenti non facile ſit reperire ſocium, qui eaſdem operas conferat, & viciſſim contingere poteſt, ut operas conferenti non adeo facile ſit invenire ſocium, qui eundem pecuniæ uſum conferat. Quamobrem cum interſit ſocio uni habere alterum ſibi ſocium (§ 622. *part.* 3. *Jur. nat.*); in æſtimando eo, quod uni ab altero confertur, conſiderandum utique eſt, num facile ſibi ſocium habere poſſit, qui idem conferat. In æſtimando itaque valore operarum ac uſus pecuniæ reſpiciendum etiam eſt ad opportunitatem nanciſcendi ſocium, qui haſce operas, vel huncce uſum pecuniæ confert.

Non modo difficile haud raro eſt reperire ſocium, qui operas conferre velit ſolus; verum etiam operæ unius utiliores eſſe poſſunt operis alterius. Quis ergo in dubium vocare auſit opportunitatem nanciſcendi ſocium, qualis maxime deſideratur, & ſine quo pecuniæ uſus vel nullus, vel ſaltem ordinarius eſt, eſſe aliquid æſtimabile, quod valorem operarum auget? Similiter ſi quis difficulter reperire poſſit ſocium, qui uſum pecuniæ conferat ſolas operas præſtanti, aut prorſus reperire nequeat alium, aut, ſi reperire non poſſit ſimilem, qui nempe tantæ ſummæ uſum conferat; ecquis negare auſit opportunitatem, ſocium iſtiuſmodi nanciſcendi eſſe aliquid æſtimabile, quod auget valorem uſus pecuniæ? Hæc autem opportunitas non modo æſtimanda eſt ex circumſtantiis particularibus, verum etiam ex eo, quod intereſt ſocii hanc opportunitatem ipſi eſſe oblatam. Sed hæc conſideratio pertinet ad animum deliberatum (§. 387. *p.* 3. *Jur. nat.*), ſine quo nil faciendum (§. 390. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque nec ſocietas contrahenda. Et ſtandum hic eſt judicio contrahentium (§. 422. 423. 11. *part.* 3. *Jur. natur.*).

§. 1349.

§. 1349.

Quoniam in æſtimando valore operarum ac uſus pecuniæ reſpiciendum quoque eſt ad opportunitatem nanciſcendi ſocium, qui haſce operas, vel huncce pecuniæ uſum confert (§. 1348.); in ſe non repugnat, ut iſta opportunitas valorem operarum efficiat valori uſus pecuniæ æqualem, vel etiam eodem majorem, ſeu ut propter opportunitatem tantundem vel plus valeant operæ, quam uſus pecuniæ, conſequenter *ſocietas ob opportunitatem nanciſcendi ſocium ita contrahi poteſt, ſi operæ cum uſu pecuniæ conferantur, ut partes lucri ſint æquales, vel etiam plus lucri accipiat, qui operas, quam qui pecuniæ uſum confert.* *Quando operæ tantundem vel plus valeant, quam uſus pecuniæ.*

☞ Noſtrum jam non eſt ſingula minutim ac ſcrupuloſe ſcrutari, quæ hic conſiderari debebant, ſiquidem ab æqualitate ne latum quidem unguem ſit recedendum. Neque enim in negotiis humanis, ubi unuſquiſque rerum ſuarum arbiter eſt, convenit iſtiuſmodi ſcrupuloſitas: ſufficit ea geri fideliter ac ſine dolo.

§. 1350.

Si in contractu ſocietatis partes lucri fuerint expreſſæ, de damno autem nihil dictum; partes conventæ etiam ad damnum pertinent & contra. Societas enim ita contrahitur, ut damnum ac lucrum commune ſit, niſi expreſſe aliud dicatur (§. 1318.), & ſi partes lucri ac damni fuerint expreſſæ, eæ ſervandæ (§. 1343.). Quodſi ergo partes lucri fuerint expreſſæ, de damno autem nihil dictum, cum adverſus contrahentem non habeatur pro vero, niſi quod ſufficienter indicatum (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*); neutri contrahentium ſoli id attribui poteſt, ſed quemadmodum lucrum commune manere debet. Quamobrem dum contrahentes lucri partes expreſſerunt; in eaſdem quoque damni partes tacite conſenſiſſe intelliguntur. Quodſi ergo in contractu ſocietatis partes lucri fuerint expreſſæ, de damno autem nihil dictum; partes conventæ etiam ad damnum pertinent. *Quod erat unum.* *De partibus in lucro expreſſis ſine mentione damni & contra.*

Eodem modo patet, partes conventas etiam ad lucrum pertinere, ſiquidem partes damni in contractu fuerint expreſſæ, de lucro autem nihil dictum. *Quod erat alterum.*

Par ſociorum eſſe debet conditio; niſi adſint rationes peculiares, ob quas unus vult conditionem ſuam eſſe meliorem, vel duriorem. Quantum adeo unuſquiſque expectat lucrum, tantum etiam periculum damni ipſi ſubeundum: Recte igitur ex partibus lucri expreſſis ſtatuitur de partibus damni & contra.

§. 1351.

Lucrum non intelligitur, niſi deductis impenſis. Impenſæ enim ſumtus ſunt, quos in rem impendimus lucri faciendi gratia (§. 603. *part.* 2. *Jur. nat.* & §. 1318. *h.*). Quod adeo impendimus, jam habemus, non vero demum bonis noſtris ſuperaccedit, iiſdem non deminutis. Quamobrem cum lucrum non ſit, quod iiſdem non ſuperaccedit non deminutis (§. 613. *part.* 3. *Jur. nat.*); impenſæ in lucro non ſunt, conſequenter lucrum non intelligitur, niſi deductis impenſis. *De lucro computando.*

Poteramus hoc ſumere tanquam notionem communem: nemo enim eſt qui lucrum computaturus non deducat impenſas. Ex. gr. Qui prædium conducit, finito contractu lucrum computaturus ex fructibus perceptis deducit penſionem, impenſas in uſum prædii factas, immo & mercedem operarum. Quod relinquitur, id demum pro lucro computatur. Pertinet huc exemplum mercatoris, quod alias dedimus (*not* §. 613. *part.* 3. *Juris nat.*).

§. 1352.

Quænam porro hic obſervanda. Quoniam pecunia collata in negotiationem impenditur, cujus gratia ſocietas initur (§. 1318.), lucrum vero non intelligitur niſi deductis impenſis (§. 1351.); *pecunia* quoque *niſi deducta, quæ collata fuerat, lucrum intelligitur.*

Quodſi dicas, quando cum pecuniæ dominio conferuntur operæ, has conferentem partem quandam in ipſa ſorte habere (§. 1336.); tenendum eſt, hoc in caſu perinde eſſe, ac ſi is hanc partem contuliſſet in negotiationem impendendam. Ex. grat. Si collata fuerit pecuniæ ſumma, quæ eſt 12000. thalerorum; ea ante deducenda eſt, ut conſtare poſſit, quidnam ſit in lucro. Sors enim in lucro non eſt.

§. 1353.

Quando lucrum ſit nullum, quando ad ſit damnum. Quoniam lucrum non intelligitur, niſi deductis impenſis (§. 1351.), *ſi impenſis deductis nihil relinquatur, lucrum nullum eſt, &, ſi nequidem pecunia collata ſuperſit, vel impenſæ ſuperant pecuniam collatam, quod deficit damnum eſt* (§. 486. *part.* 2. *Jur. nat.*).

Ex. gr. Contuliſtis ſocietate contracta 12000. thaleros, ut frumentum coemeretur, quod cum viliori pretio eſſet iterum vendendum, reſidui non fuerunt niſi 8000. thaleri. Jactura 4000. thalerorum damnum eſt (§. *cit.*). Quodſi frumenti carius venditi pretium ſit 16000. thalerorum, ſed quia emtori uni de pretio 4000. thalerorum fides habita, hic vero eam fefellit, nonniſi 12000. thaleri ſuperſunt; lucrum nullum eſt. Nimirum hoc in caſu perinde eſt ac ſi eodem pretio frumentum ſit venditum, quo erat emtum.

§. 1354.

De damno in computando lucro attendendo. *Lucrum non intelligitur, niſi deductis damnis.* Etenim damnum conſiſtit in jactura ſui (§. 486. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque ejus, quod noſtrum jam fuerat, vel noſtrum fieri debebat. Quamobrem quando patimur damnum, id quod habueramus, vel habere debebamus, bonis noſtris decedit. Enimvero quod bonis noſtris decedit, lucrum non eſt (§. 613. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum damnum non ſit in lucro, lucrum quoque non intelligitur, niſi deductis damnis.

Exemplo eſſe poteſt illud, quod modo dedimus (*not.* §. 1353. *in fine.*).

§. 1355.

Quando lucrum nullum ſit. Quoniam lucrum non intelligitur, niſi damnis deductis (§. 1354.); *ſi præter pecuniam collatam ſive ſortem damnis deductis nihil relinquatur, lucrum nullum eſt.*

Patet id in exemplo, ad quod provocavimus (*not.* §. 1354.).

§. 1356.

Lucrum, in quo conſiſtat, finita ſocietate. *Lucrum finita ſocietate conſiſtit in pecunia præſente, ſeu rebus vendibilibus, & in debitis exigibilibus.* Etenim quod in lucro eſt, id ſuperaccedere debet bonis noſtris iiſdem non deminutis (§. 613. *part.* 3. *Jur. natur.*), adeoque conſiſtere debet in eo, quod jam plus habemus, quam antea habebamus, vel quod plus habere poſſumus. Quamobrem cum finita ſocietate non plus habeamus, quam antea habueramus, niſi pecuniam præſentem aut res vendibiles habeamus, nec plus habere poſſimus, quam ante ſocietatem contractam habebamus, niſi debita ſint exigibilia, quod per ſe patet; lucrum quo-

que

que finita ſocietate conſiſtit in pecunia præſente, ſeu rebus vendibilibus, & in debitis exigibilibus.

Ex. grat. Si finita ſocietate prædii conducti; deductis deducendis ſuperſint bis mille thaleri, certa frumenti quantitas, & debita exigibilia 600. thalerorum; hæc omnia ſimul ſumta lucrum conſtituunt.

§. 1357.

De expenſis extra negotiationem a ſociis factis.

Expenſæ a ſociis extra negotiationem de communi factæ, cujus gratia contracta ſocietas eſt, in computando lucro pro non factis habentur, ſed in dividendo communi accipiendis imputantur. Quæ enim extra negotiationem, cujus gratia contracta ſocietas eſt, expenduntur a ſociis de communi; ea ad ſocietatem non pertinent, ſed ex communi accepta ſunt. Quamobrem in computando lucro, quod ex negotiatione provenit, perinde eſt, ac ſi adhuc adeſſent, conſequenter ac ſi expenſæ iſtæ de communi factæ non fuiſſent. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen de communi ſumtæ ſunt *per hypoth.* de communi dividendo is, qui expenſas fecit, revera jam tantundem accepit. Quamobrem quando finita ſocietate commune dividitur, eædem accipiendis imputantur. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Ponamus me durante ſocietate de communi expendiſſe in proprios uſus mille, te octingentos thaleros. Quando itaque finita ſocietate commune dividitur, ab ea, quam ego habere debeo, parte deducuntur mille; ab iſta vero, quam tu habere debes, octingenti thaleri.

§. 1358.

De reſtitutione expenſarum de communi factarum in proprios uſus.

Quoniam expenſæ a ſociis durante ſocietate in proprios uſus de communi factæ in dividendo communi accipiendis imputantur (§. 1357.); *ſi finita ſocietate unus ſociorum de communi plus expendit in proprios uſus, quam facta communium diviſione habere debet, id ſocio alteri reſtituere tenetur.*

Nimirum cum expenſæ in proprios uſus de communi a ſociis factæ pro non factis habendæ in computando lucro (§. 1357.); ſociorum quilibet, quod de communi accepit, finita ſocietate conferre debet, ut adjiciatur maſſæ communi dividendæ, conſequenter determinari poſſit, quantum unicuique debeatur finita ſocietate de communi. Ex. gr. Ponamus finita ſocietate præſentem eſſe ſummam 4000. thalerorum, qui in lucro ſunt. Ponamus ut ante (*not. §. 1357.*), te accepiſſe 800. me 1000. Erit lucrum integrum 5800. Ponamus hoc inter nos dividendum eſſe in ratione 3. ad 2. ita ut mihi debeantur lucri partes 3. tibi 2. Mihi igitur debentur 3480. tibi 2320. Quoniam vero ego jam accepi 1000. tu accepiſti 800. mei ſunt 2480. tui 1520. thaleri de præſente pecunia, ſeu 4000. thaleris. Ponamus vero lucrum totum facta collatione eſſe 5800. me accepiſſe 3000. & te totidem thaleros, ut adeo expenſæ excedant, quas durante ſocietate quilibet in proprios uſus convertit. Quoniam itaque tu tantummodo accipere debebas 2320. tu plus accepiſti, quam de communi habere debebas, adeoque 680. mihi reſtituere teneris; & hoc modo apparet, cur de communi accepta conferenda ſint, antequam diviſio fieri poſſit: neque enim aliter conſtare poteſt, quantum unicuique de communi debeatur, & num unus ſociorum alteri aliquid & quantum reſtituere teneatur. Ceterum computationem hic fieri juxta vulgarem regulam ſocietatis, vix eſt ut moneam.

§. 1359.

De conſenſu ſociorum ad expenſas de communi in proprios uſus faciendas.

In ſocietate nullus ſociorum expenſas de communi in proprios uſus facere poteſt ſine ceterorum conſenſu. Socii enim in communione poſitiva ſunt (§. 1318. *b.* & §. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero nullus actus dominii in communione poſitiva validus abſque conſenſu omnium, qui in eadem ſunt (§. 141. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum de communi aliquid expendere in proprios uſus ſit actus dominii (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*); in ſocietate quoque nullus ſociorum expenſas de communi in proprios uſus ſine ceterorum conſenſu facere poteſt.

Perinde

Perinde vero eſt; utrum de iſtis expenſis ſtatim conveniatur, quatenus permiſſæ eſſe debeant, quando ſocietas contrahitur, an vero eaſdem facturus conſenſum demum impetret, quando eas facere vult. An & quando conſenſus præſumtus ſufficere poſſit; in præſente non inquirimus.

§. 1360.

De lucro ſocii non communi. *Si quis ex alia negotiatione, quam quæ ad ſocietatem pertinet, aliqud lucratur; lucrum hoc ipſius eſt.* Etenim qui certæ negotiationis cauſa ſocietatem contrahunt, ſocii non ſunt, niſi quoad hanc negotiationem (§. 1331.), adeoque commune lucrum non eſt, niſi quod ex iſta negotiatione provenit. Quodſi ergo unus ſociorum ex alia negotiatione, quam quæ ad ſocietatem pertinet, aliquid lucratur; lucrum hoc commune non eſt, adeoque ejus ſolius, qui pro ſe negotiatus eſt.

Ex. gr. Ponamus me & te conduxiſſe prædium ſocietate contracta, me vero præterea ſolum conducere adhuc prædium aliud. Quod ex prædio a me ſolo conducto lucratus ſum; totum meum eſt: neque enim hæc conductio ad ſocietatem pertinet.

§. 1361.

De pluribus ſocietatibus eodem tempore contractis. *Si quis eodem tempore plures ſocietates contrahit, lucrum ex una perceptum non attenditur in ceteris.* Etenim ſi quis plures ſocietates eodem tempore contrahit, cum, quos in hac ſocietate habet ſocios, iidem cum ſociis in ceteris ſocietatibus non contraxerint, ſocietates quoque ceteræ ad hanc nullo modo pertinent (§. 1320.), conſequenter ejus reſpectu perinde eſt, ac ſi illæ contractæ non fuiſſent. Lucrum ergo, quod is acquirit, qui eodem tempore plures ſocietates contrahit, ex ceteris in ea, quam tecum iniit, non attenditur.

Quamvis adeo ſocietas tecum contracta ſit damnoſa, ceteræ autem ſint valde lucroſæ, ut damnum, quod in iſta patitur, qui plures ſocietates eodem tempore contraxit, abunde compenſetur; non tamen propterea majus ſentire cogitur damnum, quam pro rata. Sane ſi ceteræ ſocietates fuiſſent damnoſæ, ea vero quam tecum contraxit, fuiſſet lucroſa, ut lucrum ex hac perceptum abſorberetur a damno, quod ex ceteris obvenit, tuo propterea lucro nihil decederet.

§. 1362.

De eo, quod promiſſum ſine mora ad maſſam ſocietatis conferendo. *Quilibet ſociorum ad communem maſſam ſine mora conferre debet quod promiſit.* Quoniam enim promiſſor obligavit ſeſe ad faciendum promiſſario, quod promittit (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*), dum vero ſocietas contrahitur, ſocius promittit ſe hoc communis lucri faciendi cauſa collaturum (§. 1318.); quilibet ſociorum ſeſe obligat ad communem maſſam conferre, quod promittit, adeoque id conferre debet (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ſocietas perfecta ſit, quamprimum conſenſus mutuus declaratus (§. 1320.), adeoque obligatio, quæ ex contractu naſcitur, tum ſtatim incipiat; quilibet omnino ſociorum ad communem maſſam ſine mora conferre debet quod promiſit.

§. 1363.

Quando ſocius ob conferenda teneatur ad id, quod intereſt. *Si ſocietas damnum patitur, vel lucrum quoddam ejus ceſſat, propterea quod unus non ſine mora confert, quod promiſit; is eidem ad id, quod intereſt, tenetur.* Etenim ſi quis damnum patitur, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod tu in mora es; ad id quod intereſt teneris (§. 655. *part. 3. Jur. nat.*). Ergo etiam ſocietati ad id quod intereſt tenetur ſocius, ſi ad communem maſſam non ſine mora

mora confert, quod promiſit, ac propterea ſocietas damnum patitur, vel lucrum quoddam ejus ceſſat.

Computatur mora a termino a quo; qui in contractu vel expreſſus, vel ex ipſa negotiationis natura intelligitur. Ceterum cum damnum ac lucrum ſit commune (§. 1318.), ſuam quoque ratam in eo habet, quod intereſt, non ſine mora collatum fuiſſe, quod promiſſum, qui ad id præſtandum ſocietati obligatur. Unde ſi duas quintas in lucro ac damno communi habet, præſtabit ſaltem tres quintas: id quod etiam in aliis caſibus obſervandum, in quibus damnum reſarcire tenetur ſocius.

§. 1364.

Si ſocius damnum dolo vel culpa ſua dat quodcunque ſocietati; id reſarcire tenetur. Etenim quodcunque damnum alteri reſarcire tenetur, qui id dolo vel damno ſuo dedit (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo etiam ſocius reſarcire tenetur damnum, quod dolo vel culpa ſua dedit. *De damno in ſocietate reſarciendo.*

§. 1365.

Unusquiſque ſociorum conferre debet, quicquid ad lucrum commune augendum conferre poteſt. Etenim ſocietas initur communis lucri faciendi gratia (§. 1318.), adeoque unuſquiſque ad idem, quantum in ſe eſt, augendum obligatur. Quamobrem unuſquiſque conferre debet, quicquid ad lucrum commune augendum conferre poteſt. *De obligatione ſociorum ad commune lucrum augendum.*

Etſi nimirum pecuniam tantummodo conferat, ſive quoad uſum, ſive quoad dominium, & alter operas; hoc tamen non obſtante, ambabus, quod dicitur, manibus amplecti debet occaſionem ipſi oblatam, qua ad augendum commune lucrum quicquam conferre poteſt. Commune enim lucrum in ſocietate negotiatoria ſuprema lex eſt; id quod ſuo tempore clarius eluceſcet quando de ſocietate in genere acturi ſumus.

§. 1366.

Quoniam unuſquiſque ſociorum conferre debet, quicquid ad lucrum commune augendum conferre poteſt (§. 1365.), damnum vero dolo vel culpa ſua datum reſarcire tenetur (§. 1394.); *lucrum cum damno compenſare nequit ſocius.* *An lucrum cum damno in ſocietate compenſari poſſit.*

Una nimirum obligatio non tollit alteram, & quod uni ſatisfeciſti, tibi minime jus datur faciendi, quod alteri repugnat, cum utrique ſit ſatisfaciendum.

§. 1367.

Si ſocietate ad plures annos, ſeu ad dies vitæ contrahatur, & in fine cujuslibet anni lucrum dividitur; perinde eſt, ac ſi ſocietas in annum unum eſſet contracta, ſed certis vicibus, aut, quamdiu vixerint ſocii, quotannis renovanda. Etenim ſi lucrum anno elapſo dividendum, perinde eſt, ac ſi ſocietas in annum tantum contracta fuiſſet, cum quoad annum iſtum neuter ſociorum amplius ex contractu ad quidpiam obligetur. Quoniam tamen ſocietas continuatur per annum ſequentem, novus is cenſebitur contractus, nihil cum anteriori amplius commune habens, adeoque perinde eſt ac ſi ſocietas, quæ finita erat, renovata fuiſſet (§. 816. *part.* 3. *Jur. nat.*). Idem cum eodem modo intelligatur, ſi per plures ſequentes annos continuetur eodem modo ſocietas, vel etiam ad dies vitæ, ſi ſocietate ad plures annos contracta, ſeu ad dies vitæ, in fine ſingulorum annorum cujuslibet anni lucrum dividitur, perinde eſt, ac ſi ſocietas in annum unum eſſet contracta, ſed ut certis vicibus, aut quamdiu vixerint ſocii, renovanda quotannis ſit. *De lucro ſingulis annis dividendo.*

Non

Non eſt quod obiicias, ſi ſocietas ea lege contrahatur, ut lucrum commune in fine cujuslibet anni dividatur, cum etiam ad hoc pertineant debita exigibilia (§. 1356.), horum diviſionem parum commodam eſſe: neque enim opus eſt, ut hæc dividantur; cum communia manere poſſint, & quando exiguntur, accenſeri lucro illius anni. Continuata enim ſocietate perinde eſt, ac ſi ſtatim fuiſſent diviſa & deinceps pars unicuique competens a domino ſuo exacta.

§. 1368.

Quando commune lucrum in ſocietate bonorum dividenda.

In ſocietate bonorum quæ acquiruntur ſtatim, vel ſtatutis temporibus, veluti in fine ſingulorum menſium, aut quadrantis cujuslibet anni, dividenda, prouti viſum fuerit contrahentibus. Etenim in ſocietate bonorum ea omnia, quæ opera & negotiatione acquiruntur communia ſunt (§. 1330.), conſequenter quamprimum aliquid ab uno ſocio acquiritur, in ea dominium pro rata habet ſocius alter (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque id, quod acquiritur, non ulterioris lucri faciendi cauſa impendendum, pro lucro reputatur (§. 613. *part.* 3. *Jur. nat.*), cumque lucrum inter ſocios pro rata dividendum (§. 135. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 1343. *b.*); quæ in ſocietate bonorum acquiruntur, ſtatim dividenda ſunt. Quodſi vero moleſtum hoc videatur, ſtatuto tempore, veluti in fine ſingulorum menſium, aut cujuslibet anni quadrantis dividenda ſunt, prouti conventum fuerit.

Ex. gr. Ponamus duos Profeſſores, ſocietatem bonorum contrahere, ut ſcilicet communia ſint, quæ acquiſituri ſunt, veluti ſalaria, honoraria pro collegiis, ſeu lectionibus privatis & accidentia fructus ex bonis ſuis. Dubium non eſt, quin dimidium ſalarii ab uno accepti ſtatim ſit alterius, adeoque tradendum alteri. Et idem intelligitur de honorario a quolibet ſtudioſo accepto & de ſingulis accidentibus, quocunque tandem nomine veniant. Quodſi Profeſſores poſſideant etiam bona immobilia; qui ex ipſis fructus percipiuntur, erunt etiam communes, adeoque ſimiliter ſtatim dividendi. Neque enim fructus ex iis percepti ad collata referuntur, ad negotiationem impendenda, ut lucrum inde proveniat. Ceterum per ſe patet, poſſe etiam ita contrahi ſocietatem, ut tantummodo communia ſint, quæ ratione muneris profeſſorii acquiruntur, non habita ratione bonorum ceterorum, quæ ab iis poſſidentur.

§. 1369.

De acquiſitis in ſocietate omnium fortunarum.

In ſocietate omnium fortunarum quæcunque acquiruntur, & quocunque modo ſocio uni obveniunt communi maſſæ adjicienda. Etenim in ſocietate omnium fortunarum bona univerſa tam præſentia, quam futura in communionem deducuntur (§. 1330.), adeoque communis lucri faciendi gratia collata cenſentur (§. 1318.), conſequenter perinde eſt ac ſi futura de præſenti jam fuiſſent collata. Quamobrem patet in ſocietate omnium fortunarum quæcunque acquiruntur & quocunque modo ſocio uni obveniunt communi maſſæ adjicienda eſſe.

Ex. grat. Ponamus ſocio uni donari agrum, erit is communis. Non tamen ſtatim dividitur, cum neuter ſociorum durante ſocietate quid habere poſſit, quod non ſit commune. Adjiciendus itaque eſt ager communi bonorum maſſæ, & fructus inde percepti communicantur, ad maſſam communem itidem adjiciendi. Similiter ſi uni ſociorum legentur duo millia aureorum; eodem modo patet, ea communi maſſæ adjicienda, & quæ pecunia communi lucrari contingit, ea itidem communicari & ad communem maſſam referenda eſſe. Pertinent huc ſimiliter ſalaria, & accidentia, quæ ratione muneris, quo funguntur ſocii, accipiuntur.

§. 1370.

De impendiis in ſocietate omnium bonorum.

In ſocietate omnium fortunarum de communi maſſa debentur impendia, quæ officiorum erga ſe & alios ratio exigit. Quoniam enim in ſocietate omnium fortunarum bona univerſa tam præſentia, quam futura in communionem deducuntur (§. 1330.); ſocius nil habet, quod non ſit commune, conſequenter impendia, quæ officiorum erga ſe & alios ratio exigit, aliunde facere nequit, quam de maſſa communi. Quamobrem qui ſocietatem omnium fortunarum contrahunt,

hunt, in hoc conſentire debent, ut iſta impendia de communi fiant, non attenta impendiorum æqualitate, quemadmodum nec attenditur bonorum ad communem maſſam vel initio collatorum, vel poſthac accedentium æqualitas. Quoniam itaque pacta ſunt ſervanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); in ſocietate omnium fortunarum de communi maſſa debentur impendia, quæ officiorum erga ſe & alios, præſertim ſuos, ratio exigit.

Ex. gr. Ponamus te habere filium, qui ſtudiis operam navat. Sumtus ſtudiorum de communi maſſa ſumendi, etſi ſocius alter nullo habeat liberos. Similiter ſi filiæ in dotem quid dandum, dos ſocietati imputatur. Neque iſtiuſmodi impendia, quando in fine ſocietatis commune dividendum, conferenda, cum vi contractus de communi fuerint debita. Equidem non deſunt inter interpretes Juris civilis, qui contrariam ſententiam defendunt; ea tamen non ſatis convenit naturæ contractus, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præſentis apparet. In ſocietate omnium bonorum incertæ ſpei ſeſe committunt ſocii ac eventui. Quemadmodum itaque alter lucratur, ſi v. gr. uni hæreditas ampla obveniat, ut, facta communium in fine ſocietatis diviſione, multo plus accipiat, quam initio contulerat; ita pro damno reputare debet, ſi expenſæ neceſſariæ unius ſocii cauſa erogandæ ſuperent expenſas ſuas. Damnum vero non minus commune in ſocietate eſt, quam lucrum (§. 1318.). Nemo ita contraxiſſe præſumitur, ut ſua omnia bona communicare velit, impendia autem neceſſaria communia eſſe non debeant. Qui ſocietatem omnium bonorum ſeu fortunarum contrahunt, ſpectandi ſunt tanquam perſona una, ut, quod erogandum, ab omnibus erogatum intelligatur.

§. 1371.

Quoniam *in ſocietate omnium fortunarum* de communi maſſa debentur impendia, quæ officiorum erga ſe & alios, præſertim ſuos, ratio exigit (§. 1370.); *ſi impendia non neceſſaria, vel prorſus illicita faciat ſocius, vel culpa ſua eadem facere tenetur, ea ſocietati non imputantur.* *De impendiis ſocietati omnium fortunarum non imputandis.*

Ex gr. Si quis ob maleficium damnatus fuerit, ut vel damnum datum reſarcire, vel mulctam ſolvere teneatur: ſi quid ludendo perdit, ſi in familia alenda vel filia dotanda modum excedit, ſi ex re venerea morbum gallicum contrahit; impendia ſocietati minime imputanda. Æquipollent enim iſtiuſmodi impendia damno culpa ipſius dato, adeoque reſarciendo (§. 1364.).

§. 1372.

Quoniam impendia, quæ officiorum erga ſe & alios, præſertim ſuos, ratio exigit, ſocietati omnium fortunarum imputanda (§. 1370.), minime autem, quæ neceſſaria non ſunt, vel prorſus illicita, vel quæ culpa ſua facere tenetur ſocius (§. 1371.); *conſultum* omnino *eſt*, cum pacta ſint ſervanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), ſervandæ etiam ſint partes in contractu expreſſæ (§. 1343.), *ut, quando ſocietas omnium bonorum ſeu fortunarum contrahitur, expreſſe conveniatur, quænam expenſæ refundi debeant & quænam præterea circa impendia obſervari debeant.* *De pacto quoad impendia ſocietati omnium bonorum adjiciendo.*

Ita conveniri poteſt, quantum unicuique dari debeat pro alenda familia. Quodſi enim quis plus impendit, id non ſocietati, ſed ipſi imputatur in fine de parte communium diviſorum, quæ alias eidem obtingeret, ſubtrahendum. Similiter conveniri poteſt, ut quiſque ſumtus ſtudiorum, quibus filius indiget, vel dotem, quæ filiæ datur, de ſua parte depromat.

§. 1373.

Naturaliter in ſocietate bonorum ratio, in qua commune dividendum, definienda ex certo obtinendo & eo, quod valet ſpes incerti acquirendi. Etenim naturaliter in ſocietate lucrum & damnum dividendum in ratione collatorum (§. 1341.). Quando ſocietas bonorum contrahitur, communia eſſe debent, quæ uniuſcujuſque ſocii opera ac negotiatione acquiruntur (§. 1330.), conſequenter ſocius quilibet confert ſpem acquirendi opera ac negotiatione ſua, &, ſi quæ ipſi obventura certum eſt, certum quoque, quod obtinendum. Quoniam itaque id, *Ratio, in qua commune dividendum in ſocietate bonorum.*

quod confert, æſtimandum eſt ex certo obtinendo & eo, quod valet ſpes incerti acquirendi; ratio in ſocietate bonorum, in qua commune dividendum, definienda naturaliter ex certo obtinendo & eo, quod valet ſpes incerti acquirendi.

Ex. gr. Ponamus duos Profeſſores contrahere ſocietatem bonorum qua Profeſſores. Sint reditus fixi unius 800. alterius 600. Sit præterea ſpes, ut ſecundus acquirat 800. primus 400. Collatum primi cenſebitur 1200. ſecundi 1400. adeoque commune dividendum in ratione 6. ad 7. Quodſi ſpes non falleret, unus quiſque ſociorum acciperet quod ſuum eſt. Sed quoniam ſpes incerta & propter eam etiam quod certum eſt eventui committitur; ideo fieri poteſt, ut unus lucretur, alter quid perdat. Ex. grat. Ponamus præter id, quod erat certum, a primo acquiri 500. ab altero nonniſi 700. Communis maſſa erit ut ante 2600. adeoque primus ut ante accipiet 1200. poſterior 1400. cum ſocietate non contracta uterque haberet 1300. Primus adeo perdit, poſterior lucratur. Quodſi ponamus reditus fixos unius eſſe 800. alterius 600. illi eſſe ſpem acquirendi 400. huic 200. Erit ratio, in qua commune dividendum, ut 3. ad 2. conſequenter denuo patet, ſi ſpes eſſet certa, minime fallax, unumquemque habiturum, quod ſuum erat. Enimvero ſi ponamus ſpem eſſe fallacem, & primum acquirere 500. poſteriorem 400. erit maſſa communis 2300. qua diviſa in ratione 3. ad 2. pars primi erit 1380. ſecundi 920. cum ſocietate non contracta primus haberet 1300. ſecundus 1000. Primus adeo lucratur 80 & totidem ſecundus perdit. Naturæ hujus ſocietatis repugnat, ut neuter perdat. Quodſi enim uterque tantundem accipere deberet, quantum habiturus erat, ſocietas non fuiſſet contracta; temere contraheretur ſocietas, & eandem contrahendo nihil ageretur.

§. 1374.

De ratione, in qua commune dividendum in ſocietate omnium fortunarum.

Naturaliter in ſocietate omnium fortunarum ratio, in qua commune dividendum, definitur ex bonis præſentibus actu collatis & ex eo, quod valet ſpes acquirendorum. Quoniam enim in ſocietate omnium fortunarum communicantur omnia bona tam præſentia, quam futura (§. 1330.), adeoque non minus confertur ſpes futurorum, quam præſentia conferuntur; eodem, quo ante (§. 1373.), modo patet rationem, in qua commune dividendum, definiendam eſſe ex bonis præſentibus actu collatis & ex eo, quod valet ſpes acquirendorum.

Spes acquirendorum, quantum valeat, hic non adeo facile determinatur, quemadmodum in caſu præcedente, cum bona, quæ alicui obtingere poſſunt, magis a caſu pendeant, quam quæ opera ac negotiatione aliqua acquiruntur, quamvis nec hic ſemper eadem facilitate ita præſtatur. Ceterum ſi hoc modo determinetur ratio, in qua communia dividenda ſunt; ea etiam circa impendia obſervanda videtur; quæ cum damno æquiparentur, in iis tribuendis eadem utique tenenda videtur ratio, quæ in lucro dividendo admittitur. Sed talia facilius intelliguntur, quam in praxin recipiuntur, prout magis elucefcet, ubi de contractibus aleam continentibus acturi ſumus.

§. 1375.

De ſocietate ſuper factis turpibus.

Societas ſuper factis turpibus ſeu illicitis ipſo jure nulla eſt. Etenim ſi facta illicita ſunt, ad ea omittenda obligamur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque facto illicito nihil acquirere poſſumus. Quamobrem nec ſocietatem inire licet ſuper factis illicitis lucri communis faciendi gratia. Quoniam itaque iſtiuſmodi ſocietas lege naturali prohibita (§. 163. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); ipſo utique jure nulla eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui ſuper factis turpibus ſocietatem ineunt, lucrum communicandum ſibi invicem promittunt ſub conditione factorum turpium patrandorum, adeoque ſub conditione turpi (§. 491. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero promiſſio ſub conditione turpi illicita eſt tam ex parte promiſſoris, quam promiſſarii (§. 494. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque ipſo jure nulla. Ergo etiam ſocietas ſuper factis turpibus illicitis ipſo jure nulla eſt.

Ex. grat. Si qui ſocietatem ineunt de furtis committendis; iſtiuſmodi ſocietas ipſo jure nulla eſt. Similiter nulla eſt ipſo jure latronum ac prædonum ſocietas: item ſocietas meretricum de quæſtu corporum ſuorum faciendo.

§. 1376.

§. 1376.

In ſocietate omnium fortunarum ad communem maſſam non veniunt factis illicitis parta. Etenim facta illicita ſunt omittenda (§. 170. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque lege naturali prohibita (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque iis dominium rerum acquiri nequit, iiſdem parta inter bona acquiſita referri nequeunt. Quamobrem cum in ſocietate omnium fortunarum ad communem maſſam non veniunt niſi bona acquiſita (§. 1330.); factis illicitis parta ad eam non veniunt.

Quæ ad maſſum communem in ſocietate omnium fortunarum non veniant.

Ita ſi quis ſocius furto quædam abſtulit, ea cum ſociis non communicantur. Quodſi hoc fieret ipſorum conſenſu; furti evaderent participes.

§. 1377.

Finito negotio, propter quod ſocietas contracta, ſocietas finitur. Societas enim contrahitur communis lucri faciendi gratia (§. 1318.), adeoque ob certum negotium lucroſum. Quoniam itaque nemo alterum ſibi obligare poteſt ultra voluntatem ſuam (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſocii quoque ſibi invicem non obligantur ultra hoc negotium. Hoc igitur finito ſocietas finitur.

De ſocietate finito negotio finita.

Ex. gr. Ego & tu ſocietatem contraximus in conducendo prædio. Quamprimum conductio finita, ſocietas quoque finita. Nil igitur reſtat, niſi communis diviſio.

§. 1378.

Elapſo tempore, ad quod ſocietas contracta, eadem finitur. Etenim ſi ſocietas contracta ad certum tempus, per ſe patet, ſocios ſeſe ſibi invicem non obligaſſe ad commune lucrum faciendum ex aliquo negotio niſi ad hoc tempus. Quamobrem cum nemo alterum ſibi obligare poſſit ultra voluntatem ſuam (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſocii quoque ſibi invicem non obligantur niſi ad hoc tempus, ad quod ſocietas contracta. Hoc igitur elapſo, ſocietas finitur.

De ſocietate lapſu temporis finita.

Ex. gr. Duo mercatores contraxerunt ſocietatem ad decem annos. Decennio elapſo ſocietas finitur.

§. 1379.

Societas dicitur *prorogari*, quando ultra terminum ad quem ſeu tempus, ad quod contracta eſt, continuatur. Quoniam itaque *ſocietas* finitur tempore, ad quod ea contracta fuerat, elapſo (§. 1378.); *nonniſi mutuo conſenſu ſociorum prorogari poteſt*. Et quia pactum renovatur, ſi paciſcentes inter ſe conveniant, quod idem ultra terminum, qui ipſi præfixus fuerat, per certum temporis intervallum adhuc continuari debeat (§. 816. *part.* 3. *Jur. nat.*); *ſocietatem prorogare idem eſt ac eandem renovare*, conſequenter *ſi ſocietas prorogatur, quoad præſtationes nihil immutandum* (§. 817. *part.* 3. *Jur. nat.*), &, *ſi quoad has quidpiam mutetur, alia ſocietas initur* (§. 818. *part.* 3. *Jur. nat.*).

De ſocietate prorogata.

Quemadmodum liberum unicuique eſt, utrum ſocietatem inire cum altero velit, nec ne; ita quoque dubium non eſt, quin ſocii ſocietatem prorogare poſſint, cumque elapſo tempore, ad quod contracta fuerat, finiatur ſocietas (§. 1378.), non minus liberum ipſis eſt, utrum ſocietatem prorogare, an vero novam inire velint. Nulla enim ad prorogandam, nulla ad novam ineundam obligatio eſt.

§. 1380.

De communium diviſione ſocietate prorogata, vel alia inita.

Si ſocietas prorogatur, quod commune eſt non dividatur neceſſe eſt: ſi vero finitur ſocietas, tempore elapſo, ad quod contracta fuerat, & alia ejuſdem negotii cauſa contrahitur, quæ ſunt ex ſocietate finita communia dividenda ſunt. Etenim ſi ſocietas prorogatur, nihil quoad præſtationes mutuas immutatur, ſed ea tantummodo ultra terminum, qui eidem præfixus fuerat, per certum temporis intervallum continuatur (§. 1379.), adeoque perinde eſt ac ſi ſtatim ab initio ad terminum uſque poſteriorem fuiſſet contracta. Enimvero ſi ſtatim ab initio ad hunc uſque terminum fuiſſet contracta, ad quem prorogatur; in termino priori quod erat commune non fuiſſet diviſum. Quamobrem nec dividatur neceſſe eſt, ſi ſocietas prorogatur. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi tempore elapſo, ad quod contracta fuerat ſocietas, alia initur, quoad præſtationes mutuas quædam immutantur (§. 1379.), adeoque nec eadem amplius communicantur, conſequenter & non eadem obtinet communis dividendi ratio (§. 1341. 1343.). Quamobrem cum duæ hæ ſocietates, etſi ejuſdem negotii cauſa contractæ, a ſe invicem ſint prorſus diſtinctæ; quæ ex una unicuique ſocio debentur, non confundenda ſunt cum iis, quæ debentur ex altera. Quando itaque finitur ſocietas & ejuſdem negotii continuandi gratia alia initur, quod in fine ſocietatis prioris commune eſt utique dividendum. *Quod erat alterum.*

§. 1381.

De tacita ſocietatis prorogatione.

Si ſocietate, quæ ad certum tempus contracta fuerat, finita ab uno ſocio quid fiat quod nonniſi vi ejuſdem fieri poterat, altero conſcio, nec diſſentiente, ſocietas tacite prorogatur. Etenim ſi quid ab uno contrahentium pacto temporario finito fiat, quod nonniſi vi ejuſdem fieri poterat, altero conſcio, nec diſſentiente, pactum tacite renovatur (§. 820. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque ſocietatem prorogare idem eſt ac eandem renovare (§. 1379.); ſocietas quoque tacite prorogatur, ſi elapſo termino, ad quem contracta fuerat, ab uno ſocio quid fiat, quod nonniſi vi ſocietatis fieri poterat, altero conſcio, nec diſſentiente.

§. 1382.

Idem porro declaratur.

Si ſocietate ad tempus contracta, elapſo tempore ab uno ſocio quid fiat, quod nonniſi vi ſocietatis fieri poterat, ac id ab altero approbetur; ſocietas tacite prorogatur. Renovatur enim in caſu propoſitionis præſentis pactum (§. 821. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ſocietatem prorogare idem ſit ac eandem renovare (§. 1379.); ſocietas quoque tacite prorogatur, ſi elapſo tempore, ad quod contracta fuerat, ab uno ſocio quid fiat, quod nonniſi vi ſocietatis fieri poterat, ac id ab altero approbetur.

§. 1383.

Caſus particularis.

Quoniam ſocietas tacite prorogatur, ſi tempore, ad quod contracta fuerat, præterlapſo ab uno ſocio quid fiat, quod nonniſi vi ſocietatis fieri poterat, altero conſcio, nec diſſentiente (§. 1381.), vel approbante (§. 1382.), utrumque autem contingit, ſi tempore elapſo, ad quod ſocietas contracta fuerat, negotium, cujus cauſa fuerat contracta, continuatur; *ſocietas tacite prorogatur, ſi negotium, ob quod contracta fuerat, elapſo tempore, ad quod contracta fuerat, continuatur.*

§. 1384.

§. 1384.

De termino ſocietatis tacite prorogatæ.

Si ſocietas tacite prorogatur, ad idem tempus prorogata intelligitur, ad quod primum fuerat contracta. Si enim pactum tacite renovatur, per tantum temporis intervallum valet, quanto antea duraverat (§. 823. *part.* 3. *Jur. nat.*). Sed ſocietatem prorogare idem eſt ac eandem renovare (§. 1379.). Ergo etiam ſocietas tacite prorogata tanto tempore durare debet, quanto antea duraverat, conſequenter ſi ſocietas tacite prorogatur, ad idem tempus prorogata intelligitur, ad quod primum fuerat contracta.

Vide quæ alibi annotavimus (*not.* §. 823. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 1385.

De negotiis nondum abſolutis in ſocietate ad tempus contracta.

Si tempore elapſo negotia cœpta nondum ſint abſoluta, hoc non obſtante ſocietas finitur. Quodſi enim ad tempus certum contracta ſit ſocietas, ultra tempus iſtud eam continuare ſocius non cogitur (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamvis adeo negotia cœpta nondum ſint abſoluta, ſocius tamen non obligatur ad ſocietatem continuandam, donec fuerint abſoluta. Quamobrem ſi tempore elapſo negotia cœpta nondum ſint abſoluta, hoc non obſtante ſocietas finitur.

Nimirum qui ſocietatem ad certum tempus contrahit, hoc ipſo tacite declarat, quod non conſentiat in ejus continuationem, donec negotia quædam cœpta fuerint abſoluta. Qui enim ita contrahere velit, ut a fine negotii pendeat finis ſocietatis, is non ad tempus contrahere, ſed negotia determinare debet, quorum cauſa ſocietas contrahitur (§. 1318.). Ex. grat. Ponamus nos conferre certam pecuniæ ſummam coemendi ac iterum vendendi frumenti gratia, ut lucrum ſit commune ex hoc negotio veniens, ſocietatem vero hanc contrahi ad ſexennium. Quodſi ultimo anni ſexti quadrante coemta fuerit certa frumenti quantitas, ſed ſexennio elapſo nondum integra vendita; ea propter non continuanda ſocietas, donec omnis vendatur, etſi venditio ſit differenda, ne cum damno vendatur. Reſidua nimirum frumenti quantitas refertur ad commune dividendum (§. 1356.). Idem intelligitur de aliis ſocietatibus mercatoriis.

§. 1386.

De ſocietate finita rei interitu.

Si res interit, ſocietas finitur. Etenim in ſocietate res communicantur lucri in commune faciendi gratia (§. 1318.). Quodſi ergo hæ intereunt, cum nihil amplius ſit, quod communicetur, ut lucrum commune inde veniat; nullam quoque amplius eſſe poſſe ſocietatem patet. Finitur adeo ſocietas interitu rei.

Ex. gr. Ponamus duos habere equum communem. Quodſi is moriatur, ſocietatem eorum finiri patet. Similiter ſi communem conduxiſtis domum, ut partes aliis ſublocando lucrum faciatis. Domo incendio conſumta ſocietas finitur. Similiter ſi pecuniæ collatæ jacturam faciant ſocii, ut in commune lucrum faciendum quæ impendatur nulla ſit, ſocietas finitur.

§. 1387.

De ſocietate univerſali finita bonorum amiſſione.

Si bona amittantur, quæ in ſocietatem collata, ſocietas omnium bonorum finitur. Patet eodem, quo ante (§. 1386.) modo.

Amittuntur omnia bona, quando confiſcantur ob delictum, & quando quis ære alieno gravatus bonis cedit. Quodſi adeo unius ſaltem ſocii bona confiſcentur, vel is iiſdem cedat; cum nihil amplius in commune conferre poſſit, evidens eſt, ipſum nec ſocium eſſe poſſe, conſequenter ſocietatem finiri.

§. 1388.

§. 1388.

Societas quale ſit pactum. *Societas pactum perſonale eſt.* Etenim qui ſocietatem contrahunt, ad res & operas communis lucri faciendi gratia ſeſe invicem ſibi obligant (§. 1318.). In eligendo ſocio ſpectatur fides, ſolertia, concordia, ſpectantur dotes aliæ, ob quas quis aliquem ſocium habere velit. Neque adeo perinde eſt, quemnam quis ſocium nanciſcatur, ut adeo nemo ſibi facile ſocium obtrudi patiatur, vel velle præſumatur, ut quicunque detur. Quamobrem facile patet, eos, qui ſocietatem contrahunt, nonniſi ſeſe ſibi invicem obligare velle pro ſe ad res & operas communicandas lucri communis gratia. Enimvero pactum perſonale eſt, quod ad perſonas paciſcentium reſtringitur, ita ut nonniſi una alteri pro ſe obligata eſſe velit ad præſtationem, de qua conventum eſt (§. 801. *part.* 3. *Jur. nat.*). Societas itaque pactum perſonale eſt.

Quamvis adeo unus ſociorum vellet, alium ſui loco fieri poſſe ſocium; non tamen alter cogi poteſt, ut quis invitus eum habeat ſocium.

§. 1389.

Si plures ſint ſocii & unus moriatur. *Si plures fuerint ſocii & unus eorum moriatur, a voluntate reliquorum dependet, utrum in ſocietate perſiſtere, an eandem diſſolvere velint.* Fieri enim poteſt, ſi plures fuerint ſocii, ut ſocietas fuerit contracta potiſſimum fiducia ejus, qui mortuus eſt, vel fiducia numeri ſociorum, conſequenter ſub hac tacita reſtrictione, niſi hic, vel in genere niſi unus moriatur. Quoniam vero hæc conſideratio ad animum deliberatum ſpectat (§. 387. *part.* 3. *Jur. nat.*), de animo autem deliberato ſocii non ſtatuendum eſt ſocio alteri (§. 424. *part.* 3. *Jur. nat.*); igitur liberum eſſe debet ſociis reliquis, uno mortuo, utrum in ſocietate perſiſtere, an eandem diſſolvere velint, adeoque hoc ab eorum dependet voluntate (§. 851. *Ontol.*)

Recte igitur Imperator §. 1. Inſt. de Soc. ſocietatem conſenſu plurium contractam morte unius ſocii ſolvi ſtatuit, etſi plures ſuperſint, niſi in coeunda ſocietate aliter convenerit. Etenim ſi aliter convenerit, ceſſat ratio, ob quam finienda, quemadmodum ex demonſtratione liquet.

§. 1390.

An cum damno ſocietatis ab ea recedere liceat. *A ſocietate diſcedere non licet cum damno ſocietatis.* Etenim naturaliter non licet dare damnum alteri, ſed quilibet potius obligatur ad damnum omne, quantum in ſe eſt, ab altero avertendum (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem nec licet a ſocietate diſcedere cum damno ſocietatis.

Immo cum lucri communis faciendi gratia contrahatur ſocietas (§. 1318.), ſocii quoque eo ipſo ſeſe ſibi invicem obligaſſe intelliguntur, quod omne damnum, quantum in ſe eſt, a ſocietate avertere velint. Ut adeo præter obligationem naturalem adſit etiam contracta ex pacto, quæ dat jus ſociis reliquis non patiendi, ut cum damno ſocietatis unus ab eadem recedat.

§. 1391.

Quando recedere liceat, ſi ad nullum certum tempus contracta. *Si ſocietas ad nullum certum tempus contracta fuerit, ſocio ab ea recedere licet, quandocunque libuerit, modo id fiat ſine damno ſocietatis.* Etenim ſi ſocietas ad nullum certum tempus contrahatur, ſub tacita hac conditione contracta intelligitur, ut nemini in ea ſit perſiſtendum, niſi quamdiu placuerit. Liberum igitur eſt unicuique ab ea diſcedere, quandocunque libuerit (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*).

nat.). Quoniam tamen ab eadem recedere non licet cum damno ſocietatis (§. 1390.); a ſocietate ad nullum certum tempus contracta recedere ſocio licet, quandocunque libuerit, modo id fiat ſine damno ſocietatis.

Tempus vero contractui ſocietatis vel expreſſe adjicitur, veluti ſi contrahatur ad annos decem, vel ſi ipſa negotii natura certum tempus contineat, veluti ſi de conducendo prædio contrahatur ſocietas ac deinde prædium aliquod conducatur ad ſex annos. Quamobrem ſimpliciter dici nequit, ſocietatem ad nullum certum tempus fuiſſe contractam, ſi in ea coeunda nulla temporis fiat mentio.

§. 1392.

Societati renunciare dicitur, ſi quis declarat, ſe in eadem diutius manere nolle. *Qui adeo ſocietati renunciat, ab eadem recedit, & contra*; conſequenter cum ab eadem diſcedere non liceat cum damno ſocietatis (§. 1390.) & a ſocietate ad nullum certum tempus contracta recedere liceat, quandocunque libuerit, modo id fiat ſine damno ſocietatis (§. 1391.), *ſocietati renunciare non licet cum damno ſocietatis, licet* autem *renunciare ad nullum certum tempus contractæ, quandocunque libuerit, modo id fiat ſine damno ſocietatis.* *Renunciare ſocietati quid ſit.*

§. 1393.

Si quis ſocietati renunciet, ut lucrum quoddam præſens ſolus percipiat; lucrum illud communicare tenetur. Societas enim contrahitur lucri communis faciendi gratia (§. 1318.) & quilibet ſocius ad lucrum ſocietatis augendum conferre debet, quantum poteſt (§. 1365.). Quando itaque ea de cauſa renunciat, ut lucrum quoddam præſens percipiat, cum damno ſocietatis renunciat (§. 486. *p.* 2. *Jur. nat.*), & hac renunciatione doloſe damnum dat ſocietati (§. 488. 489. *p.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum damnum dolo ſocietati datum ſit reſarciendum (§. 1364.); ſocietati renuncians, ut lucrum quoddam præſens ſolus percipiat, id communicare tenetur (§. 572. *part.* 2. *Jur. nat.*). *De lucro poſt renunciatione communicando.*

Ex. grat. Ponamus ſocietati omnium bonorum ſeu fortunarum contractæ te renunciare, ut hæreditatem opimam, quam obtenturus es, ſolus retineas; eandem communicare teneris.

§. 1394.

Si ſocius non præſtet, ad quod præſtandum vi ſocietatis tenetur, alteri ſocietati renunciare licet, & , ſi plures fuerint ſocii, qui ſocietatem continuare volunt, eum ex ſocietate excludere poſſunt. Etenim ſi ſocius non præſtat, ad quod præſtandum vi ſocietatis tenetur, a pacto recedit. Quamobrem cum a pacto recedere etiam liceat alteri, ſi unus paciſcentium ab eodem recedit (§. 827. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi ſocius non præſtet, ad quod præſtandum vi ſocietatis tenetur, alteri a ſocietate recedere licet, conſequenter cum ſocietati renunciet, qui ab eadem recedit (§. 1391.), ſi ſocius non præſtet, ad quod præſtandum vi ſocietatis tenetur, alteri ſocietati renunciare licet. *Quod erat unum.* *De renunciatione ob non præſtita præſtanda a ſocio uno.*

Quodſi plures fuerint ſocii, cum uni ſocietati renunciare liceat, ſi quis ſocius non præſtet, ad quod præſtandum vi ſocietatis tenetur *per demonſtr.* nulla ſane ratio eſt, cur non reliquis ſimul in eodem caſu ſocietati renunciare liceat. Enivero quoniam a voluntate ipſorum pendet, utrum inter ſe ſocietatem continuare velint, nec ne, cum pro mortuo habeatur ſocius, qui non præſtat, ad quod præſtandum obligatus eſt (§. 1389.), ſocietati vero renunciantes declarant, ſe cum iſto ſocio, qui præſtanda non præſtat, in ſocietate diutius manere nolle (§. 1392.); quin hunc ex ſocietate excludere poſſint, ſiquidem eandem continuare velint, dubitandum non eſt. *Quod erat alterum.*

Ni-

§. 1388.

Societas quale ſit pactum. ***Societas pactum perſonale eſt.*** Etenim qui ſocietatem contrahunt, ad res & operas communis lucri faciendi gratia ſeſe invicem ſibi obligant (§. 1318.). In eligendo ſocio ſpectatur fides, ſolertia, concordia, ſpectantur dotes aliæ, ob quas quis aliquem ſocium habere velit. Neque adeo perinde eſt, quemnam quis ſocium nanciſcatur, ut adeo nemo ſibi facile ſocium obtrudi patiatur, vel velle præſumatur, ut quicunque detur. Quamobrem facile patet, eos, qui ſocietatem contrahunt, nonniſi ſeſe ſibi invicem obligare velle pro ſe ad res & operas communicandas lucri communis gratia. Enimvero pactum perſonale eſt, quod ad perſonas paciſcentium reſtringitur, ita ut nonniſi una alteri pro ſe obligata eſſe velit ad præſtationem, de qua conventum eſt (§. 801. *part.* 3. *Jur. nat.*). Societas itaque pactum perſonale eſt.

Quamvis adeo unus ſociorum vellet, alium ſui loco fieri poſſe ſocium; non tamen alter cogi poteſt, ut quis invitus eum habeat ſocium.

§. 1389.

Si plures ſint ſocii & unus moriatur. *Si plures fuerint ſocii & unus eorum moriatur, a voluntate reliquorum dependet, utrum in ſocietate perſiſtere, an eandem diſſolvere velint.* Fieri enim poteſt, ſi plures fuerint ſocii, ut ſocietas fuerit contracta potiſſimum fiducia ejus, qui mortuus eſt, vel fiducia numeri ſociorum, conſequenter ſub hac tacita reſtrictione, niſi hic, vel in genere niſi unus moriatur. Quoniam vero hæc conſideratio ad animum deliberatum ſpectat (§. 387. *part.* 3. *Jur. nat.*), de animo autem deliberato ſocii non ſtatuendum eſt ſocio alteri (§. 424. *part.* 3. *Jur. nat.*); igitur liberum eſſe debet ſociis reliquis, uno mortuo, utrum in ſocietate perſiſtere, an eandem diſſolvere velint, adeoque hoc ab eorum dependet voluntate (§. 851. *Ontol.*)

Recte igitur Imperator §. 1. Inſt. de Soc. ſocietatem conſenſu plurium contractam morte unius ſocii ſolvi ſtatuit, etſi plures ſuperſint, niſi in coeunda ſocietate aliter convenerit. Etenim ſi aliter convenerit, ceſſat ratio, ob quam finienda, quemadmodum ex demonſtratione liquet.

§. 1390.

An cum damno ſocietatis ab ea recedere liceat. *A ſocietate diſcedere non licet cum damno ſocietatis.* Etenim naturaliter non licet dare damnum alteri, ſed quilibet potius obligatur ad damnum omne, quantum in ſe eſt, ab altero avertendum (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem nec licet a ſocietate diſcedere cum damno ſocietatis.

Immo cum lucri communis faciendi gratia contrahatur ſocietas (§. 1318.), ſocii quoque eo ipſo ſeſe ſibi invicem obligaſſe intelliguntur, quod omne damnum, quantum in ſe eſt, a ſocietate avertere velint. Ut adeo præter obligationem naturalem adſit etiam contracta ex pacto, quæ dat jus ſociis reliquis non patiendi, ut cum damno ſocietatis unus ab eadem recedat.

§. 1391.

Quando recedere liceat, ſi ad nullum certum tempus contracta. *Si ſocietas ad nullum certum tempus contracta fuerit, ſocio ab ea recedere licet, quandocunque libuerit, modo id fiat ſine damno ſocietatis.* Etenim ſi ſocietas ad nullum certum tempus contrahatur, ſub tacita hac conditione contracta intelligitur, ut nemini in ea ſit perſiſtendum, niſi quamdiu placuerit. Liberum igitur eſt unicuique ab ea diſcedere, quandocunque libuerit (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*).

nat.). Quoniam tamen ab eadem recedere non licet cum damno ſocietatis (§. 1390.); a ſocietate ad nullum certum tempus contracta recedere ſocio licet, quandocunque libuerit, modo id fiat ſine damno ſocietatis.

Tempus vero contractui ſocietatis vel expreſſe adjicitur, veluti ſi contrahatur ad annos decem, vel ſi ipſa negotii natura certum tempus contineat, veluti ſi de conducendo prædio contrahatur ſocietas ac deinde prædium aliquod conducatur ad ſex annos. Quamobrem ſimpliciter dici nequit, ſocietatem ad nullum certum tempus fuiſſe contractam, ſi in ea coeunda nulla temporis fiat mentio.

§. 1392.

Societati renunciare dicitur, ſi quis declarat, ſe in eadem diutius manere nolle. *Qui* adeo *ſocietati renunciat, ab eadem recedit, & contra*; conſequenter cum ab eadem diſcedere non liceat cum damno ſocietatis (§. 1390.) & a ſocietate ad nullum certum tempus contracta recedere liceat, quandocunque libuerit, modo id fiat ſine damno ſocietatis (§. 1391.), *ſocietati renunciare non licet cum damno ſocietatis, licet* autem *renunciare ad nullum certum tempus contractæ, quandocunque libuerit, modo id fiat ſine damno ſocietatis.* *Renunciare ſocietati quid ſit.*

§. 1393.

Si quis ſocietati renunciet, ut lucrum quoddam præſens ſolus percipiat; lucrum illud communicare tenetur. Societas enim contrahitur lucri communis faciendi gratia (§. 1318.) & quilibet ſocius ad lucrum ſocietatis augendum conferre debet, quantum poteſt (§. 1365.). Quando itaque ea de cauſa renunciat, ut lucrum quoddam præſens percipiat, cum damno ſocietatis renunciat (§. 486. *p.* 2. *Jur. nat.*), & hac renunciatione doloſe damnum dat ſocietati (§. 488. 489. *p.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum damnum dolo ſocietati datum ſit reſarciendum (§. 1364.); ſocietati renuncians, ut lucrum quoddam præſens ſolus percipiat, id communicare tenetur (§. 572. *part.* 2. *Jur. nat.*). *De lucro poſt renunciatione communicando.*

Ex. grat. Ponamus ſocietati omnium bonorum ſeu fortunarum contractæ te renunciare, ut hæreditatem opimam, quam obtenturus es, ſolus retineas; eandem communicare teneris.

§. 1394.

Si ſocius non præſtet, ad quod præſtandum vi ſocietatis tenetur, alteri ſocietati renunciare licet, &, ſi plures fuerint ſocii, qui ſocietatem continuare volunt, eum ex ſocietate excludere poſſunt. Etenim ſi ſocius non præſtat, ad quod præſtandum vi ſocietatis tenetur, a pacto recedit. Quamobrem cum a pacto recedere etiam liceat alteri, ſi unus paciſcentium ab eodem recedit (§. 827. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi ſocius non præſtet, ad quod præſtandum vi ſocietatis tenetur, alteri a ſocietate recedere licet, conſequenter cum ſocietati renunciet, qui ab eadem recedit (§. 1391.), ſi ſocius non præſtet, ad quod præſtandum vi ſocietatis tenetur, alteri ſocietati renunciare licet. *Quod erat unum.* *De renunciatione ob non præſtita præſtanda a ſocio uno.*

Quodſi plures fuerint ſocii, cum uni ſocietati renunciare liceat, ſi quis ſocius non præſtet, ad quod præſtandum vi ſocietatis tenetur *per demonſtr.* nulla ſane ratio eſt, cur non reliquis ſimul in eodem caſu ſocietati renunciare liceat. Enivero quoniam a voluntate ipſorum pendet, utrum inter ſe ſocietatem continuare velint, nec ne, cum pro mortuo habeatur ſocius, qui non præſtat, ad quod præſtandum obligatus eſt (§. 1389.), ſocietati vero renunciantes declarant, ſe cum iſto ſocio, qui præſtanda non præſtat, in ſocietate diutius manere nolle (§. 1392.); quin hunc ex ſocietate excludere poſſint, ſiquidem eandem continuare velint, dubitandum non eſt. *Quod erat alterum.*

Ni-

Nimirum renunciatione ſolvitur ſocietas (§. 1402.). Quodſi ergo plures, qui renunciant, ſocietatem inter ſe continuare velint, perinde omnino eſt, ac ſi novam ſocietatem contraherent, in quam inviti neminem recipere tenentur (§. 1324.). Exemplum vero propoſitionem præſentem illuſtrat ſequens. Si ſocius operas, quas conferre debet, negligenter præſtat, conſequenter commune ſocietatis bonum non promovet, quemadmodum facere debebat, ut adeo ea habere nequeat lucrum, quod haberi poterat; cum eo ſocietatem habere iniquum foret. Ea igitur aut diſſolvenda, aut, ſi reliquis viſum fuerit eam continuare, ſocium negligentem ex ſocietate excludere licet. Idem adhuc valet, ſi præſtanda præſtare non poſſit, cum plus ſpetans de facultatibus ſuis quam in iis erat, plus promiſerit in coeunda ſocietate, quam præſtare poterat. Nec dici poteſt, ſocios reliquos ſibi imputare debere, quod non elegerint ſocium diligentiorem, aut magis peritum & talem, qui quæ promittit præſtare etiam valet. Etenim animus deliberatus promiſſoris ſupponitur, niſi manifeſto contrarium appareat (§. 425. part. 3. Jur. nat.), conſequenter non plus promittere recte præſumitur, donec contrarium apparuerit. Et repugnat coire in ſocietatem lucri communis faciendi gratia, habere autem ſocium, qui ad lucrum commune faciendum conferre nequit, quod conferre debebat, quippe quæ non contrahitur, niſi ſub ſpe collatum iri, quæ conferenda ſunt, adeoque ſub tacita quaſi hac conditione, ut conferatur, ſeu ut præſtetur, quod promittitur.

§. 1395.

De ſocio rixoſo & eo, qui ſolo arbitratu ſuo omnia fieri vult.

Si ſocius fuerit rixoſus, aut ſi ſolo arbitratu ſuo omnia fieri velit; ſocietati renunciare licet. Per ſe patet, ſocium rixoſum multas moleſtias creare ſocio alteri, vel ſociis reliquis, conſequenter infelices reddere ſocios ſuos (§. 637. *Pſych. empir.*). Enimvero homo quilibet operam dare tenetur, ut ſit felix, ſibi autem cavere debet, ne ſit infelix (§. 280. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter non obligatur ad habendum ſocium rixoſum. Quamobrem ſi ſocius fuerit rixoſus, ſocietati renunciare licet (§. 1392.). *Quod erat unum.*

Porro qui ſocietatem contraxerunt in communione poſitiva ſunt (§. 1318. *b.* & §. 126. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam itaque in communione poſitiva nullus actus dominii validus abſque conſenſu omnium, qui in eadem ſunt (§. 141. *part. 3. Jur. nat.*); in ſocietate omnia, quæ ad ſocietatem ſpectant, fieri debent omnium conſenſu. Quamobrem ſi ſocius unus ſolo arbitratu ſuo omnia fieri velit, id naturæ ſocietatis repugnat, & qui hoc prætendit, ceteris ſociis jus ſuum auferre vult invitis. Quoniam itaque nemo pati debet, ut jus ſuum ſibi invito auferatur (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); nec cogi poteſt quiſpiam, ut habeat ſocium, qui ſolo arbitratu ſuo omnia fieri vult. Liberum itaque eſt unicuique declarare, quod talem ſocium habere, adeoque cum eo in ſocietate manere nolit. Cum ſocietati renunciet, qui hoc declarat (§. 1392.); evidens eſt, quod ſocietati renunciare liceat, ſi ſocius unus ſolo arbitratu ſuo omnia fieri velit. *Quod erat alterum.*

Atque ex iis, quæ modo demonſtrata ſunt, facile conſtabit, quandonam ſit juſta renunciationis cauſa, ne quem inviti ſocium habere cogamur.

§. 1396.

An renunciare liceat, ob caſum ex parte renunciantis emergentem.

Si caſus quidam emergit, ob quem ſocius unus curam nullam ad ea, quæ ſocietatis ſunt, conferre poſſit, aut nonniſi cum maximo ſuo damno in ſocietate manere; eidem renunciare licet. Quoniam enim ſocietas communis lucri faciendi cauſa coitur (§. 1318.); nemo præſumitur cuncta curarum ad conſocium, vel conſocios rejicere velle, niſi expreſſe hoc dixerit, aut ipſo facto ſufficienter indicaverit (§. 494. *part. 2.* & §. 428. *part. 3. Jur. nat.*). Societas adeo contracta videtur ſub hac tacita conditione, niſi forſan caſus emergat, de quo cogitare jam non datur, impediturus, quo minus quicquam curarum ad ea, quæ ſocietatis ſunt, conferre poſſis. Conditio hæc cum ſit reſolutiva (§. 488. *part. 3. Jur. nat.*); caſu emergente declarare licet, quod in ſocietate diutius manere nolis (§. 530. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum hæc declaratio renunciatio ſit (§. 1392.); ſi caſus quidam emergit, ob quem ſocius unus curam nullam ad ea, quæ ſocietatis ſunt, conferre poſſit; ſocietati renunciare licet. *Quod erat unum.*

Simi-

Similiter cum ſocietas communis lucri faciendi gratia coeatur (§. 1318.), nemo habere poteſt animum in eadem manendi, ſi cum maximo ſuo damno in eadem manere debeat, ſcilicet quod multo ſuperat lucrum ex ſocietate ſperandum. Quoniam itaque nemo præſumi poteſt eo animo contraxiſſe ſocietatem, ut in ea manere velit, etiamſi contingat, ſe nonniſi cum maximo ſuo damno, quod lucrum ex illa ſperandum multo ſuperat, in eadem manere poſſit (§. 494. *part.* 2. *Jur. nat.*); patet ut ante, caſu iſtiuſmodi emergente ſocietati renunciare licere. *Quod erat alterum.*

Cum in ſocietate non minus damnum, quam lucrum commune ſit (§. 1318.), tuum eſt ſtatuere, an tantum tibi eſſe poſſit in ſolertia, dexteritate ac fide conſocii vel conſociorum fiducia, ut cuncta curarum ad eum vel eos rejicere tutum ſit (§. 394. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi de eo caſu, qua tibi integrum non eſt curam ullam ad ea, quæ ſocietatis ſunt, conferre, nihil in contractu dictum, quia de eo non cogitatum; is utique exceptus videtur, adeoque quid facere velis tum demum ſtatuendum eſt, quando is emergit (§. 428. *p.* 3. *Jur. nat.*). Conſultius tamen eſt ad evitandas lites in ipſo contractu caſum hunc expreſſe excipere. Quoad caſum alterum tenendum eſt, damnum hic ſpectari quod aliunde, quam ex ſocietate provenit, adeoque ad te ſolum, non ad conſocium, vel conſocios una pertinere. Contradictorium omnino eſt, lucrifaciendi gratia contrahere ſocietatem; & habere animum in ea manendi; quamvis nonniſi cum maximo tuo damno in eadem manere poſſis. Quoniam vero damnum aliunde, quam ex ſocietate venire debet; huc non pertinet, ſi pecunia tua, quam contuliſti in commune, ipſe ſolus uſutus majus lucrum facere poſſis. Cum enim ad augendum lucrum ſocietatis conferre debeas, quantum potes (§ 1365.); ſi ſalva negotiatione, ob quam ſocietas coita, hoc fieri poſſit, lucrum iſtud communicare teneris. Quodſi hoc fieri non poſſit, cum pecuniam lucri communis faciendi gratia collatam ſocius in ſuos uſus convertere nequeat, id quod naturæ ſocietatis repugnat (§. 1318.), non ideo a ſocietate recedere licet, ut majus lucrum pecunia tua, quam in ſocietate facias. Recederes enim cum damno ſocietatis, quod facere non licet (§. 1390.). Ceterum quæ de caſu priori diximus, de hoc etiam poſteriori valent.

§. 1397.

Si ſocius prævidet, ſocietatem fore damnoſam; eidem renunciare licet. Etenim quilibet omnem operam dare debet, ut damnum quodvis, quantum in ſe eſt, a ſe avertat (§. 493. *part.* 3. *Jur. nat.*), etiam quoad patrimonium ſuum (§. 494. *part.* 3. *Jur. nat.*), immo idem, quantum in ſe eſt, ab altero avertere debet (§. 495. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi prævideri poteſt, ſocietatem fore damnoſam; ſocii diſſenſu mutuo eandem diſſolvere debent. Quodſi vero quidam fuerint hebetiores, quam ut damnum prævidere poſſint, vel audaciores, quam ut imminens periculum vitare malint; non tamen propterea is, qui acutior aut prudentior eſt ceteris, cogi poteſt, ut damnum, quod evitari poteſt, incurrat. Liberum adeo ipſi eſt declarare, quod rebus ſic ſtantibus in ſocietate manere nolit, conſequenter eidem renunciare licet (§. 1392.), ſi ſocius prævidet, ſocietatem fore damnoſam.

An ob damnum ſocietatis præviſum eidem renunciare liceat.

Quilibet facile videt, damnum iſtiuſmodi eſſe debere, quod ſocietate, cui quo minus ea diſſolvatur nil obſtat, diſſoluta evitari poſſit. Neque enim a ſocietate recedere licet, ut conſocii vel conſociorum tantummodo ſit damnum, quod commune eſſe debet (§. 1318.). Ex ipſa nimirum demonſtratione hoc patet, quæ nititur obligatione damni tam a ſe, quam ab aliis, conſequenter in præſenti caſu a ſocietate avertendi. Dolo damnum daret ſocietati, qui eam, quam ipſe ferre debebat, partem ad conſocios devolvere vellet.

§. 1398.

Societas mutuo diſſenſu diſſolvitur. Etenim ſocietas contractus (§. 1318.), adeoque pactum eſt (§. 794. *part.* 3. *Jur. nat.*). Sed pacta a contrahentibus diſſolvuntur mutuo diſſenſu (§. 840. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam ſocietas mutuo diſſenſu diſſolvitur.

Societas quomodo diſſolvatur.

Non eſt quod quæras, num hoc facere liceat: id enim in genere jam demonſtravimus (§. 839. *part.* 3. *Jur. nat.*) & convenit libertati naturali (§ 256. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 1399.

Extraneus quinam ſit. *Extraneus* reſpectu ſocietatis dicitur, qui ſocius non eſt. Unde etiam *ſocius quoad ea, quæ ſocietatis non ſunt, pro extraneo habetur, nec implicat, ut tanquam extraneus cum ſocietate contrahat.*

Ex. gr. Ego, tu & Mævius ſocietatem contraximus quoad certam negotiationem. Quilibet alius reſpectu ejuſdem extraneus eſt, & nos quoque ſinguli in iis, quæ ad hanc negotiationem non ſpectant, pro extraneis habendi. Immo ſi ſi v. gr. ſocietatis nomine negotiationis cauſa ſocii pecuniam nobis credi volumus, nil obſtat quo minus ego vobiſcum tanquam creditor contraham. Quoad creditum vero non ſocius, ſed extraneus ſum, quatenus creditor ſum; ſed tanquam ſocius ſpectandus ſum, quatenus pro rata ſum debitor. Duplicem nimirum perſonam repræſento, creditoris ſcilicet qua extraneus, neque enim credere ſocii eſt; debitoris vero qua ſocius, ſolvere enim creditum, quod ſocietas debet, ſociorum eſt.

§. 1400.

De contractu omnium ſociorum ſimul cum extraneo. *Si ſocii omnes ſimul nomine ſocietatis cum extraneo contrahunt, ſinguli extraneo obligantur & eundem ſibi obligant pro rata ſocietatis, niſi expreſſe fiant correi debendi vel credendi, aut aliud dicatur.* Quoniam enim ſocii, quicquid nomine ſocietatis faciunt, communis lucri cauſa faciunt (§. 1318.), inter ipſos pro rata ſocietatis dividendi (§. 1341. 1343.); quando cum extraneo omnes ſimul ſocietatis nomine contrahunt, non alius videtur eſſe ipſorum animus, quam quod ſinguli extraneo pro rata ſocietatis ſeſe obligare velint, niſi expreſſe dicatur aliud, aut alio modo ſufficienter indicetur (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*); veluti quod ſinguli in ſolidum obligari ſeſe velint, adeoque fiant correi debendi (§. 692. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo ſocii omnes ſimul nomine ſocietatis cum extraneo contrahunt, ſinguli extraneo ex contractu communi obligantur pro rata ſocietatis niſi expreſſe fiant correi debendi, aut aliud dicatur (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Similiter quoniam in ſocietate commune dividendum inter ſocios pro rata ſocietatis (§. 1341. 1343.), nec in communi indiviſo ſocius quilibet niſi pro parte dominus eſt (§. 127. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſingulis quoque ad id, quod ex contractu cum extraneo debetur, non niſi pro rata ſocietatis jus competere poteſt, adeoque ſinguli extraneum nonniſi pro rata iſta obligare poſſunt, niſi expreſſe dicatur aliud, aut alio quocunque modo ſufficienter indicetur (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*), veluti ut extraneus ſingulis in ſolidum teneatur, conſequenter ſocii correi credendi fiant (§. 692. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo ſocii omnes ſimul nomine ſocietatis cum extraneo contrahant, pro rata ſocietatis eundem ſibi obligant, niſi expreſſe fiant correi credendi, aut aliud dicatur (§. 382 *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Qui cum omnibus ſociis ſimul contrahit nomine ſocietatis, cum ſingulis non contrahit niſi pro eo jure, quod in ſocietate habet, conſequenter pro rata cujuslibet in ſocietate; id quod maxime naturale eſt. Quamobrem nec ſe alteri, nec alterum ſibi obligat niſi pro eadem rata. Quoniam vero ſocii de iis, quæ ſocietatis ſunt vel ejus cauſa fiunt, mutuo conſenſu pro arbitrio tanquam domini diſponere poſſunt (§. 141. *part.* 3. & §. 127. *part.* 2 *Jur. nat.*); ipſis quoque integrum eſt ſeſe conſtituere correos credendi, ac debendi, aut aliter adhuc convenire, prouti ipſis viſum fuerit. Ex. gr. Ponamus ratam meam eſſe duas partes; tuam unam, & nobis ſocietatis nomine credi 1200. thaleros. Ego obligatus ſum ad ſolvendum creditori 800. tu obligatus eidem es ad ſolvendum 400. thaleros; ſeu perinde eſt ac ſi mihi 800. tibi 400. crediſſet. Quodſi vero ita contrahere noluerit, ſed utrumque noſtrum ſibi in ſolidum obligatum eſſe voluerit; tum perinde eſt ac ſi ego pure pro debito tuo 400. tu pure itidem pro debito meo 800. fidejuſſiſſes (§. 806.). Quodſi expreſſe conveniatur, ut ego teneri debeam in 1000. tu in 200. cum in hoc caſu perinde ſit, ac ſi ego pro parte debiti tui 200 ſcilicet talerorum (§. 803) & quidem pure fidejuſſiſſem (§. 806.), nulla ſane ratio eſt, cur non ita contrahi poſſit, adeoque contractu ſit ſtandum (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*). Litium evitandarum gratia conſultum eſt, ut expreſſe conveniatur, in quantum ſocius quilibet creditori, aut creditor ſocio unicuique

cuique obligatus eſſe debeat, ſiquidem cum omnibus ſimul contrahatur (§. 382. *part. 2. Jur. nat.*). Ponamus porro ſocios omnes ſimul rem communem tibi vendere, cum quilibet pro parte ejus dominus ſit (§. 127. *part. 2. Jur. nat.*); pro rata unicuique emtor pretium debet, de quo fides habita. Quodſi tamen ita conveniatur, ut ſingulis in ſolidum teneatur emtor, cum valeat actus, in quem omnes conſentiunt ſocii (§. 141. *part. 3. Jur. nat.*), quilibet ſocius ſolus integrum pretium exigere poteſt (§ 688. *p. 3. Jur. nat.*). Nihil in hiſce difficultatis eſt, modo omnia rite expendantur, ut adeo de diſſenſu interpretum Juris civilis parum ſimus ſolliciti. Quid vero lege poſitiva prudenter definiatur, hujus loci non eſt diſquirere.

§. 1401.

Quoniam mandatarius intra fines mandati manifeſti promittendo mandantem ei obligat cum quo agit, & acceptando hunc mandanti obligat (§. 663.); *ſi ſocius intra fines mandati manifeſti a conſociis accepti cum extraneo ſocietatis nomine contrahit, ſe & conſocios extraneo & hunc ſibi ac conſociis pro rata ſocietatis obligat, niſi vi mandati correi debendi vel credendi fieri voluerint omnes, aut aliud quid dictum ſit* (§. 1400.). *De ſocio cum extraneo vi mandati contrahente.*

Caſus hic diſtinguendus eſt ab alio, in quo ſocius unus a conſociis negotio, cujus cauſa contrahit, præpoſitus fuit. De eo enim agetur ſuo loco.

§. 1402.

Si ſocius proprio nomine, vel nomine ſocietatis ſine mandato aut ultra fines mandati manifeſti cum extraneo contrahit, nec conſocios eidem, nec eundem conſociis obligat. Quodſi vero in rem ſocietatis verſum fuerit, quod ex contractu acceptum debetur; de communi id ſolvendum. Quodſi enim ſocius proprio nomine cum extraneo contrahit, nulla in contrahendo ſocietatis habetur ratio, ſed contractus hic ad ſocium contrahentem ſolum & extraneum, cum quo contrahit, pertinet. Quæ igitur ex eo oriuntur obligationes (§. 793. *part. 3. Jur. nat.*), nonniſi contrahentes reſpiciunt, qui ſeſe ſibi invicem obligare voluerunt (§. 428. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem ſi ſocius proprio nomine cum extraneo contrahit, nec conſocios eidem, nec eundem conſociis obligat. *Quod erat primum.* *De ſocio proprio nomine vel ſine mandato cum extraneo contrahente.*

Quodſi ſocius cum extraneo ſine mandato contrahit, ſine conſenſu ſociorum contrahit (§. 640. *h.* & §. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque in ſocietate nullus actus tanquam actus ſocietatis ſubſiſtit ſine ſociorum omnium conſenſu (§. 141. *part. 3. Jur. nat.*); ſi ſocius cum extraneo ſine mandato, licet nomine ſocietatis contrahit, eundem ſibi ſoli & ſe eidem ſolum obligat, conſequenter nec conſocios eidem, nec eundem conſociis obligat. *Quod erat ſecundum.*

Si ſocius ultra fines mandati manifeſti cum extraneo contrahit, cum fines mandati huic ſint perſpecti (§. 652.), perinde omnino eſt ac ſi ſine mandato contraheret. Enimvero quando ſine mandoto nomine ſocietatis cum extraneo contrahit, nec eidem conſocios, nec eundem conſociis obligat, *per demonſtrata n. 2.* Quamobrem ſi ſocius ultra fines mandati manifeſti cum extraneo ſocietatis nomine contrahit, ultra hoſce fines nec conſocios extraneo, cum quo contrahit, nec hunc conſociis obligare valet. *Quod erat tertium.*

Denique ſi ſocius proprio nomine, vel nomine ſocietatis ſine mandato aut ultra fines mandati manifeſti cum extraneo contrahit, & quod ex contractu ab eo acceptum debetur, in rem ſocietatis verſum fuit, quando hoc de communi ſocietatis non ſolveretur, ſocietas locupletaretur ex re alterius (§. 583. *p. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo locupletior fieri debeat ex re alterius (§. 678.); ſi ſocius proprio nomine, vel nomine ſocietatis ſine mandato aut ultra fines mandati manifeſti cum extraneo contrahit & quod ex contractu acceptum debetur in rem ſocietatis fuit verſum, id de communi ſocietatis ſolvendum. *Quod erat quartum.*

Nemo alteri obligari poteſt ſine conſenſu ſuo (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*), & a voluntate uniuſcujuſque pendet, utrum ſe alteri obligare velit, nec ne (§. 386. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem in eo nihil difficultatis eſt, quod ſocius unus cum extraneo contrahens conſocios ſine eorum conſenſu eidem, eundem iſtis obligare nequeat. Quodſi vero quoad quartum excipias, fieri poſſe ut, quod in rem ſocietatis verſum eſt, non fuerit lucroſum, ſed damnoſum, veluti ſi merces emtæ viliori pretio vendendæ ſint, quam emtæ fuerant; exceptio nulla eſt. Quæſtio enim de damno ſocietati a ſocio dato ad ſocietatem ſpectat (§. 1364.); quoad contractum ſufficit, ſocietatem re, quæ ex contractu accepta, factam fuiſſe locupletiorem, aſt cum damno ejus, cum quo ſocius contraxit, locupletiorem fieri non deberet (§. 585. *part.* 3. *Jur. nat.*). Si quod ex facto ſocii damnum ſocietatis emergit, eidem imputatur (§. 1364.). Nolumus hic deſcendere ad particularia, quæ ex anterioribus facile definiuntur, modo ea in promtu ſint & ratiocinandi facultate polleas.

§. 1403.

Uſuræ quid ſint.

Uſuram dicimus, quicquid pro uſu rei, quæ uſu conſumitur, ſeu fungibilis, inprimis pecuniæ datur, ſive ſit pecunia, ſive res alia. Diſtinguitur adeo a mercede, quæ datur pro uſu rei, quæ uſu non conſumitur.

Uſuræ ſæpiſſime ſumuntur in ſignificatu ſtrictiſſimo pro pecunia, quæ pro uſu pecuniæ datur, ut ſint velut merces uſus pecuniæ. Et hic ſignificatus frequentiſſimus eſt. Sumitur tamen etiam in ſignificatu ſtrictiori vocabulum pro eo, quod mutuo accedit in eodem genere, adeoque quod pro rei fungibilis datur uſu, nec non in ſignificatu latiori pro omni eo, quod ex quovis contractu vel negotio rei debitæ accedit, ſive in eodem genere, ſive in diverſo. Vid. *Mullerus* ad *Struvium* Exerc. 27. lib. 22. Tit. 1. de uſ. &c. §. 42. not. α. Placet nobis uſuras ita definire, ut definitio contineat ſignificatus omnes, qui noſtro inſtituto conveniunt, quemadmodum ex iis eluceſcet, quæ in ſequentibus mox demonſtrabuntur. Ceterum in definitione nullam rationem habemus moralitatis earundem. Demonſtrandum enim eſt, in quantum naturaliter ſint licitæ, in quantum vero illicitæ. Unde nos parum movet, quod in Jure Canonico uſuræ plerumque intelligantur illicitæ, quando de iiſdem ſermo ſit.

§. 1404.

Æſtimatio uſus rei, quæ uſu conſumitur.

Uſus rei, quæ uſu conſumitur, aliquid æſtimabile eſt, tum quatenus intereſt ejus, cui is conceditur, eundem ſibi concedi, tum quatenus intererat concedentis, eundem alteri non concedi. Etenim ſi intereſt ejus, cui uſus conceditur, eundem ſibi concedi, aut lucrum quoddam ceſſaret ejus, aut damnum quoddam is incurreret, ſi uſus non concederetur (§. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*). Et ſi intereſt concedentis, eundem alteri non concedi, aut lucrum quoddam ceſſare debet ipſius, aut is damnum quoddam pati debet, ſi uſus concedatur (§. *cit. part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ex utroque lucro ac damno uſus rei, quæ uſu conſumitur, ubi alteri conceditur, æſtimari poſſit; uſus rei, quæ uſu conſumitur, aliquid æſtimabile eſt, tum quatenus intereſt ejus, cui is conceditur, eundem ſibi concedi; tum quatenus intereſt concedentis, eundem alteri non concedi.

Equidem non ignoro eſſe aliquos, qui contendunt, uſum rei, quæ uſu conſumitur, ab ipſa re diſtingui minime poſſe, cum rem det neceſſe ſit, qui uſum rei concedit; non tamen opus eſt, ut cum iſtis ſerram contentionis reciprocemus. Negare enim non poſſunt concesſionem uſus æſtimari poſſe ex eo, quod intereſt ejus, cui uſus conceditur, eundem ipſi concedi, atque ex eo, quod intereſt concedentis, eundem alteri non concedi, cum nemo in dubium vocare queat, id quod utriuſque intereſt, æſtimabile quid eſſe. Nobis vero perinde eſt, ſive quis dicat, conceſſionem uſus eſſe aliquid æſtimabile, ſive idem dicat de uſu ipſo, qui conceditur & quatenus conceditur: hoc nimirum reſpectu uſus rei, quæ uſu conſumitur, æſtimabilis dicitur. Etenim in Jure æſtimabile quid dicitur, quatenus valor ejus pecunia definitur, vel pecunia pro eo datur. Ex. gr. ſi tibi concedo uſum triginta modiorum frumenti, omnino conſumendi, ſi eo uti velis, poſt meſſem in genere reſtituendi; ego frumentum vendere ac pecunia interea temporis uti poteram. Ceſſat igitur lucrum, quod ex uſu pecuniæ habere poteram. Ex adverſo tu pecunia frumentum emere debuiſſes, niſi ego uſum ejus tibi concedere voluiſſem, adeoque eandem in rem tuam vertere potes, uſu frumenti mei conceſſo: quodſi pecuniam paratam non habuiſſes, eam ab alio mutuo ſumere debuiſſes. Quodſi pecuniæ uſum concedo, quam in rem tuam vertis, v. gr. emendo agrum, tu lucrum ex uſu pecuniæ percipis, qua-

tenus

tenus vel eum pro certa mercede alteri locas, vel fructus ipſe ex eo percipis. Aſt ego carere cogor uſu pecuniæ meæ, quam itidem lucriſaciendi gratia in rem meam convertere poteram. Subeundum mihi ſubinde periculum eſt amittendi rem, vel pecuniam, cujus uſum alteri concedo. Sed hoc etiam aliquid æſtimabile eſt, quatenus alterius cauſa gratis ſubire periculum rem meam amittendi non teneor. Quodſi ad circumſtantias particulares cum reſpectu concedentis, tum reſpectu ejus, cui uſus rei conceditur, in dato caſu animum advertere libuerit; haud difficulter patebit, quantum interſit concedentis, ne concedatur, quantum vero ejus, cui conceditur, ut concedatur. Uſus adeo, quando conceditur, æſtimabile quid eſt.

§. 1405.

Quoniam uſus rei, quæ uſu conſumitur, aliquid æſtimabile eſt, quatenus intereſt concedentis, ne concedatur, & ejus, cui conceditur, ut concedatur (§. 1404.), quantum autem interſit utriuſque ex circumſtantiis particularibus determinandum; *uſus rei uſu conſumendæ, qui alteri conceditur, non ſemper eodem pretio æſtimari poteſt*, conſequenter *pro eo nunc plus, nunc minus dari & accipi non repugnat*. *An pretium ejus ſemper idem ſit.*

Ex. grat. Si mercatori credatur pecunia, qui alterum tantum intra unius anni ſpatium ejuſdem uſu lucratur; pro uſu pecuniæ plus ab eo accipere licet, quam ſi eadem credatur opifici, qui ejuſdem uſu vix decimam ejus partem lucratur. Hæc nimirum ita ſe habent, ſi ad ſolum lucrum animum attendimus, quod ex uſu pecuniæ venit ei, qui accipit. Facile autem intelligitur, id quod intereſt dantis & accipientis plura comprehendere. Similiter pro uſu frumenti, quod pluris vendi poterat, quando datur, quam quando redditur, plus accipere licet, quam quod eodem pretio utroque tempore venditur, ſi nempe adſint rationes juſtæ, cur uſum non concedas gratis. Quodſi majus ſit periculum amittendæ ſortis, quin plus accipere liceat pro pecuniæ creditæ uſu, ecquis dubitet? Nobis enim jam ſermo eſt de eo, quod naturaliter licitum, non vero de eo, quod civiliter. Quemadmodum multæ ſunt rationes, quas circumſtantiæ particulares ſuggerunt, cur earundem rerum pretia nunc augeantur, nunc imminuantur; ita abſonum videri nequit, quod idem obtineat circa pretium uſus rerum, quæ ipſo uſu conſumuntur, præſertim pecuniæ.

§. 1406.

Uſuræ in ſe illicitæ non ſunt. Quoniam enim nemo tenetur alteri gratis dare, *An uſuræ* vel facere, ſi is viciſſim dare vel facere poſſit (§. 268.); nemo etiam alteri uſum *in ſe illici-* rei ſuæ gratis concedere tenetur, ſi is viciſſim ipſi aliquid dare vel facere po- *tæ ſint.* teſt. Quoniam itaque qui alteri nil gratis dare, vel facere vult, ab eodem tantundem recipiat neceſſe eſt, quantum dat, vel facit (§. 270.); qui uſum rei ſuæ alteri gratis dare non vult, ab eodem tantundem recipiat neceſſe eſt, quantum valet uſus iſte. Quamobrem cum uſus etiam rei, quæ uſu conſumitur, aliquid æſtimabile ſit (§. 1404.), ac inprimis etiam uſus pecuniæ æſtimabile quid ſit, ac pro eo pecunia dari poſſit (§. 311.); ideo neceſſe non eſt, ut rei, quæ uſu conſumitur, ac inprimis pecuniæ uſus detur gratis, ſed pro eodem tantundem accipi poteſt, quantum valet uſus rei iſtius, vel pecuniæ. Quoniam itaque pecunia vel res, quæ datur pro uſu rei, quæ uſu conſumitur, ac præſertim pecuniæ, uſura eſt (§. 1403.); uſuras accipere in ſe illicitum non eſt.

Quando itaque quæritur, num uſuræ ſint licitæ, ad hanc quæſtionem ſine limitatione reſponderi nequit. Pro diverſitate enim circumſtantiarum & licitæ, & illicitæ eſſe poſſunt, ad quas in caſu dato reſpiciendum. Per ſe nimirum indifferentes ſunt, ita ut ex earum notione demonſtrari non poſſit, utrum ſint licitæ, an illicitæ (§. 60. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſed per determinationes demum accidentales, nimirum circumſtantias particulares, in licitas, vel illicitas abeunt. Qua de cauſa nobis jam inquirendum erit, quandonam ſint licitæ, quandonam illicitæ.

§. 1407.

§. 1407.

De uſuris, ſi pecunia lucri faciendi cauſa credatur.

Si quis pecuniam lucri faciendi cauſa alteri credit, uſuræ non excedere debent partem lucri, quam haberet, ſi pecunia iſta in ſocietate fuiſſet collata, ſed potius ab ea deficere debet, quantum valet periculum damni in ſe ſolum ab accipiente ſuſcepti, ſi de ſorte ſatis ſit cautum. Etenim ſi quis pecuniam lucri faciendi cauſa accipit, cum creditor uſum gratis concedere nolit, perinde eſt ac ſi inter creditorem ac debitorem quaſi ſocietas lucri communis faciendi gratia contraheretur (§. 1318.), in qua creditor uſum pecuniæ, debitor operas confert & damnum omne in ſe ſuſcipit. Quamobrem cum in ſocietate lucrum & damnum inter ſocios ſit dividendum in ratione collatorum (§. 1341.); ſi quis pecuniam lucri faciendi cauſa ab altero accipit, uſuræ non excedere debent partem lucri, quam haberet, ſi pecunia iſta in ſocietate fuiſſet collata. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam debitor omne damnum ſolus in ſe ſuſcepit, & creditori de ſorte ſatis cautum eſt *per hypoth.* ut adeo ab omni damno immunis ſit, periculum vero damni ſit aliquid æſtimabile, cujus adeo valor auget partem creditoris, minuit partem debitoris; uſuræ ab ea parte, quam pecunia in ſocietate collata habiturus fuerat, deficeret debet, quantum valet periculum damni in ſe ſolum a debitore ſuſcepti, ſi de ſorte ſatis ſit cautum. *Quod erat alterum.*

Qui iniquitatem uſurarum accuſant, vix melius redarguuntur erroris ſui, quam provocando ad ſocietatem. Concedunt enim iniquum non eſſe, ut, ſi unus pecuniæ uſum, alter vero operas conferat, ille fiat particeps lucri in ratione uſus pecuniæ ad operas collatas, ubi periculum amittendæ ſortis non attenditur, quemadmodum in præſenti (§. 1345.). Quamobrem cum nec negare poſſint, ſi quis lucri faciendi cauſa alteri concedit uſum pecuniæ ſuæ, ut lucri eodem quæſiti pro parte fiat particeps, ſocietatem quaſi contrahi inter creditorem ac debitorem; ſi huic parti reſpondeant uſuræ, eas iniquas non eſſe quin confiteri debeant dubium non eſt. Quodſi vero caſum, quo pecuniæ uſus alteri conceditur lucrifaciendi cauſa cum ſocietate compares; hinc ſimul definire licet terminos uſurarum naturaliter licitarum, quemadmodum ex propoſitione præſente apparet. Ponamus ex. gr. te ad negotiationem aliquam concedere uſum quater mille thalerorum, quibus probabiliter quotannis lucratur debitor 800. thaleros. Ponamus porro operas, quas is confert, & curam ejuſdem valere 400. periculum vero, quod ſolus in ſe ſuſcipit, æſtimari 100. uſuræ licitæ naturaliter erunt in hoc caſu 300. Ceterum vel ex propoſitione præcedente patet, cur de contractu ſocietatis, qui actus communicatorius eſt (§. 8.), egerimus in præſenti capite, in quo nobis conſtitutum erat agere de actibus diremtoriis, quoniam ſcilicet ex hoc contractu communicatorio lucem quandam fœnerantur actus quidam diremtorii, veluti fœnerandi pecuniam, de quo jam nobis ſermo eſt, neque adeo communicatorios a diremtoriis ſeparaverimus.

§. 1408.

De rata lucri in ſocietate vendita.

Si ſocius ratam lucri vendere velit, tantundem ea valet, quantum valet ſpes lucri annui. Qui enim ratam lucri in ſocietate vendit, pretio in annum conſtituto, is utique vendit ſpem lucri annui, quod plerumque incertum eſt, nec ſingulis annis æquale. Quamobrem cum in emtione venditione naturaliter ſervanda ſit æqualitas (§. 976.), adeoque quantum dat emtor, tantundem viciſſim a venditore accipere debeat (§. 898.); ſi ſocius ratam lucri vendere velit, tantundem ea valet, quantum valet ſpes lucri annui.

Lucrum in ſocietate commune eſt (§. 1318.); adeoque dubium non eſt, quin ſocius ratam ſuam vendere poſſit (§. 1019.). Etſi autem ea certa non ſit; hoc tamen non obſtante vendi etiam poteſt ſpes lucri, quemadmodum ſuo loco clarius eluceſcet, quando de emtione ſpei acturi ſumus.

§. 1499.

§. 1409.

De rata lucri conſocii vendita.

Quoniam ſocius ratam lucri vendere poteſt (*not.* §. 1408.), ſi vero eam vendit, tantundem eadem valet, quantum valet ſpes lucri annui (§. 1408.); *ſocius quoque cum conſociis ita contrahere poteſt, ut ipſi certi quid pro rata ſua ſingulis annis detur, quantum ſcilicet valet ſpes lucri annui, quam habet.*

§. 1410.

De uſuris licitis, ſi pecuniæ uſus lucri faciendi cauſa conceditur.

Si pecuniæ uſus lucri faciendi gratia alteri conceditur, uſuræ, quæ æquivalent ſpei lucri annui, ſiquidem cum pecuniæ uſu operæ in ſocietate collatæ fuiſſent ſine periculo, licitæ ſunt naturaliter. Etenim ſi quis pecuniam lucri faciendi cauſa ab altero accipit, uſuræ excedere non debent partem lucri, quam haberet dans, ſi pecunia iſta in ſocietatem collata fuiſſet, ſed potius ab ea deficere, quantum valet periculum damni in ſe ſolum ab accipiente ſuſcepti, ſi de ſorte ſatis ſit cautum (§. 1407.), conſequenter creditor debitoris quaſi ſocius eſt partem quandam in lucro habens. Quoniam itaque ſocius cum conſocio ita contrahere poteſt, ut ipſi certi quid pro rata ſua ſingulis annis detur, quantum ſcilicet valet ſpes lucri annui, quam habet (§. 1409.); ſi pecuniæ uſus lucri faciendi gratia alteri conceditur, uſuræ, quæ æquivalent ſpei lucri annui, ſiquidem cum pecuniæ uſu operæ in ſocietate collatæ fuiſſent ſine periculo, naturaliter licitæ ſunt.

Ex.gr. in exemplo, quod antea dedimus (*not.* §. 1047) uſuræ annuæ quater mille thalerorum non excedere debent 300 thaleros, poſitis iis, quæ tum ſumſimus. Quodſi ergo quis ſpem 300. thalerorum accipiendorum ſupponat tanquam probabilem; ſi ea æſtimetur 240. thalerorum, uſuræ ſemiſſes non illicitæ ſunt.

§. 1411.

De uſuris, ſi ad emendum fundum vel ſimili de cauſa uſus pecuniæ conceditur.

Si ad emendum fundum, vel ne eundem vendere cogatur pecunia egens, uſum pecuniæ tuæ alteri concedis; uſuræ, quæ habent ad mercedem fundi locati eam rationem, quam habet quantitas pecuniæ creditæ ad pretium fundi, naturaliter licitæ ſunt. Etenim ſi uſum pecuniæ tuæ alteri concedis ad emendum fundum, vel ne eundem vendere cogatur pecunia egens, perinde eſt ac ſi lucri communis gratia emtus fuiſſet fundus, & alteri locaretur. Quamobrem cum in hoc caſu lucrum commune ſit merces fundi locati, lucrum autem commune, quando nullæ præſtantur operæ, ſit in ratione pecuniæ collatæ dividendum (§. 1341.); ſi ad emendum fundum, vel ne eundem vendere cogatur pecunia egens, uſum pecuniæ tuæ alteri concedis uſuræ, quæ habent ad mercedem fundi locati eam rationem, quam habet quantitas pecuniæ creditæ ad pretium fundi, naturaliter licitæ ſunt.

Ex gr. Si prædium emas pretio 30000 thalerorum, & ego ut emere poſſis concedo uſum pecuniæ meæ, quæ eſt 12000. thalerorum, prædium vero locari poſſit pro mercede annua ſeu penſione 1500. thalerorum; ſi mihi dentur uſuræ annuæ 600. quæ ſunt quincunces, eædem illicitæ non ſunt. Non eſt quod excipias dominum fundi in ſe ſuſcipere periculum non unum, veluti ædificiorum in villa conſervandorum, & quod iisdem caſu dari poteſt damnum; quamadmodum enim non repugnat, ita contrahere in ſocietate, ut ſis lucri particeps, a damno autem immunis (§. 1328.), præſertim cum is, qui pecuniam ſibi credi curat, æquiparandus ſit ſocio ſocium quærenti, ſine quo lucrum facere nequit; adeoque hic in æſtimando valore uſus pecuniæ creditæ reſpiciendum quoque ſit ad opportunitatem nanciſcendi creditorem, qui ſummam tantam credere poteſt vel vult (§. 1348.).

§. 1412.

De uſuris, ſi pecunia lucri faciendi cauſa non detur.

Si lucri faciendi cauſa non vis pecuniam tibi credi, alio tamen quocunque modo tua intereſt pecuniæ meæ uſum concedi, intereſt vero etiam mea, me ipſum uſu pecuniæ meæ non carere; uſuræ licitæ ſunt intra modum ejus quod utriuſque intereſt. Etenim ſi tua intereſt, uſum pecuniæ meæ concedi, mea autem intereſt, non carere uſu pecuniæ meæ, uſus pecuniæ æſtimabile quid eſt tum ex eo quod tua, tum ex eo quod mea intereſt (§. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quemadmodum itaque emi ac vendi poteſt, quicquid æſtimabile eſt (§. 1000.); ita etiam uſus pecuniæ in hypotheſi propoſitionis præſentis vendi poteſt. Enimvero quod pro uſu pecuniæ datur uſura eſt (§. 1403.). Uſuræ igitur in hypotheſi propoſitionis præſentis licitæ ſunt intra modum ejus, quod intereſt creditoris uſu pecuniæ ſuæ non carere & debitoris uſum pecuniæ ſibi concedi.

Ex. gr. ponamus me lucrum ex uſu pecuniæ meæ licitum habere poſſe, veluti licitas uſuras (§. 1410. 1411.). Ponamus porro te ſolvere debere mulctam, alias in carcerem conjiciendum, pecunia autem parata deſtitui: quin pro uſu pecuniæ ad avertendum hoc periculum tibi credendæ pro modo hujus damni & uſurarum quas ab altero accipere licebat, uſuras a te accipere liceat, ecquis dubitat? Quid ſit charitas non intelligunt, qui eam huc uſque extendere volunt, ut periculum alienum damno meo avertam, quando alter me indemnem præſtare poteſt, præſertim ſi damnum hoc mihi intolerabilius accidit, quam alteri merces mihi data pro conceſſione uſus pecuniæ meæ, ſeu pretium pro uſu eodem mihi ſolvendum. Naturaliter conceſſionem uſus pecuniæ in præſenti caſu remunerari debemus (§. 208.): quidni ergo ex naturaliter debito pacto efficere liceat perfecto debitum?

§. 1413.

Qualis actus ſit conceſſio uſus pecuniæ gratuita.

Conceſſio gratuita uſus pecuniæ ſuæ donationem continet. Etenim uſus pecuniæ aliquid æſtimabile eſt & pro eo pecunia dari poteſt (§. 311.). Quamobrem qui uſum pecuniæ ſuæ alteri gratis concedit, tantundem ei gratis dare intelligitur, quantum valet uſus pecuniæ. Enimvero qui alteri gratis quid dat, id ei donat (§. 48.). Conceſſio itaque gratuita uſus pecuniæ ſuæ donationem continet.

Ex. gr. Ponamus uſum 100. aureorum annuum valere 5. aureos. Qui per annuum ſpatium 100. aureorum uſum tibi gratis concedit: quinque aureos tibi donat. Nimirum non donantur centum aurei ipſi, quippe qui reſtituendi; ſed tantummodo donatur pecunia, qua æſtimatur valor uſus iſtorum centum aureorum. Hinc quando centum aurei mutuo dantur, cum eorum uſus gratis conceditur (§. 513.), contractus mutui donatio non eſt, eidem tamen ineſt donatio, quatenus continet dationem gratuitam ejus pecuniæ, quæ dari pro uſu centum aureorum annuo ſolet.

§. 1414.

Quando uſuræ donentur, & quando donare non liceat.

Quoniam quod datur pro uſu pecuniæ uſuræ ſunt (§. 1403.), quando vero uſus pecuniæ gratis conceditur, conceſſio donationem continet (§. 1413.); *ſi gratis alteri conceditur uſus pecuniæ ſuæ*, conſequenter *in mutuo, uſuræ donantur*, (§. 513.), & *quando donare illicitum eſt* (§. 128.), *ſine uſuris quoque pecuniam alteri credere illicitum.*

Tantum adeo abeſt, ut uſuras exigere ſit in ſe illicitum, ut potius ex adverſo haud raro illicitum ſit pecunias ſine uſuris credere. Ex. gr. ſi tantundem vix acquirere valeas, ut præſenti neceſſitati tuæ ac familiæ tuæ proſpicere valeas, & pecuniæ tuæ uſum diviti mercatori gratis concedere velles, ut eaſdem multum lucriſaceret; jure interno hoc utique illicitum foret, & non minus reprehendendus eſſes, quam ſi eidem quotannis tantundem donare velles, quantum valent uſuræ annuæ, v. gr. ſi hæ ſint 50. aurei, ac ſi totidem aureos eidem quotannis donares.

Et

Et quemadmodum iniquum foret tantum donum annuatim a te accipere; ita non minus iniquum eſt ſine hiſce uſuris eidem mutuo dare pecuniam. Velim hæc probe perpendant, qui ſimpliciter uſuras omnes tanquam in ſe illicitas damnant.

§. 1415.

Uſuræ illicitæ, ſi pecunia otioſa ad breve tempus creditur ad proſpiciendum neceſſitati alterius.

Si pecunia tibi ſit otioſa, & alter ejus uſu indigeat ad breve tempus, ut proſpiciat præſenti neceſſitati, & de ea reſtituenda tibi ſatis cautum ſit; uſuræ illicitæ ſunt. Etenim ſi pecunia tibi ſit otioſa, ea nec in præſenti indiges, nec ejus lucrum facere intendis, conſequenter ſi alteri ejus uſum ad breve tempus concedis, quem tibi eam eodem elapſo redditurum ſatis conſtat, perinde eſt ac ſi pecuniam tuam interea temporis in arca depoſitam habuiſſes, aut eandem ipſi cuſtodiendam tradidiſſes. Et quoniam alter uſu pecuniæ tuæ indiget ad breve tempus, ut præſenti cuidam neceſſitati proſpiciat, nec ipſe ex eo lucrum quoddam percipit. Quamobrem nulla ratio eſt, cur pro uſu pecuniæ in hoc caſu aliquid exigere velis, conſequenter cum ad beneficium alteri præſtandum naturaliter ſis obligatus, quantum in poteſtate eſt (§. 23.), pecuniæ tuæ uſum gratis eidem, adeoque ſine uſuris (§. 1403.) concedere teneris. Sunt igitur in hypotheſi propoſitionis præſentis uſuræ illicitæ.

Ex. gr. Si nuptias celebraturus indiges trecentis thaleris, quos mihi elapſis quinque vel ſex menſibus reſtituere potes, ego autem pecuniam paratam arcæ incluſam poſſideo, qua intra hoc tempus non uſurus ſum; quin trecentorum thalerorum uſum tibi gratis concedere debeam, æquitati autem naturali adverſetur uſuras accipere, nemo diffitebitur, niſi qui lucro inhians a benefaciendo animum alienum habet. Eſt nimirum gratuita pecuniæ ſuæ uſus conceſſio in hypotheſi propoſitionis præſentis officium humanitatis (§. 609. *part. 1. Jur. nat.*), quod in quæſtum convertere velle perinde eſt ac humanitatem exuere (§. 894. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 1416.

De uſuris illicitis ob exiguum lucrum, quod inde percipit debitor.

Si quis pecuniæ tuæ uſu vix tantundem lucrari poteſt, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit; uſuræ illicitæ ſunt. Ponamus enim debitorem uſuras ſolvere debere. Cum pecuniæ tuæ uſu vix tantundem lucrari poſſit, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit; uſuris ſolutis, non amplius habebit quod vitæ neceſſitati prorſus ſufficit, aut ne habebit quidem, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit, adeoque vel ad egeſtatem, vel ad mendicitatem ſtatim, aut ad hanc tandem redigitur (§. 238. 52.). Enimvero quia mendicis (§. 220.) & egenis danda eleemoſyna ad ſublevandam vitæ neceſſitatem in iis, quæ labore ſuo ipſi acquirere nequeunt (§. 244.); non licet lucrum facere ex eo, quod acquirunt alii labore ſuo, ut ad egeſtatem, vel mendicitatem redigantur. Quamobrem ſi quis pecuniæ tuæ uſu vix tantundem lucrari poteſt, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit, uſuræ licitæ non ſunt.

Quoniam quilibet homo alium quemcunque ope ipſius indigentem juvare debet, quantum in poteſtate ſua eſt, ut conſequatur fortunæ bona (§. 612. *part. 1. Jur. nat.*), ac cavere præterea, quantum in poteſtate ſua eſt, ne alius quicunque incidat in mala fortunæ (§. 613. *p. 1. Jur. nat.*), conſequenter in egeſtatem (§. 238.), aut prorſus in mendicitatem (§. 52.); humanitati non minus in hypotheſi propoſitionis præſentis, quam antecedentis uſuræ repugnant (*not.* §. 1045.).

§. 1417.

Quando indigenti pecuniæ ſuæ uſus non concedendus.

Si quis uſuris maxime indigeat, pecuniæ ſuæ uſum concedere non debet ei, qui eodem vix tantundem lucrari poteſt, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit. Etenim ſi quis pecuniæ tuæ uſu vix tantundem lucratur, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit, uſuræ illicitæ ſunt (§. 1416.), conſequenter eidem pecuniæ uſus gratis concedendus. Enimvero ſi uſuris maxime indigeas,

§. 1412.

De uſuris, ſi pecunia lucri faciendi cauſa non detur.

Si lucri faciendi cauſa non vis pecuniam tibi credi, alio tamen quocunque modo tua intereſt pecuniæ meæ uſum concedi, intereſt vero etiam mea, me ipſum uſu pecuniæ meæ non carere; uſuræ licitæ ſunt intra modum ejus quod utriuſque intereſt. Etenim ſi tua intereſt, uſum pecuniæ meæ concedi, mea autem intereſt, non carere uſu pecuniæ meæ, uſus pecuniæ æſtimabile quid eſt tum ex eo quod tua, tum ex eo quod mea intereſt (§. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quemadmodum itaque emi ac vendi poteſt, quicquid æſtimabile eſt (§. 1000.); ita etiam uſus pecuniæ in hypotheſi propoſitionis præſentis vendi poteſt. Enimvero quod pro uſu pecuniæ datur uſura eſt (§. 1403.). Uſuræ igitur in hypotheſi propoſitionis præſentis licitæ ſunt intra modum ejus, quod intereſt creditoris uſu pecuniæ ſuæ non carere & debitoris uſum pecuniæ ſibi concedi.

Ex. gr. ponamus me lucrum ex uſu pecuniæ meæ licitum habere poſſe, veluti licitas uſuras (§. 1410. 1411.). Ponamus porro te ſolvere debere mulctam, alias in carcerem conjiciendum, pecunia autem parata deſtitui: quin pro uſu pecuniæ ad avertendum hoc periculum tibi credendæ pro modo hujus damni & uſurarum quas ab altero accipere licebat, uſuras a te accipere liceat, ecquis dubitat? Quid ſit charitas non intelligunt, qui eam huc uſque extendere volunt; ut periculum alienum damno meo avertam, quando alter me indemnem præſtare poteſt, præſertim ſi damnum hoc mihi intolerabilius accidit, quam alteri merces mihi data pro conceſſione uſus pecuniæ meæ, ſeu pretium pro uſu eodem mihi ſolvendum. Naturaliter conceſſionem uſus pecuniæ in præſenti caſu remunerari debemus (§. 208.): quidni ergo ex naturaliter debito pacto efficere liceat perfecto debitum?

§. 1413.

Qualis actus ſit conceſſio uſus pecuniæ gratuita.

Conceſſio gratuita uſus pecuniæ ſuæ donationem continet. Etenim uſus pecuniæ aliquid æſtimabile eſt & pro eo pecunia dari poteſt (§. 311.). Quamobrem qui uſum pecuniæ ſuæ alteri gratis concedit, tantundem ei gratis dare intelligitur, quantum valet uſus pecuniæ. Enimvero qui alteri gratis quid dat, id ei donat (§. 48.). Conceſſio itaque gratuita uſus pecuniæ ſuæ donationem continet.

Ex. gr. Ponamus uſum 100. aureorum annuum valere 5. aureos. Qui per annuum ſpatium 100. aureorum uſum tibi gratis concedit: quinque aureos tibi donat. Nimirum non donantur centum aurei ipſi, quippe qui reſtituendi; ſed tantummodo donatur pecunia, qua æſtimatur valor uſus iſtorum centum aureorum. Hinc quando centum aurei mutuo dantur, cum eorum uſus gratis concedatur (§. 513.), contractus mutui donatio non eſt, eidem tamen ineſt donatio, quatenus continet dationem gratuitam ejus pecuniæ, quæ dari pro uſu centum aureorum annuo ſolet.

§. 1414.

Quando uſuræ donentur, & quando donare non liceat.

Quoniam quod datur pro uſu pecuniæ uſuræ ſunt (§. 1403.), quando vero uſus pecuniæ gratis conceditur, conceſſio donationem continet (§. 1413.); *ſi gratis alteri conceditur uſus pecuniæ ſuæ*, conſequenter *in mutuo, uſuræ donantur*, (§. 513.), & *quando donare illicitum eſt* (§. 128.), *ſine uſuris quoque pecuniam alteri credere illicitum.*

Tantum adeo abeſt, ut uſuras exigere ſit in ſe illicitum, ut potius ex adverſo haud raro illicitum ſit pecunias ſine uſuris credere. Ex. gr. ſi tantundem vix acquirere valeas, ut præſenti neceſſitati tuæ ac familiæ tuæ proſpicere valeas, & pecuniæ tuæ uſum diviti mercatori gratis concedere velles, ut eaſdem multum lucrifaceret; jure interno hoc utique illicitum foret, & non minus reprehendendus eſſes, quam ſi eidem quotannis tantundem donare velles, quantum valent uſuræ annuæ, v. gr. ſi hæ ſint 50. aurei, ac ſi totidem aureos eidem quotannis donares.

Et

Et quemadmodum iniquum foret tantum donum annuatim a te accipere; ita non minus iniquum eſt ſine hiſce uſuris eidem mutuo dare pecuniam. Velim hæc probe perpendant, qui ſimpliciter uſuras omnes tanquam in ſe illicitas damnant.

§. 1415.

Si pecunia tibi ſit otioſa, & alter ejus uſu indigeat ad breve tempus, ut proſpiciat præſenti neceſſitati, & de ea reſtituenda tibi ſatis cautum ſit; uſuræ illicitæ ſunt. Etenim ſi pecunia tibi ſit otioſa, ea nec in præſenti indiges, nec ejus lucrum facere intendis, conſequenter ſi alteri ejus uſum ad breve tempus concedis, quem tibi eam eodem elapſo redditurum ſatis conſtat, perinde eſt ac ſi pecuniam tuam interea temporis in arca depoſitam habuiſſes, aut eandem ipſi cuſtodiendam tradidiſſes. Et quoniam alter uſu pecuniæ tuæ indiget ad breve tempus, ut præſenti cuidam neceſſitati proſpiciat, nec ipſe ex eo lucrum quoddam percipit. Quamobrem nulla ratio eſt, cur pro uſu pecuniæ in hoc caſu aliquid exigere velis, conſequenter cum ad beneficium alteri præſtandum naturaliter ſis obligatus, quantum in poteſtate eſt (§. 23.), pecuniæ tuæ uſum gratis eidem, adeoque ſine uſuris (§. 1403.) concedere teneris. Sunt igitur in hypotheſi propoſitionis præſentis uſuræ illicitæ.

Uſuræ illicitæ, ſi pecunia otioſa ad breve tempus credatur ad proſpiciendum neceſſitati alterius.

Ex. gr. Si nuptias celebraturus indiges trecentis thaleris, quos mihi elapſis quinque vel ſex menſibus reſtituere potes, ego autem pecuniam paratam arcæ incluſam poſſideo, qua intra hoc tempus non uſurus ſum; quin trecentorum thalerorum uſum tibi gratis concedere debeam, æquitati autem naturali adverſetur uſuras accipere, nemo diffitebitur, niſi qui lucro inhians a benefaciendo animum alienum habet. Eſt nimirum gratuita pecuniæ ſuæ uſus conceſſio in hypotheſi propoſitionis præſentis officium humanitatis (§. 609. *part.* 1. *Jur. nat.*), quod in quæſtum convertere velle perinde eſt ac humanitatem exuere (§. 894. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 1416.

Si quis pecuniæ tuæ uſu vix tantundem lucrari poteſt, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit; uſuræ illicitæ ſunt. Ponamus enim debitorem uſuras ſolvere debere. Cum pecuniæ tuæ uſu vix tantundem lucrari poſſit, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit; uſuris ſolutis, non amplius habebit quod vitæ neceſſitati prorſus ſufficit, aut ne habebit quidem, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit, adeoque vel ad egeſtatem, vel ad mendicitatem ſtatim, aut ad hanc tandem redigitur (§. 238. 52.). Enimvero quia mendicis (§. 220.) & egenis danda eleemoſyna ad ſublevandam vitæ neceſſitatem in iis, quæ labore ſuo ipſi acquirere nequeunt (§. 244.); non licet lucrum facere ex eo, quod acquirunt alii labore ſuo, ut ad egeſtatem, vel mendicitatem redigantur. Quamobrem ſi quis pecuniæ tuæ uſu vix tantundem lucrari poteſt, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit, uſuræ licitæ non ſunt.

De uſuris illicitis ob exiguum lucrum, quod inde percipit debitor.

Quoniam quilibet homo alium quemcunque ope ipſius indigentem juvare debet, quantum in poteſtate ſua eſt, ut conſequatur fortunæ bona (§. 612. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac cavere præterea, quantum in poteſtate ſua eſt, ne alius quicunque incidat in mala fortunæ (§. 613. *p.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter in egeſtatem (§. 238.), aut prorſus in mendicitatem (§. 52.); humanitati non minus in hypotheſi propoſitionis præſentis, quam antecedentis uſuræ repugnant (*not.* §. 1045.).

§. 1417.

Si quis uſuris maxime indigeat, pecuniæ ſuæ uſum concedere non debet ei, qui eodem vix tantundem lucrari poteſt, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit. Etenim ſi quis pecuniæ tuæ uſu vix tantundem lucratur, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit, uſuræ illicitæ ſunt (§. 1416.), conſequenter eidem pecuniæ uſus gratis concedendus. Enimvero ſi uſuris maxime indigeas,

Quando indigenti pecuniæ ſuæ uſus non concedendus.

geas, & ſine uſuris pecuniæ tuæ uſum alteri concedere volueris; perinde omnino erit, ac ſi alteri dares, quo ipſe maxime indiges. Quoniam itaque nemo alteri dare tenetur id, quo ipſemet indiget (§. 127. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi uſuris maxime indiges, pecuniæ tuæ uſum concedere non debes ei, qui eodem vix tantundem lucrari poteſt, quantum ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficit.

Denegare officium humanitatis, quando ejus præſtatio in poteſtate tua non eſt, humanitati minime repugnat. Officia enim humanitatis hanc habent reſtrictionem, ſi abſque neglectu officii erga teipſum hoc fieri poſſit (§ 608. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac ſine neglectu eorum, quos aliis præferre debes (§. 668. *part.* 1. *Jur. nat.*). Id autem in poteſtate tua non eſt, quod alteri præſtare non vales, niſi cum neglectu officii erga temetipſum (§. 610. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 1418.

De æquipollentia uſus rei fungibilis & uſus pecuniæ. *Si uſus rei fungibilis, quam vendere volebas, alteri conceditur; perinde eſt, ac ſi uſum pecuniæ, quæ pro ea datur ab emtore, eidem concederes.* Etenim ſi rem vendis, pecuniam pro ea accipis ab emtore (§. 937.). Quoniam vero eam vendere nequis, cum ipſo uſu conſummetur, ſi ejus uſum alteri concedis; pecunia, quam pro ea accipere poteras, carere debes. Perinde igitur eſt, ac ſi eam vendidiſſes ac uſum pecuniæ ab emtore acceptæ alteri conceſſiſſes.

Ex. gr. Concedo tibi uſum decem modiorum frumenti, quos ſi vendidiſſem, pro iis accipere poteram decem thaleros. Perinde omnino eſt, ſive tibi utendos dem decem frumenti modios; ſive decem thaleros, quibus eam frumenti quantitatem emere poteras.

§. 1419.

Quando uſuræ licitæ & illicitæ, ſi res quæcunque fungibilis utenda detur. Quoniam ſi uſus rei fungibilis, quam vendere volebas, alteri conceditur, perinde eſt, ac ſi uſum pecuniæ, quæ ab emtore datur, eidem concederes (§. 1418.); *quando pro uſu pecuniæ uſuræ licite dantur & accipiuntur, uſuræ etiam licite dantur & accipiuntur pro uſu rei fungibilis cujuſcunque, quam vendere volebas & contra.*

Non itaque opus eſt, ut de uſuris pro uſu rerum fungibilium licite accipiendis, vel non accipiendis plura dicamus, cum abunde ſufficiat, demonſtraſſe, quod æquipolleant uſuris pro uſu pecuniæ acceptis.

§. 1420.

De uſuris illicitis, ſi re fungibili non indigemus, nec eam vendere volumus. *Si rei fungibilis, qua ipſe in præſenti non indiges, quam tamen vendere nolebas, uſum alteri concedis; uſuræ licitæ non ſunt.* Etenim ſi re fungibili in præſenti non ipſe indiges, eam tamen nec vendere velis, perinde omnino eſt, ubi ejus uſum alteri concedis, ac ſi eam in futuros uſus aſſervares. Quamobrem cum in hoc caſu ratio nulla ſit, cur pro uſu ejus ab altero quid exigere velis, quicquid vero ad hoc conferre valemus, ne deſint aliis, quæ ad vitæ neceſſitatem, immo & ad eam commode ac jucunde tranſigendam faciunt, id promte conferre debeamus (§. 644. 645. *part.* 1. *Jur. nat.*); quin gratis alteri uſum rei fungibilis, qua ipſimet in præſenti non indigemus, quam vero vendere nolumus, concedere debeamus, conſequenter illicitæ ſint uſuræ (§. 1404.), dubitandum non eſt.

Ex. grat. Ponamus tibi eſſe frumentum ſuperfluum, quod tamen nunc vendere non vis. Si alteri concedis uſum ejus uſque ad meſſem futuram, qua finita id tibi reſtituit; æquitati omnino adverſum foret, ſiquidem uſuras exigere velles. Repugnant in hoc caſu uſuræ humanitati, quemadmodum ex demonſtratione facile intelligitur, quam exuere non licet (§. 895. *p.* 1. *Jur. nat.*).

§. 1421.

§. 1421.

Si qui uſuras ſolvere paratus eſt in arbitrio tuo relinquit, utrum eas accipere, an hanc pecuniæ ſummam ob juſtam uſurarum cauſam, vel lucri faciendi gratia eidem credere velis; ſub uſuris credere uſuras acceptas licitum eſt naturaliter. Nemo dubitat, quin ei, cui certam pecuniæ ſummam ſub uſuris credidiſti, aliam adhuc credere poſſis itidem ſub uſuris, ſi adſit cauſa debendi, ob quam uſuræ licitæ ſunt, veluti ſi uſus pecuniæ lucri faciendi cauſa eidem conceditur (§. 1407.). Enimvero ſi qui uſuras ſolvere paratus eſt in arbitrio tuo relinquit, utrum eas accipere, an hanc pecuniæ ſummam ob juſtam uſurarum cauſam, veluti lucri faciendi gratia eidem credere velis; perinde eſt ac ſi ſummam pecuniæ, quæ uſuras adæquat, cum uſuræ ſolutæ pro uſuris non amplius reputentur, ſed ad bona tua pertineant (§. 448. *part 2. Jur. nat.*), eidem ob juſtam uſurarum cauſam, veluti lucri faciendi gratia crederes. Quamobrem ratio nulla eſt, cur non ſub uſuris uſuras acceptas eidem credere poſſis, adeoque uſuras acceptas, vel quas ſolvere alter debet ac ſolvere paratus eſt, ſub uſuris eidem credere naturaliter licitum. *An uſuræ uſurarum naturaliter aliquando licitæ.*

Qui uſuras ſolvit, tantum pecuniæ, quantum tibi dat, ab alio ſub onere uſurarum accipere poteſt, & tu ſub eodem onere pecuniam iſtam alteri credere potes. Cum adeo perinde ſit, utrum debitor tuus novum debitum a te, an ab alio contrahat, & utrum tu pecuniam tuam ipſi, an alii ſub uſuris credas; naturaliter nil obſtat, quo minus pro uſuris uſuræ ſolvi poſſint, modo adſit juſta uſuras ſolvendi cauſa. Neque enim ex eo uſuræ efficiuntur illicitæ, quod pro uſu pecuniæ ex uſuris redactæ uſuræ dentur, quoniam alias eadem pecunia ſub uſuris nemini unquam credi poſſet. Etſi autem naturaliter in ſe illicitæ non ſint uſuræ uſurarum; alia tamen quæſtio eſt, num in civitate eas tolerari conſultum ſit: de quo ſuo loco diſpiciemus.

§. 1422.

Quoniam uſuræ, quas debitor ſolvere paratus eſt, ob cauſam uſurarum juſtam eidem ſub uſuris credere naturaliter licitum (§. 1421.); *uſuræ uſurarum in ſe illicitæ non ſunt.* *An in ſe illicitæ.*

Qui uſuras uſurarum in ſe illicitas eſſe arbitrantur, quod civile eſt cum naturali confundunt, aut quod ſub certis determinationibus illicitum eſt, pro illicito in ſe perperam habent.

§. 1423.

Contractum fœnebrem appellamus, quo convenitur, ut pro uſu rei fungibilis, præſertim pecuniæ, dentur uſuræ, quemadmodum *Pecunia fœnebris* dicitur, pro cujus uſu accipiuntur uſuræ. *Contractus fœnebris, quinam dicatur.*

Cum mutuum non ſit, ſi pro uſu rei fungibilis vel pecuniæ quid exigitur (§. 571. 572.), conſequenter ſi eidem accedat pactum de uſuris ſolvendis, mutuum in contractum alium mutetur; non male eundem contractum fœnebrem appellari exiſtimamus, cum in Jure Romano pecunia fœnebris vocetur, pro cujus uſu uſuræ ſolvuntur.

§. 1424.

Quoniam in contractu fœnebri tantummodo conceditur uſus rei, res autem in ſpecie reſtitui nequit, quia uſu conſumitur, & pro uſu rei ſolvendæ uſuræ (§. 1412.); *debitor ex contractu fœnebri obligatur ad rem in genere reſtituendam & uſuras ſolvendas.* *Obligatio debitoris ex contractu fœnebri.*

Nimirum obligationi, quæ ex mutuo venit, hic accedit obligatio ſolvendi uſuras, quæ ceſſat in mutuo, cum mutuans uſum rei gratis concedens (§. 513.) nihil viciſſim recipiat a mutuatario (§. 18.).

§. 1425.

Quænam contractui fœnebri cum mutuo communia ſint.

Quia tam in mutuo, quam in contractu fœnebri uſus rei fungibilis conceditur alteri, niſi quod in illo concedatur gratis, in hoc pro eodem ſolvendæ ſint uſuræ (§. 513. 1422.); *quæ ex conceſſione uſus rei fungibilis in genere demonſtrata ſunt de mutuo, ea etiam valent de contractu fœnebri.*

Nimirum mutuum & contractus fœnebris tanquam duæ ſpecies ſubſtant eidem generi, ſcilicet actui obligatorio, quo datur uſus rei fungibilis; differentia autem ſpecifica in eo conſiſtit, quod is detur vel gratis, unde mutuum; vel ut dentur uſuræ, unde contractus fœnebris oritur. Quicquid vero competit generi, adeoque ex actu obligatorio, quo datur uſus rei fungibilis alteri, deducitur, id etiam competit utrique ſpeciei, nimirum tam mutuo, quam contractui fœnebri. Actus ſcilicet aliis utiles vel in dando, vel in faciendo conſiſtunt (§. 1.), dari vero poteſt res tam corporalis, quam incorporalis, uſus rei tam nudus, quam cum fructu conjunctus, & pecunia (§. 10.). Hinc facile definiuntur ſpecies vel genera *actuum datariorum* tam eorum, qui in præſens abſolvuntur, quam eorum qui in futurum prominent, ſeu obligatoriorum, quorum e numero eſt etiam actus datarius obligatorius, quo datur uſus rei. Hæc quidem tenenda ſunt, ſi quis jus naturæ ad principia generalia reducere velit, & ea noſſe uſui eſt ad inveniendum.

§. 1426.

De anatociſmo.

Anatociſmus eſt pactum, quo convenitur, ut uſuræ convertantur in ſortem, & debeantur etiam uſuræ uſurarum. Dicitur etiam *Anatocbia*. Quoniam uſuræ uſurarum in ſe illicitæ non ſunt (§. 1423.); *Anatociſmus in ſe illicitus non eſt*. Et quoniam uſuras uſurarum accipere naturaliter licet, *ſi debitor* ex iis *in rem ſuam verſis lucrum faciat* (§. 1421.); in eodem caſu *anatociſmus* quoque *naturaliter licitus*.

Ex. gr. Ponamus mercatorem divitem tibi debere uſuras annuas 1000. thalerorum. Quodſi is ex uſu hujus pecuniæ lucrum facere poſſit, naturaliter nil obſtat, quo minus eædem in ſortem computentur & anno ſequente pro hiſce etiam uſuris, quæ in fine anni primi ſolvendæ fuerant, debeantur uſuræ ac ita porro. Similiter ſi quis ædes extruit ac tibi in fine anni debet uſuras centum thalerorum, quibus tu indiges ad faciendum expenſas ordinarias, & debitor uſuras ſoluturus pecuniam ab alio fœnerari neceſſe habet, tu autem ad uſuram accipis centum thaleros & ad uſuram ipſi relinquis pecuniam, quam ſolvere debebat; nihil hic committitur, quod naturaliter reprehendi poterat. Non tamen hinc inferri poteſt, anatociſmum in civitate eſſe tolerandum, nec ſimpliciter lege poſitiva prohiberi poſſe; de quo ſuo loco diſpiciendum.

§. 1427.

An uſuræ naturaliter ultra duplum currant.

Naturaliter uſuræ licitæ currunt ultra duplum. Etenim ſi uſuræ licite exiguntur, cum pecuniam fœnerare liceat per tantum annorum intervallum, per quantum volueris (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*); uſuræ, quæ in fine anni primi ſolvuntur, vel ſolvendæ ſunt, non mutant cauſam, ob quam etiam anno ſequente licite exigantur. Et quoniam hoc valet per omne temporis intervallum, per quod uſus pecuniæ tuæ alteri conceditur, & tu eadem uti cum ipſe poſſes, ejus uſu carere debes, naturalis ratio nulla eſt, quo minus uſuræ licitæ currant per quodcunque temporis intervallum, adeoque ultra duplum.

Diximus uſuras licitas naturaliter ultra duplum currere poſſe: quodſi enim emergat caſus, ubi dantur rationes, cur uſuræ licite exigi nequeant, naturaliter ne ad duplum quidem currere poſſunt. Nec eſt, quod excipias, eas ultra duplum currere non debere, ſi non fuerint ſolutæ. Neque enim propterea anni ſequentis uſuras effici poſſe illicitas, quia præcedente debitæ non fuerunt ſolutæ, vel exinde patet, quod etiam conveniri poſſit, ut uſuræ ſolvantur decennales, tricennales & ita porro, ſeu in fine demum temporis, quo ſors reſtituenda: quod haud raro

ro commodo fit debitoris, ſi nempe is pecuniâ, quam ſolvere debebat, intereà uti eaque in rem ſuam verſa lucrum facere poſſit. Quamdiu tu lucrum facis utendo pecunia aliena, uſuræ æquiparantur fructibus ex re aliena perceptis, quos eſſe reſtituendos, quantacunque fuerit eorum quantitas non dubitatur. Quid vero conveniat in civitate conſtitui, ſuo patebit loco.

§. 1428.

Si debitor fuerit in mora, uſuras pro eo, quod ſolvere debebat, a die moræ ſolvere tenetur. Etenim ſi debitor in mora eſt, eo die non ſolvit debitum, quo ſolvere debebat (§. 638. 96. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque tu pecuniæ uſu carere debes, conſequenter damnum incurris (§. 486. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero ſi quis damnum incurrit, propterea quod tu in mora es, ad id quod intereſt teneris (§. 655. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam debitor, ſi in mora fuerit, creditori tenetur ad id quod intereſt. Enimvero intererat creditoris pecunia, quam ſolvere debebas, uti poſſe. Quodſi ergo in mora es, ad id præſtandum teneris, quantum valet uſus pecuniæ a die moræ. Aſt quod pro uſu pecuniæ datur uſura eſt (§. 1403.). Quare ſi debitor in mora fuerit, uſuras pro eo, quod ſolvere debebas, a die moræ ſolvere teneris. *De uſuris ob moram debitis.*

§. 1429.

Hinc *uſuræ* dividuntur in *voluntarias* ſeu *conventionales*, quæ ex pacto debentur, & in *neceſſarias*, quæ debentur ſine conventione, veluti ex mora (§. 1428.). *Differentia uſurarum.*

Uſuræ neceſſariæ debentur ex contractu quocunque, ex quo aliquid ſolvendum certo tempore, veluti ex contractu emtionis venditionis, ſi non ſolvatur pretium eo tempore, quo ſolvi debebat. Quoniam tamen reo debendi mora indulgeri poteſt (§. 654. *part.* 3. *Jur. nat.*), quamdiu vero eum non interpellas, mora indulgeri præſumitur; *a die interpellationis mora debitoris incipit.*

§. 1430.

Uſuræ mordentes dicuntur, quæ officio erga alios repugnant: aſt *non mordentes*, quæ non repugnant. Quoniam alterum juvare debemus, quantum in nobis eſt, ut conſequatur fortunæ bona (§. 612. *part.* 1. *Jur. nat.*), nequaquam vero hoc agere, ut alter incidat in mala fortunæ, ſed cavere potius, ne hoc fiat (§. 700. 613. *part.* 1. *Jur. nat.*); *uſuræ mordentes ſunt, ſi exiguntur ab eo, qui uſu pecuniæ vix tantundem lucrari poteſt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit, aut ſi excedunt lucrum, quod uſu pecuniæ facere poteſt debitor.* Et quoniam charitas complectitur omnia officia erga alios (§. 654. *part.* 1. *Jur. nat.*), uſuræ autem mordentes officio erga alios repugnant; *uſuræ mordentes charitati repugnant.* *Uſuræ quænam mordentes, quænam non mordentes.*

Uſuræ in mordentes ac non mordentes dividuntur a Canoniſtis. & vocantur illæ, quæ charitatem offendunt, ſeu dilectionem proximi (§. 620. *part.* 1. *Jur. nat.*). His adeo cum opponantur non mordentes, eædem utique dilectionem proximi offendere non debent, ſi in ſenſu juris naturalis explicandæ ſint definitiones, ut adeo naturaliter mordentes eſſe poſſint, quæ civiliter pro talibus non habentur.

§. 1431.

Uſuræ mordentes naturaliter illicitæ ſunt; non mordentes naturaliter licitæ. Etenim uſuræ mordentes charitati repugnant (§. 1430.). Quamobrem cum ad charitatem ipſa lege naturæ obligemur (§. 621. *part.* 1. *Jur. nat.*) & hæc obligatio neceſſaria ac prorſus immutabilis ſit (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); uſuras quoque mordentes exigere non licet (§. 170 *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque eædem illicitæ ſunt naturaliter. *Quod erat unum.* *Quænam uſuræ naturaliter licitæ, quænam illicitæ.*

Enim-

CONSPECTUS
PARTIS QUARTÆ
JURIS NATURÆ
De Actibus ad aliorum utilitatem tendentibus in ſpecie.

CAPUT PRIMUM.

De Actibus mere beneficis, qui in præſens abſolvuntur, ubi etiam de donationibus. 1

CAPUT II.

De Pretio rerum & Pecunia. 8
5

CAPUT III.

De Actibus beneficis obligatoriis, ſeu Contractibus beneficis, 133
Commodato, ibid.
Mutuo, 173
Depoſito, 183
Sequeſtro, 200
Mandato, 203
Fidejuſſione, 253
Expromiſſione, 282

CAPUT IV.

De Actibus permutatoriis, ſeu Contractibus oneroſis, 287
Permutatione, ibid.
Emtione venditione. 303
Arrhæ datione, 324
Addictione in diem, 358
Lege commiſſoria. 366
Pacto de retrahendo, 374
Pacto de retrovendendo & redimendo, 379
Commodo & periculo rei emtæ, 382

Evi-

Eviƈtione; 397
Locatione conduƈtione, 405
Soccida, 443
Societate, 448
Uſuris, ſeu contraƈtu fœnebri, 476
Anatociſmo. 484

FINIS CONSPECTUS.

INDEX

INDEX
VERBORUM ET RERUM PRÆCIPUARUM,

In quo Numeri Paragraphos denotant.

A

Acceptatio num ad donationem requiratur. 58. in quibus actibus præſumatur. 168. 173. quando in donatione præſumatur. 169. 174. num innoteſcere debeat donatori. 170

Accidentia grata rei. Definitio. 1038. an ſint æſtimabilia & quo effectu. 1039. num a venditore indicanda emtori. 1041

Accidentia ingrata rei. Definitio. 1038. an ſint æſtimabilia & quo effectu. 1039

Acquiſita quænam bonis accenſeantur in ſocietate omnium bonorum. 1369

Actus beneficus. Definitio. 2

Actus beneficus obligatorius. Definitio. 5. ſpecies. 15

Actus communicatorius. Definitio. 8. quando adimpleatur. *ib.* ſpecies. 14

Actus diremtorius. Definitio. 7. ſpecies. 9

Actus gratuitus. Definitio. 18

Actus mere beneficus. Definitio. 4. ſpecies. 16

Actus permutatorius. Definitio. 6. quænam in iis permutentur. *ib.* an hi actus ſint liciti. 269

Actus reſcindi quando dicatur. 928

Actus ſimplices. Definitio. 2

Actus utiles quales ſint. 1. quomodo perficiantur. 163. an per epiſtolas. 165. 166

Addictio in diem. Definitio. 1065. quibus verbis fieri debeat. 1073. in cujus gratiam fiat. 1076. ſi fiat in gratiam emtoris. 1078. ſi in gratiam venditoris, quid obtineat. 1077. num ex intervallo facta ſit valida. 1071. an melior conditio in ea præciſe determinanda. 1068. quando in ea pretium ſolvendum & res tradenda. 1066

Addictio in diem pura. Definitio. 1065. ſub qua conditione fiat. *ibid.*

Addictio in diem conditionata. Definitio. 1065. ſub qua conditione fiat. *ibid.*

Addictio in diem ſub conditione reſolutiva ſi fiat, quid ſit juris. 1079. an venditor cogatur rem relinquere emtori eandem conditionem offerenti, quam offert alius. 1082. an melior conditio oblata indicanda ſit emtori primo. 1083. an ea oblata venditor rem ſibi retinere poſſit. 1084

Addictio in diem ſub conditione ſuſpenſiva ſi fiat, quid ſit juris. 1080. cujuſnam ſit res deficiente conditione. 1085

Adpromiſſor. Definitio. 866

Æſtimatio an pro re dari poſſit in permutatione. 886

Æſtimatio nummorum quando mutuo detur. 555

Æqualitas in contractu oneroſo. Definitio. 898. quando obſervetur. 899. an ea ſal-

va ex contractu unus locupletior fieri poſſit. 900
Æqualitas in emtione venditione num obſervanda. 975. 977. an admittat æſtimationem accidentium. 1040
Æqualitas in locatione conductione num obſervanda. 1219
Æqualitas in permutatione num obſervanda. 919. 920. 922. an obſervetur, ſi res ſint diverſi pretii. 923. quomodo res dandæ, ut obſervetur. 902
Æqualitas in ſocietate num obſervanda. 1358. an in conferendo. 1339. an in lucro & damno dividendo. 1340
Alienatio rei permutatæ ac traditæ. 932. nondum traditæ. 930
Anatociſmus. Definitio. 1426. an in ſe illicitus. *ibid.*
Animus deliberatus in donando & donatione acceptanda. 108
Animus in acquirendo qualis eſſe debeat. 395
Appetitus ſenſitivus quando invalidet donationem. 82
Arrha. Definitio. 987. a quonam detur & accipiatur. 988. quid ſignificet & quomodo contractui accedat. 990. ſi is detur tanquam pars debiti. 991. 992. ſi eo fine, ut contractus adimpleatur. 993. quando det libertatem a pacto recedendi. 995. quando indicet contractum eſſe revocabiliter ſub pœna. 997
Arrhæ datio. Definitio. 987. qualis ſit contractus. 989
diſpendium num liberet a contractu. 998. 999
retentio & reſtitutio. 994
Aridorum quantitas phyſica quomodo determinetur. 284. 285
Artifex. Definitio. 1271. obligatio. 1272
Artificis imperiti opera ſi conducatur. 1274
Avaritia. Definitio. 398. num prohibita. *ib.*
Auctor ſc. juris. Definitio. 1185
Auctor malus. Definitio. 1186

B

B*Enefactor*. Definitio. 20. quinam ſit. 20. an amare debeat beneficiarium. 38. num habeat jus compellendi beneficiarium ad gratitudinem. 94
Beneficiarius. Definitio. 20. jus. 26. animus erga benefactorem qualis eſſe debeat. 40. obligatio ad gratias agendas. 39. ad gratitudinem. 43. ad reddendum beneficium. 41. num amare debeat benefactorem. 39
Beneficium. Definitio. 17. in quo conſiſtat. *ib.* qualis ſit actus. 19. quo animo dandum. 35. materia. 21. effectus. 33. 34. fons. 36. qualis ſit actus. 207. cui dandum. 222. quando ſit donatio, vel eleemoſyna. 56. quando beneficia danda. 22. ad ea exhibenda obligatio. 23. qualia ſint in communione primæva. 24. num ſint debita. 25. quomodo debeantur. 26. num ad ea quis cogi poſſit. 27. a cujus arbitrio dependeant. 29. quibusnam debeantur. 30
Beneficium num denegari poſſit & num denegatio ſit ferenda. 28
Beneficium obtrudi quando dicatur. 199. num poſſit. 200
Beneficium petendi jus cui competat. 222
Beneficium reddere. Definitio. 32. an ad reddendum obligemur. 41
Bene mereri de aliquo quid ſit. 206
Bona ſocietatis. Definitio. 1332
Bonitas intrinſeca & extrinſeca monetæ. Definitio. 544

C

C*Aſus* num a commodatario præſtandus. 447. & ſeqq. num a conductore. 260. num a conductore operis, ſi caſus in materia contingat. 1266. 1268. 1269. num ſi in opere. 1276. num a colono, ſi in fructibus contingat. 1298. 1299. num a mandatario. 686. num a depoſitario. 593. 584. 606
Cir-

Circumſpectio in emtione neceſſaria. 1173. in mutuo. 542
Colonus. Definitio. 1195
Commendatio. Definitio. 643. an ſint contractus. 647. an pariat obligationem. 646. an ſit mandatum. 648
Commiſſoria. Definitio. 1086
Committere quid ſignificet. 641. committentis intentio. 642
Committi quando res dicatur. 1086. 1087.
Commodans. Definitio. 421. jus. 425. an ad commodandum cogi poſſit. 426. quando conſentiat in rei deteriorationem. 440. in quamnam jure interno conſentiat. 443. obligatio quoad repetitionem rei commodatæ. 499. 500. 501. num remittere poſſit reparationem damni dati. 458. 459. ſi ſua duntaxat cauſa commodet. 454. & ſeqq. quando in hoc caſu ejus ſit culpa. 460. quando culpam præſtare teneatur commodatarius. 462. 464. num dolum. 461
Commodare quinam poſſit. 422. an naturaliter obligemur. 476. 478. 479. an qui non vult rationem reddere teneatur, cur nolit. 481
Commodata res quando reſtituenda, antequam ea uti poteris. 496. 498
Commodatarius. Definitio. 421. jus. 427. quando furtum uſus committat. 465. 466. num dolum & culpam præſtet, *ibidem* quando ſolum dolum præſtet. 463. quid præter rem reſtituere debeat commodanti. 679. ad quid teneatur, ſi commodatum ultro offertur. 475. ad quid, ſi ſua duntaxat cauſa commodans commodet. 461. 462. ad quid, ſi utriuſque cauſa commodetur. 467. quando jus rem commodatam vindicandi habeat, 458.
Commodatum. Definitio. 418. objectum. 419. qualem requirat actum. 433. qualis ſit contractus. 438. quando naturaliter denegari poſſit. 477. 480. quamnam habeat tacitam conditionem. 497. ſi mandetur, cujuſnam ſit periculum. 691. an honorarium ei accedere poſſit. 740. an abeat in alium contractum, ſi quid pro uſu exigitur. 571
Commodatum rei alienæ. 492
rei vitioſæ. 503
rei unius quando multiplicetur. 495.
Commodum rei in diem addictæ. 1131
Commodum rei emtæ ad quem pertineat. 1125. quando ordinarie ſit emtoris. 1127. quando venditoris. 1128. quomodo de eo conveniri poſſit. 1126. cujuſnam ſit, ſi ad certum tempus ematur. 1130. ſi in diem. 1129. ſi ſub certa conditione. 1139
Commodum rei guſtu probandæ vel inſpiciendæ emendi cauſa, cujuſnam ſit. 1140.
Commodum rei guſtu probatæ vel inſpectæ emendi cauſa, quamdiu ſit venditoris. 1141.
Commodum rei venditæ in genere. 1137. ſub conditione reſolutiva. 1133. alternative. 1151. 1152. ſub lege commiſſoria. 1132. bis venditæ. 1149.
Communicatio factorum, rerum & pecuniæ. 13
Conditio melior. Definitio. 1067
Conditio tacita quænam commodato inexiſtat. 497
Conductor. Definitio. 1195. obligatio. 1198. an ſolvere teneatur mercedem, ſi re vel operis uti non potuerit. 1199
Conductor operarum num teneatur locatori de damno, quod præſtando operas incurrit. 1261. num contractus finiatur, ſi conductor operarum ſibi tantummodo utilium moriatur. 1265
Conductoris operis obligatio, ſi opus vitioſum confecit. 1270. 1275
Conſenſus ad pretia rerum determinanda requiſitus. 319
Conſilium an ſit obligatorium. 714. an datum alias non contracturo obliget. 718.
Conſilium doloſum an ſit obligatorium. 719.
Continentia, ſive contentus ſua ſorte animus. Definitio. 396. effectus. 397
Contrahentis culpa in contrahendo. 589
Contrahentium officium. 587
Contractus quando morte contrahentium finiatur. 1248. 1250. quando ſubſiſtat cum diſpendio arrhæ, vel dupli reſtitutione. 998
Contractus beneficus. Definitio. 417. quomodo ſubeat conditionem, ſub qua honorarium præſtandum. 742. 743
Contractus conſenſualis. Definitio. 725. an in ſcripturam redigendus. 933. quando in

in eam redigendus. 935
Contractus fœnebris. Definitio. 1423. quænam cum mutuo habeat communia. 1425.
Contractus onerofus. Definitio. 878
Contractus realis. Definitio. 437
Contractus reſcindi quando dicatur. 928
Conventionis nudæ de pecuniæ ſumma danda effectus. 954
Creditor. Definitio. 513. num jus ſuum cedere poſſit fidejuſſori ſolventi. 797. num inſcio aut invito fidejuſſore terminum prorogare poſſit. 820. ſi in prorogationem non conſentiant omnes. 821
Creditor rei alienæ ad quid teneatur. 525. 526.
Culpa a commodatario præſtanda. 446. a depoſitario. 584. 585. a depoſitariis pluribus. 627. in ſocida. 1310. a mandatario. 684. ſi pluribus conjunctim mandatum. 698. ſi per partes. 699. a ſocio. 1364
Culpa aliena præſtanda, ſi tibi mandatum alii mandes. 778. 780
Culpa contrahentis in contrahendo. 589
Culpa deponentis in contrahendo. 588
Cuſtodia rei commodatæ. 468. 442
Cuſtodia rei alienæ, circa quam opera præſtanda. 1281. 1282. an quis in ſe ſuſcipere teneatur. 583. num ſit depoſitum, ſi pro ea aliquid exigitur. 628
Cuſtodia rerum & pecuniæ præcepta. 409. 410.

D

DAmnum cujuſnam ſit, ſi locator operarum frangit, vel perdit inſtrumentum. 1267
Damnum a commodatario reſarciendum. 446. 447. a conductore. 1259. quando mandantis & mandatarii colliditur. 774. quando mandans & mandatarius communicent. 685. quando deponens & depoſitarius. 591. quomodo in re conducta æſtimandum. 129. 1297. quomodo in ſocietate dividendum. 1341
Dari quænam poſſint. 10. quot modis detur. 11. 12
Debita quatenus in æſtimando patrimonio attendenda. 346
Debitor. Definitio. 513. obligatio ex contractu fœnebri. 1424
Debitor principalis. Definitio. 784. obligatio, ſi fideiuſſor ſolverit. 796. 798
Debitum exigibile. Definitio. 345
inexigibile. Definitio. 345
Decori vitæ futuræ num proſpiciendum. 370.
Deponens. Definitio. 575. obligatio. 592. officium. 580. culpa in contrahendo. 588. quale damnum reſarcire teneatur. 600. quando culpa depoſitarii ei imputanda. 588. 589
Deponere mutui, vel commodati cauſa an ſit mutuum, vel commodatum. 607
Depoſitarius. Definitio. 575. obligatio. 578. officium. 586. jus. 582. num re depoſita uti poſſit. 577. quid præter rem reſtituere debeat deponenti. 679. an poſſideat. 638. quid præſtare debeat. 584. ejus cauſa quando deponatur. 605
Depoſitum. Definitio. 575. qualis ſit contractus. 576. quamdiu duret. 579. quando in mutuum, vel commodatum abeat. 604. 608. num honorarium eidem accedere poſſit. 743
Depoſitum irregulare. Definitio. 610
Deſtructio rei commodatæ prohibita. 441
Deterioratio rei commodatæ prohibita. 441. quando ob eam teneatur commodatarius. 453. quando non. 452
Ditior quando quis fiat. 366
Dives. Definitio. 240. quinam ſit. 352. obligatio ad dandam eleemoſynam. 241
Divitiæ Definitio. 240. gradus, *ibid.* qualia ſint bona. 415. quomodo æſtimandæ. 353. an propter ſe appetendæ. 413
Dolus a commodatario præſtandus. 446. a depoſitario. 584. a pluribus depoſitariis. 627. a mandatario. 684. ſi tibi mandatum alteri mandes. 778. 780. a pluribus mandatariis. 698. a ſocio. 1364. an ne præſtetur conveniri poſſit. 482.
Domini jus, cujus res mutuo data ab alio, 523. ſi commodata ſine conſenſu ejus. 424.
Domini obligatio, ſi in mutuum rei ſuæ conſentit, quando ea conſumta. 531. quando nondum conſumta. 533. quando in hoc caſu naſcatur mutuatarii obligatio. 534
Dominium in bonis ſocietatis. 1333. quando id acquiratur in obvenientibus. 1334

Domi-

Dominium in emtione venditione num transferatur fide de pretio habita. 966. vel ſi quomodocunque de eo cautum ſit 967. quomodo transferatur. 958. quando in emtorem tranſeat. 960. quando & quomodo tranſeat, ſi res in diem addicatur ſub conditione ſuſpenſiva. 1081. quomodo redeat ad venditorem, ſi emtio committatur. 1089

Dominium in commodato num transferatur. 429. num in mutuo. 514. num in ſocida. 1305

Dominium forſan acquirendum num transferri poſſit. 950

Dominium futurum. Definitio. 954. quale ſit. 947. an transferri poſſit. 948. quid transferatur, ſi transfertur. 949

Dominium rei in genere num detur. 1134

Dominium rei in genere emtæ quando tranſeat in emtorem. 1135

Domus exuſta num vendi ac emi poſſit, 1003.

Donatarius. Definitio. 50. obligatio ad gratitudinem. 913. ad agendas gratias. 91. ad ſignificandum gratum animum donatori. 92. officium circa donationes temerarias. 106. jus quantum ſit. 150. quale ſit. 153. ſi donator ſibi adimat jus donationem revocandi ante acceptationem. 190. num ejus morte jus miniſtri extinguatur. 187. quando ei jus belli competat. 266

Donatio. Definitio. 48. quænam donari poſſint. 49. quomodo perficiatur. 59. effectus, ſi res non ſtatim tradatur. 60. qualis ſit actus. 61. quando promittatur. 62. num ſit beneficium. 65. num habere debeat cauſam expreſſam. 86. num exigi poſſit. 73. quamdiu revocari poſſit. 89. quid eam irrevocabilem efficiat, *ibid.* quando morte donatoris non fiat valida. 171. 172. quando vitietur. 79. 80. quorumnam non valeat. 81. quænam in ſe invalida. 149. quando & quomodo convaleſcat. 85. num requirat animum deliberatum. 108. an revocari poſſit propter ingratitudinem. 96. an per miniſtrum acceptari poſſit. 194. 195. an ſubſiſtat donatario præmortuo. 158. num pœna eidem adjici poſſit. 138. num pacta eidem adjicere liceat. 133. & ſeqq. & num hæc ſint ſervanda. 137. quomodo fieri poſſit. 159. 160. an in ſcripturam redigenda. 161. cur in eam redigenda. 162. quando ſit mortis cauſa capio. 203. num mortuo tabellario acceptari poſſit. 175. 176.

Donationes in ſe cur non ſint illicitæ. 122.

Donationes amoris declarandi cauſa num licitæ. 117. an amoris ac favoris conciliandi gratia. 121. an ob finem illicitum factæ. 123. an factæ exiſtimationis ſignificandæ cauſa. 119. an gratitudinis cauſa. 115. an ad jucunditatem & commoditatem vitæ. 112. an ad promovendum præclarum propoſitum. 113

Donationes quænam pertineant ad uſum & abuſum dominii. 126

Donatio conditionata qualis ſit, ſi res ſtatim tradatur. 68. ſi non ſtatim tradatur. 69. num revocari poſſit. 90. ſi ſub onere, modo aut ex certa cauſa fiat. 136. ſi ſub conditione, quæ poſt mortem donantis exiſtere nequit, eam revocandi. 157. ſi ſub conditione, quæ poſt mortem donantis exiſtere poteſt, eam non revocandi. 156

Donatio inter vivos. Definitio. 148

Donatio in literis facta num ſit valida. 164.

Donatio mortis cauſa. Definitio. 140. quando fieri poſſit. 141. an ſit juris naturalis. 142. quomodo efficiatur irrevocabilis. 143. quando quod mortis cauſa donatur ſit tradendum. 144. quando præſumatur. 145. an ſatis ſit, ſi traditio poſt mortem differatur. 146. an ſi donetur ſub conditione mortis, quam ſuſpicatur donans. 147. quando evaneſcat. 151. 152. quando revocetur. 154. num jure interno revocabilis. 211. 212. num remuneratoria eſſe poſſit. 210

Donatio per miniſtrum num eo inſcio revocari poſſit. 181. 182. quando non. 183. an eo mortuo revocari poſſit. 184. an poſt mortem donatoris a miniſtro valide fiat. 185. quando revocari nequeat niſi ejus conſenſu. 186. num valeat, ſi alii facta, quam cui debebat. 188

Donatio per epiſtolam quando revocari poſſit. 176. 177. 178. 179

Donatio reciproca. Definitio. 213. an naturaliter valida. 214. an in ea res æſtimentur. 215. an in alterius voluntatem

tem conferri poſſit. 216. cuinam donationi æquipolleat. 217. 218. obligatio inde reſultans. 219
Donatio rei, qua ipſimet indigemus. 109
Donatio rei nondum ſuæ. 101. 102
Donatio remuneratoria. Definitio. 206. num lege naturali præcepta. 208. an exigi poſſit. 209
Donatio ſub modo facta. 71
Donatio temeraria num illicita. 104. num ſit valida. 107. officium donatarii circa eandem. 106
Donationis promiſſio qualis ſit actus. 63
Donationis & adimpletionis promiſſionis donandi identitas. 77
Donationis revocatio. Definitio. 87. quando tacite reſervetur. 139
Donationum ejuſdem rei pluribus factarum quænam ſubſiſtat. 103
Donationum licitarum principium generale. 124. 127
Donationum illicitarum principium generale. 125. 128. principium generale definiendi earum validitatem. 129
Donator, ſive *Donans*. Definitio. 50. quando uſum rei ſibi reſervare præſumatur. 70. num habeat jus donatarium ad gratitudinem compellendi. 95. num ſibi adimere poſſit jus donationem ante acceptationem revocandi. 189. jus inde donatario natum. 190. quando damnum reſarcire teneatur, ſi res donata evincatur. 1191. quantum ſit jus ejus externum. 130. quomodo internum limitetur. 131. quando jus belli in donatarium competat. 267
Donatum ſi tibi ut alteri dones, num donatio revocari poſſit. 197
Donatum mortis alienæ intuitu num mortis cauſa donatum ſit. 202. qualis ſit actus. 205
Donum. Definitio. 48. in quo conſiſtat. 49. num ſit medium declarandi alteri amorem. 116. exiſtimationem. 114. animum gratum. *ibid.* quatenus ex liberalitate proficiſcatur. 264. num obtrudi poſſit. 201. num aliorum amorem & favorem conciliare poſſit. 120. num ſit revocabile, quamdiu mittitur. 180

E

Egenus. Definitio. 354. quatenus res fructuoſas poſſidere poſſit. 362. num obligetur ad eleemoſynam dandam. 246. quando ipſi mendicare liceat. 244
Egeſtas. Definitio. 238. gradus ejus ſupremus. 238. num ſit miſeria. 255. quale ſit malum. 416. num vitanda. *ibid.* quatenus mendicitati æquiparetur. 243.
Eleemoſyna. Definitio. 51. an ſit munuſculum. *ib.* quale ſit opus. 260. in quo conſiſtat. 237. num exigi poſſit. 74. quando ultro danda. 229. cui danda. 220. 221. cui largior danda. 236. quando egenis danda. 244. quando a paupere. *ibid.* quando a mendico danda. 245. 246. quinam ad dandum non obligetur. 234. quanta danda. 235. num ſit beneficium. 57. an ab ea danda liberetur, qui pro aliis petit. 248
Eleemoſynarum abuſus in quo conſiſtat. 230. num tolerandus. 233. denegatio num ferenda. 225. jus externum. 224
Emtio. Definitio. 938
Emtio venditio. Definitio. 937. objectum. 1000. quando perficiatur. 968. quando non perficiatur, etſi de pretio fuerit conventum. 1158. 1159. an perficiatur re tradita ſine pretio convento. 980. qualis ſit contractus. 891. quando consummetur. 982. quando per literas contrahatur. 983. quando per internuncium, 984. quando per ſcripturam. 985. quando in ſcripturam probationis gratia redigatur. 986. quomodo intelligenda, ſi pretii determinatio in arbitrium tertii conferatur. 1034. num valeat, ſi hic id determinare non poſſit, vel nolit. 1035. num valida, ſi pretium in emtoris voluntatem conferatur. 1036. an ſi conferatur in arbitrium venditoris. 1037. num a jam perfecta recedere liceat. 1161. an cum diſpendio arrhæ. 1162. quando committatur. 1087. quomodo diſſolvatur. 1163. & quo effectu. 1164
Emtio venditio ad certum tempus facta. 1059
Emtio venditio ad menſuram. Definitio. 1028. ſi cer-

ſi certa quantitas exprimatur. 1029. 1030. ſi non exprimatur. 1031
Emtio venditio in diem facta. 1058. ſub pacto reſolutivo, niſi pretium intra certum tempus ſolvatur. 1060. ſub pœna pœnitentiæ. 1061
Emtio venditio conditionalis. 1062. an ab ea recedere liceat cum diſpendio arrhæ. 1063. facta ſub conditione, niſi intra certum tempus pinguior emtor haberi poſsit. 1064. vel ſi pinguior haberi poſſit. 1065
Emtio venditio per averſionem. Definitio. 1028. quid operetur. 1032
Emtio operis noſtra voluntate ab alio conficiendi. 1278. 1279
Emtio pecuniæ. 1010. 1011
Emtio poſſeſsionis. 1014
Emtio rei propriæ. 1024. pro parte. 10. 12. 1013. 1014. 1024.
Emtio rei guſtu aut inſpectione probandæ. 1138.
Emtio rerum exiturarum. 1004. 1005. quando nulla. 1006. quomodo contrahenda & ejus effectus. 1007. 1009
Emtio rerum præſentium, ſed imperfectarum. 1008
Emtor. Definitio. 938. num indicare teneatur venditori, quod ob accidens æſtimabile majus pretium det. 1042. ad quid teneatur ob moram in pretio ſolvendo. 1157. ſi cum venditore ſimul ſit in mora, cuinam mora damnoſa. 1150
Emtor rei communis quale jus acquirat. 1021
Error quando vitiet donationem. 83. quando non. 84
Error circa corpus commiſſus num vitiet emtionem. 1055. 1056
Error circa qualitates quando emtionem vitiet. 1057
Evictio. Definitio. 1165. num præſtanda ei, qui ſciens a non domino emit. 1174. an ſi a venditore ipſo res evincatur. 1182. an ſi a ſeipſo. 1181. an inſit emtioni. 1171. 1172. num in locatione conductione præſtanda a locatore. 1285. 1286. an in permutatione. 1189. an in donatione. 1190. an in actu mixto ex donatione & permutatione, vel emtione. 1192. quamnam probationem requirat. 1184
Evictionis præſtatio. Definitio. 1166
Evictio operarum locatarum, ſi duobus fuerint locatæ. 1284
Excuſsio debitoris. Definitio. 804
Expenſæ. Definitio. 364. ſpecies. 365. quomodo diminuendæ. 372. a quibus abſtinendum. 373. quinam ordo in iis ſervandus. 376. ſi a ſocio extra negotiationem de communi factæ, cui imputandæ. 1357. num ad haſce requiratur ſociorum conſenſus. 1359
Expenſæ extraordinariæ. Definitio. 364
Expenſæ inutiles. Definitio. 365. an illicitæ. 375
Expenſæ minus neceſſariæ. Definitio. 365. a quonam vitandæ. 374
Expenſæ neceſſariæ. Definitio. 365. earum prærogativa. 378
Expenſæ non inutiles. Definitio. 365
Expenſæ ordinariæ. Definitio. 364
Expenſæ voluptuariæ. Definitio. 365
Expenſæ utiles. Definitio. 365. num facienda. 377
Expromiſsio. Definitio. 865. num tollat debitoris principalis obligationem. 867. ſi mandetur. 873. num indefinita valeat. 877
Expromiſſor. Definitio. 865. quid promittat. 866. an in plus, vel minus obligari poſsit. 876. quando jus ſuum contra debitorem principalem cedere poſsit creditori. 870. quomodo liberetur ab obligatione propria. 872
Extraneus. Definitio. 1399. quo reſpectu ſocius pro extraneo habendus. ib.

F

Facta, quando communicentur. 13. in quantum conveniant donationibus & eleemoſynis. 67
Factum turpe. Definitio. 709. an naturaliter illicitum. ib.
Fidejubens pro alieno facto in quid teneatur. 836
Fidejuſſio. Definitio. 782. quo fine fiat. 783. num tollat obligationem principalem. 785. ad quam obligationem accedere poſſit. 789. an ad futuram. 790. quot modis fieri poſſit. 808. quibus verbis fieri poſſit. ibid. quibus verbis fieri debeat. 853. an in ſcripturam redigenda.

da. 854. num a ſcriptura pendeat ejus validitas. 855. quo animo fieri debeat. 851. num ad certum tempus adſtringi poſſit. 857. ſi ultra id tempus continuetur. 858. quomodo perficiatur. 847. an per epiſtolam fieri poſſit. 848. an per mandatarium. 849

Fidejuſſio accedens obligationi futuræ qualis ſit. 791. quando vires exerat. 792

Fidejuſſio animo donandi facta. 799

Fidejuſſio errantis. Definitio. 859

Fidejuſſio in diem, vel ſub conditione facta. 809. certo modo reſtricta. 803

Fidejuſsio jurata. 845. 846

Fidejuſsio metu, vel vi extorta. Definitio. 860.

Fidejuſsio præcedens num obliget ad contrahendum. 793

Fidejuſsio principalis Definitio. 812

Fidejuſsio pro invito facta. 799

pro præſente & patiente. 800

ſuccedanea, ſubalterna, vicaria. Definitio. 822

Fidejuſſor. Definitio. 784. quid promittat. 786. quomodo promittat. 788. an aliud promittere poſſit, quam debitor. 839. in quantum obligari poſſit. 840. an in plus, quam debitor principalis. 842. quando non obligetur. 837. 838. quando ab obligatione liberetur. 795. quando debitum ſolvere teneatur. 794. quando teneatur ſolvere, principali debitore non excuſſo. 806. num compellere poſſit debitorem principalem ad ſolvendum. 801. num ante terminum ſolutionis compelli poſſit ad ſolvendum. 843. num ſub pœna ſe obligare poſſit. 844

Fidejuſſor accedens obligationi fidejuſſoris quando fieri poſſit confidejuſſor. 833

Fidejuſſor indemnitatis. Definitio. 827. ad quid detur. 827. an ab eo quid exigi poſsit, debitore principali non excuſſo. 828

Fidejuſſor indemnitatis ſi fidejuſſoris. Definitio. 830. ad quid detur. *ibid.* cuinam obligetur. 831. quo fine fidejubeat. 832. an teneatur, principali fidejuſſore nondum excuſſo. 834. quando per hunc liberetur. 835

Fidejuſſor principalis. Definitio. 822

Fidejuſſor ſuccedaneus, vicarius, ſubalternus. Definitio. 822. obligatio. 823. 825. quomodo ſpectetur ejus obligatio in relatione ad obligationem fidejuſſoris principalis. 824. in quantum obligari poſſit. 841. quando ſolvere teneatur, principali non excuſſo. 829

Fidejuſſores plures ſi conjunctim ſe obligent. 815. ſi ſint correi debendi. 817. 818. 819. ſi pro certa debiti parte fidejubeant. 810. quando pro parte fidejubere intelligantur. 811. ſi ſinguli ſeparatim ſe in ſolidum obligent. 812

Fidejuſſurus actum intelligere debet fidejuſſionis. 852

Fides de pretio quando habeatur a venditore. 980

Fluidorum quantitas phyſica quomodo determinetur. 284. 285. ſi in vaſe quocunque contineantur. 286

Fructus in depoſito cuinam reſtituendi, & quomodo. 635. 636

Fundorum fructiferorum pretium quomodo determinetur. 307. ſi fructus ſint induſtriales. 316

Furtum uſus naturaliter illicitum. 1205. quando committatur in commodato. 465. 466. in depoſito. 581. in locatione conductione. 1204

G

Genus pecuniæ quando mutuo detur, 550. an poſsit. 551

Gratiarum actio. Definitio. 44

Gratis dare vel facere. Definitio. 18. quando non teneamur. 268. ſi non detur, quid fieri debeat. 270. cur ratio rerum & operarum ad ſe invicem ideo determinanda. 271

Gratitudo. Definitio. 31. in quo conſiſtat. *ib.*

Gratitudo donatarii an lege naturali præcepta. 93

Gratuitum. Definitio. 18

Gratus quinam ſit. 42

Gratus animus. Definitio. 31

H

Honorarium. Definitio. 731. an ſit debitum. 732. an naturaliter licitum, vel debitum. 733. quale ſit debitum. 734. quando abeat in perfecte debitum. 735. quando ad dandum vi quis cogi

cogi poſſit. 736. quando in mercedem degeneret. 737. a quonam definiatur. 738. an mutet contractus benefici naturam. 739. an excedere poſſit pretium conceſſi uſus, vel operarum præſtitarum. 741

I

Illiberalitas. Definitio. 252. an prohibita. 253
Immiſericordia. Definitio. 262. an prohibita. 263
Impendia quænam ſociis in ſocietate omnium fortunarum de communi maſſa debeantur. 1370. 1371. de pacto quoad ea ſocietatis contractui adjiciendo. 1372
Impenſæ extraordinariæ in rem commodatam. 507. neceſſariæ in eandem. 506. in rem conductam quænam licitæ. 1290. 1291. quando in hanc factæ repeti nequeant. 1293. quando a deponente reſtituendæ. 592. quænam conductori reſtituendæ. 1290
Impenſa num ad expenſas referantur. 364
Imperitia in artifice num ſit culpa. 1273
Inæqualitas in contractu oneroſo. Definitio. 898. quando ea obtineat. 901. quando in ſocietate admittenda. 1343. num in emtione venditione præſumi poſſit. 976. qualis ſit contractus, ſi inæqualitas mercis & pretii ſit ſcientium. 978
Incuria. Definitio. 403. an prohibita. 404.
Ingratitudo. Definitio. 46. naturaliter prohibita. 47. an donatarii naturaliter prohibita. 93
Inquilinus. Definitio. 1191
Intereſſe quale ſpectetur in contractibus. 717. quando præſtet depoſitarius. 593
Juramentum an in obligatione fidejuſſoris quid immutet. 845
Jura rei alienæ inhærentia num ſint vitia. 1178. an emtori indicanda. 1179
Juris in re emta tertio competentis evictio num præſtanda. 1180
Jurium menſura 281. pretium quomodo determinetur. 283
Jus num emi ac vendi poſſit. 1025. 1026
Jus alienandi in donatione mortis cauſa reſervatum. 155
Jus alterius quomodo naturaliter imminuatur. 1105
Jus belli quando donatario competat. 266. quando donatori in donatarium. 267
Jus ex pacto retrovenditionis quæſitum num alienari ac cedi poſſit. 1123
Jus futurum. Definitio. 945. quale jus præſens in eodem contineatur. 946. an transferri poſſit. 948. quid transferatur, quando transfertur. 949
Jus in commodato quale transferatur. 439
Jus in conductorem rei translatum. 1203
Jus in conductorem operarum translatum. 1206.
Jus in re aliena num evinci poſſit. 1176
Jus mutuantis quando domino cedi poſſit, re ipſius mutuata. 535
Jus mutuandi externum unde pendeat. 539.
Jus protimiſeos. Definitio. 1108. an tale ſit jus retractus. 1108
Jus redimendi rem venditam intra certum tempus futurum. 1116. item, quandocunque libuerit. 1117. num alienari aut cedi poſſit. 1124
Jus revocandi donationem quomodo ſibi adimat donator. 191. 192. quando non poſſit. 193
Jus retractus. Definitio. 1104. an naturaliter alicui competat. 1106. an cedi poſſit. 1111. quando non obſtet alienationi. 1107
Jus retractus perſonalis quamdiu duret, 1112.
Jus retractus realis num poſſit tranſmitti ad alium. 1113

L

Lex commiſſoria. Definitio. 1086. 1087. effectus in genere. 1088. in emtione venditione. 1090. diverſus effectus, prouti in gratiam emtoris, vel venditoris unice addita. 1098. ſi venditioni adjicitur, parte pretii ſoluta, vel arrha data. 1092. ſi pacto de retrahendo addatur. 1109. 1110. quando eidem tacite renuncietur. 1094 ſi non certus dies eidem ſtatim adjicitur. 1095. quodnam pactum ei adjici poſſit. 1096
Libertas hominis in rebus ab aliis ſibi comparandis. 318
Libertas a pacto recedendi arrhæ datione acquiſi-

acquiſita. 995

Liberalitas. Definitio. 249. quando verſetur circa donationes & eleemoſynas. 250. an præcepta. 251

Locare rem quinam poſſit. 1207

Locatio conductio. Definitio. 1194. quot modis fieri poſsit. 1223. qualis ſit contractus. 1197. quando perficiatur. 1196. quando finiatur. 1237. quando finiatur morte locatoris aut conductoris. 1249. 1251. 1252. quando ex lege commiſſoria. 1253. 1254. quando reſcindi poſsit a locatore. 1244. quando a conductore. 1245. quando reſcindatur, ſi locator ipſe per ſe obligationi ſuæ ſatisfacere non poſsit. 1278. quando ſi in ſublocationem conſentire nolit. 1279. quando diſſolvatur ob neceſſariam ædium refectionem. 1246. & ſi locator rem conductam uſui aptam præſtare non poſsit. 1247. num ceſſet, ſi res conducta vendatur, vel propriis uſibus ſit neceſſaria. 1225. quando ceſſet. 1226. quomodo ad emtionem venditionem reducatur. 1213. 1214

Locationis conductionis renunciatio. Definitio. 1239. quando ea non opus. 1240

Locator. Definitio. 1195. obligatio. 1198. num rem conductam alteri locare poſsit, dum ea non utitur conductor. 1216

Locator operarum num alium ſubſtituere poſſit. 1227. ſi operas præſtare impediatur. 1262. ſi culpa ſua non præſtet. 1263. ſi moriatur, antequam præſtiterit. 1264. quod damnum reſarcire teneatur. 1277

Locupletior ex re aliena num quis licite fiat. 678

Lucrum quomodo in ſocietate computetur. 1351. & ſeqq. quando nullum ſit. 1355. in quo finita ſocietate conſiſtat. 1356. quomodo dividendum. 1341. num ſingulis annis dividi poſsit. 1367. quando in ſocietate omnium bonorum dividendum. 1368. num a ſocio cum damno compenſari poſſit. 1366

Lucrum ſocii quodnam commune non ſit. 1360

Luxus. Definitio. 387. an prohibitus. 388

M

Magnificentia. Definitio. 389. an præcepta. 390

Malus auctor. Definitio. 1186

Mandans, Mandator. Definitio, 640. obligatio ad ratihabendum factum mandatarii. 666. 667. quidnam ipſe feciſſe putetur. 662. quando rati habeat exceſſum mandati. 703. 704. 705. quid mandatario reſtituere & reſarcire debeat. 682. quid non. 687. quando mandatario actu obligetur. 752. quando incipiat hæc obligatio. 753. quantum obligetur mandatario, ſi fines mandati excedit. 688. quando contrarium mandaſſe intelligatur. 708. num teneatur mandati, ſi aliena tantum gratia mandetur. 720. ſi ſua & aliena cauſa mandet, cujuſnam ſit periculum. 723. ſi ſua & mandatarii cauſa mandet, cujuſnam id ſit. 721. quando revocare poſsit mandatum. 751. ſi pretium rei adjicit, demonſtrandi cauſa. 748. ſi velit ſe mortuo adimpleri mandatum. 761. ſi ejus mortem ignoret is, cum quo agit mandatarius. 759. ſi norit mandatarius, ignoret is, cum quo agit. 760

Mandantes plures conjunctim in quid teneantur. 724

Mandatarius. Definitio. 640. obligatio. 649. obligatio ex mandato arcano. 655. ſi eo ſolo inſtructus. 671. ex mandato ſine libera. 656. ex mandato cum libera. 659. ex mandato duplici. 663. an ad mandatum adimplendum cogi poſsit. 776. num intra fines mandati ſuo nomine & ſui cauſa agere poſsit. 672. an in favorem tertii mandatum adimplere poſſit. 676. ad quid teneatur, ſi mandatum non adimplet. 675. ſi fines mandati excedit. 673. 674. 687. & ſeqq. 689. num fines mandati excedat, ſi quid facit quod tacite mandatum intelligitur. 707. quando contra finem mandati agere poſsit. 702. quando proprio nomine teneatur ei, cum quo actum. 668. quomodo ſe gerere debeat, ſi ex arcano mandato agendum. 669. quomodo ſi arcano tantum mandatum. 670. ſi agat mortuo mandante. 755. ſi ſine culpa ſua negotium fini-

finire non potuit, aut eventus fuerit contrarius. 690. quid reſtituere debeat mandanti. 680. an quod ſibi donatum. 681. an rationem negotii geſti reddere teneatur. 701. an mandantem repræſentet. 661. num ſit miniſter. 665. num ejus interſit mandatum non revocari. 750. an pro negotio geſto quid exigere poſſit. 730. num ejus ſolius cauſa mandari poſſit. 715. 716. ſi ejus & aliena cauſa mandetur, cujuſnam ſit periculum. 722

Mandatarii indemnitas. 682

Mandatarii plures ſi fuerint, an unius negligentia ceteris imputanda. 696. 697

Mandatum. Definitio. 640. qualis ſit contractus. 726. quænam eidem tacite inſint. 706. num id ſuſcipere ſit libertatis. 765. num ſolvatur morte mandantis. 754. an morte mandatarii. 764. quando revocari poſſit. 755. quando poſt mortem mandantis adimplendum. 763. ſi adimpleatur a mandatario ignorante mortem mandantis. 758. ſi non adimpleatur vel renuncietur ob impedimentum inevitabile. 773. ſi non revocetur, nec adimpleatur. 775. quando per æquipollens adimplere liceat. 745. 746. 747. quomodo facto, vel non facto contrahatur. 727. an per epiſtolam contrahatur. 729

Mandatum negotium cujus periculo geratur. 691

Mandatum num ſit, ſine quo mandatum adimpleri nequit. 683

Mandatum tibi num alteri mandare poſſis. 777. 778. 780. quando ſine periculo tuo. 781. cuinam mandare debeas. 779. 780

Mandatum de termino ſolutionis prorogando num æquipolleat fidejuſſioni. 861

Mandatum ut alteri credatur num æquipolleat fidejuſſioni. 861

Mandatum rei turpis num ſit obligatorium. 712. 713.

Mandatum arcanum. Definitio. 652. an manifeſtare liceat. 653. quemnam reſpiciat. 655. ſi poſt mortem mandantis adimpletur. 766

Mandatum cum libera. Definitio. 655. quando adimpleatur. 660

Mandatum expreſſum. Definitio. 758

Mandatum generale. Definitio. 650

Mandatum manifeſtum. Definitio. 652. neceſſitas. 664. ſi poſt mortem mandantis adimpleatur. 756

Mandatum ſine libera. Definitio. 665

Mandatum ſpeciale. Definitio. 650

Mandatum ſub conditione vel in diem quando adimplendum. 762

Mandatum tacitum. Definitio. 728

Mandati adimpletio per æquipollens. Definitio. 744

Mandati adimpletio in forma ſpecifica. Definitio. 744

Mandati renunciatio. Definitio. 766. quando tempeſtiva. *ibid.*

Mandati revocatio. Definitio. 749

Melior conditio. Definitio. 1067. num ab ipſo venditore offerri poſſit in addictione in diem. 1074. 1075

Mendicare. Definitio. 52. quantum liceat jure interno. 226. quantum accipere liceat mendicanti. 227

Mendicandi jus cui competat. 220

Mendicitas. Definitio. 52. in quo conſiſtat. 238. num ſit miſeria. 255. quale malum. 416. num vitanda. *ibid.* cuinam judicium de ea competat in caſu dubio. 228. quinam ad eam redigantur. 355. 358.

Mendicus. Definitio. 52. quinam ſit. 354. num in eleemoſyna dominium habeat. 231. quale in eo ſit jus externum. 232. quando eleemoſynam dare teneatur. 245

Merces. Definitio. 327. in quo conſiſtat. 1211. 1212. quando certa per relationem. 1217. cui debeatur, ſi rem conductam locet locator alii, dum ea non utitur conductor. 1215. quando in locatione conductione remittatur. 1294. 1295. 1300. quomodo in ſocida determinanda. 1311

Merces æqua. Definitio. 328

derivativa. ib.

eminens. ibid.

iniqua. ibid.

primitiva. ibid.

vulgaris. ibid.

Merx. Definitio. 943

Metus quando vitiet donationem. 83. quando non. 84

Miſer. Definitio. 254

Miſeria. Definitio. ibid.

Miſericordes erga quos eſſe debeamus. 259

Miſericordia. Definitio. 256. an præcepta. 257. num ad liberalitatem pertineat. 261

Miſericordiæ opus. Definitio. 258

Moneta. Definitio. 339
Moneta proba. Definitio. 545
Moneta reproba. Definitio. *ibid.*
Monetæ bonitas intrinſeca & extrinſeca. Definitio. 544
Mora depoſitarii in reſtituendo. 626. 593
Mora mandatarii in exequendo mandato. 695. in reſtituendo eo, quod occaſione mandati ad ipſum pervenit. 693. 694
Mora mutuatarii in ſolvendo debito. 570
Mora ſocii in conferendo ad communem maſſam num ferenda. 1362. 1363
Mortis cauſa capio. Definitio. 203
Munus. Definitio. 48
Mutuans. Definitio. 513. obligatio quoad repetitionem rei mutuatæ. 530. & ſeqq.
Mutuare quando naturaliter non obligemur. 538. an debeamus ei, qui debitum ſolvere nequit. 551. quinam poſsit. 520
Mutuatarius. Definitio. 513. num rem in ſpecie reſtituere poſsit. 536. quando obligetur domino, ſi res aliena ipſi mutuata. 534. ſi eam mala fide conſumſit. 527. an rem mutuanti reſtituere debeat. 528. ad quid ob moram teneatur. 569 570
Mutuum. Definitio. 514. qualis contractus. 517. an cogi poſsit. 540. ejus effectus. 547. 548. ſi mandetur, cujusnam ſit periculum. 691. num honorarium accedere poſsit. 740. an abeat in alium contractum, ſi pro uſu quid exigitur. 571. an ſi aliud pro alio, vel ſpecies æſtimatæ dentur. 573
Mutuum rei alienæ num ſit licitum & validum. 527. & ſeqq. quando convaleſcat. 529

N

NEceſsitati futuræ an proſpiciendum. 369
Numero quando quantitas phyſica rerum determinetur.

O

OBligatio ejus, cui quid datur ad donandum aliis, vel ad eleemoſynas impendendum. 265
Obligatio num dividatur inter fidejuſſorem principalem & ſuccedaneum. 850
Obligatio acceſſoria. Definitio. 784
Obligatio principalis. Definitio. 784. principalis & acceſſoriæ identitas in fidejuſſione. 787
Obligatio re contracta. Definitio. 437
Obtrudi quid dicatur. 199
Officiorum erga ſeipſum colliſio quamnam pariat exceptionem. 111
Onus donationi adjectum. 135. quando in gratiam tertii adjectum, quamdiu revocari poſsit. 196
Opera eadem ſi pluribus locetur, num mercedem integram a ſingulis accipere liceat. 1232. ſi pluribus conjunctim locetur. 1233
Opera in pecunia acquirenda quanta collocanda. 393. 411
Operæ pecunia comparari poſſunt. 293. quali pretio communicandæ. 322. quænam locari, ac conduci poſsint. 1201. ſi duobus locentur. 1283. 1284. ſi locatæ non juſto tempore, vel male præſtentur. 1280. quot modis cum pecunia conferantur in ſocietate. 1336. quando tandem, vel plus in ſocietate valeant, quam pecuniæ. 1349
Operarum pretium quomodo determinetur. 283
Operarum quantitas phyſica quomodo determinetur. 278
Operarum ratio ad ſe invicem quomodo determinetur. 279. quomodo ad res. 272
circa Opes acquirendas quænam providentiæ divinæ committenda. 394
Opportunitas naneiſcendi ſocium an in æſtimandis operis ac uſu pecuniæ attendenda. 1348
Opulentus. Definitio. 240. obligatio ad largiorem eleemoſynam dandam. 241

Pe-

P

Pactio legi naturæ contraria num ſit valida. 483
Pacta num donationi adjicere liceat. 132. qualia adjicere liceat. 133. & ſeqq. an adjecta ſint ſervanda. 137
Pacta commiſſorio æquivalentia. 1099
Pactum num ex intervallo contractui adjectum ſit validum. 1072
Pactum commiſſi quando dicatur. 1086
Pactum commiſſorium, ſeu lex commiſſoria. Definitio. 1086. quodnam pactum ei adjiciendum. 1096. quando efficax. 1097
Pactum locationi conductioni adjiciendum. 1224
Pactum de non alienando donationi adjectum. 133. *de ea non revocanda* eidem adjectum. 134
Pactum de permutatione contrahenda num ſit validum. 887. quodnam jus inde naſcatur. 888
Pactum de redimendo. Definitio. 118. quemnam obliget. 1119
Pactum reſolutivum. Definitio. 1100. ſpecies. *ibid.* cur aliud ex nunc, aliud ex tunc. 1101
Pactum de reſtitutione fructuum & impenſarum emtioni ſub conditione reſolutiva adjectum. 1156
Pactum de retrahendo. Definitio. 1104.
Pactum de retrovendendo. Definitio. 1115. quemnam obliget. *ibid.* quodnam eidem pactum adjicere liceat. 1122
Pactum turpe. Definitio. 710. an ſit ſervandum. 711
Parcus. Definitio. 381. an homo eſſe debeat. 382. an ſit illiberalis. 383. quantas faciat expenſas. 384
Parſimonia. Definitio. 381. an præcepta. 382
Partes expreſſæ de lucro in ſocietate num valeant de damno. 1350
Patrimonii magnitudo quomodo æſtimetur. 341. 342. 343. 346
Pauper. Definitio. 354. obligatio ad eleemoſynam dandam. 242. 246
Pauperior quando quis fiat. 366
Paupertas. Definitio. 238. quale malum. 416. num vitanda. *ib.* quomodo declinanda. 367
Pecudes quales in ſocida tradendæ. 1314. in ſocida locatori nunquam moriuntur. 1307
Pecudes ferreæ. Definitio. 1308
Pecunia. Definitio. 290. neceſſitas. 320. uſus in actibus permutatoriis. 293. materia qualis eſſe debeat. 330. & ſeqq. quænam eſſe debeat. 333. numerus ei inſcribendus. 335. quando certa. 951. quatenus in dominio. 952. quomodo ejus dominium transferatur. 953. num referatur ad res, quæ uſu conſumuntur. 471. quænam conſumatur. 348. quomodo cuſtodienda. 409. an propter ſe appetenda. 412. quando commodari poſſit. 472. an mutuo dari poſſit. 543. an emi ac vendi poſsit. 1010. quando ematur. 1011. num bonis annumeranda. 340. quantum acquirere debeamus. 368. quando communicetur. 13
Pecunia & res num pro merce dari poſsit in emtione venditione. 1027. qualis ſit contractus, ſi detur. *ibid.*
Pecunia fænebris. Definitio. 1423
numerata. Definitio. 344
ſuperflua. Definitio. 347
uſuraria. Definitio. 1444
Pecuniæ dominium quando transferatur. 953
Pecuniæ erogandæ principium generale. 379. 380. modus ſervandus. 371
Pecuniæ mutuo datæ reſtitutio. 546
Pecuniæ valor abſolutus quomodo determinetur. 334
Pecuniæ uſus quando non conſtituat mutuum. 572. num æſtimabilis. 311. quanti æſtimandus. 312. cujuſnam rei uſui æquipolleat. 310
Pecuniæ ſolutio. Definitio. 955. quid contineat. *ib.* effectus. 956. quando fiat. 957
Pecuniam falſare an naturaliter prohibitum. 336
Pecuniam ſignare. Definitio. 337. an ſignanda. 338
Penſio. Definitio. 1194
Periculum cujuſnam ſit, ſi res commodata remittatur. 488. & ſeqq. quando non omne ſit conductoris in ſocida. 1309. quæ ideo cautio adhibenda. 1313. quando ſit locatoris in ſocida. *ib.*
Periculum rei emtæ ad quem pertineat. 1225. quomodo de eo conveniri poſsit. 1126. quando ordinarie ſit emtoris. 1127. quando

do venditoris. 1128. cujuſnam ſit ob moram emtoris, ne contractus perficiatur. 1142. emtæ in diem. 1129. ſub conditione. 1139. ad certum tempus. 1130. nondum traditæ, cujuſnam ſit. 1145. 1146.
Periculum rei guſtu probandæ, vel inſpiciendæ emendi cauſa cujuſnam ſit. 1140. *probatæ vel inſpectæ*, quamdiu manet apud venditorem. 1141
Periculum rei in diem addictæ. 1131
Periculum rei venditæ quando ob moram ſit venditoris. 1144. cujuſnam, ſi in genere vendita. 1137. ſi ſub lege commiſſoria. 1132. ſi ſub conditione reſolutiva. 1133. ſi ad guſtum, vel inſpectionem. 1143
Periculum rei bis venditæ cujuſnam ſit. 1149
Periculum rerum alternative venditarum cujuſnam ſit. 1151. 1152
Permutans an pœnitere poſſit, re nondum tradita. 885. an æſtimationem pro re dare poſſit. 886
Permutanti jus, qui rem ſuam tradidit pro aliena. 883. 884
Permutatio. Definitio. 879. qualis ſit contractus. 927. quando perficiatur. 880. quam pariat obligationem. 881. quando nullam. 882. an in ſcripturam redigenda. 934. quando redigenda. 936. an ob læſionem reſcindatur. 929. qualis ſit actus, ſi inæqualitas ſit ſcientium. 921
Permutatio operarum. 904. rei cum opera. 903. rei ſuæ cum ſua. 891. quando hæc excludat alienationem. 892. 893. rerum fungibilium diverſæ ſpeciei. 897. uſus rerum. 895. quomodo hæc reducatur ad donationem reciprocam. 896
Peſtis pecudum cui noceat in ſocida. 1312
Pinguior emtor. Definitio. 1067
Pœna num donationi adjici poſſit. 138. an mandato, ſi non impleatur. 771
Pondere quando rerum quantitas phyſica determinetur. 288
Poſſeſſio num in commodato transferatur. 431. num in depoſito & ſequeſtro. 639. num in locatione. 1306. quando ſine dominio transferatur in emtione venditione. 979. an emi poſſit. 1014
Pretium. Definitio. 273. an ſemper manere debeat idem. 326. an nunc æquum, an iniquum dici poſſit. 326. quando laxe, quando ſtricte accipiatur. 329. quale præceptum ac prohibitum. 323. quo venditio, vel redemtio fieri debeat. 1120. ſub qua conditione ſolvat emtor. 1167. an in emtione venditione ſtatim ſolvendum, an in diem differri poſſit. 959
Pretii pars ſi ſolvatur, ſalva lege commiſſoria. 1093
Pretii ſtatim & certis terminis ſoluti differentia. 1069
Pretium æquum. Definitio. 321
naturaliter æquum. ibid.
Pretium affectionis. Definitio. 906. num excedat verum. ibid. ejus menſura. 907. quomodo pretio aliarum rerum commenſuretur. 908. quomodo determinandum. 909. qualis ſit in eo determinando libertas. 910. 911. num licitum. 912. quando idem imponatur a pluribus. 913. quale ſit jus externum circa illud, ſi ab aliis agnoſcendum. 914. ſi ab invito. 915. quando probandum. 916. quo fine exigatur. 917. quid in ejus reſtitutione tenendum. 918. num in permutatione admittendum. 925. num in contractu oneroſo in genere. 924
Pretium commune. Definitio. 905
de Pretio convenire quid ſit. 963
Pretium derivativum. Definitio. 298. quando ſit ut primitivum. 301
Pretiorum derivativorum ratio, ſi primitivo æqualia. 302. ratio inter ſe. 300
Pretium eminens. Definitio. 294
Pretia eminentia rerum & operarum ejuſdem ſpeciei quam habeant rationem. 297
de Pretio fidem habere vel fidem emtoris ſequi quid ſit. 964. 965
Pretium fundorum fructiferorum quomodo determinetur. 307. ſi fructus induſtriales percipiantur. 316
Pretium iniquum. Definitio. 321
naturaliter iniquum. Definitio. ibid.
Pretium jurium quomodo determinetur. 282. 283
Pretium majus ab emtore ſi per errorem datum, a venditore quid reſtituendum. 1052. 1054. an diverſis terminis ſolvendum ſemper faciat conditionem meliorem. 1070.
Pretium mercis an ob dilationem ſolutionis augeri poſſit. 1046. an ob anticipationem minus. 1047. an neceſſario ob dila-

dilationem, vel anticipationem ſolutionis variari debeat. 1048. quando ob dilationem non augendum. 1049. an variari poſſit ob modum vendendi. 1050. an minui, ut res ſtatim vendatur. 1051
Pretium minus ſi per errorem datum, quid ab emtore ſit ſupplendum. 1053. 1054.
Pretium operarum quomodo determinetur. 283. 274.
Pretium primitivum. Definitio. 298. quomodo determinetur. 303
Pretia primitiva inter ſe. Definitio. 299
Pretium rerum ejuſdem ſpeciei quomodo comparetur. 274
Pretium rerum diverſarum ad ſe invicem quomodo determinetur. 277
Pretium rerum & operarum ad ſe invicem quomodo determinetur. 280. 295. 296. quomodo ad pecuniam ſe habeat. 291
Pretium rerum neceſſariarum cur variet pro diverſa multitudine. 305
Pretium rerum neceſſariarum, utilium, & voluptuariarum differentia. 317
Pretii variatio num in reſtitutione rei mutuatæ attendenda. 549
Pretium verum. Definitio. 905
Pretium vilius quando non ſit iniquum. 324.
Pretium vulgare. Definitio. 294
Pretiorum vulgarium ratio. 296
Principalis debitor. Definitio. 784. an ante fidejuſſorem excutiendus. 805
Probatio juris prætenſi quando ante evictionem auctori innoteſcere debeat. 1187. quando non. 1188
Procurator. Definitio. 640
Prodigalitas. Definitio. 385. an prohibita. 386
Promiſſio qualis ſit actus. 63. num quid immutet in actu dandi. 76. quomodo ejus principia ad donationem applicentur. 78
Promiſſionis dandi adimpletio num ſit datio. 75
Promiſsio donationis qualis ſit promiſſio. 64. qualis ſit actus. 63. num beneficium. 66
Promiſsio donatoris de non revocanda donatione quomodo valida fiat. 192
Promiſsio emtionis et venditionis perficiendæ. 969. quænam inde oriatur obligatio. 970. 971. quomodo facta intelligatur. 972. effectus ejuſdem. 973. 974
Promiſſio ſolutionis a reo facienda num ſit fidejuſſio. 863. 864
Promiſſionis revocatio. Definitio. 88
Providentiæ divinæ quid circa opes committendum. 414. 394

Q

Quantitas phyſica rerum quomodo determinetur. 275. 276. quomodo aridorum. 284. 285. quomodo fluidorum. ibid. quomodo fluidi in vaſe quocunque contenti. 286. quando numero. 289. quando pondere. 288
Quod non exiſtit in rerum natura num emi poſſit. 1002

R

Ratio communis dividendi quomodo determinetur in ſocietate. 1344. & ſeqq. quomodo in ſocietate bonorum. 1373. quomodo in ſocietate omnium fortunarum. 1374
Rationem reddere negotii geſti quid ſit. 700.
Redemtor. Definitio. 1195
Reditus. Definitio. 363
Reditus annui. Definitio. ibid.
Reditus ſtatui. Definitio. ibid.
Reditus variabiles. Definitio. ibid.
Regreſſus a fidejuſſore ad debitorem principalem. 807. an detur creditori ad debitorem principalem ab expromiſſore. 868. quomodo ſibi de eo conſulere poſſit creditor. 871. num detur expromiſſori ad debitorem principalem. 869. 874. 875.
Regreſſus creditoris ab uno fidejuſſore ad alterum. 813
Regreſſus fidejuſſoris ad debitorem principalem. 814. ad fidejuſſorem alterum. 816
Regreſſus fidejuſſoris ſuccedanei. 826
Re locata quomodo ſit utendum. 1203
Relocatio. Definitio. 1238. an ſit novus contractus. ib. quando tacite fiat. 1241. 1242. 1243.
Remiſſio rei commodatæ cujuſnam periculo fiat. 488. & ſeqq.
Renuere quid ſit. 199

Renunciare eviЀionis præſtationi num liceat. 1193.
Renunciare ſocietati quid ſit. 1392. an liceat. *ibid.* & ſeqq.
Renunciatio mandati re adhuc integra. 772. re non integra ſi fiat. 767. 768. 769. 770
Rebus quomodo utendum. 405
Rerum, quarum magnitudo longitudini proportionalis, quantitas quomodo determinetur. 287
Rerum & operarum ad ſe invicem ratio cur determinanda. 271. quomodo res in hac determinatione ſpectandæ. 272
Res quando communicentur. 13. quali pretio communicandæ. 1322. quænam commodari poſſint. 419. quænam emi ac vendi. 1001. quænam permutari. 889. quænam locari & conduci. 1200. quomodo cuſtodiendæ. 409. 410. num alteri licite donentur, quibus ipſimet indigemus. 109. 110. quales eſſe debeant, quarum dominium transfertur. 944. quo reſpectu pecuniæ ſuperfluæ accenſeantur. 350. quod pecunia comparentur. 293. quamdiu ſervandæ, quæ ſervando corrumpuntur. 407. quid faciendum, ſi ſervari non poſſint. 408. quamdiu pro evictis haberi nequeant. 1183. ſi locentur pro ea mercede, de qua poſtea conveniatur, vel pro mercede æqua. 1218. ſi eadem pluribus commodetur. 493. 494. ſi apud plures deponatur. 624. 625. ſi detur, ut reddatur, ſi accipiens alienare velit. 894
Res aliena num donari poſſit. 97. num commodari poſſit. 423. ſi commodetur. 492. ſi deponatur. 601. num vendi poſſit. 940. 941. an in loco publico emta ſit emta. 942. an ſi a ſciente ematur. 1168. an emta venditori reſtitui poſſit. 108. ſi mutuo detur. 522. ſi mutuo data ſit conſumta. 524. ſi bona fide locetur & evincatur. 1287. ſi mala fide. 1288. ſi a ſciente conducatur. 1289
Rerum artificialium pretium quomodo determinetur. 314
Res commodata cujuſnam ſit. 430. num ejus dominium transferatur. 429. quomodo cuſtodienda. 442. num tertio communicari poſſit. 428. qualis reſtituenda. 445. ſi amiſſa, num in genere reſtitui poſſit. 487. ſi non appareat & poſtea in poteſtatem commodantis veniat. 484
Res communis num mutuo dari poſſit. 521. num vendi poſſit. 1019. 1020
Rei communis locatio. 1234. 1235. an in ea ſocius præferendus. 1236. pars diviſa an vendi poſſit. 1032. depoſitæ ſi rata accipiatur. 619. 620
Rem communem depoſitam qui ſolus recipit, ad quid teneatur conſortibus. 618
Res conducta qualis præſtanda. 1230. quod & quando tradenda. 1231. num a conductore immutari poſſit. 1292. quomodo cuſtodienda. 1257
Rei conductæ deterioratio in quantum permiſſa. 1255. quatenus prohibita. 1256
Rei conductæ uſus quam diligentiam requirat. 1257
Rerum corporalium pretium quomodo determinetur. 283
Res data num tradenda. 54. an uni datæ alteri dari poſsit. 100
Res depoſita cujuſnam ſit. 577. num propriis rebus præferenda in communi periculo. 598. 599. an ſi pretioſior ſit. *ib.* ſi denuo apud alium deponatur. 602. 603. 623. quando alii, non deponenti reſtituenda. 622. quando invito deponenti reſtitui poſsit. 580
Rei depoſitæ remiſsio. 594. & ſeqq. cujuſnam in ea ſit periculum. 596. & ſeqq.
Res donata num tradenda. 54. cujuſnam ſit nondum tradita. 60. an recipienda. ſi donatarius eam reddere velit. 198. num tibi donata alii donari poſsit. 99. an hæc donatio ſubſiſtat. 100
Res emta num reddi ac pretium repeti poſſit. 1160. quando pignoris loco maneat apud venditorem. 961. quando deponatur. 962
Res extituræ num emi ac vendi poſsint. 1004. ſub qua conditione. 1005. quando emtio nulla. 1006. quomodo earum emtio & venditio contrahenda. 1007. 1009.
Res exigui pretii quænam eſſe debeant. 304
Res fructuoſæ ſi deponantur. 635. quatenus operis æquiparentur. 349. quando non faciant divitem. 359. quando faciant. 360. 361
Res fungibiles. Definitio. 509. quænam ſint. 510. requiſita. 511. 512. an mutuo dari poſsint. 518. num plures ejuſdem generis ſint individuæ. 616
Res induſtriales quomodo reducantur ad pure

pure naturales. 315. quomodo determinetur earum pretium. 313
Rei in genere reſtitutio. Definitio. 486. an amiſſa in genere reſtitui poſſit in commodato. 487
Rei in ſpecie reſtitutio. Definitio. 444
Res incorporales num evinci poſſint. 1175
Res litigioſa. Definitio. 629
Rei lucroſæ & uſus pecuniæ æquipollentia. 310.
Res mutuata ſi ante uſum pereat, vel deterioretur, cujuſnam ſit damnum. 574. num ante terminum reſtitui poſsit. 537
Rerum naturalium pretium quomodo determinandum. 308. quando in eo attendendum jus eas percipiendi. 309
Rerum neceſſariarum pretium, ſi ſimul ſint utiles, vel voluptuariæ. 306
Rerum præſentium, ſed imperfectarum emtio. 1008
Res permutata num alienari poſſit, ſi nondum tradita. 930. an vindicari poſsit, ſi alienetur te invito. 931
Res propria num emi poſsit. 1012. 1013. 1014. an tibi locari poſsit. 1230. an merces ſolvenda, ſi ignoranti locata. 1221.
Rei ſequeſtratæ reſtitutio. 632
Res vendita quando emtori & venditori communis fiat. 1023. num ab emto reconduci poſſit. 1222. quando pretio reſtituto redimi poſſit. 1114. an ut tibi vendatur, ſi emtor vendere velit, conveniri poſſit. 1102. ſi ſub lege commiſſoria vendita, an alii vendi poſſit. 1091. tibi vendita num alii vendi poſſit. 1147
Res vitioſa. Definitio. 502. ſi commodetur. 503. ſi a ſciente locetur. 1302
Res uſu quæ conſumitur quando æquipolleat rei, quæ uſu non conſumitur. 469. an commodari poſſit. 470. quænam de hoc commodato tenenda. 473. quando in commodato perire, vel deteriorari intelligatur. 474
Res uſu quæ deteriorantur quatenus in patrimonio æſtimando attenduntur. 351
Reſtitutio, quæ a mandante fieri debet. 692. in ſocida. 1316. ejus quod occaſione mandati ad te pervenit. 680. quod ex re mea ad te pervenit. 677. quod plus datum in permutatione. 926. ſi emtio reſolvitur ex nunc. 1153. ſi ex tunc. 1154. 1155.
Reſtitutio arrhæ. 994. 996. 999
Reſtitutio expenſarum de communi in prorius uſus in ſocietate factarum. 1358
Reſtitutio pretii pro re aliena vendita. 1017.
Reſtitutio pretii affectionis. 918
Reſtitutio rei commodatæ. 445. ante uſum. *ibid.* certo loco. 505. intempeſtiva. 504.
Reſtitutio rei depoſitæ num invito deponente fieri poſſit. 580. ſi ſit communis. 611. 612. 613. ſi uſus ejus conceditur. 609
Reſtitutio rerum fungibilium communium ejuſdem generis. 617
Reſtitutio rei in genere. Definitio. 486
Reſtitutio rei in ſpecie. Definitio. 444
Reſtitutio rei locatæ. 1258
Reſtitutio rei mutuatæ, qualis. 519. 536. ante terminum. 537
Reſtitutio pecuniæ mutuo datæ. 546. ſi æſtimatio nummorum mutuo detur. 556. 557. ſi ſumma mutuo detur expreſſo monetæ genere. 552. 558. non expreſſo monetæ genere. 553. ſi genus mutuo detur. 554. ſi ſpecies æſtimatæ mutuo datæ. 566. 567. ſi genus monetæ haberi nequeat. 568. ſi bonitas intrinſeca, vel extrinſeca, vel utraque mutetur pro diverſitate iſtorum caſuum. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565.
Reſtitutio rei ſequeſtratæ. 632. 633. 634. 637
Revocatio contractus. Definitio. 749
Revocatio donationis. Definitio. 87
Revocatio mandati. Definitio. 749
Revocatio promiſſionis. Definitio. 88
Rogare. Definitio. 644. an ſit contractus. 647. rogando num alterum nobis obligemus. 646. an mandetur. 648

S

Sequeſter. Definitio. 630. obligatio. 631. an poſſideat. 638
Sequeſtrum. Definitio. 630
Socida. Definitio. 1303. qualis ſit contractus. 1308. 1317. an ſit locatio conductio. 1304. an in ea transferatur poſſeſſio. 1306
Societas. Definitio. 1318. quale ſit pactum, 1321. 1388. quænam illicita. 1375. quomodo

Digitized by Google